39

XVIII. pl. 15

Auctor est Jacobus Wilhelmus ab Imhof

S. ROM. GERMANICI
IMPERII

PROCERUM
TAM ECCLESIASTICORUM
QUAM SECULARIUM

NOTITIA
HISTORICO-HERALDICO-GENEALOGICA,
Ad hodiernum Imperii ſtatum accommodata,
Et in
SUPPLEMENTUM OPERIS
GENEALOGICI RITTERSHUSIANI
adornata.

Cum Indicibus locupletiſſimis
Perſonarum, Inſignium & Rerum
neceſſariarum.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

TUBINGÆ,
Sumptibus
JOH. GEORG. COTTÆ, Bibliopol.
Typis MARTINI ROMMEII.

Anno M DC LXXXIV.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

Quam annuo abhinc ſpatio fidem publicè dedi, eam nunc libero, opusq; promiſſum, & ſedecim horum menſium improbo labore, quem Clarorum quorundam virorum deſideria acuére, conſarcinatum è privatorum parietum carceribus nunc dimitto, & publicæ luci ſubjicio. Ei verò cùm manum primitùs appellerem, aliud mihi conſilium fuiſſe, ac poſt reapſe egi, ex illis, quæ Spicilegio Rittershuſiano *præfatus ſum, etiam me jam tacente, patet: initio enim id mihi negotii ſolùm impoſui, ut Genealogias Illuſtrium ſtirpium Germanicarum, quas* Nicolaus Rittershuſius b. m. *exhibuit, continuarem, atque ad hanc noſtram ætatem producerem; nec fuit animus ἐκ τῶν ῥιζῶν eas arceſſere, atque ab ovo usque ad mala (ceu eſt in proverbio) enumerare; ſed extremas tantùm lineas ducere, & ſupplementum, non novas legiones, ſcribere. Mox autem ubi nuda nomenclatio, arida nimis & exſanguis res viſa eſt, aliam quercum excuſſi, conſiliumq; cepi, ipſos Illuſtrium familiarum fontes perſequi, & nonnulla ad ſtatum earum publicum ac privatum, eundemq; noviſſimum cogno-*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

scendum inservientia interserere. Simul ac verò ista atque adeò nonnihil majore cura rem aggressus sum, sensim iterum ab incepto mens calamusq; deflexere, & laxato quasi freno uberior stilo cursus indultus est, perpulitque me lubido, ut Historiam *etiam in partes operis vocarem, nec non illustriores controversias enarrarem; denique* Ecclesiasticorum *quoq;* Principum *aliqualem notitiam traderem, atque adeò* universos *nostri* Imperii Proceres, *eorumque jura enumerando percenserem; eò magis, quod hoc argumentum ea methodo vix à quoquam ex professo tactum est, vel certè minus accuratè excultum; ut sperare liceat, fore, quò si nova alia, novitatis saltem illecebra atque amœnitate lectorem opus alliciat, eiq; se commendet. Exinde autem accidit, ut initium non usque adeò benè progressui operis respondeat, neq; Augustissima domus Austriaca cura tam diffusa, eoque modo, quem in Principum familiis recensendis adhibui, explicata fuerit; quam quidem postea retractare & perpolire integrum amplius non erat; neque id etiam, ne quid dissimulem, pernecessarium duxi in splendidissima illa luce, qua coruscat Sacratissima illa stirps, omnium q; oculos vel perstringit vel clarificat; quamque cunctorum pœnè præstantissimorum ingeniorum monumenta loquuntur, ut nusquam magis quàm huc quadret tritum illud: Cui non dictus Hylas?*

Proin-

Proinde benignam hujus peccati veniam spero & demissè peto.

Plurimùm verò abest, ut existimem, reliquam tot Illustrissimarum stirpium historiam, immò universum hoc argumentum, pro dignitate à me tractatum, & ab erroribus satis cautum esse. Quèi potuit hoc à me fieri homine umbratico, ad Summatium Virorum, eorumq́ qui limina purpuratorum frequentant, & quid Iunoni Iupiter in aurem dixerit, captant notitia & commercio, tum monumentis omnibusq́ illis adminiculis, quæ in hoc studiorum genere utramq́ paginam faciunt, adeò destituto? quod potui præstitiego; ut quimus, ajunt, quando, ut volumus, non licet. *Qui verò præsidiis illis redundant, his si accuratiora & meliora in medium attulerint, cedam lubens, neq́ invidebo, sed gratiam habebo; quippe qui nullam hoc opere laudem aucupo, nec inanem gloriam moror, à qua quàm alienus sim, sciunt qui me norunt; ut potius illud Poëtæ è tripode natum*: benè qui latuit, benè vixit, *quotidiè magis magisq́ ad animum mihi revocem. Errores autem quos in tanta rerum, (quarũ magna pars è diversorum relationibus, non tamen ex vano, hausta est,) varietate ubi nec à prudentissimo maximeq́ solerti evitari facilè possunt, à me, cui scientiæ parum adeò, prudentiæ nihil est, pleno modio commissos esse uti agnosco, ita eorum nec non omnis ignorantiæ veniam*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

niam à cunctis æquis bonisque lectoribus mihi polliceor.

Iam verò si qui futuri sunt, quibus non satis cautè ac circumspectè hoc in argumento versatus, & ad nævos factaq; sequutora Potentiorum stilum liberius delabi passus esse videbor, horum iras invidiamq; deprecor; & ne cuncta minus suaviter dicta in injuriam crimenq; rapiant, oro. Quamvis enim si in alterutro peccandum sit, malim cum Cicerone, *nimis timidus videri quàm parùm prudens: veruntamen cum præcipuum historiæ munus sit, ne vitia non minus ac virtutes sileantur, ut nimirum* [a] Taciti *verbis*, pravis dictis factisque ex posteritate & infamia metus sit; *& plerumq; usu veniat, quod* [b] Salluſtius *scripsit, ut* qui magno Imperio præditi in excelso ætatem agunt, eorum facta cuncti mortales norint, *nullam in istis proficere dissimulationem putavi, quæ vel dudum in Chronicis stilo signata, & sempiternæ memoriæ mandata sunt, aut recens acta lippis & tonsoribus innotuere. Vitiis nemo summus infimusve sine nascitur*, nimis *itaque* superbè *(ut* [c] Blarcaii *verba huc transferam)* dedignatur mortalitatem, qui peccasse erubescit, *vel dici non fuit. Neminem tamen offendere animus fuit, & si præter opinionem in calamum aliquid venit, quod tacendum fuisset quoq; offensum se quis credat, simplicitatem id potius interpretetur rogo, quàm petu-*

a) *Ann. l. 3. c. 65.* b) *Cat. c. 51.* c) *Euph. p. 3.* lan-

lantiam, paratumq; me esse sit persuasissimus ita satisfacere, ut si quando contigerit, opus secunda cura recudi, omnes errores vel imprudentia vel ignorantia commissos, de quibus sobriè admonitus fuero emendem & corrigam. Porrò controversias illustres quantùm attinet, eas sicuti ex actis vel typis excusis, vel scripto tandem in comitiis prolatis, delibavi; ita illas recensendo non ex mea, sed partis alterutrius, in cujus scilicet libellos incidi, sententia me loqui, & in hanc vel illam partem dicta aut scripta dum refero, in neutram me ferri protestor. Gravi itaq; & immerita invidia injuriaq; me oneraturus est, quisquis in deterius ista torserit, meq; Illustrium Personarum jura pratensionesq; vel exaggerasse vel elevasse dictitaverit: neque enim cum illo Apellis sutore ultra crepidam sapere, atque homo privatus de rebus principum Virorum captum meum longè superantibus pronuntiare gestio; ludibrio maximo dignus, si tantum auctoritatis mihi operiq; meo stolide arrogarem, ut quemquam exinde aliquid in pratensionum suarum præsidium trahere, aut, ut trahatur pati posse cogitarem.

De catero quoniam utili ac pulchro nexu Genealogiæ juncta est ars Heraldica, sive tesserarum illustrium notitia, amba verò Historiæ partes integrantes (ut Gallicus quidam scriptor loqui amat) constituunt, non negligendam illam omnino esse du-

xi, eumque in finem passim insignium scutorum q. delineationem enumerationi personarum subtexui; qua quidem in re alienis plumis me ornasse, atque ex Opere Heraldico *Ἐκ πάνυ* Speneri *plerosq. clypeos excerpsisse non diffiteor; plerosq. dico, non omnes: multos enim à Celeberrimo Viro nondum evolutos, & posteriori fortè parti (cujus summô orbis eruditus & curiosis studiis deditus flagrat desiderio) reservatos stilo meo, inæquali quidem, exprimere conatus sum.*

Quoniam verò id, quod hoc opere tractavi, argumentum quotidianæ vicissitudini nimium quantum est obnoxium, nec malè illud Gellianum *huc convenit:* Multa cadunt inter calicem supremaque labra; *ne Lector illis, quæ in ipso tum scriptionis tum impressionis tempore contigere, & ad nostram notitiam pervenere mutationibus, tùm aliis seriùs mecum communicatis, defraudaretur, in calce operis provisum est; cui quidem animus ferebat subjungere nonnulla quibus etiam stemmata aliarum in Germania familiarum illustrium, quæ in censum quidem immediatarum Imperii non veniunt, à Cl. Rittershusio tamen exhibitæ sunt, suppleri possent, ut scilicet negotio continuationis Rittershusianæ quoad stirpes Germanicas quod hoc opere intenderam, pro virili defunctus esse videri queam; attamen quia præsens opus in majorem, ac putaveram, molem sensim excrevit, ita ut non pro amphora instituta urceus, ceu illi quondam, sed pro urceolo pœne*

ampho-

amphora exierit, neque typographo contra rationem temporis plus laboris injungi potuit, abrumpendum erat filum, hacque opera in aliam occasionem, quam jam nunc mente & cogitatione prospicio, rejicienda.

Indices *denique* tres *adornavi, harum* primus *Duces, Principes, Comites, quorum vel familia integris capitibus plenè explicantur, vel incidenter mentio fit, enumerat, ita ut non solùm nomina eorum gentilitia, sed & illa, quæ à locis, quos incolunt mutuare, quibus q; vulgò dignosci solent indicet*; Secundus *tesseras sparsim delineatas recenset*; Tertius *præcipua rerum capita, & nomina Principatuum dominiorum q; quæ in tractatione occurrunt, complectitur.*

Superest, ut eorum, qui conatibus nostris velificari dignati sunt, humanitatem, gratitudine sic jubente, prædicem. De universo autem hoc opere potissimùm benè meritus est Clarissimus in Heidelbergensi Universitate Professor, Heinricus Guntherus Thulemarius I Ctus, *qui non solùm in nominibus Canonicorum illustrium diversarum Ecclesiarum explorandis, sed & in Genealogiis aliquot familiarum, inprimis Leiningensis, Lippiacensis & Solmensis supplendis indefessam mihi operam navavit. Permultum etiam debeo* Viro Perquàm Reverendo Severino Walthero Slutero, Sereniss. Reginæ Daniæ viduæ Concionatori Aulico; *Is enim*

pro veteri nostra amicitia, (quæ in incluta Noribergensium Academia cœpta, posteà in itinere, quod per magnam Germaniæ Belgiiq; partem unà peregimus, tantas egit radices, ut nulla nec locorum nec temporum intercapedine divelli queat) à me in auxilium vocatus incunctanter operam suam promisit, fidemq; præstitit, nihil omittendo, ut commodis nostris inserviret, multaq; quæ ad Celsissimam familiam Holsaticam pertinent, mihi impertiendo, immò ultra vota nostra progressus Virum Amplissimum Johannem Mothium, Potentissimi Regis Daniæ Secretarium *mihi conciliavit, effecitq; ut is aliqua de Ahlefeldica, Ranzoviaq; stirpe mecum communicaret. Nec silendus mihi est* Sigismundus Ludovicus Wurfbeinius, *quo abineunte pueritia familiarissimè usus sum, cujusq; promptissimam voluntatem efficacissimè hoc in opere sum expertus; dum multarū in Suevia nec non aliquarum in Belgio ejusque confiniis familiarum notitiam à se congestam liberaliter mihi suppeditavit. Habuere illos sibi documento plures alij, quorum nomina dum reticeo, maximè veneror, qui symbola sua huc conferre gravati non sunt.*

Hæc erant, amice Lector, quæ præfari necesse fuit, tùm favori tuo demerendo, tum lenienda invidiæ & fascino depellendo:

Vive, vale, & si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti; si non, his utere mecum!

Q. D. B. V.

LIBER I.

DE IMPERATORE ET FAMILIA CÆSAREA.

CAP. I.

PROLEGOMENA.

GERMANIAM, in diversos olim populos, suam seorsim civitatem remque publicam habentes, divisam, primus in unum corpus coëgit *Carolus*, cui *Magni* nomen virtus peperit, *Rex Francorum*: Hic enim devictis Witekindo & Thassilone, illo Saxonum, hoc Bojorum Duce, omnia, quæ *Balthico mari*, *Oceano*, *Alpibus* & *Carpatho monte*, *Vistulaq; amne* sunt cincta, suo per omnem Galliam extenso imperio adjunxit, ac in complures provincias divisa Præfectis, sub nomine *Comitum* sive *Gravionum*, administranda tradidit; utque nationem ferocem & servitutis impatientem eò melius in officio contineret, *Episcopos* ac Sacerdotes adhibuit, qui religionem, qua multitudinem efficacissimè regi noverat, rectè constituerent, atque ad veri Dei cultum

barbaros perducerent, quem etiam in finem complures *Episcopatus* & *Abbatias* per universam Germaniam condidit ac fundavit.

2. Post Caroli M. ad superos excessum eadem quidem mansit Germaniæ conditio, nisi quod Præfecti illi & *Graviones*, mansuetudine ac facilitate *Ludovici Pii* abutentes, altiores spiritus sumere, viamque ad eam authoritatem atque potentiam, quam consecuti successu temporum sunt, sternere cœperunt.

3. Ludovico Pio vivis exemto, cum *Lotharius* filiorum ejus major natu, Imperatorio elatus nomine, jura naturæ transgressus (verba refero *Annalium Berthinianorum*, quos p. 991 Celeberrimus *Bœclerus in Comment. de Reb. Sec. IX. & X.* commendat) in binos, quos superstites habuit fratres, *Ludovicum* & *Carolum Calvum* dictum hostiliter armaretur, & nunc hunc nunc illum bello impeteret, ut utrumque regnis à patre datis exturbaret, miserè afflicta est Respublica; tandemque res ad cruentissimum illud prælium provenit, Basil. l. c. p. 100. quo VII. Cal. Julii A. C. 840. apud *Fontanetum* Altissiodorensis agri vicum, vires Francorum ita conciderunt, ut inposterum ad tutanda sua vix convalescerent. Demùm triennio post pace constitutâ, ac divisis optimatium arbitrio regni partibus, avulsa est omnimodè à reliquo corpore Imperii Fran-

Francici *Germania*, ac *peculiarem* sibi *Regem*, absoluta neque ab alio dependente autoritate pollentem, accepit *Ludovicum*, *Germanicum* exinde appellatum.

4. Postea cum extincta *Lotharii* in filiis *Ludovico* & *Lothario* stirpe, de hæreditate regni Lotharingici atque Italici *Ludovicus Germanicus* ac *Carolus Calvus*, nec non eorum posteri, exitialibus bellis inter sese conflictarentur, Germaniæ Proceres egregiam occasionem opes suas stabiliendi nacti sunt, ac restaurato *Ducali* axiomate, quod Carolus M. aboleverat, eò potentiæ emerserunt, ut sese Regum subjectioni pededentim subtrahere, & provincias sibi concreditas velut in patrimonio suo numerare, liberaque potestate regere cœperint, tandem verò, vergente ad interitum Carolina prosapia, omni cum Franco-Gallis commercio sublato, è sua sibi natione Reges elegerint.

5. Sed *Ottonis* Saxoniæ Ducis præcipuè potentia magna fuisse memoratur, adeò ut à Regio Imperio nil præter nomen ipsi deesse videretur; quod tamen, licet sibi delatum, recusavit, autorque extitit, ut *Conradus*, *Conradi Francorum Comitis* & exauctorato Poppone C. Hennebergio, Thuringorum Ducis, quem Adelbertus Bambergensis fax & turbo sui temporis prœlio apud Frideslariam interfecit, filius, in *Regem Germanorum* *Bœcl. l. cit. p. 224.*

fuerit electus: Qui cùm Proceres in ordinem redigere, eorumque potestatem infringere frustra nisus esset, moriturus suasit, ut *Heinrico Aucupi* Saxoniæ Duci, præfati Ottonis filio, Regia dignitas conferretur.

6. Hujus filius ac successor *Otto I.* qui moribus, fortuna, rebus gestis cognomentum *Magni* implevit, primus *Regnum Italiæ* & *Imperium* Urbis Romæ, Germaniæ Regno conjunxit: Cùm enim desideriis Johannis Pontificis, multorumque Illustrium Virorum, ad sese confugientium, obtestationibus exstimulatus, expeditionem adversus *Berengarium* Italiæ tyrannum suscepisset, eumque debellasset, Romam venit An. 961. ac ibi à Senatu populoque Romano *Cæsareum nomen & diadema* accepit; & cum his *Imperium in urbem Romam, in Papam, in patrimonium Ecclesiæ Romanæ*: quod jus sub Leone VIII. Johannis successore, mox in perpetuum Germaniæ & Imperatoribus Germanicis ita stabilitum est, ut ad jura illa Cæsarea exercenda nulla in posterum Pontificis authoritate aut coronatione opus esse, ipsamque electionem Procerum Germanorum sufficere ad ea conferenda, ante Hildebrandum nemo negare ausus, postea licet magnis, irritis tamen moliminibus, οἱ πάπαι καὶ ὀπαδοὶ impugnare coacti sint, uti non verè minùs quàm scite prælaudatus *Baclerus l. 6.* scripsit.

Conf. Schurzfl. Diss. de divis. Imp. Carolini §. 73. & 76.

p. 297.

7. Hæ-

7. Hæsit Cæsarea dignitas in Ottonis familia, usque ad *Ottonem III.* nepotem, quo sine prole mortuo, translata est Imperii summa ad *Heinricum Claudum* Bavariæ Ducem, cujus avus Henricus Rixosus, Ottonis M. frater fuit; isto defuncto pervenit ad *Conradum Salicum* Franconiæ Ducem, in cujus familia mansit usque ad *Heinricum V.* ejus pronepotem.

8. Commemorandum hoc loco est, sed ὡς ἐν παρόδῳ, quod ὁ πάνυ *Conringius in exercitatione de Duc. & Comit. Imp.* tradit: scilicet Ottonum temporibus, seculares potestates Episcopis etiam atque Abbatibus conferri cœpisse, primumque *Brunonem Episcopum Colonienſem* Ducatu quoque Lotharingiæ à fratre *Ottone M.* investitum esse; ut ita duplex potestas, *Ecclesiastica & Secularis* in una eademque persona conjuncta fuerit: Quo ipso Episcoporum potentia sequenti tempestate eò usque excrevit, ut ipsi Cæsares alios magis metuendos non haberent; eumque unum tantum Imperatoribus supereſſet frænum ad compescendam nimiam Episcoporum potentiam, nempe *libera* Episcopatuum atque Abbatiarum *investitura*, istud quoque Cæsarum manibus excussum est Hildebrandi, quem Gregorium VII. vocant, ac ejus successorum ambitione & sacra tyrannide. Neque inter has Imperatorum, præcipuè *Heinrico-*

th. 25. & 26. Add e ejusd not. in Lamp. p. 3. c. 5. §. 3.

ricorum, cum Pontificibus Romanis contentiones, Seculares Germaniæ Proceres sui suorumque commodorum sunt obliti; sed veluti ii, qui in turbido piscantur, magis magisque sese extulêre, Regumque suorum potestatem imminuêre.

9. Verùm ut ex hoc diverticulo in viam, unde digressus sum, nunc revertar, *Heinrico V.* fatis functo Imperium occupavit *Lotharius Comes Supplenburgi*, quem *Saxonem* vocare amant; post quem omnium Procerum consensu delatum id est *Conrado III. Hohenstaufensi, Suevia Duci*, cui successit nepos ex fratre *Fridericus I. Barbarossa*; cujus posteri per integri seculi spatium hac dignitate sunt gavisi, usquead *Conradum IV.* qui Anno 1254. fraterno scelere è vivis sublatus est.

10. Hujus fata ingens illud ac decantatissimum excepit *interregnum*, quo grassante licentia, res Imperii grave atque irreparabile detrimentum sunt passæ; donec tandem meliore genio afflati Proceres comitiis Francofurti ad Mœnum habitis Anno 1273. *Rudolphum Habspurgi Comitem*, omnis ætatis ac memoriæ Clarissimum Principem, in Germanorum Regem elegerunt, simul etiam ad Imperiale fastigium evexerunt: Hic, ut *Lipsii* verba mea faciam, *fluctuans per dissidia Imperium stabilivit, & gentem fatalem sceptris regnis-*

Mon. & exemp. Polit. l. 1. c. 2.

regnisque propagavit. Posteaquàm bene de Rep. meritum spiritum An. 1291. reddidit, surrogatus ei est à Proceribus, libertatis suæ ac Electionis tenacibus, inprimis verò astu Antistitis Moguntinensium, *Adolphus Nassoviæ Comes*; sed post septennium rejectus, Imperio pariter & vita ab *Alberto Austriæ Duce, Rudolphi I.* filio, pugna illa decretoria in agro Spirensi d. 2. Jun. 1298. comissa, spoliatus est.

11. *Alberti* I. Imperatoris cæde cum sacrilegas manus *Johannes Sueviæ Dux*, fratris sui filius An. 1308. imbuisset, transiit Imperium ad *Heinricum VII. Luzelburgi Ducem*; quo inaudito ac nefando scelere è vivis sublato, ortum est inter Electores Francofurti congregatos dissidium, aliis *Ludovico Bavaro*, aliis *Friderico Austriaco*, *Alberti* I. Imp. filio faventibus; unde bellum inter duos hosce æmulos & consobrinos excitatum, quo superatus *Fridericus* & captus, jure ac potestate Imperatoria decedere, nudoque nomine ac titulo contentus esse cogebatur.

12. Post *Ludovici* è vita discessum electus est An. 1346. *Carolus, Bohemiæ Rex, Heinrici VII. Imp.* nepos, qui ut filio degeneri *Wenceslao* successionem redimeret, Imperii patrimonium decoquere non est veritus: Sed

Wenceslao, ob ignaviam & væcordiam remoto, succenturiatus est, seculo quinto & decimo ineunte *Rupertus Palatinus*: huic (transeat *Iodocus Moraviæ Marchio*) *Sigismundus Bohemiæ & Hungariæ Rex, Wenceslai frater*; post quem rerum summa ad *Austriacos* rediit, electo unanimi Septemvirûm consensu *Alberto* II. *Sigismundi* genero Anno 1438. cumque hunc altero statim anno in flore ætatis fatorum iniquitas rapuisset, agnatus ejus *Fridericus Austriæ Archi-Dux, Ernesti Ferrei* filius, Imperii habenas, applaudentibus Electoribus, capessivit. Atque in hujus posteris *per duo jam secula & amplius*, serie nunquam interrupta, Imperatoria Majestas, *salvo* tamen atque illibato *Electionis jure*, resplenduit; utque perpetuò splendeat precamur, & si quid veri mens augurat, optamus.

13. Verùm enim verò, quanta provinciarum, imo Regnorum naufragia Imperium inde ab *Heinricorum* temporibus, ad hæc nostra usque fecerit, & qua fatorum iniquitate, ad angustos hos, quibus hodie circumscribitur, limites fuerit redactum, quis in hoc transcursu tam arctati operis exprimere audeat? luculenter ea ac solidè, ut omnia, exsecutus est Vir rerum patriarum peritissimus *Herm. Conringius* peculiari libro *de Finibus Impe-*

Imperii Germ. cujus edecumati scripti posteriorem partem, utinam pallida mors, quæ Vinum immortalitate dignissimum, ei insudantem oppressit, erudito orbi non invidisset.

14. His præmissis, quæ ad generalem Imperii notitiam pertinere, ac lectori non injucunda fore putavi, priusquam ad institutum progredior, de *forma operis* mei dicendum paucis est: Censui autem *Imperii Proceres*, quorum Historiam recènsere mecum constitui, in *quatuor* omnino *classes* redigi posse quàm commodissimè. *Prima* debetur omnium Capiti ac Principi, *Imperatori; secundam* occupent *Octo Viri* s. *Electores; tertiam* Principes *Sacri* Ordinis, *Archiepiscopi*, *Episcopi*, cœnobiorumque *Præsules* ac *Antistitæ; quartam* denique impleant *Seculares* Principes, quales sunt *Palatini*, *Duces*, *Marchiones*, *Landgravii* & *Principes in specie sic dicti*; quibus demum accedunt *Comites*, *Domini* & *Barones*, quotquot scilicet ex his in censu *immediatorum* Imperii *civium* habentur. Universos ac singulos eo ordine, qui in Imperio receptus est, enumerando percensebimus.

A JOVE PRINCIPIUM!

CAP. II.

DE IMPERATORE HODIERNO.

QUi hodie Imperii sceptra tenet ac moderatur CONSILIO non minus quàm INDUSTRIA, est sacratissimus

1. LEOPOLDUS I. *Dei gratia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, Bulgariæ, Bosniæ, Serviæ & Rasciæ Rex, Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Luzelburgi, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Wirtembergiæ, utriusque Silesiæ, Princeps Comes Habsburgi, Tyrolis, Pfirctarum, Kyburgi & Goritiæ, Landgravius Alsatiæ, Dominus Vinidorum Marchiæ, Portenaviæ & Salinarum.*

2. Susceptus est in lucem *Viennæ*, quæ Austriæ Superioris metropolis, sedeque Cæsarea nobilis est, anno seculi, quo agimus, quadragesimo, die 9. Junii styli Gregoriani, à Parentibus Augustissimis, *Ferdinando III.* Imperatore, qui d. 2. Aprilis 1657. terras reliquit, & *Maria Anna* Philippi III. *Hispaniarum* Regis & Margarethæ Austriacæ filia d. 13. Maji

13. Maji 1646. defuncta. Cum sacris initiaretur compluria sortitus est prænomina, videlicet *Leopoldi*, *Ignatÿ*, *Francisci*, *Balthasaris*, *Iosephi*, *Feliciani*. Anno 1655. d. 27. Junii *Hungarico*, sequenti verò anno d. 14. Sept. *Bohemico* diademate redimitus est. Post Divi Parentis ad Deum excessum, in *patrui Leopoldi Wilhelmi*, qui Anno 1662. d. 20. Nov. fatis concessit, fuit tutela, demum Anno 1658. d. 18. Julii cum ætatem lege Imperii fundamentali definitam compleviſſet, Francofurti ad Mœnum *Imperator* creatus & decima octava abhinc luce, quæ fuit quinta Augusti mensis, in eadem civitate sollenni pompa ac cærimonia inauguratus atque coronatus est.

3. Quæ ejus *matrimonium* hodie tenet, *tertia* est *conjux*: *Prima* erat sororis suæ *Mariæ Annæ* & *Philippi IV. Hispaniarum Regis* filia, *Margarita Theresia*, quam thalamo sibi junxit d. 12. Dec. 1666. ac Anno 1673. 12. Martii extinctam amisit. *Secundis* nuptiis sibi copulavit *sobrinam* suam, *Claudiam Felicitatem*, *Ferdinandi Caroli Archi-Ducis Austriæ* d. 30. Dec. 1662. mortui, & *Annæ Medicææ* d. 12. Sept. 1676. defunctæ gnatam; quæ *Grazii* in Styria ducta d. 15. Oct. 1673. ac immatura morte An. 1676. 8. April. abrepta, maximum sui desiderium reliquit. Sed cedente mœrore rationi status, eodem adhuc

huc anno ad *tertias* nuptias animum adjecit, aſciſcendo in thorum *Eleonoram Magdalenam Thereſiam, Philippi Wilhelmi, Comitis Palatini ad Rhenum, & Eliſabethæ Amaliæ Landgraviæ Haſſiæ* filiam; cum qua d. 14. Dec. *Paſſavii* ſollemnia nuptiarum peregit.

4. E *primo* matrimonio *quatuor* Auguſto noſtro nati ſunt *liberi:*

I. *Ferdinandus Wenceslaus Ioſephus Michaël Elcearius* natus d. 28. Sept. 1667. verùm oſtenderunt terris tantùm hunc fata, nec ultra eſſe ſiverunt; nondum enim quarto menſe expleto, animam cœlo reddidit d. 13. Jan. 1668.

II. *Maria Antonia Ioſepha, Benedictina Roſalia Petronella* n. 18. Jan. 1669. hodieque *ſuperſtes.*

III. *Anonymus* 20. Febr. 1670.

IV. *Mariana Ioſepha Antonia Appollonia Scholaſtica* n. 9. Febr. 1672. & d. 23. ejusdem menſis & anni extincta.

E *ſecundo* thoro *duplex* prodiit *fœminea proles:*

I. *Anna Maria Ioſepha Thereſia Antonia Dominica Xaveria Dorothea* n. 11. Sept. 1674. & d. 22. Dec. ejusd. anni mortua.

II. *Maria Ioſepha Clementia Anna Gabrielis Antonia Franciſca Dominica Thereſia*

resia Eva Placidia n. 11. Octobr. 1675. & 11. Julii sequentis anni defuncta.

E *tertio* conjugio provenere hactenus:

I. *Iosephus Iacobus Ignatius Iohannes Eustachius* editus in lucem hora secunda matutina inter 25. & 26. Julii St. N. 1678. *Princeps Iuventutis*, pro cujus incolumitate, qua publica salus continetur, solemnia vota & suscepimus pariter & solvimus, precati Deum, ut velit ea semper solvi, semperque signari.

II. *Maria Elisabetha Lucia Theresia Iosepha* n. 13. Dec. 1680.

III. *Leopoldus Iosephus Guilielmus Antonius Franciscus Erasmus* n. 12. Junii 1682. *Clara DEI soboles, magnum Iovis incrementum.* Vivat, floreat & adultior in Augustissimæ familiæ solatium Imperiique subsidium crescat; & *quicquid calcaverit Hic, rosa fiat!* † 84

5. *Scutum*, quo Leopoldus Augustus uti frequenter solet, *aquilam continet nigram bicipitem, corona Imperatoriâ cinctam in solo aureo, cujus rostra & crura cocco tinguntur* (Imperii symbolum) *ejus pectori impositum est scutulum bipertitum, quod hinc fasciam argenteam in campo rubeo* (Austriæ tesseram) *istinc castellum aureum in cocco* (Castellienſis Regni om-

Spon. Opt. Herald. Spect. l. 1. c. 9.

emblema) *defert, ac torque Aurei Velleris circumdatum est. Utrumque aquilæ latus claudunt* undecim parmulæ in orbem positæ, *indices Regnorum & Provinciarum, quæ hæreditario titulo Imperator possidet.* Primæ *ab utroque latere* Hungariæ Regnum *denotant; quarum dextra argento & minio octonis ductibus fasciatur, sinistra rubea triplici colliculo viridi insistentem argenteam crucem Archiepiscopalem sustinet.* Secunda à dextris *parma rubea est insignis leone argenteo, cujus corona, lingua & falculæ aureæ, cauda bisulca* Bohemiæ Regnum *designat. Huic* à sinistris *opponitur cœrulea parmula, cui inscripta tria capita leonina, coronata, aurea; quod* Dalmatici Regni σῆγμα *est.* Tertia ad dextram *tessellis argenteis & miniatis distincta* Croatiam *indicat: Quæ ei* è regione *respondet aurea est inscripto brachio, rubro indumento, acinacem argenteum strictum tenente,* Sclavoniam *denotans.* Quarta à dexto latere Austriaca *insignia suprà descripta exhibet, cui* à sinistro *opposita est parmula sexies auro & cyano obliquè à dextra fasciata, margine coccineo, quod* Burgundici Ducatus symbolum *est.* Quinta ad dextram *viridis continet gryphum ἄπτερον argenteum, scintillas ex auribus, naribus & ore vibrantem,* Styriamque *denotat: ei* ad lævam respondens *argentea est, deferens aquilam cœruleam, coronam, rostro & ruribus coccineis, cujus pectori inscripta,*

scripta lunula crescens, ductu gemino tessellarum ex argento & minio variegata, ac Carniolam *designat.* Infimum *denique* locum *obtinet parmula argentea, continens aquilam rubeam, cujus corona, rostrum, crura & semicirculi trifoliati alis impressi auro fulgent, quod* Tyrolensis Comitatus symbolum *est.*

CAP. III.

DE CÆSARIS CONSANGUINEIS.

QUantumvis Augustus noster fratrem inter vivos nullum habeat, defunctorum tamen etiam memoriam colere, fas esse piumque duco. Præ cæteris autem brevis ævi, duorum maximè nomina posteritati sunt commendanda *Ferdinandi* scilicet & *Caroli Iosephi.* Ille *germanus Cæsaris frater*, generis humani deliciæ, cujus tempora triplex insigne Regium, Hungaricum, Bohemicum & Germanicum jam dum cingebat, immatura morte d. 9. Jul. 1654. oppressus, spes patriæ ingentes destituit.

2. *Carolus Iosephus*, alia quàm ille Matre, nempe *Maria Leopoldina Austriaca*, quæ Ferdinandi III. Patris secunda erat conjux, natus, ac Sacro Ordini dicatus, *Passavienſis atque Vratislavienſis Ecclesiæ Antistes*, præterea

Teuto-

Teutonicæ Equestris militiæ Magnus Magister creari meruit, sed virtute ætateque florentem abstulit atra dies, & funere mersit acerbo, Anno 1664. d. 27. Januarii.

3. E *sororibus* Cæsaris prima eademque germana *Maria Anna* Anno 1634. d. 22. Dec. nata, *Philippo Balthasari Hispaniarum Principi* Ao. 1646. desponsata fuit, verùm ipso ante nuptias defuncto, patri ejus *Philippo IV. Hispaniarum Regi* elocata est.

4. Reliquæ duæ alia matre, tertia Ferdinandi III. conjuge (de qua postea dicendum) natæ sunt:

Eleonora Maria d. 21. Maji 1653. in lucem edita est, atque Ao. 1670. Febr. *Michaëli Wisniovvizkio Poloniæ Regi* hocque triennio post & quod excurrit mortuo, *Carolo Lecpoldo Duci Lotharingiæ* Ao. 1678. 6. Febr. nupsit.

Maria Anna Iosepha natalem diem habuit 20. Dec. anni 1654. ac *Johannem Wilhelmum Comitem Palatinum, Ducem Juliacensem* thori socium Ao. 1678. d. 25. Octobr. sortita est.

5. Harum *mater*, omni fœmineo decore clarissima *Eleonora Gonzaga*, lucem aspexit Mantuæ d. 18. Nov. 1629. Pater ei erat Carolus Gonzaga Mantuæ Dux ac Montisferati Marchio: Mater Maria, eadem stirpe pro-

prognata. Ferdinandi III. Augusti thalamum ingressa est Neostadii d. 30. April. 1651. nuncq; viduam vivit vitam, Viennæ ut plurimùm degens, ac magnum pietatis & virtutis studium præ se ferens; cujus argumentum edere fategit *duplici ordine*, quem Heroës imitata, instituit fœminisque illustri loco natis propriũ esse voluit; nempe ut ostenderet, sequiori etiam sexui egregiæ indolis semina ac præclaros ad virtutem impetus inesse. *Priorem* quidem *ordinem* An. 1662. fundavit ac *virtutis exercitiis mancipavit*, unde matronis ei initiatis nomen indidit: *Mancipium virtutis* (Sclavinnen der Tugend.) Diligenti quippe meditatione secum reputaverat prudentissima fœminarum illud Poetæ: *Nobilitas sola est atq; unica virtus*, sicque animum induxit suum, & generis splendorem & majorum gloriam, præterea ambitiosos honores & quicquid vulgo excelsum videtur, nisi virtus adsit, vilius algâ esse. Quare ut illustriores fœminas, quas fortunæ altioris licentia ac aulæ illecebræ à rectis ad prava sæpe præcipitant, ad veræ virtutis studium excitaret atque inflammaret, eum ordini præfixit scopum, omnibus, quotquot ejus insignibus cohonestarentur, sedulò inculcandum: ut perpetuum cum vitiis pravisque cupiditatibus bellum gererent, iisq; omnibus oppugnatis, devictis & prostratis, uni virtuti

se devoverent, & servirent nobilem liberrimamque hanc servitutem. Pro *symbolo Solem* elegit, encaustico, uti vocant, opere, aureo numismati impressum, ac laureola cinctum, quam ambit epigraphe: *Sola triumphat ubique*. Nimirum quemadmodum Solvi radiorum, quos emittit, abditissima etiam telluris viscera penetrat, latentesque auri venas percoquit ac expurgat, adeo ut in purissimum ac pretiosissimum abeant metallum: sic etiam virtutem eorum, quos penes est, animos, ab omni labe puros & splendidos perficere, atquead Dei similitudinem, quantum natura mortalis patitur, perducere, sibimet verò pulcherrimam mercedem non fluxam, sed perpetuò lauri instar floreścentem esse, hac tessera significatur: annexa autem ea est *catena aurea*, quod servitutis solet esse δήγμα, gestatrices commonefaciens vinculi, quo ad virtutē colendam sese obstrinxerunt.

6. *Alter ordo*, quem Eleonoram Augustam fundâsse, dixi, est *ordo Crucis*, sive *sociata veneratio crucis* (die vereinigte Creutzes Verehrung); cujus institutioni ansam præbuit incendium illud, quo An. 1668. Regia Viennensis penè conflagravit: id enim cum etiam Imperatricis viduæ conclavia inopinatò corripuisset, eaque cum omnibus ornamentis ac utensilibus, quibus instructissima fuerant, in cinerem redegisset, quinta demum

pòst

pòst luce reperta est inter prunas torresque crucicula aurea, cujus jacturam graviùs tulerat Eleonora, quàm rerum omnium reliquarum, quas ignis devoraverat; latebat autem sub hoc auro segmentum ligneum Crucis Sacræ, in qua Salvator noster mortem obiit; idque illæsum, licet aurum jam liquisset, capsulaque chrystallina, cui inclusum erat, confracta esset. Exultans igitur gaudio ac triumphans ob restitutum sibi tam charum χειμήλιον, remque in miraculum trahens, impetum cepit instituendi societatem aliquot fœminarum non sanguine minùs, quàm religione ac pietate præstantium, quibus Sacræ Crucis devota veneratio, fructuumque, qui ex ea, in humanum genus redundarunt, pia ac assidua meditatio curæ esset cordique: His *tesseræ* loco *Crucem* dedit sinistræ pectoris parti in *candido ligamine* aptandam, cujus medium *lineola* permeat *lignei coloris*, extremitates verò *quatuor stellis* coruscant, angulos *totidem aquilæ* exornant, cum lemmate: *Salus & gloria.* Candidum ligamen indicium esse voluit innocentiæ, cui sub vexillo Christi militantibus litandum est: Stellis ad cœleste cygni signum, quod crucem exprimit, alluſit, aquilis autem, præterquam quod in Gonzagarum clypeo gentilitio crucem stipantes, visuntur, monere voluit societatis hujus consortes, ut aquilarum instar oculos

mentis nunquam non defixos habeant in Solem justitiæ Christum, qui morte sua, quam in cruce perpessus est, *salutem* nobis æternamque *gloriam* comparavit: Atque huic societati *Protectores* adoptavit, *B. Virginem Mariam* ac *B. Josephum*, ejusque confirmationem amplissimis indulgentiis dotatam à Clemente IX. Pontifice, cum longo præconiorum syrmate, impetravit; sicut pluribus refert *Bernhardus Justinianus* in Italico *de Ordinum Equestrium historia* opere. p. 412. & 442.

CAP. IV.

DE CÆSARIS AGNATIS.

STirps inclutissima Austriaca felici quondam fœcunditate floreſcens, ac vastis diffusa ramis, nunc pristina viriditate deficiente senescens, vix unum alterumque sustinet palmitem; unde paucissimos habet Leopoldus Augustus agnationis nexu sibi conjunctos, vixque simplicem excedentes numerum. Nostra tamen adhuc memoria *duo in Germania* extabant *rami*, *à Caroli Archiducis*, cui *Ferdinandus* I. Imp. pater, *Maximilianus* II. frater erat, filiis *Ferdinando* & *Leopoldo* orti; *ille* enim, qui post Matthiæ Imp. patruelis sui obitum ad Imperiale fastigium eve-

evectus est, *Cæsareum ramum* condidit, hodienum ac, quod precamur, æternùm vigentem. *Leopoldus* autem Tyrolensem, quem à sede *Oenipontanum* vocare amant, profevit, qui in filio ejus minore natu *Sigismundo Francisco* iterum exaruit. Hic cum initio Ecclesiasticam vitam sectatus, ac in *Episcopum Augustanum, Gurcensem & Tridentinum* cooptatus esset, fratre majore natu *Ferdinando Carolo*, nulla relicta prole mascula, An. 1662. defuncto, ditionum regimen, Ecclesiasticis beneficiis dimissis, suscepit; sed præmaturo fato suo, cùm nuptias pararet *Mariæ Hedvvigis Augustæ* filiæ Christiani Augusti *Comitis Palatini Solisbacensis*, per internuntium Johannem Georgium Comitem à Königseck sibi desponsatæ, d. 25. Jun. 1665. abreptus est. Unicus itaque sequioris sexus palmes ex hoc ramo supereſt, nempe: *Clara Isabella*, Leopoldi Archi-Ducis filia, nata 12. Aug. 1629. ac An. 1649. *Carolo Gonzagæ Duci Mantuæ* nuptum collocata, nunc verò viduam sanctisque dicatam colens vitam.

2. *Burgundicum* sive *Hispanicum ramum*, cujus autor *Carolus* V. *Imperator* extitit, quod attinet, eum quoque sensim defloruisse & ad unicum palmitem redactum esse constat, solus quippe ex eo, quoad mares, reliquus est modernus Hispaniarum Rex *Ca-*

BIBLIOTECA

rolus II. natus d. 6. Nov. 1661. patre *Philippo IV. Rege*, qui d. 17. Sept. 1665. è vita migravit, matre *Maria Anna*, *Ferdinandi III. Imp.* filia; quam superstitem esse diximus. Habet is in conjugio *Mariam Ludovicam*, *Philippi Ducis Aurelianensis & Henriettæ Stuardæ* filiam, cum qua solemnia nuptiarum peregit in vico *Quintana palla*, qui Burgis tribus leucis distat d. 19. Nov. 1679. postquam d. 30. Aug. eam sibi, intervenientе legato, Paulo Spinola Marchione de los Balbazes Hispaniæ Magnate, Fontibellaquei in Gallia despondisset; sed, quod dolendum, nulla hucusque sobole auctus est.

3. Habet Carolus sororem unicam superstitem *Mariam Theresiam*, sed alia matre, Isabella nimirum Henrici IV. Galliarum Regis filia, priore Philippi IV. Hispaniarum Regis conjuge natam d. 20. Sept. 1638. ac *Ludovico XIV. Regi Christianissimo* An. 1660. matrimonio sociatam. Verùm de his uberiùs agendi, alio loco ac tempore, occasio erit.

CAP. V.

DE ORIGINE, INCREMENTO & STATU MODERNO AUSTRIACORUM.

INter varias ac diversas de origine Austriacæ familiæ sententias, quæ scriptorum ingenia

genia hactenus exercuerunt, illa nunc eruditioribus potissimùm probatur, atque ad veritatem proximè accedere videtur, quæ autorem *Hieronymum Vignerium* agnoscit, ac Habsburgenses Comites, à quibus Austriacos descendere nemo est, qui nesciat, à *priscis Ducibus Alsatiæ*, atque adeò ab *Erchenbaldo* quodam derivat, qui *Chlodovei* II. Francorum Regis Palatii Magister fuerit, ac An. C. 661. vitam cum morte commutaverit, relicto filio ac dignitatis hærede *Lendisio*, An. 680. circiter ab *Ebroino* cæso, cui uxor è Regia *Sigismundi Burgundi* stirpe tribuitur. Hôc natum perhibent *Ethiconem s. Athicum* cognomento *Adelricum*, cui à Theodorico *Alsatiæ Ducatus* collatus sit, ac *Ehenheimij* domicilium fuerit, *pater* & *Berswindi*, cujus sororem *Blidechilden Chilpericus II. Rex Francorum* in matrimonio habuit, *quinque liberorum*, inter quos una infirmioris sexus numeratur *Ottilia Abbatissa in Hohenburg*, in Sanctarum calendarium postea relata, *filij quatuor*, *Adelbertus Dux Alsatiæ*, *Etho seu Hetto*, *Hugo & Badaco* Comites *Adelberti* stirpem alii extinctam volunt in filio *Eberhardo* improli, alii huic filium assignant *Ruthardum*, quem conditorem ferunt *Kyburgensium*, *Thurgovienſium* aliorumque, quin & *Capetinorum* Galliæ Regum. *Hugonis & Badaconis* posteri in tertia gene- *Spen. Syll. p. 1.*

huc anno ad *tertias* nuptias animum adjecit, aſciſcendo in thorum *Eleonoram Magdalenam Thereſiam, Philippi Wilhelmi, Comitis Palatini ad Rhenum, & Eliſabethæ Amaliæ Landgraviæ Haſſiæ* filiam; cum qua d. 14. Dec. *Paſſavii* ſollemnia nuptiarum peregit.

4. E *primo* matrimonio *quatuor* Auguſto noſtro nati ſunt *liberi:*

I. *Ferdinandus Wenceslaus Ioſephus Michaël Elcearius* natus d. 28. Sept. 1667. verùm oſtenderunt terris tantùm hunc fata, nec ultra eſſe ſiverunt; nondum enim quarto menſe expleto, animam cœlo reddidit d. 13. Jan. 1668.

II. *Maria Antonia Ioſepha, Benedictina Roſalia Petronella* n. 18. Jan. 1669. hodieque *ſuperſtes.*

III. *Anonymus* 20. Febr. 1670.

IV. *Mariana Ioſepha Antonia Appollonia Scholaſtica* n. 9. Febr. 1672. & d. 23. ejusdem menſis & anni extincta.

E *ſecundo* thoro *duplex* prodiit *fœminea proles:*

I. *Anna Maria Ioſepha Thereſia Antonia Dominica Xaveria Dorothea* n. 11. Sept. 1674. & d. 22. Dec. ejusd. anni mortua.

II. *Maria Ioſepha Clementia Anna Gabrielis Antonia Franciſca Dominica Thereſia*

resia Eva Placidia n. 11. Octobr. 1675. & 11. Julii sequentis anni defuncta.

E tertio conjugio provenere hactenus:

I. *Iosephus Iacobus Ignatius Iohannes Eustachius* editus in lucem hora secunda matutina inter 25. & 26. Julii St. N. 1678. *Princeps Inventutis*, pro cujus incolumitate, qua publica salus continetur, solemnia vota & suscepimus pariter & solvimus, precati Deum, ut velit ea semper solvi, semperque signari.

II. *Maria Elisabetha Lucia Theresia Iosepha* n. 13. Dec. 1680.

III. *Leopoldus Iosephus Guilielmus Antonius Franciscus Erasmus* n. 12. Junii 1682. *Clara DEI soboles, magnum Iovis incrementum.* Vivat, floreat & adultior in Augustissimæ familiæ solatium Imperiique subsidium crescat; & *quicquid calcaverit Hic, rosa fiat!* †84

5. *Scutum*, quo Leopoldus Augustus uti frequenter solet, *aquilam continet nigram bicipitem, corona Imperatoriâ cinctam in solo aureo, cujus rostra & crura cocco tinguntur* (Imperii symbolum) *ejus pectori impositum est scutulum bipertitum, quod hinc fasciam argenteam in campo rubeo* (Austriæ tesseram) *istinc castellum aureum in cocco* (Castellienſis Regni om-

Spon. Opt. Herald. Sp. l. 1, c. 9.

emblema) *defert, ac torque Aurei Velleris circumdatum est. Utrumque aquilæ latus claudunt* undecim parmulæ in orbem positæ, *indices Regnorum & Provinciarum, quæ hæreditario titulo Imperator possidet.* Primæ *ab utroque latere* Hungariæ Regnum *denotant, quarum dextra argento & minio octonis ductibus fasciatur*, sinistra *rubea triplici colliculo viridi insistentem argenteam crucem Archiepiscopalem sustinet.* Secunda à dextris *parma rubea est insignis leone argenteo, cujus corona, lingua & falculæ aureæ, cauda bisulca* Bohemiæ Regnum *designat. Huic* à sinistris *opponitur cœrulea parmula, cui inscripta tria capita leonina, coronata, aurea; quod* Dalmatici Regni σῆγμα *est.* Tertia ad dextram *tessellis argenteis & miniatis distincta* Croatiam *indicat: Quæ ei* è regione *respondet aurea est inscripto brachio, rubro indumento, acinacem argenteum strictum tenente,* Sclavoniam *denotans.* Quarta à dexto latere Austriaca *insignia supra descripta exhibet, cui* à sinistro *opposita est parmula sexies auro & cyano oblique à dextra fasciata, margine coccineo, quod* Burgundici Ducatus symbolum *est.* Quinta ad dextram *viridis continet gryphum ἄπτερον argenteum, scintillas ex auribus, naribus & ore vibrantem,* Styriamque *denotat: ei* ad lævam respondens *argentea est, deferens aquilam cœruleam, coronam, rostro & ruribus coccineis, cujus pectori inscripta,*

scripta lunula crescens, ductu gemino tessellarum ex argento & minio variegata, ac Carniolam *designat.* Infimum *denique* locum *obtinet parmula argentea, continens aquilam rubeam, cujus corona, rostrum, crura & semicirculi trifoliati alis impressi auro fulgent, quod* Tyrolensis Comitatus symbolum *est.*

CAP. III.

DE CÆSARIS CONSANGUINEIS.

QUantumvis Augustus noster fratrem inter vivos nullum habeat, defunctorum tamen etiam memoriam colere, fas esse piumque duco. Præ cæteris autem brevis ævi, duorum maximè nomina posteritati sunt commendanda *Ferdinandi* scilicet & *Caroli Iosephi.* Ille *germanus Cæsaris frater*, generis humani deliciæ, cujus tempora triplex insigne Regium, Hungaricum, Bohemicum & Germanicum jam dum cingebat, immatura morte d. 9. Jul. 1654. oppressus, spes patriæ ingentes destituit.

2. *Carolus Iosephus*, alia quàm ille Matre, nempe *Maria Leopoldina Austriaca*, quæ Ferdinandi III. Patris secunda erat conjux, natus, ac Sacro Ordini dicatus, *Passavienſis atque Vratislavienſis Ecclesiæ Antistes*, præterea

Teute-

Teutonicæ Equestris militiæ Magnus Magister creari meruit, sed virtute ætateque florentem abstulit atra dies, & funere mersit acerbo, Anno 1664. d. 27. Januarii.

3. E *sororibus* Cæsaris prima eademque germana *Maria Anna* Anno 1634. d. 22. Dec. nata, *Philippo Balthasari Hispaniarum Principi* Ao. 1646. desponsata fuit, verùm ipso ante nuptias defuncto, patri ejus *Philippo IV. Hispaniarum Regi* elocata est.

4. Reliquæ duæ alia matre, tertia Ferdinandi III. conjuge (de quâ postea dicendum) natæ sunt:

Eleonora Maria d. 21. Maji 1653. in lucem edita est, atque Ao. 1670. Febr. *Michaëli Wisniovvizkio Poloniæ Regi* hocque triennio post & quod excurrit mortuo, *Carolo Leopoldo Duci Lotharingiæ* Ao. 1678. 6. Febr. nupsit.

Maria Anna Josepha natalem diem habuit 20. Dec. anni 1654. ac *Johannem Wilhelmum Comitem Palatinum, Ducem Juliacensem* thori socium Ao. 1678. d. 25. Octobr. sortita est.

5. Harum *mater*, omni fœmineo decore clarissima *Eleonora Gonzaga*, lucem aspexit Mantuæ d. 18. Nov. 1629. Pater ei erat Carolus Gonzaga Mantuæ Dux ac Montisferati Marchio: Mater Maria, eadem stirpe pro-

prognata. Ferdinandi III. Augusti thalamum ingressa est Neostadii d. 30. April. 1651. nuncq; viduam vivit vitam, Viennæ ut plurimùm degens, ac magnum pietatis & virtutis studium præ se ferens; cujus argumentum edere sategit *duplici ordine*, quem Heroës imitata, instituit fœminisque illustri loco natis propriũ esse voluit; nempe ut ostenderet, sequiori etiam sexui egregiæ indolis semina ac præclaros ad virtutem impetus inesse. *Priorem* quidem *ordinem* An. 1662. fundavit ac *virtutis exercitiis mancipavit*, unde matronis ei initiatis nomen indidit: *Mancipium virtutũ* (Sclavinnen der Tugend.) Diligenti quippe meditatione secum reputaverat prudentissima fœminarum illud Poetæ: *Nobilitas sola est atq; unica virtus*, sicque animum induxit suum, & generis splendorem & majorum gloriam, præterea ambitiosos honores & quicquid vulgo excelsum videtur, nisi virtus adsit, vilius algâ esse. Quare ut illustriores fœminas, quas fortunæ altioris licentia ac aulæ illecebræ à rectis ad prava sæpe præcipitant, ad veræ virtutis studium excitaret atque inflammaret, eum ordini præfixit scopum, omnibus, quotquot ejus insignibus cohonestarentur, sedulò inculcandum: ut perpetuum cum vitiis pravisque cupiditatibus bellum gererent, iisq; omnibus oppugnatis, devictis & prostratis, uni virtuti

se devoverent, & servirent nobilem liberrimamque hanc servitutem. Pro *symbolo Solem* elegit, encaustico, uti vocant, opere, aureo numismati impressum, ac laureola cinctum, quam ambit epigraphe: *Sola triumphat ubique.* Nimirum quemadmodum Solvi radiorum, quos emittit, abditissima etiam telluris viscera penetrat, latentesque auri venas percoquit ac expurgat, adeo ut in purissimum ac pretiosissimum abeant metallum: sic etiam virtutem eorum, quos penes est, animos, ab omni labe puros & splendidos perficere, atquead Dei similitudinem, quantum natura mortalis patitur, perducere, sibimet verò pulcherrimam mercedem non fluxam, sed perpetuò lauri instar floreścentem esse, hac tessera significatur: annexa autem ea est *catenæ aureæ*, quod servitutis solet esse δεσμα, gestatrices commonefaciens vinculi, quo ad virtutē colendam sese obstrinxerunt.

6. *Alter ordo*, quem Eleonoram Augustam fundâsse, dixi, est *ordo Crucis*, sive *sociata veneratio crucis* (die vereinigte Creutzes Verehrung); cujus institutioni ansam præbuit incendium illud, quo An. 1668. Regia Viennensis penè conflagravit: id enim cum etiam Imperatricis viduæ conclavia inopinatò corripuisset, eaque cum omnibus ornamentis ac utensilibus, quibus instructissima fuerant, in cinerem redegisset, quinta demum

pòst

pòst luce reperta est inter prunas torresque crucicula aurea, cujus jacturam graviùs tulerat Eleonora, quàm rerum omnium reliquarum, quas ignis devoraverat; latebat autem sub hoc auro segmentum ligneum Crucis Sacræ, in qua Salvator noster mortem obiit; idque illæsum, licet aurum jam liquisset, capsulaque chrystallina, cui inclusum erat, confracta esset. Exultans igitur gaudio ac triumphans ob restitutum sibi tam charum *κειμήλιον*, remque in miraculum trahens, impetum cepit instituendi societatem aliquot fœminarum non sanguine minùs, quàm religione ac pietate præstantium, quibus Sacræ Crucis devota veneratio, fructuumque, qui ex ea, in humanum genus redundarunt, pia ac assidua meditatio curæ esset cordique: His *tesseræ* loco *Crucem* dedit sinistræ pectoris parti in *candido ligamine* aptandam, cujus medium *lineola* permeat *lignei coloris*, extremitates verò *quatuor stellis* coruscant, angulos *totidem aquilæ* exornant, cum lemmate: *Salus & gloria*. Candidum ligamen indicium esse voluit innocentiæ, cui sub vexillo Christi militantibus litandum est: Stellis ad cœleste cygni signum, quod crucem exprimit, allusit, aquilis autem, præterquam quod in Gonzagarum clypeo gentilitio crucem stipantes, visuntur, monere voluit societatis hujus consortes, ut aquilarum instar oculos

mentis nunquam non defixos habeant in Solem justitiæ Christum, qui morte sua, quam in cruce perpessus est, *salutem* nobis æternamque *gloriam* comparavit: Atque huic societati *Protectores* adoptavit, *B. Virginem Mariam* ac *B. Josephum*, ejusque confirmationem amplissimis indulgentiis dotatam à Clemente IX. Pontifice, cum longo præconiorum syrmate, impetravit; sicut pluribus refert *Bernhardus Justinianus* in Italico *de Ordinum Equestrium historia* opere. p. 412. & 442.

CAP. IV.

DE CÆSARIS AGNATIS.

STirps inclutissima Austriaca felici quondam fœcunditate floreſcens, ac vastis diffusa ramis, nunc pristina viriditate deficiente seneſcens, vix unum alterumque sustinet palmitem; unde pauciſſimos habet Leopoldus Augustus agnationis nexu sibi conjunctos, vixque simplicem excedentes numerum. Nostra tamen adhuc memoria *duo in Germania* extabant *rami*, *à Caroli Archiducis*, cui *Ferdinandus* I. Imp. pater, *Maximilianus* II. frater erat, filiis *Ferdinando* & *Leopoldo* orti; *ille* enim, qui post Matthiæ Imp. patruelis sui obitum ad Imperiale fastigium eve-

evectus est, *Cæsareum ramum* condidit, hodiernum ac, quod precamur, æternùm vigentem. *Leopoldus* autem Tyrolensem, quem à sede *Oenipontanum* vocare amant, profevit, qui in filio ejus minore natu *Sigismundo Francisco* iterum exaruit. Hic cum initio Ecclesiasticam vitam sectatus, ac in *Episcopum Augustanum, Gurcensem & Tridentinum* cooptatus esset, fratre majore natu *Ferdinando Carolo*, nulla relicta prole mascula, An. 1662. defuncto, ditionum regimen, Ecclesiasticis beneficiis dimissis, suscepit; sed præmaturo fato suo, cùm nuptias pararet *Mariæ Hedvvigis Augustæ* filiæ Christiani Augusti *Comitis Palatini Solisbacensis*, per internuntium Johannem Georgium Comitem à Königseck sibi desponsatæ, d. 25. Jun. 1665. abreptus est. Unicus itaque sequioris sexus palmes ex hoc ramo supereſt, nempe: *Clara Isabella*, Leopoldi Archi-Ducis filia, nata 12. Aug. 1629. ac An. 1649. *Carolo Gonzagæ Duci Mantuæ* nuptum collocata, nunc verò viduam sanctisque dicatam colens vitam.

2. *Burgundicum* sive *Hispanicum ramum*, cujus autor *Carolus* V. *Imperator* extitit, quod attinet, eum quoque sensim defloruisse & ad unicum palmitem redactum esse constat, solus quippe ex eo, quoad mares, reliquus est modernus Hispaniarum Rex *Ca-*

BIBLIOTECA

rolus II. natus d. 6. Nov. 1661. patre *Philippo IV. Rege*, qui d. 17. Sept. 1665. è vita migravit, matre *Maria Anna*, *Ferdinandi III. Imp.* filia; quam superstitem esse diximus. Habet is in conjugio *Mariam Ludovicam*, *Philippi Ducis Aurelianensis & Henriettæ Stuardæ* filiam, cum qua solemnia nuptiarum peregit in vico *Quintana palla*, qui Burgis tribus leucis distat d. 19. Nov. 1679. postquam d. 30. Aug. eam sibi, intervenientе legato, Paulo Spinola Marchione de los Balbazes Hispaniæ Magnate, Fontibellaquei in Gallia despondisset; sed, quod dolendum, nulla hucusque sobole auctus est.

3. Habet Carolus sororem unicam superstitem *Mariam Theresiam*, sed alia matre, Isabella nimirum Henrici IV. Galliarum Regis filia, priore Philippi IV. Hispaniarum Regis conjuge natam d. 20. Sept. 1638. ac *Ludovico XIV. Regi Christianissimo* An. 1660. matrimonio sociatam. Verùm de his uberiùs agendi, alio loco ac tempore, occasio erit.

CAP. V.

DE ORIGINE, INCREMENTO & STATU MODERNO AUSTRIACORUM.

INter varias ac diversas de origine Austriacæ familiæ sententias, quæ scriptorum ingenia

genia hactenus exercuerunt, illa nunc eruditioribus potissimùm probatur, atque ad veritatem proximè accedere videtur, quæ autorem *Hieronymum Vignerium* agnoscit, ac Habsburgenses Comites, à quibus Austriacos descendere nemo est, qui nesciat, à *priscis Ducibus Alsatiæ*, atque adeò ab *Erchenhaldo* quodam derivat, qui *Chlodovei* II. Francorum Regis Palatii Magister fuerit, ac An. C. 661. vitam cum morte commutaverit, relicto filio ac dignitatis hærede *Lendisio*, An. 680. circiter ab *Ebroino* cæso, cui uxor è Regia *Sigismundi Burgundi* stirpe tribuitur. Hôc natum perhibent *Ethiconem s. Athicum* cognomento *Adelricum*, cui à Theodorico *Alsatiæ Ducatus* collatus sit, ac *Ehenheimij* domicilium fuerit, *pater* & *Berswindi*, cujus sororem *Blidechilden Chilpericus II. Rex Francorum* in matrimonio habuit, *qumque liberorum*, inter quos una infirmioris sexus numeratur *Ottilia Abbatissa in Hohenburg*, in Sanctarum calendarium postea relata, *filij quatuor*, *Adelbertus Dux Alsatiæ*, *Etho seu Hetto*, *Hugo & Badaco* Comites *Adelberti* stirpem alii extinctam volunt in filio *Eberhardo* improli, alii huic filium assignant *Ruthardum*, quem conditorem ferunt *Kyburgensium*, *Thurgovienſium* aliorumque, quin & *Capetinorum* Galliæ Regum. *Hugonis & Badaconis* posteri in tertia gene- *Spon. Syll. p. 1.*

ratione defecére. *Etho* sive *Hetto* abavus fuit *Hugonis*, à quo *tabula Genealogica Comitum Habspurgensium*, quam publicæ luci dedimus, incipit, quemque *communem trium familiarum*, *Lotharingicæ Dagspurgicæ* & *Habspurgicæ patrem* ibi constituimus. *Habspurgicam*, quidem, quæ sola huc pertinet, profevit *Guntramus Dives* cognominatus natu minimus ex *Hugonis* filiis; cujus posteros in schemate enumeratos, denuo hîc recensére, instituti ratio non patitur: Incrementa potiùs familiæ, verbis quàm potero in pauca collatis, enarrabo.

2. Ac *Rudolphum* quidem *Alberti Sapientis Habspurgensis Comitis*, filium, summæ illius ac invidiosæ potentiæ, ad quam hæc familia pervenit, prima jecisse fundamenta, quis est adeo ἀνιχύρητος, ut inficias eat. Videlicet postquam is virtute duce, comite fortunâ *Imperatoriam dignitatem* consecutus est, amplissima statim occasio, qua filios ad altiorem lautioremque conditionem eveheret, ei se obtulit. Vacabant in Imperio duo opimi *Ducatus*, *Svevicus* atque *Austriacus*, inde ab An. 1269, quo *Conradinum*, Imperatoria & Regia stirpe juvenem, ultimum Sueviæ Ducem, ac *Fridericum* Austriæ Ducem materno jure, paterno autem sanguine è Badæ Marchionibus ortum, uno eodemque die, simili, sed truculento & indignissi-

mo

mo mortis genere, *Carolus Andegavensis* Neapolitanorum tyrannus, è medio sustulit. Verùm Austriam tempore interregni *Ottocarus Bohemiæ Rex*, collecto ordinum provincialium favore, ac aliqua specie juris, à conjugio, quod cum *Margarita Austriaca* postea ab ipso repudiata contraxit, derivati, subnixus, occupaverat, à *Rudolpho* autem in Imperatorem electo, cùm verbis se permoveri non pateretur, armis coactus est, ut eam Imperio restitueret, cumque à pellice proinde exagitatus, bellum cum Rudolpho redintegraret, malæ consultæ ambitionis pœnas morte luit, quam oppetiit in pugna Anno 1278. Ergò Anno 1282. *Rudolphus* Imp. in comitiis Augustæ Vindelicorum habitis, utrumque Ducatum Sueviæ & Austriæ filiis majoribus natu *Alberto* & *Rudolpho* solemni investitura, quam Proceres Imperii ingenti assensu comprobarunt, contulit. *Rudolpho* cum Ducatu *Suevia*, etiam *Burgoviæ* Marchionatus cessit; *Albertus* verò cum *Austria Styriam* quoque *Carniolam*, *Vinidorum Marchiam* & *Portenaviam* in Foro Julii, quam aliàs *Portum Naonis*, Itali *Porolonone* vocant, obtinuit. Hoc modo cum ad splendidiorem fortunam emersisset inclutissima familia, maximis semper auctibus crevit, donec ad summum pervenit, incremento vix relinquens locum.

Beitul. Spec. Austr. l. 1. c. 13.

3. Fatalis præcipuè ei nunquam non fuit *connubiorum felicitas*, per quæ crebris provinciarum ac regnorum acceſſionibus locupletata eſt. *Albertus*, de quo dictum, ducta in matrimonium *Eliſabetha*, *Mainardi Comitis Tyrolenſis*, quem Rudolphus Imp. etiam *Carinthiæ Ducatu* inveſtierat, filia, jus ſibi in has provincias acquiſivit, quod filii ejus ac nepotes haud neglectui habuére; ſed extincta *Mainardi* maſcula ſtirpe in filio *Heinrico*, *Ducatus Carinthiæ inveſtituram* à Ludovico Imp. petierunt ac obtinuerunt, *Tyrolenſem* verò *Comitatum Margarita* Heinrici filia unica, ob oris vultusque deformitatem *Maultaſch* cognominata, extincto filio unico *Mainhardo*, quem ex *Ludovico Bavaro Marchione Brandenb.* ſuſceperat, in conſobrinos ſuos Auſtriacos *Rudolphum*, *Albertum & Leopoldum*, per donationem inter vivos Anno 1363. transtulit. Horum genitor *Albertus II.* Auſtriæ Dux per conjugium *Johannæ Ulrici III. Comitis Pfiretarum* filiæ, *Comitatum Pfiretanum* accepit. Ejus *pronepos cognominis* Imperatoria dignitate decoratus, cum *Eliſabetham*, *Sigismundi Imp.* gnatam nuptiis ſibi adjunxiſſet, *Hungariæ regnum*, & quæ ei connexa erant, *Croatiam* nempe, *Dalmatiam*, *Sclavoniam*, &c. præterea *Bohemiæ regnum* unà cum *Sileſia Luſatiaque Ducatibus ac Moravia Marchionatu*, obtinuit,

Lazius Geneal. Auſtr. l. 1. p. 182.

Id. l. 2. p. 225. & 226.

Gward. de Reo Hiſt. Huſſir. l. III. p. 113. & 114.

nuit, & ad filium posthumum *Ladislaum* transmisit; quo in ipso nuptiarum apparatu, fatis functo, aliorsum quidem transiére hæc regna, sed sexaginta annorum spatio interjecto, ad Austriacos redierunt eadem via matrimoniali; nam *Ferdinandus* I. *Imp. Annam, Vladislai Hungariæ & Bohemiæ Regis* filiam, *Ludovici* sororem, in conjugio habuit; ac affini à Turcis ad *Mohazum* 1516. cæso, successit, à quo tempore Regna ista in Austriacorum patrimonio sunt numerata.

4. Verùm omnium, quos recensuimus, felicitatem multis parasangis superarunt *Maximilianus*, ejusque filius *Philippus*. Ille enim, cum parens *Fridericus* Imp. felicissimum conjugium *Mariæ, Caroli Audacis ultimi Burgundiæ Ducis*, filiæ, ipsi conciliasset, *universi Belgij, Burgundicique Comitatus* (Ducatum Galli abstulerunt) hæreditatem crevit; qua quanta opulentissimarum ditionum accessio Austriacis obvenerit, nemo non intelligit: attamen majoris adhuc momenti illa erat, quæ per *Philippi* auspicatissimas nuptias cum *Johanna, Ferdinandi & Isabellæ Hispaniarum Regum*, filia, familiæ illata est: his enim non solum *omnis Hispania*, sola *Lusitania* excepta, sed & *utriusque Siciliæ Sardiniæque regna* in Italia, præterea *Occidentalis Indiæ* provinciæ eò usque detectæ, Austriacorum patrimonio adjectæ sunt. Denique

que *Philippus II.* primi nepos, *Lusitaniam* etiam reliquo Hispaniæ corpori, à quò annos paulò minus quingentos avulsa fuerat, adjecit; neque inter fundamenta juris, quibus prætensioni suæ adversus competitores pondus adstruxit, minimum erat, quod *Heinrici* ultimi Regis sorore esset natus, ac *Sebastiani* cui in expeditione Africana desiderato, *Heinricus*, patruus magnus, successerat, amitam in matrimonio habuerit.

5. Pleraque & quidem præcipua Austriacæ domus incrementa enarravimus, non tamen omnia: sunt in ejus ditione aliæ quoque provinciæ & civitates, variis acquisitæ titulis: *Friburgum* Brisgojæ oppidum haud contemnendum, quod suos anteà Comites habebat, *belli & transactionis titulo* mixto An. 1366. in Austriacorum potestatem concessit. *Veldkirchensem Comitatum* in Nebelgoja, ut & dynastias *Pludenz* & *Heiligenberg*, *Leopoldus* Austriæ Dux An. circiter 1375. *præsenti* sibi comparavit *pecunia;* illum à *Rudolpho Monfortiæ*, has ab *Alberto Werdenbergæ Comite:* Idem *Vogtejam provincialem Sueviæ* (die Landvogtey in Schwaben) à *Wenceslao Imp.* pro magna auri summa *arrhaboni* sibi relictam, neque ampliùs redemptam, obtinuit. *Cilejensis Comitatus* in Styria, *Ulrico III.* ultimo ejus Comite à *Ladislao Corvino* An. 1456. trucidato, ad *Frideri-*

Gerh. de Roo Hist. Austr. l. 3. p. 117.

Ibid. p. 120.

Betul. op. cit. lib. 3. c. 19.

Op. cod. l. 5. & 21.

cum

cum III. Imp. *lege feudali* devolutus est. *Nellenburgium Landgraviatum*, qui majore ex parte Austriacis paret, extincta Comitum suorum stirpe, eodem titulo ad hanc devenisse familiam, vero haud est absimile. *Goritiæ Comitatus Leonhardo* ultimo Comite incunte seculo superiore, absque liberis mortuo, *ex veteri pacto gentilitio* ad *Maximilianum I.* delatus est. Demum *Carolus V. Mediolanum*, amplissimum Lombardiæ Ducatum *Francisco Sfortia* ultimo ejus Duce absque hæredibus defuncto, tanquam *feudi Dominus* occupavit, ac adversus Gallos ei inhiantes strenuè tuitus est. *Ibid. l. 6. c. 3.*

6. Verum enim verò quod *Seneca* ad Helviam scripsit: *Ita fato placere, nullius rei eodem semper loco stare fortunam; Vellejus* autem hoc modo enuntiavit: *quemadmodum urbium imperiorumque, ita gentium nunc florere fortunam, nunc senescere, nunc interire;* hoc neque Austriacorum incluta gens abs se alienum experta est, sed in ipso incrementorum exordio, aliquid detrimentorum passa, dumque alias ditiones adventitia hæreditate lucrabatur, magna avitorum bonorum portione depulsa est. *Helvetij* enim præsidum, quos *Albertus I.* Imp. eis imposuerat, insolentia exacerbati defecerant, ac fœdere facto in libertatem sese vindicaverant; quos cum Austriaci armis in ordinem cogere sæpenu- *l. 2. c. 11.*

penumero, sed adversante fortuna, tentassent, pedetentim omnia, quæ ipsi in Helvetia possederant, in *Suitiorum fœdus* transierunt, catalogum eorum satis amplum *Sigism. Betulius* exhibet. *Landgraviatum Alsatiæ*, *Suntgojam*, *Præfecturam decem civitatum Imperialium in Alsatia*, quæ omnia in antiquo Habspurgensium patrimonio fuerant, *Comitatum* præterea *Pfyretanum* hoc demum, quo agimus, seculo Ferdinandus III. Imp. suis ditionibus decerpi, & in Gallos transferri, pacis amore, ac ut verè se Patrem patriæ præstaret, passus est; ut ita Austriacis è veteri patrimonio, præter *pauca in Brisgoja loca*, & *quatuor oppida silvestria* (die Waldstädte) nil ferme supersit. Sed ex adventitiis etiam ditionibus nonnullæ alios nactæ sunt Dominos: *Hungariæ* Regnorumque ei annexorum maximam partem Turcæ sibi subjecerunt. *Lusatiæ Ducatum* Elector Saxoniæ nunc tenet, cui Ferdinandus II. Imp. in præmium operæ, bello Bohemico sibi navatæ, patrum nostrorum memoria, eum cessit. In *Belgio septem* florentissimæ *provinciæ* Hispanicæ dominationis ac inquisitionis impatientes, Philippi II. Regis obsequio, superiore seculo, se subduxerunt, peculiaremque Remp. sub nomine Statuum fœderatorum constituerunt, pro qua stabilienda per quinquaginta annos & quod excur-

Oester. Ehrensp. l. 1. c. 3. V. Instr. Pac. & Monaster.

currit tam strenuè acriterque pugnarunt, ut tandem Hispani longo bello, quo nihil proficiebant, fessi, pacem An. 1648. cum ipsis inirent, omnique prætensioni in perpetuum renuntiarent. Harum verò provinciarum hæc est series: *Geldria*, *Hollandia*, *Zeelandia*, *Ultrajectum*, *Frisia*, *Transisulania*, *Gröninga* quæ & *Omlandiam* complectitur: Ab altera quoque parte, qua Galliæ conterminum est Belgium, plurima loca in Gallorum potestatem concesserunt, qui *Artesiam* cum magna *Flandriæ* & *Hannoniæ* parte hodiè possident. *Burgundiæ Comitatum* nupero demum bello Galli occupârunt, ac subsecuta *pacificatione Neomagensi* sibi pleno jure asseruerunt; qui etiam Hispaniæ fines, quibus Galliam contingit, crebrò lacessentes, multa in *Catalonia* haud exigui momenti loca, armis in ditionem suam redegerunt. *Lusitania* denique An 1640. excusso Castilienſium jugo, à reliqua Hispania sese iterum segregavit, ac è sua sibi gente Regem elegit; neque hactenus corpori suo consociari potuit.

7. Restant nihilominus Austriacis amplissimæ & latè diffusæ ditiones, ac potest de eorum potentia hodieque dici, quod olim dictum est; *Solem in Austriaca familiæ territorio nunquam occidere.* Nam quod Germanicam lineam attinet, agnoscunt ejus jurisdictionem hac adhuc die; *Hungaria*, *Croatia*,

tiæ, Dalmatiæ & Sclavoniæ haud exiguæ partes, Bohemia tota, Silesia, Moravia, Austria, Styria, Carinthia, Carniola, Tyrolis, Vinidorum Marchia, in Foro Julii *Goritia, Gradiscia, Portus Naonis*, & in litore maris Adriatici *Tergeste*: præterea in Suevia *Præfectura provincialis, Burgovia, Veldkirchen, Nelleburgum*, ac denique è veteri patrimonio: *Brisgojæ pars & civitates silvestres*. Hispanicæ verò lineæ parent, in Hispania: *Castilia, Arragonia, Legio, Granada, Cataloniæ & Navarræ pars major*; in Italia *regnum Neapolitanum, Ducatus Mediolanensis, Pavia, Tortona, Cremona*; in litore maris Etrusci, *Piombino, Porto Hercole, Orbitello*; ad Ligusticum mare *Finalia*; in Belgio *Brabantia, Limpurgum, Lucelburgum, Flandriæ, Hannoniæ, Artesiæ pars* à Gallis relicta, *Namurcum, Zutphania, Antvverpia & Mechlinia*; porro inter insulas maris Mediterranei, *Majorica, Minorica, Sardinia & Sicilia*; in Oceano Atlantico, *Insulæ Fortunatæ & promontorium viride*; præterea in America Septentrionali, *Nova Hispania, Mexicum, Yucatana; Meridionalis tota*, præter Brasiliam & quosdam cis eam tractus; ex insulis *Hispaniola, Cuba* aliæque. Denique in India Orientali, *pars Moluccarum*, & præterea *insulæ Philippinæ & Salomonis*. Atque hæc de Imperatore ejusque familia in præsentia notâsse sufficiat.

LIBER

LIBER II.

DE ELECTORIBUS.

CAP. I.

A Capite Imperii ad membra progredimur; hæc strictè sumta vulgari vocabulo *Status Imperii* (die Stände des Reichs) vocantur, latiniùs cum Celeberrimo *Conringio Ordines* dixeris; censenturque communiter hoc nomine, *quotquot jus sessuræ & suffragii in comitiis habent, ac territoriali superioritate eminent.* Inter eos verò singulari quadam eminentia atque prærogativa gaudent *Electores*, qui *velut columnæ proceres sacrum Imperii ædificium circumspecta prudentia, solerti pietate sustentant.* Præterquam enim quod soli jus atque potestatem habent eligendi Imperatorem, unde etiam nomen sortiti sunt, possunt quoque, imo incumbit ipsis ex præscripto *Aureæ Bullæ*, cæteris exclusis, convenire, & de Rep. consilia conferre. Præterea summa Imperii officia obtinent, suosque habent officiales hæreditarios. In comitiis inter collegia principem locum, Ordinis auctoritatisque tenent; octoque eorum suffragia tantidem sunt, quanti in

Not. ad Lamp. part. 3. c. 3. §. 1.

A. B. c. 3.

c. 12.

universo Imperii Senatu ferè dimidia Ordinum pars valere potest. Adde, quod Regibus quoque de loco controversiam faciunt: nec Cardinalibus nec Archiducibus cedunt; quod ipse Cæsar solis ipsorum Legatis Regias dignitates, libertates, pompas, operiendi caput, considendi indulget, & quæ sunt alia eorum jura prærogativa in *Bæcleri Notit. Imperii* enumerata. *lib. 6. c. 2.*

2. Quando & à quo instituti sint Electores, non levis est controversia, scinduntque in contraria studia Historiarum ac Jurispublici Scriptores, quorum diversas sententias *Schvvederus* collegit. Decumana mihi est sententia τῦ πλυμαθεστάτυ *Conringii*, qui in citatis *ad Lampad. annot.* maximè vero consentaneum esse statuit, decreto spontaneo Imperii Principum ad Officiales solos, eos scil. Principes, quibus publica Regni officia, Cancellariatus, Dapiferatus, Mareschallatus &c. erant concessa, eligendi Imperatorem jus translatum esse, idque contigisse interregni tempore, partim quod tædium plerosque cepisset Imperii turbarum, partim, quod curia papalis illa tempestate spargens fabulam, de officialium eligendi isthoc jure jam ætate Ottonis III. Cæsaris constituto, multos traxisset in consensionem. *Introd. in I. P. p. sp. sect. 2. c. 2. §. 2. part. 3. c. 4. Conf. Monzamb. de St. Imp. Germ. c. 4.*

3. Numerus Electorum olim fuit *septenarius*, unde *Septem-Viri* appellabantur; sed hoc,

hoc, quo agimus, seculo, per pacificationem Westphalicam, *Octavus* Electoratus, *publicæ tranquillitatis causa*, uti *verba Instrumenti* sonant, institutus est. Postquam enim proscripto Friderico Palatino Elector, Ferdinandus II. Imp. Electoralem illam dignitatem cum Archidapiferatu, quæ hactenus Palatinorum Comitum fuerant, in Maximilianum Bavariæ Ducem optimè de se meritum transtulisset, idque ingenti dissidio materiem præbuisset; tandem res omnis composita est, octava constituta Electorali pariter & Officiali dignitate, eaque Palatino attributa; sed temporaria duntaxat, quamdiu quidem Guilielmi stirps Bavarica fuerit superstes.

4. Dividuntur Electores in *Ecclesiasticos & Seculares*. Ecclesiastici sunt: *Moguntinus, Trevirensis & Colonienſis Archiepiscopi.* Seculares: *Bohemiæ Rex, Bavariæ & Saxoniæ Duces, Brandenburgi Marchio & Comes Palatinus Rheni.* Illos Cæsar titulo *nepotum* (Neffen) hos *cognatorum* (Oheim) honestare solet, cujus distinctionis causam disquirit Becmanus *Not. dign. Ill. d. 1. c. 3. §. 4.*

CAP. II.

DE ELECTORE & ARCHIEPISCOPO MOGUNTINO.

INter Ecclesiasticos Electores primas tenet *Archiepiscopus Moguntinus*, Imperii *per Germaniam Archicancellarius*. Ei præ cæteris hoc proprium est, quod vacante Imperio literis patentibus significare tenetur Coëlectoribus suis, ut à die in literis expressa intra tres menses continuos ad eligendum Imperatorem Francofurtum ad Mœnum conveniant, aut Legatos suos mittant: tum in ipso Electionis actu vota percontatur, ultimoque loco à Coëlectoribus rogatus, sententiam dicit. Præterea in comitiis publicis Ordinum consilia dirigit, mandata & credentiales Legatorum accipit, concluſa Imperii concipit, asservatque Archivum Imperii. Jus coronandi Imperatorem solus habet in suâ diœcesi, extra eam verò cum Colonienſi Archiepiscopo alternatim exercet, vigore transactionis inter utrumque d. 25. Junii 1657. sancitæ, quam videsis in *Gastelii Tractatu de statu Europæ novissimo*. Cætera Moguntini Electoris munia eximia uberius exequitur *Bæclerus Notit. Imp.*

c. 9. §. 44.

l. 6. c. 5.

2. Qui nunc Moguntinensem Diœcesin regit est Reverendissimus

ANSHEL-

ANSHELMUS FRANCISCUS FRIDERICUS *S. Ecclesiæ Moguntinæ Archiepiscopus, S. R. Imp. per Germaniam Archicancellarius & Elector.*

3. Prognatus est è familia equestri Rhenana *Ingelheimiorum*, à pluribus seculis incluta, patre *Georgio Johanne ab Ingelheim*, matre *Anna Elisabetha Sturmfederin ab Oppenvveiler.* Avum habuit *Marsilium Godofredum*, aviam *Amaliam Langvvertin de Simmern*; proavum *Marsilium ab Ingelheim*, proaviam *Amaliam de Flekenstein.*

4. Gessit inter Canonicos Ecclesiæ Cathedralis Moguntinæ *Archipresbyteri* munus, & Erfurdensem civitatem aliquandiu rexit; postea *Carolo Heinrico Metternichio* Electore & Archiepiscopo repentina morte d. 26. Sept. 1679. rebus humanis exemto, in ejus locum per potiora Canonicorum suffragia suffectus est d. 7. Nov. ejusdem. anni.

5. *Scutum*, quo utitur, *quadripartitum* est, ejus prima & quarta areola *rubea rotam argenteam sex radiorum.* Moguntini Archiepiscopatus δείγμα *continet*; secunda & tertia *nigra, cruce tessellata duplici tessellarum aurearum & coccinearum tractu, insignita*, gentilis *est* tessera Ingelheimiorum. *Galeæ* incumbunt *tres*; anterior *pileolo electorali tecta rotam* Moguntinam *sustinet*; mediam *premit*

Spen. Op. Her. Sp. l. 3. c. 47.

mit mitra Archiepiscopalis, *pulvinari impositâ;* extrema *fert jugum alarum nigrarum, cruce tessellata* Ingelheimiorum *exornatarum. Laciniæ dependent utrinque argenteæ & rubeæ.* Adjiciuntur clypeo *pedum Episcopale ac ensis evaginatus*, duplicis potestatis Ecclesiasticæ & secularis indices.

6. Ecclesiam Moguntinam quod attinet, ea nulli Germaniæ antiquitate facilè cedit; quippe quæ primo statim Christi seculo cœpisse, ac à *Clemente*, Pauli Apostoli discipulo, plantata esse fertur. Ab ista quadraginta Præsules numerare solent ad *Bonifacium* usque, qui Caroli M. σύγχρονος fuit, & *Germaniæ Apostolus* vulgò audit. Is, ut *Gudeni* l. 1, p. 12. *in Hist. Erfurd.* verbis utar, *evacuatam Moguntiæ sedem è Romani Pontificis Zachariæ destinatione conscendit, ac primus Archiepiscopalem fecit, cum antea Wormatiensem susciperet;* quod posterius *Serrarius* rerum Mogunt. scriptor asserere, non sustinet, sed, num Trevirensi, Colonienſi aut Wormatiensi Eccle- l. 1. c. 21. siæ subjecta fuerit Moguntina, tanquam incompertum in medio relinquit. Secularis ejus potestas prima cepit incrementa *Ottone M.* imperante: Hic enim postquam *Guilielmus* ejus filius in Archiepiscopum electus esset, liberali donatione *Hassiam ac Thuringiam* Ecclesiæ Moguntinæ subdidit. Quamvis verò post annos septuaginta & paulò amplius,

pliùs, *Bardo*, qui tum ad ejus clavum sedebat, non exiguam utriusque provinciæ portionem nempe *ingentem tractum à sylva Thuringica & fontibus Horselæ usque dum Werram subit, Ludovico Barbato*, Geiselæ Imperatricis Conradi II. conjugis consanguineo, *clientelarem* donasset, eumque *Thuringiæ Vice-dominum* constituisset; postea *Ludovicus III.* Barbati nepos ducta Hedwige, Lotharii II. Imp. filia, ex consilio Principum, ipsiusque *Adelberti* Archiepiscopi Mogunt. consensu, *Landgravius Hassiæ ac Thuringiæ* An. 1130. à socero creatus esset, demumque *Conradus* Præsul à *Ludovico V. Landgravio* bello superatus, ut pacem redimeret, potissima *Thuringiæ & Hassiæ* vel *in feudum* vel *in allodium* ei cessisset; remanserunt tamen in Moguntinensis Antistitis ditione nonnulla haud ignobilia Hassiæ Thuringiæque loca; illic *Frideslaria* præcipuè & *Amelburgum*, hîc ipsa metropolis *Erfurdia*, cum adjacentibus quibusdam comitatibus & præfecturis. Hæc quidem civitas, cum è parvis initiis in magnas crevisset opes, crebris, ob turbulenta civium suorum ingenia, motibus agitata, negotii molestiæque plurimum & Præsulibus & *Vicedominis* (quod munus post Ludovicos Landgraviatus axiomate auctos, familiæ cuidam nobili, quæ deinde nomen à munere traxit, ac hodiedum in Thuringia

Gud. l. c. p. 17.

Gud. l. c. p. 34.

viget, in feudum conceſſum eſt) exhibuit; donec noſtra demum ætate inſolentiæ, cujus extremam lineam impleverat, pœnas *Iohanni Philippo* Archiepiſcopo daret, qui acri obſidione cinctam, ac omni viçinorum Principum auxilio, cujus vana ſpe ſe lactaverat, deſtitutam, ad deditionem & certam ſubjectionis confeſſionem ſubegit d. 16. Oct. 1665. Habet hac tempeſtate præſidem ſive Vicedominum *Johannem Jacobum Waldpotium de Baſſenheim.*

7. *Moguntia* caput diœceſeos ac ſedes Antiſtitis libera quondam ac Imperialis fuit civitas, *Lehmanno* teſte, atque anno demum 1462. cum *Dietericus Iſenburgius* & *Adolphus Naſſovius* de tiara armis certarent, ab *Adolpho* nocturno ac inopinato impetu occupata, libertate ſua excidit. Pertinent præterea ad Moguntinenſem diœceſin *Rhenogoja* & *Mœnogoja* vini frugumque feraciſſimæ, ac in *ſtrata montana* (der Bergſtraſſen) *Starkenberg*, *Heppenheim*, *Bensheim*, *Morlebach* & *Lorſch*, quæ à prædicto *Dieterico Iſenburgico Friderico I. Electore Palatino* pro certa pecuniæ ſumma oppignorata, *Johannes Philippus* Archiepiſcopus poſt pacem Weſtphalicam reluit. *Eichsfeldenſis* tractus Haſſiam inter ac Thuringiam haud procul Hercynia ſilva ſitus, à *Comitibus de Gleichenſtein* ad Moguntinenſem Eccleſiam emtionis titulo pervenit;

Chron. Spir. l. 7. c. 107.

nit; quemadmodum & *Duderſtad* oppidum, quod *Otto* Brunſuicenſis Heinrici F. *Gerlaco* Antiſtiti A. C. 1366. vendidit; cui etiam Carolus IV. Imp. oppidum *Höchſt* cum adjuncto telonio contulit, quod Pragenſem & Olumucenſem Epiſcopatum à ſuffragatione Moguntinenſis Archiepiſcopatus divelli eſt paſſus. *Steinhemium* ad Mœnum, cui impræſentiarum *Joh. Erwinus Schönbornius* præeſt, cum XIV. pagis ab Eppſteinenſibus Comitibus *Conradus* Præſul An. 1424. præſenti acquiſivit pecunia. *Rineccenſis Comitatus* pars, extinctis ſuperiore ſeculo Comitibus, titulo caducitatis ad Moguntinos delapſa, & ante annos non ita multos *Joh. Hartwiko Comiti de Noſtiz* Regni Bohemiæ Cancellario, interveniente certa argenti ſumma, in feudum collata eſt: *Königsſteinenſem Comitatum* Moguntini, ſub prætextu expectativæ, à *Maximiliano II.* Imp. *Danieli* Archiepiſcopo conceſſæ, occupârunt Anno 1581. fruſtrà renitentibus ac jure ſuo ſe tuentibus Stolbergæ Comitibus.

8. Cæterum refertur Moguntinenſis Archiepiſcopatus ad *circulum Rhenanum inferiorem*, ejusque *Directorium* tenet: *Suffraganeos* Epiſcopatus *duodecim* hodie habet: *Spirenſem, Wormatienſem, Herbipolitanum, Eiſtetenſem, Curienſem, Argentinenſem, Werdenſem, Hildeſienſem, Halberſtadenſem, Paderbornenſem.*

sem, Constantiensem & Augustanum. Officiales Hæreditarij, quibus *Moguntina Ecclesia stipata est, hi sunt:* Archi Mareschalli: *Landgravij Hassiæ:* eorum Vicarii s. Mareschalli hæreditarii. *Equites de Heisenstein.* Archi-Dapiferi: *Comites de Veldenz:* eorum Vicarii s. Dapiferi hæreditarii *Barones Greiffenklau de Volrath.* Archi Pincernæ: *Barones de Schönborn*, qui Comitibus de Sponheim successerunt; eorum Vicarii *Equites de Kronberg.* Archi-Camerarii *Comites de Stolberg:* eorum Vicarii s. Camerarii hæreditarii: *Comites Metternichij in Winnaburg & Beilstein.*

9. *Canonicos* Metropolitanum templum *duos* habet *& quadraginta*, omnes *probatæ* ex utroque sanguine *nobilitatis;* ex his *sacrariorem Senatum* cum Præposito *viginti & quatuor* constituunt, ac *Capitulares* vocantur, quibus particularia sua sunt bona: inter quæ *Bingium* eminet ad ostium Navæ in Rhenum juxta famosam murium turrim situm, soletque ex iis per suffragia Archiepiscopus eligi: reliquos *Domicellarios* appellant. *Capitularium* hic impræsentiarum ordo est ac syllabus:

I. Præpositus: *Marquardus Schenk de Castel*, Episcopus Eistettensis.

II. Decanus: *Johannes Wilhelmus Liber Baro Wolf Metternich in Gracht.*

III. Cu-

III. Custos: *Franciscus Emericus Caspar Waltpod de Bassenheim*, Episcopus Wormatiensis.

IV. Scholasticus: *Johannes Fridericus Nobilis Dominus in Elz.*

V. Cantor: *Vitus Christophorus Fuchs à Dornheim.*

VI. *Johannes Ernestus L. B. à Dhern.*

VII. *Joh. Jacobus Waltpod de Bassenheim*, Vicedominus Erfurdensis.

VIII. *Joh. Wilhelmus Gymnichin Fischel.*

IX. *Anshelmus Franciscus L. B. in Waldenburg, dictus Schenkern.*

X. *Franciscus ab Hazfeld Comes de Gleichen.*

XI. *Philippus Adolphus à Staffel.*

XII. *Anshelmus Franciscus L. B. ab & in Hoheneck.*

XIII. *Christophorus Adolphus à Stadion.*

XIV. *Philippus Wildericus à Walderdorf.*

XV. *Casimirus Ferdinandus Adolphus Waltpod L. B. in Bassenheim.*

XVI. *Franciscus Ferdinandus Comes de Metternich Winneburg & Beilstein, Caroli Heinrici Electoris* è fratre nepos.

XVII. *Franciscus Emericus Wilhelmus à Bubenheim*: Archi Presbyter.

XVIII. *Johannes Lucas L. B. ab Ingelheim*; Reverendissimi Electoris Sobrinus.

XIX. *Carolus Lotharius à Mezenhausen.*

XX. *Heinricus Ferdinandus L. B. à Leyen.*

XXI.

XXI. *Joh. Philippus Greifenklau de Volrath.*
XXII. *Joh. Philippus Franciscus à Wonnsheim.*
XXIII. *Joh. Godofredus Christophorus L. B. ab & in Franckenstein.*
XXIV. *Joh. Stephanus L. B. à Dhern.*

10. Hi sunt, quos Capitulares vocant, subjiciamus etiam *Domicellarios:*

I. *Philippus Wilhelmus L. B. de Boyneburg, Johannis Christiani* Viri in civili prudentia consummatissimi, & meritò à *Cl. Bœclero* inter Triumviros Germanorum, non ad sui tantum, sed omnis ævi exemplum & memoriam illustres, primo loco numerati, filius, *Anna Christina Schuzia ab Holzhausen* genitus.

in Musæo p. 66. & seq.

II. *Franciscus Antonius L. B. de Sickingen.*
III. *Ludovicus Antonius Comes Palatinus Rheni.*
IV. *Philippus Ernestus Comes ab Hohenloë.*
V. *Hieronymus Leopoldus Emundus L. B. Wolf Metternich in Gracht.*
VI. *Ferdinandus Benedictus L. B. in Galen,* von der *Asen, Bissing & Römberg.*
VII. *Lotharius Franciscus L. B. de Schönborn.*
VIII. *Joh. Adolphus L. B. de Waldenburg, dictus Schenckern.*
IX. *Joh. Franciscus Godofredus L. B. de Franckenstein.*
X. *Damianus Eckenbertus Camerarius de Wormbs, L. B. de Dalberg.*

XI.

XI. *Philippus Carolus, Filius in Elz* (Sohn zu Elz) Haud intempestivè hîc subtexturus videor observationem à Viro doctissimo, *Thulemario* Professore Heidelb. mecum communicatam: receptum esse à longo tempore in *Elziorum* familia, ut illi, *qui sub patria potestate adhuc sunt, aut quorum patres vivunt, vocentur Filij*, Söhne zu Elz; *qui autem patrem superstitem non habent, licet impuberes sint*, appellantur *Domini*, Herren zu Elz.

XII. *Casimirus Fridericus à Kesselstatt.*

XIII. *Franciscus Wolffgangus Nicolaus L. B. à Metternich, Lotharij Friderici Electoris* An. 1675. mortui è fratre nepos.

XIV. *Fridericus Antonius Camerarius de Wormbs L. B. de Dalberg.*

XV. *Joh. Fridericus Camerarius de Wormbs L. B. de Dalberg.*

XVI. *Otto Heinricus Quadt in Buschfeld.*

XVII. *Lotharius Theodorus Antonius Ludovicus à Riedt.*

XVIII. *Fridericus Wilhelmus L. B. de Bicken.*

CAP. III.

DE ELECTORE & ARCHIEPISCOPO TREVIRENSI.

ARchiepiscopus Trevirensis *Archicancellarius* audit *per Galliam & Regnum Arelatensen-*

tense; quibus nominibus *non integram Galliam, sed quicquid ejus ad Burgundicum Regnum pertinuit*, quod seculo XI. Germaniæ jungi cœpit, intelligi censet *Conringius*. Hodie inanis est titulus, omni potestate destitutus, cum nec Gallia nec Arelatense Regnum quidquam Germanico deferat Imperio. Competit Electori Trevirensi primum in electione Imperatoris suffragium, ex decreto *Aureæ Bullæ*, qua etiam concessum ei est, ut *sedeat ex opposito, & lineari directione versus Imperatoris faciem, utque in directa diametrali linea ante Imperatorem vel Regem transeat, illis solum intermediis, qui Imperialia vel Regalia deportant instrumenta, si ea Imperatori præferuntur; ubi autem insignia illa non præferuntur, immediatè Imperatorem præcedat, ut nemo penitus sit intermedius inter ipsos.*

Diss. de Elect. th. 43.

c. 4.

d. 5.

c. 21.

2. Qui hodie hac prærogativa & Electorali apud Treviros dignitate fulget, est Reverendissimus

JOHANNES HUGO *Archiepiscopus Trevirensis, S. R. I. per Galliam & Regnum Arelatense Archicancellarius & Elector, Episcopus Spirensis, Administrator Prumiensis, Præpositus Weisenburgensis.*

3. Successit in Archiepiscopatu avunculo suo *Carolo Caspari à Petra* sive von der Leyen/ d. 1. Jun. A. C. 1676. defuncto, à quo

anno

anno 1672. d. 7. Jan. in *Coadjutorem* assentientibus Metropolitani cleri suffragiis adscitus fuerat. Oriundus est ex illustri familia equestri, Juliacæ ditionis, *Orsbekiorum*; parentes habuit *Guilielmum ab Orsbek Dynastam de Vernich*, & *Mariam Catharinam* von der Leyen/ *Damiani & Catharinæ Waltpodiæ de Bassenheim* filiam, ac duorum Electorum, Trevirensis, quem diximus, & *Damiani Hartardi* Moguntini d. 6. Dec. 1678. mortui, sororem.

4. *Scuto* utitur *quadripartito*: Areola 1. *argentea crucē rubeam*, Archiepiscopatus Trevirensis δείγμα *exhibet*. 2. *Coccinea agnum argenteum humo viridi insistentem, cum vexillo ejusdem metalli, cui crux impressa, continet: quod* emblema *est* Prumiensis Abbatiæ. 3. *Iterum rubea castrum defert* δίπυγον *argenteum, opere cæmentario nigro, ex quo pedum protenditur, & desuper incumbit corona, quæ* tessera *est* Præposituræ Weisenburgicæ. 4. *Cærulea crucem argenteam*, Episcopatus Spirensis symbolum, *continet. Toti incumbit parmula aurea insignis decussi rubeo, cui comites quatuor foliola viridia, quæ* insignia *sunt* gentilitia Orsbekiorum. Hoc scutum *quinque* premunt *galeæ*; 1. *Coronata alarum complicatum jugum ostentat, inscripto castro* Weisenburgico *& agno* Prumiense. 2. *Mitra Electorali impositum tabellam octangularem pennis pavoninis*

Spen. Op. Her. Sp. 1. c. 91.

ninis ornatam cum cruce Trevirensi *exhibet.* 3. *Eaque media* Archiepiscopalem *mitram sustinet.* 4. *Culcitræ innitentem tabellam priori similem ac cruce* Spirensi *insignitam refert. Denique ex* ultima *emergit cum collo caput equinum argentatum cum fræno rubeo, qui* Orsbekiorum apex *est. Addantur scuto pedum Episcopale & gladius.*

5. Ecclesiæ Trevirensis *primum Episcopum* fuisse perhibent *Eucharium*, à Petro Apostolo è numero duorum & LXX. Christi discipulorum ad prædicandum istis in oris Evangelium, cum *Valerio* Diacono & *Materno* Subdiacono emissum: *Archiepiscopum* primum *Agricium* fuisse tradunt, quem Antiochenæ sedi Episcopum designatum, sed Arrianorum artibus exclusum, Helena Constantini M. mater Romam destinaverit, ac Silvester Pontifex Romanus cum honore exceptum, ad Trevirenses, *Galliæ Germaniaque primatu* ornatum, dimiserit. Quam dignitatis prærogativam sexcentos post annos Johannes Papa novo diplomate An. 969. ad XI. Cal. Febr. dato, confirmavit, ac statuit, ut *Trevirensis Præsul post quemlibet ordinarium legatum almæ sedis primum inter alios Pontifices locum obtineat, & si missus Romanæ Ecclesiæ defuerit, post Imperatorem s. Regem sedendi, sententiam edicendi & Synodale judicium canonicè promulgandi primatum habeat: utpo-*

utpote in illis locis vicarius sedis Apostolicæ meritò constitutus, uti refert Annalium Trevirensium epitomator *Masseniùs*. l. 10. p. 279.

6. Inter *benefactores Ecclesiæ* post *Helenam* ac *Constantinum* M. celebrantur inprimis: *Pipinus*, *Carolus M.* & *Ludovicus Pius*, à quibus amplis privilegiis & latifundiis dotata fuerit. Postea *Heinricus II. Imp.* agros apud *Confluentes* qui Meinfieldiensi attributi pago, regii hactenus juris fuerunt, diœcesi Trevericæ An. 1018. adjecit; unde (*Massenii* verbis utor) *Confluentia*, *quæ præter collegium utrumque S. Castoris & Florini*, *regia domo in adverso monte constituta*, *nihil admodum complexa fuerat*, *jam in urbis emergere speciem*, *muris claudi*, *regalique ac fiscali jure Archiepiscopis plenè tradi cœpit.* Castrum, quod in adverso litore urbi opponitur, *Ehrenbreitstein* *S. Hermanstein* dictum, *Hillinus* Archiepiscopus circa annum 1166. turri operibusque firmavit, ac ne aqua deficeret, altissima rupe usque ad fluminis profunditatem excisa cavataque, puteo instruxit; successores verò ejus tot munitionibus sepserunt, ut inter præcipua Germaniæ fortalitia nunc numeretur, Præfectusque ejus non Electori tantum, sed & Imperio fidei juramentum præstare teneatur; demandata haud ita pridem est ejus custodia *Eschio*, qui antea Regi Daniæ militavit, Generalis excubiarum præfecti munere Epit. Annal. Trev. l. 11. p. 808.

Masſen. op. cit. l. 14. p. 410.

functus. *Hillinus* Archiepiſcop. quem dixi. *Naſſovicam* etiam *arcem cum ditione, quæ à Rheno per Longanam ad Orientem decem fermè paſſuum excurrit millibus*, ad Trevirenſem Archidiœceſin traduxit, eamque facta cum Wormatienſium Antiſtite permutatione, pro curia *Partentheimia* accepit; præterea *Brochium* arcem à *Theodorico*, *Billichiam* à *Fridelone* Viris nobilitate claris obtinuit; *Schenrum* etiam caſtrum, Neoburgico juxta *Witliacum* monti adſitum, cum ſubjectis latè agris, à Matthæo Lotharingiæ Duce interverſum, diœceſi reddidit. Sed præcipuè ei amplificandæ invigilaſſe memoratur *Balduinus Archiep.* è *Lucelburgi Comitibus* ortus; qui multis & clientelis & ditionibus eam locupletavit: namque *Ulricum Landgravium Leuchtenbergium*, nova clientela, interveniente mille librarum ære Eccleſiæ devinxit, ac anno ſequenti 1317. arcem *Sternenbergiam* feudi jure ſibi obſtrinxit; quemadmodum & *Wellenſteinium* haud procul Cruſnaco ac *Nevenburgum*. A *Johanne Bohemiæ Rege* ſuo è fratre nepote, jus clientelare in *Simmeranos Palatinos* ſibi vindicavit; *Hennebergium* quoque *Comitem* marcarum argenti XLI. cenſu annuo, obnoxium ſibi fecit.

Lib. eod. p. 416.

7. Jam, ut à clientelis ad ditiones progrediar à fratre *Henrico* VII. Imp. *Boppardiam Weſaliamque* ſuperiorem trans Rhenum oppida,

b. 17. p. 506.

pida, primò quidem pignoris, deinde proprietatis titulo obtinuit. *Advocationem Creuvensem* ex fundo imperiali vectigalibus amplam, ab *Ægidio Daunensi Domino*, unà cum agris, decimisque *Ponderchi Urcetique*, oblato à se ære, accepit. *Kilpalatium*, *Dalheimium*, *Welzbilichium à Spilbergiis* mille æris libris quæsivit. A *Johanne Saræpontis Domino* binis librarum millibus *S. Wendalini oppidum* coëmit; è *Limburgensi* quoque dominio, solutis *Gerlaco* XXVII. florenorum millibus, partem non exiguam acquisivit; donec postremò extinctis dynastis, in Trevirorum potestatem, *Wernero* Archiepiscopo plenè concessit. Insigne etiam est *privilegium*, quod in *Baccharacensi comitio* An. 1321. à Ludovico Imp. obtinuit, continens *potestatem redimendi, quicquid ex Imperii bonis oppignoratum aliis, optimoque jure fruendi, extensumque* id deinceps est *ad feuda caduca Imperii, dummodo VI. marcarum argenti millia non excederent.* Sed nec *Boëmundus* & *Cuno* Archiepiscopi ullam occasionem dilatandi diœcesin præterlabi facilè passi sunt, quorum ille novis *clientelis* complures familias illustres, quales sunt *Nassovia*, *Manderscheidia*, *Dunana*, *Isenburgica*, *Blanckenhemia & Silvestris*, Ecclesiæ Trevirensi obnoxias reddidit, ac à Carolo IV. Imp. impetravit, ut qui hactenus Cæsaris ac Trevirorum simul clientes extitissent, hi so-

lib. eod. p. 514.

Ibid. p. 527.

Ibid. p. 512.

Ibid. p. 537.

hi solum deinde Archiepiscopum patronum colerent; *Cuno* verò à Winnebergiis fratribus *Cunone* & *Gerlaco*, arcis *Bilsteinæ super Cochimam dimidium*, unà cum totius dominii semisse An. 1365. emit: atque ut summatim complectar, quæ vario tempore Trevirensi diœcesi adjecta sunt, recensebo *donationes Cæsarum*, quas Maximilianus I. Imp. in comitiis Wormatiæ An. 1495. habitis, *Johanni Archiepiscopo* stabilivit; nempe: *Comitatus Dietzii & Salmis, Schonenbergi & Schoneci, Eiffliæ dominia, Castelburgum, Hammersteinium, Hoensteiniumque cum advocatione, Kempenichium, Wartensteinium & Schonecum Cynonoti, Russenbergum, Haselbachium, Eltzium, advocationesque monasteriorum Prumiensis & D. Maximini, curiam Thunmaam aliaque.* Metropolis diœceseos *Augusta Trevirorum*, vetustissima urbium, quippe quam Trebetem Nini Assyriorum Regis filium condidisse ferunt, cum permulta secula pro libertate sua vindicanda cum Præsule discepta sset, tandem per Rudolphi Imp. sententiam, Pragæ An. 1580. pro tribunali pronunciatam succubuit; hâc enim civitas cum mero & mixto imperio, & utili directoque dominio, & quacunque juris dicundi potestate, Archiepiscopo subjecta est, ut ipse Dominus Princepsque civitatis sit, & magistratum in ea supremum in æternum obtineat.

l. 19. p. 626.

l. 22. p. 682.

8. Cum

8. Cum *Abbatia S. Maximini*, quæ extra urbis pomœria sita è dotatione *Constantini* M. erecta, & à *Dagoberto* Francorum Rege amplissimis possessionibus aucta est, gravis ac diuturna Archiepiscopis controversia intercessit; his ejus exemptionem sibi sumentibus, Abbatibus verò immedietatem suam, & quod solum Imperatorem superiorem agnoscant, prætendentibus; lataque est, jamdum An. 1570. sententia, qua monasterii exemptio sine onere Archiepiscopo adjudicata est. Posteà cum An. hujus seculi 23. *Petro à Freudenberg* Abbate non sine veneni suspicione sublato, in ejus locum sine Pontificis Romani assensu *Agritius* cœnobitarum suffragiis suffectus esset, irritam dixit electionem, Urbanus VIII. & *Johanni Wilhelmo Husmano* Capituli Trevirensis Decano, tum, ad redimendum *Philippo Christophoro* recens in Archiepiscopum electo pallium, Romæ agenti, Abbatiæ administrationem commisit, qui dignitatis contra Hispanos protectores tuendæ impar, Archiepiscopo eandem transcripsit. Sed cœnobitæ rem ad Consilium Imperiale Aulicum detulerunt, à quo licet pro Abbate definita fuerit, ex mandato Cæsareo ad Spirense tribunal, ubi quondam agitata erat, translata est; quod haud multò pòst d. 23. Julii 1630. Archiepisco-

l. 24. p. 739. V. Mercurium Vittorii Siritom. 2. lib. 2. p. 941. & seq.

Masen. cit. op. lib. 24. p. 752.

piscopo, qui ea tempestate Judicis munere in Camera fungebatur, causam addixit, jussitque sub gravi pœna monasterium sententiæ An. 1570. latæ acquiescere, ac omni exterorum ope renunciata, Principis sui imperata facere. Deinceps quidem cum Archiepiscopus ad Gallorum partes deficiens, indignationem Austriacorum subiisset, Abbatis patrocinium Ferdinandus Imp. suscepit, eumque tanquam civem Imperii immediatum ad comitia publica Ratisbonæ A. 1640. habita vocavit, & ad sessionem in Collegio Principum admisit: nihilo tamen secius manserunt Archiepiscopi hucusque in Abbatiæ possessione, & inter axiomata sua etiam titulo *Commendatoris S. Maximini* quandoque utuntur.

Spen. Op. Her. Sp. l. 1. c. 91. §. 11.

9. *Prumiensis Abbatia* in silva Ardenna, à Pipino Berthæ rogatu fundata, à Carolo M. absoluta, & à Lothario, qui Imperio abdicato vitæ reliquum spatium inibi transegit, nobilitata, inter Imperii ordines locum semper habuit, & circulo Rhenano superiori adscripta fuit; nunc verò Archiepiscopatui incorporata est, ab eo tempore, quo *Christophoro Manderscheidio* ultimo Abbatum 1578. extincto *Iacobus Archiepiscopus* ejus administrationem suscepit, ac ad successores jure perpetuo transmisit; unde hodiedum

dum Trevirenſes Antiſtites in Principum Senatu ſeſſionem ſuffragiumque habent.

10 Fruuntur cæteroquin Electores Trevirenſes magnis ad Rhenum vectigalibus, majoribus ad *Moſellam*, quæ quoniam dioeceſeos magnam partem alluit, audiére quondam *Domini Moſellæ*; comprehenduntur ſub *circulo Rhenano inferiore*, ac *ſuffraganeos* habent *Metenſem*, *Tullenſem* ac *Virodunenſem* Epiſcopos. *Officiales hæreditarij Archiepiſcopatus ſunt*: Mareſcalli: *Nobiles Domini ab Elz.* Dapiferi: *Barones de Petra ſ.* von der Leyen. Camerarii: *Equites de Sötern.* Pincernæ: *Schenckij ſ. Pincernæ de Schmidberg.*

11. Collegium *Canonicorum* Metropolitanæ Eccleſiæ, *quadrageſimum* implet numerum: *Capitulares* ſunt *ſedecim*, *Domicellarij viginti & quatuor*, omnes *nobili ſanguine orti.* Illorum hic anno ſuperiore 1682. erat ſyllabus:

I. *Damianus Emmericus ab Orsbeck, frater Reverendiſſimi Electoris*, Præpoſitus; *hic d. 15. Aug. ejusdem anni fatis conceſſit.*

II. *Johannes Philippus à Walderdorff.* Decanus.

III. *Joh. Fridericus Dominus in Elz*, Supremus Chori Epiſcopus ad D. Petri *Hunc ad* Præpoſituram Capituli *interea evectum eſſe accepimus.*

IV. *Joh. Wilhelmus L. B. de Gymnich in Fischell*, Chori Episcopus S. Lubentii in Dietkirchen.

V. *Ferdinandus Heinricus L. B. à Leyen*, Chori Episcopus S. Castoris in Cardona.

VI. *Heinricus Hartardus à Rolingen*, Chori Episcopus S. Agathæ in Lonquion.

VII. *Hugo Emmericus Dominus in Elz*, Chori Episcopus S. Mauritii in Tholeya.

VIII. *Wernerus Fridericus L. B. ab Harff, in Drimborn.* Custos.

IX. *Damianus Ernestus in Warsberg.* Scholasticus.

X. *Adolphus Wilhelmus Quaed de Buchsfeld.* Cantor.

XI. *Fridericus Wilhelmus L. B. de Loë in Wissen.*

XII. *Damianus Fridericus à Felz.*

XIII. *Franciscus Ferdinandus L. B. de Metternich, Winneburg & Beilstein.*

XIV. *Wilhelmus Reinhardus à Walderdorff.*

XV. *Casimirus Ferdinandus Adolphus Waldpod L. B. de Bassenheim.*

XVI. *Carolus Caspar Boos à Waldeck in Montfort.*

12. Succedunt *Domicelli:*

I. *Philippus Ludovicus L. B. de Reiffenberg.*

II. *Franciscus ab Hazfeld, Comes de Gleichen.*

III. *Carolus Caspar à Kesselstatt.*

IV. *Carolus Lotharius ab & in Hatstein.*

V.

V. *Philippus Wildericus à Walderdorf.*
VI. *Philippus Wilhelmus L. B. de Boineburg.*
VII. *Marquardus Ferdinandus Schliderer de Lachen.*
VIII. *Franciscus Antonius L. B. de Sickingen.*
IX. *Felix Ego Comes de Furstenberg, &c.*
X. *Lotharius Adolphus Emmericus de Kesselstat.*
XI. *Joh. Wilhelmus Antontus Filius in Elz.*
XII. *Philippus Fridericus L. B. in Bicken in Haym.*
XIII. *Franciscus Filius in Elz.*
XIV. *Franciscus Heinricus L. B. ab Hazfeld.*
XV. *Carolus Philippus Antonius Waltpod L. B. de Bassenheim in Koenigsfeld.*
XVI. *Damianus Heinricus Hartadus à Metternich.*
XVII. *Damianus Eckenbertus Camerarius de Wormbs, L. B. à Dahlberg.*
XVIII. *Franciscus Wolfgangus Nicolaus L. B. de Metternich.*
XIX. *Marsilius Fridericus Filius in Elz, Vitingen.*
XX. *Carolus Josephus Lotharius Schenck in Schmidberg.*
XXI. *Joh. Sigismundus L. B. ab & in Frenz & Stolberg.*
XXII. *Philippus Carolus Filius in Elz.*

XXIII. *Fridericus Wilhelmus L. B. de Bicken in Heym.*

XXIV. Denique *Franciscus Carolus L. B. ab & in Frenz & Stolberg.*

CAP. IV.

DE ELECTORE ET ARCHIEPISCOPO COLONIENSI.

ARchiepiscopus & Elector Coloniensis audit *Archicancellarius per Italiam*, h. e. *per regnum Longobardorum & reliquias veteris Imperii Romani*; uti explicatur à *Conringio*, Aurea Bulla secundum votum ei in Electione, nec non *jus* tribuit *Regi Romanorum primum diadema imponendi*, quod tamen Moguntinus Elector ad solam urbem Aquisgranensem, quæ Coloniensis diœceseos est, si ibi fiat coronatio, restringendum contendit; unde factum, ut quotiescunque Coronationis solemnia celebrabantur, inter binos hos Electores controversia oriretur ac disceptatio; & Coloniensis, cum aliâ viâ non posset, protestatione saltem jus suum sartum tectumque sibi conservare satageret, donec Anno 1657. hæc lis iis conditionibus, de quibus cap. II. memoratum fuit, composita ac transacta est.

Conr. diss. de Elect. th. 43. A. B. c. 4.

2. Qui hodie Coloniensem diœcesin moderа-

deratur, est Reverendissimus pariter ac Celsissimus

MAXIMILIANUS HEINRICUS

S. Ecclesiæ Coloniensis Archiepiscopus, S.R.I. Archicancellarius per Italiam & Elector. Episcopus Hildesheimÿ & Leodÿ, Administrator in Berchtolsgaden, Superioris & inferioris Bavariæ Dux nec non Superioris Palatinatus, Westphaliæ, Angariæ & Bullonÿ Dux, Comes Palatinus Rheni, Landgravius Leuchtenbergæ, Marchio Franchimontÿ.

3. Prædecessorem in Electorali dignitate habuit patruum *Ferdinandum* Anno 1650. d. 13. Sept. vivis exemtum, cujus equidem *Coadjutor* jamdum d. 21. Jan. 1643. proclamatus fuerat, hæretque Archiepiscopatus in Bavarica familia jam per integri seculi spatium. Natus verò est d. 8. Oct. 1621. parentibus Sereniſſimis: *Alberto* nimirum *utriusque Bavariæ Duce & Mechtilde Landgravia de Leuchtenberg.*

4. *Clypeo* utitur *quadripartito*: areola 1. *argentea, nigra cruce ornata*, Archiepiscopatum *ipsum designat.* 2. *Rubea equum effrenem argenteum continens*, Westphaliam *denotat.* 3. *Coccinea tria corda aurea s. folia marina repræsentans* Angariam *indicat.* 4. *Cærulea aquilam argenteam, rostro & cruribus aureis, defe-*

Sten. Op. Her. Sp. L. 3. c. 2.

deferens, Arnſpergium Comitatum *innuit*. Toti *impoſita parma itidem quadripartita eſt ex rhombis* Bavaricis *& leone* Palatino, ac gentilitiam Electoris teſſeram *exhibet*. Tegit *hunc clypeum tiara Archiepiſcopalis, cruce faſtigiata & ornatu ſolito inſtructa*: adjiciuntur etiam *pedum Epiſcopale & gladius; nec non* telamones, *hinc gryphus, iſthinc leo.*

5. Coloniæ Agrippinenſis magnitudinem tam ſactam quàm civilem, peculiari Commentario excoluit *Ægidius Gelenius*, è quo pauca ad inſtitutum facientia delibabo: Ac prima quidem Chriſtianæ religionis ſemina his in oris jeciſſe refert *Maternum*, viduæ Nainiticæ filium, à Chriſto, cum in terris ageret, vitæ reſtitutum; qui ab Apoſtolis cum Euchario & Valerio ad Sequanos miſſus, ac ibi mortuus, altera vice, cum jam per XL. dies in ſepulchro jacuiſſet, virtute baculi à S. Petro Euchario traditi, à mortuis revocatus fuerit; poſtea peregrinatione in inferiorem Germaniam inſtituta, Evangelium ibi prædicaverit; Eccleſiamque à ſe plantatam totidem annis quot diebus terræ reconditus quievit, rexerit, ac demum An. C. 128. ætatis 115. ad ſuperos migraverit. Ab eo continuam LXXXV. Præſulum ſeriem ad modernum usq; nectit, *primumq; Archiepiſcopum* fuiſſe putat *Agilolphum*, martyrio An. 717. affectum.

Gelen. magnit. Col. lib. 1. ſym. 5.

Lib. eod. ſym. 6.

6. In-

6. Inter *dotatores* Ecclesiæ primas tribuit Regibus Francorum, a ceteris præcipuè *Dagoberto* M. qui *Cuniberto* Episcopo *Susatum* urbem, & alia vicina loca, donaverit; sed ea An. 1441. ab Antistite ad *Adolphum Marcæ Comitem* defecit, ac postea cum Marcano Comitatu in Brandenburgici Electoris ditionem concessit. Majora Episcopatus incrementa *Ottoni M.* Imp. ac *Brunoni* Archiepiscopo fratribus in acceptis fert, qui *Lotharingiæ Ducatum* Diœcesi annexuerint, ita ut tota ditione inter *Rhenum* & *Scaldim* ab Oceano usque ad superiorem Germaniam Colonienſis Præsul autoritate emineret; à qua tamen temporum decursu aliorum sensim excrescens potentia tantum decerpsit, ut angustis jam limitibus concluſa Diœcesis juxta Rhenum exiliter porrigatur. Verùm quod hîc diminutum, alibi exæquatum est: namque *Fridericus Barbarossa* Imp. è spoliis Heinrici Leonis, potentissimi Germanorum Principis, & Imperiali banno, uti vocant, proscripti, *Westphaliæ & Angariæ Ducatus Philippo* Archiepiscopo ex *Hinspergiis* Comitibus orto, concessit, ac eum Colonienſi diœcesi perpetuo nexu conjunxit. Altero abhinc seculo, An. 1180. *Comitatus Arnspergicus*, qui inter Westphalici Ducatus limites aliàs etiam continebatur, accessit, quem *Godofredus* postremus è familia *Arn-*

sper-

Spergica Comes, cum ex *Anna Clivia* nullos hæredes ampliùs expectaret, cum universis clientibus, jurisdictionibus & juribus, ac ipsa dignitate *Primipilariatus*, sive *Antibellatoris inter Rhenum & Visurgim*, *Cunoni* Præsuli & Colonienſi Eccleſiæ vendidit. *Antibellatoris munus* quale ſit *Gelenius* explicat: *Est* nempe *potestas dandi conductum, & mandandi, ne absque ejus consensu in eo inter Rhenum ac Visurgin tractu, arces aut munimenta quisquam moliatur.* Ante Cunonem *Henricus II.* Præſul, qui ſub ſeculi XIV. initium ad clavum ſedit, *Comitatum Hilicrodiensem*, cujus limites longè latèque protenduntur in Lotharingiæ inferioris & Diœceſeos Colonienſis vetere diſtrictu, ad utramque *Arphæ* ac *Curæ* ripam juxta Noveſium, usque fermè ad muros Colonienſes, à *Theodorico Lovone*, ex Clivenſi ſanguine magnate, ingenti pecunia redemit. *Hochſtedanus* Comitatus in diſtrictu Ubio-Rhenano per donationem *Conradi* Archiepiſcopi è familia Comitum hujus ditionis prognati, ejusque conſanguineorum Anno circiter 1260. Eccleſiæ patrimonio adjectus eſt.

Op. cit. p. 251.

7. Reliquas ditionum acceſſiones, quæ diverſis temporibus Archiepiſcopatui obvenêre, quarumque prolixum Catalogum *Gelenius* recenſet, non recipit enarrandas hic ſcripturæ modus. Hoc memorandum eſt, metro-

lib. 1. cap. 7.

metropolin Diœceseos, *Coloniam* scilicet *Agrippinam* civitatem esse Imperialem, ac pro libertate sua asserenda gravia bella sæpenumero cum Præsulibus gessisse, inprimis seculo XIII. cum *Engelberto* Archiepiscopo, quatempestate id contigisse ferunt, quod de Consule civitatis *Hermanno Gryn*, à duobus Canonicis publico posteà suspendio ante portam Paphiam affectis, leoni objecto, sed ejus victore, narrare solent, ostenduntur-que hujus rei aliquot monumenta, præcipuum in ipsa curia, cujus exteriori parieti *imaginem viri, dextra pugione, sinistra pallio armati, ac cum leone pugnantis*, lapidi incisam ipsemet vidi; sed in tabularum classem haud siculneis argumentis id refert sæpe laudatus *Gelenius* veramque picturæ originem è *Luitprando Diacono* edocet: repræsentari nimirum *Romanum Græcorum Imperatorem, Ehrenfridi Colonienſis Ecclesiæ primipili & ſigniferi affinem, qui in arundineto à leone invasus, objecto, quod manu gestabat, pallio, feram interfecerit.* Post multas tandem turbas, Sigfridum Episcopum & cives inter se convenisse memorant, ut pro clavibus urbis in aperto campo decertaretur; cumque cives victoriam reportâssent, Episcopus omni jure & prætensione in civitatem excidisse, quod An. 1288. accidisse nonnulli tradunt; *Werdenhagen* verò in annum 1297. rejicit. Nihilo tamen

lib. cod. ſynt. 12.

men minus subsequentes Præsules crebras libertati civitatis insidias struxerunt, ac modernus demum Elector ante annos non ita multos haud occulta ei retendit retia; quæ tamen cives illa vice, cum in tempore se sub Cæsaris umbonem recepissent, evitarunt. Solet ea propter Archiepiscopus ut plurimum *Bonnæ* degere, quod elegans est oppidum ad Rhenum, *Ara Ubiorum* olim dictum.

8. Cæterum accensetur Colonienſis Archiepiscopus *circulo Rhenano inferiori*, & *suffraganeas* Ecclesias *quatuor* saltem hodie habet: *Osnabruggensem*, *Monasterienſem*, *Leodienſem & Mindenſem*. Ejus *ministri hereditary* sunt: Pincernæ: *Comites nunc Principes ab Ahrenberg*. Aulæ præfecti, qui Dapiferorum locum implent: *Comites de Manderſcheid*, *in Blanckenheim*. Marscalli: *Comites de Salm Reifferſcheid*, ratione Dynastiæ *Alvetrenſis*. Camerarii: *Equites Raitzij de Frenz*.

9. Istud etiam ad Colonienſis Ecclesiæ dignitatem pertinere arbitror, quod ejus Archiepiscoqus à Leone IX. Pontifice summo An. 1049. *perpetuus S. R. E. Cardinalis S. Johannis ante portam Latinam & Ecclesiæ Romanæ Archicancellarius* creatus est: utraque tamen hæc dignitas, licet aliquot subsequentium Paparum confirmationes accesserint, nunc obsoleviſſe videtur.

Golen. op. cit. lib. 3. Syn. 2. §. 2.

10. Ca-

10. Canonicorum metropolitanæ Ecclesiæ collegium, omnibus Germaniæ nobilitate & splendore præstat; nemo enim *Gelenio* teste, nisi illustrissimo sanguine ortus, & octo proavorum illustri stemmate demonstrato, ei adlegitur; aut in octo Presbyterorum Canonicorum ordine, quibus sanguinis illa excellentia deest, certè illustrem valdè scientia, & aliis animi dotibus ac meritis esse oportet eum, qui in hoc splendidissimum collegium cooptari velit. Numerum universi implent *quinquagenarium*; ex his XXV. sub quibus etiam octo illi Presbyteri comprehenduntur, *Capitulares* sunt; reliqui *Domicellarii* tanquam soboles in illorum vota olim successura. Inter *Capitulares*, quibus *privilegium celebrandi sacrum cum mitra & sandaliis* Pontifices Romani dederunt, eminet *Archidiaconus*; quæ dignitas jam ab annis benè multis vacat, reliquorum hæc hodie est series: *lib. cod. §. 2.*

I. *Otto Ludovicus Comes in Manderscheid Blanckenheim & Falckenstein.* Præpositus Metropolitanus & Custos.

II. *Wilhelmus Ego, Episcopus Argentinensis &c. Landgravius in Furstenberg.* Decanus.

III. *Frobenius Maria Comes in Furstenberg Heiligenberg & Werdenberg &c.* Sub-Decanus.

IV. *Wolfgangus Georgius Fridericus Comes Pa-*

latinus Rheni, Dux Bavariæ &c. Chori Episcopus.

V. *Franciscus Adolphus Wilhelmus Comes & Dominus Frisiæ Orientalis & Ritbergæ &c.* Scholasticus.

VI. *Franciscus Bernhardus Princeps Nassoviæ &c.* Diaconus Senior.

VII. *Ferdinandus Rudolphus Comes in Furstenberg &c.* Diaconus.

VIII. *Wilhelmus Ernestus Comes in Manderscheid, Blanckenheim & Geroldstein &c.*

IX. *Hermannus Marchio Badæ & Hochbergæ &c.*

X. *Franciscus Wilhelmus Adolphus Comes in Manderscheid, Blanckenheim & Geroldstein. &c.*

XI. *Ferdinandus Maximilianus Comes & Dominus Frisiæ Orientalis ac Ritbergæ &c.*

XII. *Felix Ego Administrator cœnobiorum Murbacensis & Luderensis, Landgravius in Furstenberg &c.*

XIII. *Philippus Eberhardus Comes in Lœvvenstein, Wertheim Rochefort & Montagu.*

XIV. *Franciscus Leopoldus Comes in Lœvvenstein, Wertheim &c.*

XV. *Carolus Caspar Comes Salmæ & Reifferscheidii &c.*

XVI. *Franciscus Gobertus Comes Asperimontis & Reckheimii &c.*

Hos excipiunt octo *Presbyteri*;

XVII.

XVII. *Heinricus Mering. Doctor.*
XVIII. *Thomas Quentell, Officialis J. V. D.*
XIX. *Christophorus Fridericus Geyr. D. T.*
XX. *Wilhelmus Lovius. Licentiatus.*
XXI. *Johannes Geyr. Doctor.*
XXII. *Johannes Petrus Quentell. J. V. D.*
XXIII. *Johannes Heinricus Anethan. J. V. L. Episcopus Hierapolitanus.*
XXIV. *Antonius Wormbs. S. T. D.*

II. *Domicellorum* hic est Ordo:

I. *Albertus Sigismundus Episcopus Frisingensis & Ratisbonensis, Dux Bavariæ &c.*
II. *Ludovicus Antonius Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ &c.*
III. *Ferdinandus Maximilianus Cajetanus Josephus Ego Comes in Furstenberg &c.*
IV. *Emanuel Franciscus Ego Comes in Furstenberg &c.*
V. *Franciscus Ernestus Comes Salmæ & Reifferscheidii &c.*
VI. *Fridericus Christophorus Comes in Furstenberg &c.*
VII. *Frobenius Ferdinandus Comes in Furstenberg &c.*
VIII. *Carolus Ego Comes in Furstenberg &c.*
IX. *Alexander Comes Salmæ & Reifferscheidii &c.*
X. *Carolus Philippus Comes Palatinus Rheni &c.*
XI. *Hugo Franciscus Comes in Königseck & Rotenfels &c.*

XII. *Hermannus Fridericus Comes in Hohen-Zollern Sigmaringen & Veringen &c.*

XIII. *Ferdinandus Hermannus Comes in Lœvvenstein Wertheim &c.*

XIV. *Albertus Comes in Kœnigseck &c.*

XV. *Philippus Ludovicus S. R. Imp. Hæreditarius Thesaurarius Comes de Sinzendorf &c.*

XVI. *Carolus Caspar Comes in Manderscheid Blanckenheim & Geroldstein &c.*

XVII. *Carolus Gobertus Comes Asperimonti & Reckheimii.*

XVIII. *Ernestus Dominicus Comes in Manderscheid Blanckenheim & Falkenstein &c.*

XIX. *Wilhelmus Landgravius Hassiæ &c.*

XX. *Fridericus Landgravius Hassiæ &c.*

XXI. *Leopoldus Johannes S. R. Imp. Hæreditarius Dapifer Comes in Zeyll &c.*

XXII. *Maximilianus Philippus Comes in Manderscheid, Blanckenheim & Falckenstein &c.*

Residua tria loca vacant.

CAP. V.

DE REGE BOHEMIÆ.

INter seculares Electores primum locum obtinet *Rex Bohemiæ*, *ex Regiæ* scilicet *dignitatis fastigio*, uti verba se habent *Aureæ* A. B. 1. 4. *Bullæ*. Est *Archipincerna Imperii*, habetque Vicarium seu subofficialem, *Pincernam hæreditarium de Limpurg.* (den Erb-Schencken von

von Limpurg) Incumbit verò ei, ut *Imperatori in celebratione curiæ Imperialis primum porrigat poculum*, non tamen sub corona Regali, nisi id liberâ voluntate facere velit, quod licet ex constitutione Carolina tum demum peragat, postquam cæteri Electores munia sua impleverunt, *in processione* tamen *sollemni Imperatorem immediatè nullo interveniente sequitur, & in sessione locus ei competit à latere dextro Imperatoris post Moguntinum ac Colonienſem.* In Electione Imperatoris Moguntino rogante tertio loco suffragium dicit, à Capitulatione tamen & cæteris conventibus Electoralibus hodie excluditur; contrà quam *Aurea Bulla* statuisse videtur. Vide *Rumelini dissert. ad h. l. & Limn. Tom. IV.* Neque etiam ad comitia Imperii vocatur, cùm nec sessionem nec votum in iis habeat; nihil quoque ad indictiones & collectas Imperii confert, neque ad gratuita onera vel defensionem publicam Imperii obligari potest, cum sub serie circulorum, in quos Imperium est partitum, non comprehendatur, sed plena immunitate gaudeat; unde Ferdinandus Rex Bohemiæ, postea Imperator, cum in publicis comitiis Augustanis 1548. Caroli V. Cæsaris & communi Ordinum decreto Matriculatio seu taxatio Regni Bohemiæ indicta fuisset, fidenter asseruit, *honorari Reges Bohemiæ ab Imperio solitos, non onerari, & in gratiosis,*

c. 12. Rumel. p. 429. Limn. ad lib. 3. c. 8.

tiosis, non in odiosis includi, referente *Bohusl.* *Balbino*, quo nemo vir doctior natus est, nemo comitate præstantior, in *Miscellan. Hist. Regni Boh.* Nihilo tamen minus *civibus Imperii* accensetur, Boh. Rex, quod adversus *Reinkingium* egregiè *Limnæus* evicit.

Doc. 1. lib. 3. c. §. 1.

Limn. l. 3. c. 8.

Balb. op. & lib. cit. §. 3.

2. Qua autem ratione Bohemia Imperio adjuncta fuerit, prælaudati Autoris verbis malo explicare, quàm meis: *Bohemiam*, inquit ille, *ejusque Reges multis honoribus ad Imperij societatem à Cæsaribus invitatos diu restitisse, ne Imperio obnoxij viderentur, ex Annalibus nostris datur intelligi; tandem nihilominus metu, qui in constantem Regem cadit, victi, & reverentia Cæsareæ Majestatis allecti, præsertim armis Germaniæ conterriti, quibus semper se pares futuros sperare non poterant, manus dedere, & quantum licuit sine oneribus, (quod eorum conatus in Annalibus consignati indicant) honores & beneficia à Cæsaribus oblata, recepere. Itaque* amici Imperii *primùm*, Vicarii Imperatoriæ Majestatis, Principes Electores *appellati, ad Comitia Imperij vocati, regionibus ditati, denique ad ipsum Imperium & augustam Imperij dignitatem sunt vocati, ut tantis honoribus onerati, recedere ab Imperio, & liberare sese ad extremum non possent.*

3. Cæterum subest Bohemia hodie Austriacis jure hæreditario, ipsumque LEOPOLDUM AUGUSTUM, impræsentiarum

tiarum Regem veneratur, de quo superiore libro abundè dictum est. Implent autem Cæsaris absentis vices in Bohemia *Locumtenentes*, quorum *decem* hoc tempore numerantur:

Primus ordine ac dignitate est Supremus Burggravius: *Bernhardus Ignatius Borzita S. R. I. Comes de Martiniz*, &c.

Hunc excipit Supremus Præfectus: *Guilhelmus Albertus Krakovvsky S. R. I. Comes de Kolovvrat*, &c.

Sequitur Supremus Marescallus: *Adamus Matthias S. R. I. Comes de Trautmansdorf*, &c.

Quartus est Supremus Camerarius: *Johannes Fridericus S. R. I. Comes de Trautmansdorf.*

Quintus, Supremus Regni Judex: *Adolphus Wratislaus S. R. I. Comes de Sternberg*, &c.

Sextus, Supremus feudorum Judex: *Johannes Joachimus S. R. I. Comes Slavvata de Chlum*, &c.

Septimus, Præses Appellationum: *Franciscus Udalricus S. R. I. Comes Chinsky à Chiniz*, &c.

Octavus, Supremus Scriba: *Franciscus de Scheidler, Eques, Dynasta in Kazovv.*

Nonus, Sub-Camerarius: *Lambertus de Harrach, Eques, Dominus in Hohenanges.*

Denique qui chorum claudit, Burggravius

IV. *Joh. Wilhelmus L. B. de Gymnich in Fischell*, Chori Episcopus S. Lubentii in Dietkirchen.

V. *Ferdinandus Heinricus L. B. à Leyen*, Chori Episcopus S. Castoris in Cardona.

VI. *Heinricus Hartardus à Rolingen*, Chori Episcopus S. Agathæ in Lonquion.

VII. *Hugo Emmericus Dominus in Elz*, Chori Episcopus S. Mauritii in Tholeya.

VIII. *Wernerus Fridericus L. B. ab Harff, in Drimborn.* Custos.

IX. *Damianus Ernestus in Warsberg.* Scholasticus.

X. *Adolphus Wilhelmus Quaed de Buchsfeld.* Cantor.

XI. *Fridericus Wilhelmus L. B. de Loë in Wissen.*

XII. *Damianus Fridericus à Felz.*

XIII. *Franciscus Ferdinandus L. B. de Metternich, Winneburg & Beilstein.*

XIV. *Wilhelmus Reinhardus à Walderdorff.*

XV. *Casimirus Ferdinandus Adolphus Waldpod L. B. de Bassenheim.*

XVI. *Carolus Caspar Boos à Waldeck in Montfort.*

12. Succedunt *Domicelli:*

I. *Philippus Ludovicus L. B. de Reiffenberg.*

II. *Franciscus ab Hazfeld, Comes de Gleichen.*

III. *Carolus Caspar à Kesselstatt.*

IV. *Carolus Lotharius ab & in Hatstein.*

V.

V. *Philippus Wildericus à Walderdorf.*
VI. *Philippus Wilhelmus L. B. de Boineburg.*
VII. *Marquardus Ferdinandus Schliderer de Lachen.*
VIII. *Franciſcus Antonius L. B. de Sickingen.*
IX. *Felix Ego Comes de Furſtenberg,* &c.
X. *Lotharius Adolphus Emmericus de Keſſelſtat.*
XI. *Joh. Wilhelmus Antontus Filius in Elz.*
XII. *Philippus Fridericus L. B. in Bicken in Haym.*
XIII. *Franciſcus Filius in Elz.*
XIV. *Franciſcus Heinricus L. B. ab Hazfeld.*
XV. *Carolus Philippus Antonius Waltpod L. B. de Baſſenheim in Koenigsfeld.*
XVI. *Damianus Heinricus Hartadus à Metternich.*
XVII. *Damianus Eckenbertus Camerarius de Wormbs, L. B. à Dahlberg.*
XVIII. *Franciſcus Wolfgangus Nicolaus L. B. de Metternich.*
XIX. *Marſilius Fridericus Filius in Elz, Vitingen.*
XX. *Carolus Joſephus Lotharius Schenck in Schmidberg.*
XXI. *Joh. Sigismundus L. B. ab & in Frenz & Stolberg.*
XXII. *Philippus Carolus Filius in Elz.*

XXIII. *Fridericus Wilhelmus L. B. de Bicken in Heym.*

XXIV. Denique *Franciscus Carolus L. B. ab & in Frenz & Stolberg.*

CAP. IV.

DE ELECTORE ET ARCHIEPISCOPO COLONIENSI.

ARchiepiscopus & Elector Colonienſis audit *Archicancellarius per Italiam*, h. e. *per regnum Longobardorum & reliquias veteris Imperii Romani;* uti explicatur à *Conringio*, Aurea Bulla ſecundum votum ei in Electione, nec non *jus* tribuit *Regi Romanorum primum diadema imponendi*, quod tamen Moguntinus Elector ad ſolam urbem Aquisgranenſem, quæ Colonienſis diœceſeos eſt, ſi ibi fiat coronatio, reſtringendum contendit; unde factum, ut quotieſcunque Coronationis ſolemnia celebrabantur, inter binos hos Electores controverſia oriretur ac diſceptatio; & Colonienſis, cum aliâ viâ non poſſet, proteſtatione ſaltem jus ſuum ſartum tectumque ſibi conſervare ſatageret, donec Anno 1657. hæc lis iis conditionibus, de quibus cap. II. memoratum fuit, compoſitâ ac transacta eſt.

Conr. diſſ. de Elect. th. 43. A. B. c. 4.

2. Qui hodie Colonienſem diœceſin moderа-

deratur, est Reverendissimus pariter ac Celsissimus

MAXIMILIANUS HEINRICUS

S. Ecclesiæ Coloniensis Archiepiscopus, S.R.I. Archicancellarius per Italiam & Elector. Episcopus Hildeshemÿ & Leodÿ, Administrator in Berchtolsgaden, Superioris & inferioris Bavariæ Dux nec non Superioris Palatinatus, Westphaliæ, Angariæ & Bullonÿ Dux, Comes Palatinus Rheni, Landgravius Leuchtenbergæ, Marchio Franchimontÿ.

3. Prædecessorem in Electorali dignitate habuit patruum *Ferdinandum* Anno 1650. d. 13. Sept. vivis exemtum, cujus equidem *Coadjutor* jamdum d. 21. Jan. 1643. proclamatus fuerat, hæretque Archiepiscopatus in Bavarica familia jam per integri seculi spatium. Natus verò est d. 8. Oct. 1621. parentibus Serenissimis: *Alberto* nimirum *utriusque Bavariæ Duce & Mechtilde Landgravia de Leuchtenberg.*

4. *Clypeo* utitur *quadripartito:* areola 1. *argentea, nigra cruce ornata,* Archiepiscopatum *ipsum designat.* 2. *Rubea equum effrenem argenteum continens,* Westphaliam *denotat.* 3. *Coccinea tria corda aurea s. folia marina repræsentans* Angariam *indicat.* 4. *Cærulea aquilam argenteam, rostro & cruribus aureis, defe-*

Spon. Op. Her. Sp. L. 3. c. 8.

deferens, Arnſpergium Comitatum *innuit*. Toti *impoſita parma itidem quadripartita eſt ex rhombis* Bavaricis *& leone* Palatino, ac gentilitiam Electoris teſſeram *exhibet*. Tegit *hunc clypeum tiara Archiepiſcopalis, cruce faſtigiata & ornatu ſolito inſtructa*: adjiciuntur etiam *pedum Epiſcopale & gladius; nec non* telamones, *hinc gryphus, iſthinc leo.*

5. Coloniæ Agrippinenſis magnitudinem tam ſacram quàm civilem, peculiari Commentario excoluit *Ægidius Gelenius*, è quo pauca ad inſtitutum facientia delibabo: Ac prima quidem Chriſtianæ religionis ſemina his in oris jeciſſe refert *Maternum*, viduæ Nainiticæ filium, à Chriſto, cum in terris ageret, vitæ reſtitutum; qui ab Apoſtolis cum Euchario & Valerio ad Sequanos miſſus, ac ibi mortuus, altera vice, cum jam per XL. dies in ſepulchro jacuiſſet, virtute baculi à S. Petro Euchario traditi, à mortuis revocatus fuerit; poſtea peregrinatione in inferiorem Germaniam inſtituta, Evangelium ibi prædicaverit; Eccleſiamque à ſe plantatam totidem annis quot diebus terræ reconditus quievit, rexerit, ac demum An. C. 128. ætatis 115. ad ſuperos migraverit. Ab eo continuam LXXXV. Præſulum ſeriem ad modernum usq; nectit, *primumq; Archiepiſcopum* fuiſſe putat *Agilolphum*, martyrio An. 717. affectum.

Gelen. magnit. Col. lib. 2. fym. 5.

Lib. eod. fym. 6.

6. In-

6. Inter *dotatores* Ecclesiæ primas tribuit Regibus Francorum, ac ex iis præcipuè *Dagoberto* M. qui *Cuniberto* Episcopo *Susatum* urbem, & alia vicina loca, donaverit; sed ea An. 1441. ab Antistite ad *Adolphum Marcæ Comitem* defecit, ac posteà cum Marcano Comitatu in Brandenburgici Electoris ditionem concessit. Majora Episcopatus incrementa *Ottoni M.* Imp. ac *Brunoni* Archiepiscopo fratribus in acceptis fert, qui *Lotharingiæ Ducatum* Diœcesi annexuerint, ita ut tota ditione inter *Rhenum* & *Scaldim* ab Oceano usque ad superiorem Germaniam Colonienſis Præsul autoritate emineret; à qua tamen temporum decursu aliorum sensim excrescens potentia tantum decerpsit, ut angustis jam limitibus concluſa Diœcesis juxta Rhenum exiliter porrigatur. Verùm quod hîc diminutum, alibi exæquatum est: namque *Fridericus Barbarossa* Imp. è spoliis Heinrici Leonis, potentissimi Germanorum Principis, & Imperiali banno, uti vocant, proscripti, *Westphaliæ & Angariæ Ducatus Philippo* Archiepiscopo ex *Hinspergiis* Comitibus orto, concessit, ac eum Colonienſi diœcesi perpetuo nexu conjunxit. Altero abhinc seculo, An. 1180. *Comitatus Arnspergicus*, qui inter Westphalici Ducatus limites aliàs etiam continebatur, accessit, quem *Godofredus* postremus è familia *Arn-*

sper-

sbergica Comes, cum ex *Anna Clivia* nullos hæredes ampliùs expectaret, cum universis clientibus, jurisdictionibus & juribus, ac ipsa dignitate *Primipilariatus*, sive *Antibellatoris inter Rhenum & Visurgim*, *Cunoni* Præsuli & Colonienſi Ecclesiæ vendidit. *Antibellatoris munus* quale sit *Gelenius* explicat: *Est* nempe *potestas dandi conductum, & mandandi, ne absque ejus consensu in eo inter Rhenum ac Visurgin tractu, arces aut munimenta quisquam moliatur.* Ante Cunonem *Heinricus II.* Præsul, qui sub seculi XIV. initium ad clavum sedit, *Comitatum Hilicrodiensem*, cujus limites longè latèque protenduntur in Lotharingiæ inferioris & Diœceseos Colonienſis vetere distrietu, ad utramque *Arphæ* ac *Curæ* ripam juxta Novesium, usque fermè ad muros Colonienses, à *Theodorico Lovone*, ex Clivensi sanguine magnate, ingenti pecunia redemit. *Hochstedanus* Comitatus in distrietu Ubio-Rhenano per donationem *Conradi* Archiepiscopi è familia Comitum hujus ditionis prognati, ejusque consanguineorum Anno circiter 1260. Ecclesiæ patrimonio adjectus est.

Op. cit. p. 251.

7. Reliquas ditionum accessiones, quæ diversis temporibus Archiepiscopatui obvenére, quarumque prolixum Catalogum *Gelenius* recenset, non recipit enarrandas hic scripturæ modus. Hoc memorandum est,

lib. 1. fyn. 7.

metro-

metropolin Diœceseos, *Coloniam* scilicet *Agrippinam* civitatem esse Imperialem, ac pro libertate sua asserenda gravia bella sæpenumero cum Præsulibus gessisse, inprimis seculo XIII. cum *Engelberto* Archiepiscopo, qua tempestate id contigisse ferunt, quod de Consule civitatis *Hermanno Gryn*, à duobus Canonicis publicò posteà suspendio ante portam Paphiam affectis, leoni objecto, sed ejus victore, narrare solent, ostenduntur-que hujus rei aliquot monumenta, præcipuum in ipsa curia, cujus exteriori parieti *imaginem viri, dextra pugione, sinistra pallio armati, ac cum leone pugnantis*, lapidi incisam ipsemet vidi; sed in tabularum classem haud siculneis argumentis id refert sæpe laudatus *Gelenius* veramque picturæ originem è *Luitprando Diacono* edocet: repræsentari nimirum *Romanum Græcorum Imperatorem, Ehrenfridi Coloniensis Ecclesiæ primipili & signiferi affinem, qui in arundineto à leone invasus, objecto, quod manu gestabat, pallio, feram interfecerit.* Post multas tandem turbas, Sigfridum Episcopum & cives inter se convenisse memorant, ut pro clavibus urbis in aperto campo decertaretur; cumque cives victoriam reportâssent, Episcopos omni jure & prætensione in civitatem excidisse, quod An. 1288. accidisse nonnulli tradunt; *Werdenhagen* verò in annum 1297. rejicit. Nihilo ra-

lib. eod. synt. 12.

tion

men minus subsequentes Præsules crebras libertati civitatis insidias struxerunt, ac modernus demum Elector ante annos non ita multos haud occulta ei retendit retia; quæ tamen cives illa vice, cum in tempore se sub Cæsaris umbonem recepissent, evitarunt. Solet eapropter Archiepiscopus ut plurimum *Bonnæ* degere, quod elegans est oppidum ad Rhenum, *Ara Ubiorum* olim dictum.

8. Cæterum accensetur Colonienſis Archiepiscopus *circulo Rhenano inferiori*, & *suffraganeas* Ecclesias *quatuor* saltem hodie habet: *Osnabruggensem*, *Monasterienſem*, *Leodienſem & Mindenſem*. Ejus *ministri hereditarij* sunt: Pincernæ: *Comites nunc Principes ab Ahrenberg*. Aulæ præfecti, qui Dapiferorum locum implent: *Comites de Manderſcheid*, *in Blanckenheim*. Marscalli: *Comites de Salm Reifferſcheid*, ratione Dynastiæ *Alvetrensis*. Camerarii: *Equites Raitzij de Frenz*.

9. Istud etiam ad Colonienſis Ecclesiæ dignitatem pertinere arbitror, quod ejus Archiepiscopus à Leone IX. Pontifice summo An. 1049. *perpetuus S. R. E. Cardinalis S. Johannis ante portam Latinam & Ecclesiæ Romanæ Archicancellarius* creatus est: utraque tamen hæc dignitas, licet aliquot subsequentium Paparum confirmationes accesserint, nunc obsoleviſſe videtur. 10. Ca-

Colon. op. cit. lib. 2. Syn. 2. §. 2.

10. Canonicorum metropolitanæ Ecclesiæ collegium, omnibus Germaniæ nobilitate & splendore præstat; nemo enim *Gelenio* teste, nisi illustrissimo sanguine ortus, & octo proavorum illustri stemmate demonstrato, ei adlegitur; aut in octo Presbyterorum Canonicorum ordine, quibus sanguinis illa excellentia deest, certè illustrem valdè scientia, & aliis animi dotibus ac meritis esse oportet eum, qui in hoc splendidissimum collegium cooptari velit. Numerum universi implent *quinquagenarium*; ex his XXV. sub quibus etiam octo illi Presbyteri comprehenduntur, *Capitulares* sunt; reliqui *Domicellarii* tanquam soboles in illorum vota olim successura. Inter *Capitulares*, quibus *privilegium celebrandi sacrum cum mitra & sandaliis* Pontifices Romani dederunt, eminet *Archidiaconus*; quæ dignitas jam ab annis benè multis vacat, reliquorum hæc hodie est series: *lib. cod. §. 10.*

I. *Otto Ludovicus Comes in Manderscheid Blanckenheim & Falckenstein.* Præpositus Metropolitanus & Custos.

II. *Wilhelmus Ego, Episcopus Argentinensis &c. Landgravius in Furstenberg.* Decanus.

III. *Frobenius Maria Comes in Furstenberg Heiligenberg & Werdenberg &c.* Sub-Decanus.

IV. *Wolfgangus Georgius Fridericus Comes Pa-*

latinus Rheni, Dux Bavariæ &c. Chori Episcopus.†

V. *Franciscus Adolphus Wilhelmus Comes & Dominus Frisiæ Orientalis & Ritbergæ &c.* Scholasticus.

VI. *Franciscus Bernhardus Princeps Nassoviæ &c.* Diaconus Senior.

VII. *Ferdinandus Rudolphus Comes in Furstenberg &c.* Diaconus.

VIII. *Wilhelmus Ernestus Comes in Manderscheid, Blanckenheim & Geroldstein &c.*

IX. *Hermannus Marchio Badæ & Hochbergæ &c.*

X. *Franciscus Wilhelmus Adolphus Comes in Manderscheid, Blanckenheim & Geroldstein. &c.*

XI. *Ferdinandus Maximilianus Comes & Dominus Frisiæ Orientalis ac Ritbergæ &c.*

XII. *Felix Ego Administrator cœnobiorum Murbacensis & Luderensis, Landgravius in Furstenberg &c.*

XIII. *Philippus Eberhardus Comes in Lœvvenstein, Wertheim Rochefort & Montagu.*

XIV. *Franciscus Leopoldus Comes in Lœvvenstein, Wertheim &c.*

XV. *Carolus Caspar Comes Salmæ & Reifferscheidii &c.*

XVI. *Franciscus Gobertus Comes Asperimonti & Reckheimii &c.*

Hos excipiunt octo *Presbyteri*;

XVII.

XVII. *Heinricus Mering. Doctor.*
XVIII. *Thomas Quentell, Officialis J. V. D.*
XIX. *Christophorus Fridericus Geyr. D. T.*
XX. *Wilhelmus Lovius. Licentiatus.*
XXI. *Johannes Geyr. Doctor.*
XXII. *Johannes Petrus Quentell. J. V. D.*
XXIII. *Johannes Heinricus Anethan. J. V. L. Episcopus Hierapolitanus.*
XXIV. *Antonius Wormbs. S. T. D.*

II. *Domicellorum* hic est Ordo:

I. *Albertus Sigismundus Episcopus Frisingensis & Ratisbonensis, Dux Bavariæ &c.*
II. *Ludovicus Antonius Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ &c.*
III. *Ferdinandus Maximilianus Cajetanus Josephus Ego Comes in Furstenberg &c.*
IV. *Emanuel Franciscus Ego Comes in Furstenberg &c.*
V. *Franciscus Ernestus Comes Salmæ & Reifferscheidii &c.*
VI. *Fridericus Christophorus Comes in Furstenberg &c.*
VII. *Frobenius Ferdinandus Comes in Furstenberg &c.*
VIII. *Carolus Ego Comes in Furstenberg &c.*
IX. *Alexander Comes Salmæ & Reifferscheidii &c.*
X. *Carolus Philippus Comes Palatinus Rheni &c.*
XI. *Hugo Franciscus Comes in Königseck & Rotenfels &c.*

XII. *Hermannus Fridericus Comes in Hohen-Zollern Sigmaringen & Veringen &c.*

XIII. *Ferdinandus Hermannus Comes in Lœvvenſtein Wertheim &c.*

XIV. *Albertus Comes in Kœnigseck &c.*

XV. *Philippus Ludovicus S. R. Imp. Hereditarius Theſaurarius Comes de Sinzendorf &c.*

XVI. *Carolus Caſpar Comes in Manderſcheid Blanckenheim & Geroldſtein &c.*

XVII. *Carolus Gobertus Comes Aſperimonti & Reckheimii.*

XVIII. *Erneſtus Dominicus Comes in Manderſcheid Blanckenheim & Falkenſtein &c.*

XIX. *Wilhelmus Landgravius Haſſiæ &c.*

XX. *Fridericus Landgravius Haſſiæ &c.*

XXI. *Leopoldus Johannes S. R. Imp. Hereditarius Dapifer Comes in Zeyll &c.*

XXII. *Maximilianus Philippus Comes in Manderſcheid, Blanckenheim & Falckenſtein &c.*

Reſidua tria loca vacant.

CAP. V.

DE REGE BOHEMIÆ.

INter ſeculares Electores primum locum obtinet *Rex Bohemiæ, ex Regiæ* ſcilicet *dignitatis faſtigio*, uti verba ſe habent *Aureæ* *A. B. l. 4.* *Bullæ*. Eſt *Archipincerna Imperii*, habetque Vicarium ſeu ſubofficialem, *Pincernam hæreditarium de Limpurg.* (den Erb-Schencken von

von Limpurg) Incumbit verò ei, ut *Imperatori in celebratione curiæ Imperialis primum porrigat poculum*, non tamen sub corona Regali, nisi id liberâ voluntate facere velit, quod licet ex constitutione Carolina tum demum peragat, postquam cæteri Electores munia sua impleverunt, *in processione* tamen *sollemni Imperatorem immediatè nullo interveniente sequitur, & in sessione locus ei competit à latere dextro Imperatoris post Moguntinum ac Colonienſem.* In Electione Imperatoris Moguntino rogante tertio loco suffragium dicit, à Capitulatione tamen & cæteris conventibus Electoralibus hodie excluditur; contrà quam *Aurea Bulla* statuisse videtur. Vide *Rumelini dissert. ad h. l. & Limn. Tom. IV.* Neque etiam ad comitia Imperii vocatur, cùm nec sessionem nec votum in iis habeat; nihil quoque ad indictiones & collectas Imperii confert, neque ad gratuita onera vel defensionem publicam Imperii obligari potest, cum sub serie circulorum, in quos Imperium est partitum, non comprehendatur, sed plena immunitate gaudeat; unde Ferdinandus Rex Bohemiæ, postea Imperator, cum in publicis comitiis Augustanis 1548. Caroli V. Cæsaris & communi Ordinum decreto Matriculatio seu taxatio Regni Bohemiæ indicta fuisset, fidenter asseruit, *honorari Reges Bohemiæ ab Imperio solitos, non onerari, & in gra-*

c. 12. Rumel. p. 429. Limn. ad lib. 3. c. 8.

tiosis, non in odiosis includi, referente *Bohusl. Balbino*, quo nemo vir doctior natus est, nemo comitate præstantior, in *Miscellan. Hist. Regni Boh.* Nihilo tamen minus *civibus Imperii* accenseatur, Boh. Rex, quod adversus *Reinkingium* egregiè *Limnæus* evicit.

Dec. 1. lib. 3. c. §. 1.

Limn. l. 3. c. 8.

Balb. op. & lib. cit. §. 3.

2. Qua autem ratione Bohemia Imperio adjuncta fuerit, prælaudati Autoris verbis malo explicare, quàm meis: *Bohemiam*, inquit ille, *ejusque Reges multis honoribus ad Imperij societatem à Cæsaribus invitatos diu restitisse, ne Imperio obnoxij viderentur, ex Annalibus nostris datur intelligi; tandem nihilominus metu, qui in constantem Regem cadit, victi, & reverentia Cæsareæ Majestatis allecti, præsertim armis Germaniæ conterriti, quibus semper se pares futuros sperare non poterant, manus dedere, & quantum licuit sine oneribus, (quod eorum conatus in Annalibus consignati indicant) honores & beneficia à Cæsaribus oblata, recepere. Itaque* amici Imperii *primùm*, Vicarii Imperatoriæ Majestatis, Principes Electores *appellati, ad Comitia Imperij vocati, regionibus ditati, denique ad ipsum Imperium & augustam Imperij dignitatem sunt vocati, ut tantis honoribus onerati, recedere ab Imperio, & liberare sese ad extremum non possent.*

3. Cæterum subest Bohemia hodie Austriacis jure hæreditario, ipsumque LEOPOLDUM AUGUSTUM, impræsentiarum

tiarum Regem veneratur, de quo superiore libro abundè dictum est. Implent autem Cæsaris absentis vices in Bohemia *Locumtenentes*, quorum *decem* hoc tempore numerantur:

Primus ordine ac dignitate est Supremus Burggravius: *Bernhardus Ignatius Borzita S. R. I. Comes de Martiniz*, &c.

Hunc excipit Supremus Præfectus: *Guilhelmus Albertus Krakovvsky S. R. I. Comes de Kolovvrat*, &c.

Sequitur Supremus Mareschallus: *Adamus Matthias S. R. I. Comes de Trautmansdorf*, &c.

Quartus est Supremus Camerarius: *Johannes Fridericus S. R. I. Comes de Trautmansdorf.*

Quintus, Supremus Regni Judex: *Adolphus Wratislaus S. R. I. Comes de Sternberg*, &c.

Sextus, Supremus feudorum Judex: *Johannes Joachimus S. R. I. Comes Slavvata de Chlum*, &c.

Septimus, Præses Appellationum: *Franciscus Udalricus S. R. I. Comes Chinsky à Chiniz*, &c.

Octavus, Supremus Scriba: *Franciscus de Scheidler, Eques, Dynasta in Kazovv.*

Nonus, Sub-Camerarius: *Lumbertus de Harrach, Eques, Dominus in Hohenanges.*

Denique qui chorum claudit, Burggravius

Reginæ Hradecensis: *Daniel Pachta de Ragovva, Eques, Dynasta in Lybliz.*

4. His olim accensebantur *duo Burzgravij Carlsteinenses*, alter è *Baronum*, alter *ex Equitum* classe, sed hodie sublati sunt: *Judicis* etiam *feudorum* munus haud ita pridem Leopoldum Imp. abrogasse ac feudales actiones omnes tribunali Appellationum subjecisse, ab humanissimo *Balbino* edoctus sum, cui syllabum quoque Locumtenentium, quem exhibui, acceptum refero. De stirpibus verò eorum atque affinitatibus, quantum ejus rescisceré licuit, alio loco, si vult DEUS, sermo erit.

5. Hîc commemoratu adhuc digna æstimo, quæ de Bohemici Regni *ministris hæreditariis* à me interrogatus sæpe mihi dictus, sed nunquam sine cura dicendus *Balbinus*, rescripsit: *Quæris de hæreditariis Regni nostri muniis: ea*, quatuor *fuére*: Marescalli *munus hæreditarium fuit* Dominis de Lippa, *(qui ab eadem origine cum Berkis descendunt) ultimus hujus stirpis D. Czdenko de Lippa superiore anno extinctus est in Silesia, quo ob religionem commigrarat. Pater hujus Czdenkonis Bertholdus, quod sese turbis Bohemicis involvisset, in erarios, ut ita dicam, relatus est & proscriptus. Munus* Marescalli Bercis *patruelibus* Daczicii in Boh. Dominis *collatum à Cæsare; quo ramo etiam extincto, Cæsar non ad alios Ber-*

cas

eas patrueles, qui supererant, sed ad exteros transtulit, & D. Adamo de Trautmansdorf sui supremi Praefecti filio hunc honorem dedit, non tamen hereditario jure, sed ad vitam. Proximis annis D. Adamus supplicavit Caesari & impetravit, ut filius Rudolphus post se Marescalli munus gereret. Pincernatus Wartembergicae stirpi hæreditario jure conferebatur: extincto circa A. 1636. Johanne Georgio de Wartemberg stirpis hujus postremo, qui Suecis militabat; munus hoc jure hæreditario Caesar familiae Comitum Slavatarum transcripsit. Dapiferia fuit Procerum Hasenburgicorum jure hæreditario; periit stirps in praeclarissimo heroe Jeroslao, quem novimus; etsi adhuc in Moravia Leones (qui ab eadem origine descendunt) supersint. Nulli adhuc, quod sciamus, dignitas à Caesare collata est; utineque Præguſtatoris munus, quod hereditarium fuit Sezymarum de Austi ex cœrulea Rosa Procerum, qui & ipſi me puero perierunt, nullo in eo munere succedente. Hæ fuêre quatuor Regni dignitates hereditariæ.

CAP. VI.

DE ELECTORE BAVARIÆ.

SEcundus inter Electores seculares hodie est *Dux Bavariæ*, ab Anno scilicet 1623.

quo dignitas Electoralis à Ferdinando II. Imp. Friderico V. Palatino, Bohemiæ Ex regi adempta, in *Maximilianum Bavarum* cum omnibus juribus annexis translata, & deinde An. 1648. per Instrumentum Pacis Osnabruggensis ei confirmata est. Jam olim quidem extitisse constat, qui Bavaricæ domui partem in Electoratu, vigore *constitutionis Ludovici Bavari Imp. pactique, quod cum Rudolphi Palatini filiis sancivit*, competere, atque adeo præter fas dignitatem istam soli Palatinatui à Carolo IV. cum Rudolphi Palatini filiam connubio sibi junxisset, illatam esse, dictitabant; & hoc demum seculo sub auspiciis Maximiliani Bavariæ Ducis id propugnavit *Christophorus Gewoldus* in commentario, quem *de Septemviratu Imp. Rom. Germ.* evulgavit, cui masculè sed humanissimè pro causa Palatina se opposuit *Marq. Freherus.* Utriusque rationes ἐν ἐπιτομῇ legere est ap. *Limnæum. Archidapiferatus* munus, quod tanquam jus Palatinatui potius, quam Electorali axiomati conjunctum sibi asserere Palatinus nitebatur, *speciali* demum *transactione*, ne paci obesse videretur, Bavaro cessit. Is itaque *quartum* nunc *in electione Cæsarea habet votum, locumque post Regem Bohemiæ ad dextrum Imperatoris latus, in sollemni processione gestat pomum Imperiale, ac in celebratione curiæ Imperialis Imperatore*

lib. 3. cap. 9.

Aur. Bul. cap. 4. 22. & 27.

ad

ad mensam ingresso, intrat & ipse vectus equo, habens in manibus quatuor scutellas argenteas cibis impletas, & descendens ab equo portat, & ante Imperatorem in mensa reponit; in quo munere *Subofficialem* habet, Dapiferum hæreditarium (den Erbtruchsessen) *del Valdburg.* De *Vicariatu* vacante Imperio in partibus Rheni & Sueviæ, nec non iis locis, ubi jus Franconicum viget, controversia adhuc ei intercedit cum Palatino; quæ An. 1657. postquam Ferdinandus III. Cæsar ad Superos emigrasset, præcipuè agitata fuit; qua tempestate uterque Elector ejus jura usurpavit, eaque per publica diplomata ac edicta sibi assertum ivit; mihi majoris momenti hæc est disceptatio, quàm ut meam facere sustineam; videri possunt scripta amœbea, ab utriusque partis fautoribus publicata, nec non *Limnæus Tomo V.* *ad lib. 3. c. 11. p. 215.*

2. Modernus Bavariæ Elector est Serenissimus

MAXIMILIANUS MARIA EMANUEL *Cajetanus Ludovicus Franciscus Ignatius Antonius Iosephus Felix Nicolaus Pius. Superioris & inferioris Bavariæ, nec non superioris Palatinatus Dux, Comes Palatinus Rheni, S. R. I. Archidapifer & Elector, Landgravius Leuchtenbergæ.* Prodiit in lucem d. 11. Julii 1662. *Parentes* ei fuere: *Ferdinan-*

nandus Maria Elector, qui d. 26. Maji, cum in diversorio Schleisheimensi se oblectaret, repentina morte oppressus est, gravissima syncope animam ipsi intercludente; & *Heinrietta Adelheidis* è *Sabaudiæ* Ducum sanguine orta, ac d. 18. Mart. 1676. defuncta. Post patris obitum, cum ætatem ab Aurea Bulla definitam nondum attigisset, sub tutela patrui vixit, usque dum anno sequenti, ipsa natali sua die, qua nonum & decimum ætatis annum agere cœpit, regiminis habenas solemni religione ac cerimonia capesseret, actisque patruo pro fida administratione gratiis non verbis tantum sed re ipsa (viginti enim millibus Imperialium annuos ejus reditus auxisse fertur) aulam ad suum arbitrium nutumque institueret, asciscendo in *principalium onerum adjutores* trigam Virorum Illustrissimorum: *Bernhardum Beronem Comitem de Rechberg in Hohen-Rechberg*, quem *Supremum provinciæ Magistrum* (Oberst Landhofmeister) *constituit*; *Maximilianum Ferdinandum Comitem de Torringen in Seefeld*, quem *Supremi Camerarij* munere decoravit; & *Maximilianum Johannem Franciscum Comitem de Preising*, cui *Supremum Aulæ Marescballatum* contulit. In conjuge deligenda dubius adhuc consilii ac incertus animi esse videtur, quamquam maritandum Principem cuncti suadeant.

A. B. cap. 7.

3. *Fra-*

3. *Fratrem* superstitem unicum habet: *Iosephum Clementem Cajetanum Franciscum Antonium Casparem Melchiorem Balthasarem Iohannem Baptistam Nicolaum*, natum d. 5. dec. 1671. cujus *juventæ moderator* est: *Timor Victor L. B. ab & in Weichs*. *Sorores* duas: *Mariam Annam Christinam*, editam in lucem d. 17. Nov. 1660. & *Ludovico Delphino*, Regis Galliarum filio, An. 1680. d. 7. Mart. nuptum collocatam.

Violantam Beatricem, natam d. 23. Jan. 1673.

4. Præverterunt Parentum fata: *Luisa Margarita* n. 18. Sept. 1663. †. 9. Nov. 1665. *Ludovicus Amadeus* n. 6. April. †. 11. Dec. 1665. & *Cajetanus Maria* n. 2. Maji †. 7. Dec. 1670.

5. *Patruus* Electoris *Maximilianus Philippus Hieronymus*, *utriusque Bavariæ Dux*, &c. filius *Maximiliani* Electoris & *Mariæ Annæ Austriacæ*, lucem vidit d. 20. Septemb. 1638. habetque in conjugio *Luisam Turriam*, Friderici Mauritii Ducis Bullionæi & Leonoræ Febroniæ Comitissæ Bergenfis filiam, An. 1668. d. 15. April. ductam; sed nullam hucusque ex ea suscepit prolem: Habitare ut plurimum solet in castro *Pfreimbdensi* metropoli Leuchtenbergensis Landgraviatus.

6. *Agnæ-*

6. *Agnatos* proximiores *duos* saltem habet Serenissimus Elector, Alberti Bavariæ Ducis patrui sui magni filios: *Maximilianum Henricum* Archiepiscopum atque Electorem Colonienſem, & *Albertum Sigiſmundum* Episcopum Frisingenſem & Ratisbonenſem; de quibus suo loco.

Spm. Op. Herald. Sp. l. 3. c. 27.

7. *Scutum* Electoris ac Ducum Bavariæ *quadripartitum* est: areola 1. & 4. *nigra leonem defert aureum, rubentibus corona, linguâ & falculis quo* Palatinatus *notatur.* 2. & 3. *rhombis argenteis & cæruleis obliquè dextrorsum dispositis exaratur, quibus* Bavaria *designatur. Umbilico scuti* solus Elector *parmulam imponit coccineam, pomam Imperiale seu crucigerum aureum*, Electorale *scilicet σῆμα, continens. Cassides* incumbunt *duæ coronatæ: super* priori *leo aureus considet, rubea redimitus corona, inter duo cornua cæruleis ac argenteis rhombis variegata, è quibus virgæ aureæ prominent foliis ornatæ: quo solo* Palatinus *Bavarorum apex, à reliquis Palatinis differt.* Altera *repræsentat leonem aureum, considentem inter duas alas* Bavaricis *rhombis distinctas, ex quibus denuo prominent foliola aurea. Inter has* Electoralis mitra *visitur clypeum tegere,* globo Imperiali *in summitate aucta. Laciniæ dependentes hinc nigræ sunt & rubeæ, isthinc argenteæ & cæruleæ.* Telamonum *vices duo sustinent leones.*

8. *Di-*

8. *Ditiones* Celsſimi Electoris quantum attinet, comprehendunt ea *utramque Bavariam & Palatinatum Superiorem, cum Comitatu Chamenſi & Landgraviatu Leuchtenbergenſi. Bavariam* multo angustioribus limitibus, ac olim cum Bojoaria appellaretur, circumscriptam, atque *Danubio, Licho & Oeno* fluviis nec non *Alpibus* inclusam, ac in *ſuperiorem*, quæ *Licho & Iſura* cingitur, *inferioremque*, quam *Iſarus & Oenus* terminant, divisam, à Guelphis ad eam familiam, à qua nunc regitur, transtulit Fridericus Barbaroſſa Imperator; qui exauctorato Heinrico Leone An. 1180. Ducatum Bavariæ, ſed à Leopoldo Austriæ Marchione mutilatum, *Ottoni Comiti à VVittelſpach & Scheyrn* conceſſit. Hujus filius *Ludovicus* cum favore Friderici II. Imp. etiam *Palatinatum ad Rhenum* An. 1215. nactus eſſet, & ad posteros transmiſiſſet, orta eſt inter nepotes *Ludovicum Severum* atque *Heinricum prima* ditionum *diviſio*, illo *Palatinatu ad Rhenum cum Bavaria ſuperiore*, hoc *inferiorem cum parte Nortgoja* Bohemiæ contermina, obtinente. Sed poſtquam *Heinrici* ſtirps in ejus pronepote defecit, omnem ejus hæreditatem adiit *Ludovicus*, *Severi* filius minor natu, in *Imperatorem* electus, excluſo fratre majore *Rudolpho*, quem, quod Friderico Au-

ſtria-

striaco æmulo Imperii faveret, omnibus ditionibus exutum in Angliam, ubi paulò pòst vitam cum morte commutavit, abegit; filiis tamen ejus ad se receptis Palatinatum Rheni cum illa *parte Nortgoiæ*, quæ exinde *superioris Palatinatus* nomen accepit, restituit, Bavariam verò totam sibi posterisque asseruit: circa *Electoralem dignitatem* ita cavit, ut proles sua atque fratris *alternis vicibus* electionibus Cæsareis interessent; ac primas quidem Rudolphi tanquam natu majoris filio, secundas suæ soboli tribuit. Quæ verò pactum hoc antiquatum deinceps fuerit, ac pro obsoleto & irrito habitum, nisi ignaviam suorum accusare velit, haud scire se ait *Aventinus*. Ex *Ludovici Bavari* Imp. filiis, tres, *duo* nimirum *Ludovici* & *Otto Brandeburgicam Marchiam* cum Electoratu, morte Woldemari ac Johannis fratrum, vacuefactam, per investituram parentis tenuerunt; sed eam Ottoni Carolus IV. Imp. ejus socer, numerata certa pecuniæ summa, tantum non extorsit. *Senior Ludovicus* per matrimonium Margaritæ Maultaschiæ *Tyrolensem* etiam *Comitatum* obtinuit & filio *Meinhardo*, at ἄπαιδι, reliquit. *Wilhelmo*, quem Ludovicus Augustus è secunda conjuge Margarita Hollandia Comitissa suscepit, obvenére ex materna hæreditate *Hollandia & Zeelandia*, in quibus, cum improlis obiisset, succes-

Annal. Boj. lib. 7. p. 206. edit. Francof.

successorem habuit fratrem germanum *Albertum*, qui *Straubingam* in Bavaria fortitus erat: hujus stirps mascula posteaquam brevi interjecto tempore defecit, transtulit Jacoba ejus neptis jura sua in Hollandiam, ac ei conjunctos Comitatus in Philippum Bonum Burgundiæ Ducem.

9. Solius itaque *Stephani* qui *Fibulatus* cognominatus est, & è priori Ludovici Imp. thoro prodiit, prosapia in Bavaria duravit, quæ in varias subinde lineas divisa, tandem seculo XV. ad solum *Albertum IV. Sapientem* rediit: Hic extincto *Georgio Divite* agnato è *Landshutana linea*, ejus hæreditatem armis adversus *Rupertum Palatinum*, quem Georgius Dives ejus socer hæredem, in propinquiorum præjudicium scripserat, sibi vindicavit, totamque Bavariam denuo conjunxit; solo *Neoburgo ad Danubium* excepto, quod cum circumjecta ditione Maximilianus I. Imp. Ruperti liberis, maternæ hæreditatis nomine, assignavit. *Albertus* V. Dux Bavariæ, quarti nepos, cum aliquot auctus esset filiis, ne illi eorumque posteri ad ditionum partitiones, quæ magnorum dissidiorum materiam præbere solent, iterum delaberentur, *jus primogenituræ* in familia instituit, ac anno 1579. moriens omne Bavarici Ducatus regimen filio primogenito *Wilhel-*

mo, à quo *Wilhelmina linea* in Instrumento Pacis commemorata, orta est, tradidit; cum reliquos filios partim Ecclesiasticis beneficiis, partim appenagiis, uti vocant, instruxisset. Divisa verò est Bavaria in *quatuor regimina* quæ vernaculo vocabulo Regierungen sive Rent Ämbter nominantur; Superior Bavaria *Monachiense* complectitur & *Burckhusanum*; inferior *Landshutense & Straubingense*. *Monachium* totius *Ducatus metropolis* hodie est ac *Electoris Regiam* continet, aulicisque domicilium præbet. Reliqua regimina per *Vicedominos* administrari solent; ac *Burckhusano* quidem impræsentiarum præest: *Johannes Ferdinandus Albertus Comes à Preising. Landshutano: Joh. Christophorus L. B. ab & in Seyboldsdorf*, qui *Francisco L. B. de Neuhaus* nuper mortuo suffectus est: *Straubingensi: Johannes Wigulæus L. B. de Paumgarten.*

10. *Superior Palatinatus*, quem ad *Sueviam* potiùs quàm Bavariam referendum, utpote qui ex donatione Conradini Sueviæ Ducis ad Ludovicum Bavariæ Ducem ac Comitem Palatinum pervenerit, censet *Freherus*, hoc demum seculo occasione belli Bohemici ad Bavaricam stirpem translatus, ac ejus possessio per Instrumentum Pacis Osnabruggensis Maximiliano Electori ejusque posteris totique lineæ Guilhelminæ, quamdiu

diu masculi ex ea superstites fuerint, cum omnibus appertinentiis regalibusac juribus confirmatus est. Caput provinciæ est *Amberga*, in qua *Vicarius Electoralis*, (*Christianus Comes ab Ortenburg* nunc munus hoc sustinet,) jus dicit.

11. *Chamensis Comitatus* Nortgojæ quondam portio, suos habuit Comites, quibus seculo XIII. extinctis, Bavariæ Ducibus ab Impp. in feudum est concessus; cumque in illa inter Ludovicum Bavarum Imp. & Rudolphi Palatini filios divisione Palatinis obvenisset, tandem eâdem, qua superior Palatinatus, viâ ad Bavaros transiit.

12. *Leuchtenbergensem Landgraviatum* in Bohemiæ finibus situm, *Albertus* Dux Bavariæ jure uxorio (habuit enim in matrimonio Mechtilden, Maximiliani Adami ultimi Landgravii amitam) obtinuit, & acceptis aliis in Bavaria bonis Maximiliano Electori fratri suo tradidit, à quo filio minori natu Maximiliano Philippo assignatus est, qui hodiedum eum possidet.

13. Est etiam in ditione Electoris *Hagensis Comitatus* haud procul ab *Oeno* amne distans, qui suos olim habuit Comites è *Franenbergiorum* stirpe, quibusque inter Imperii Ordines locus erat; sed extincta eorum familia, Maximilianus II. Imp. Comitatum Ducibus Bavariæ in feudum contulit.

14. *Donavverdam* urbem in Vindelicia ad Danubium sitam, quæ inde ab An. 1420. quo se Bavarorum jurisdictioni favore Sigismundi Imp. subduxerat, libertate ac Imperii civitatum jure gavisa erat, in pristinam ditionem An. 1607. redegit *Maximilianus* Bavariæ Dux, postquam Rudolphus II. Augustus eam, ob vim ab insana plebe illatam Abbati & clero Monasterii S. Crucis, qui sollemnem processionem ab immutatæ isthic religionis tempore intermissam, die B. Marco sacra restaurare ausus erat, proscripsisset, ac executionem non circulo Suevico (uti leges Imperii postulabant) sed Bavaro demandâsset, qui occasionem diu exoptatam ambabus, quod ajunt, ulnis arripiens, urbem imparatam adortus est, ac ad deditionem facilè subactam sui juris fecit, frustra reclamante ac de insolito præproperoque processu querente Evangelico ordine; cui restitutio plenaria quidem est promissa, sed tum demum, ubi belli sumptus (quos nemo exoluturus erat) Bavariæ Dux recepisset.

V. Thuan. Hist. lib. ult. Pfanner. Hist. pacis VVestphal. lib. 1. §. 2.

16. Comprehendi Electorem Bavariæ sub *circulo Bavarico*, ejusque *Directorium* tenere, in proclivi est colligere; *in Suevico* tamen quoque *circulo*, locum duplexque suffragium habet, nempe ratione *Comitatuum Wiesensteig & Mundelheim*; quorum *illum*, cum *Comitum Helfensteiniorum* stirps defecisset, ære sibi

sibi paravit; *Mundelheimium* verò post extinctos *Freundsbergios Barones* jure caducitatis recepit.

16. Ante verò quàm hunc rivum claudam, dicendum aliquid est de *VVartenbergicis Comitibus*, quos *Ferdinandus Dux Bavariæ* Alberti V. filius secundo genitus è *Maria Pettenbeckia*, quam impari conjugio sibi copulavit, profevit; supersunt verò ex iis duo tantùm mares:

Albertus Ernestus Comes de VVartenberg & Hachenburg, Dominus in VVald, Capellanus Imperialis, Canonicus Capitularis Ratisbonensis & Præpositus Bonnensis; filius *Ernesti Bernonis* Comitis de Wartenberg & *Sibyllæ Hohenzolleriæ.*

Franciscus Marquardus Comes de VVartenberg, &c. Patre *Johanne Ferdinando Ernesto*, qui Alberti Ernesti frater erat, matre *Anna Elisabetha Comitissa de Salm & Neuburg ad Oenum* natus An. 1673. ac in spem familiæ adolescens.

17. *Ferdinandus Laurentius*, hujus patruus magnus, natu minimus è Ferdinandi Bavariæ Ducis filiis, An. 1666. moriens sex liberos è secunda uxore *Maria Claudia C. Oettingensi* susceptos reliquit, mares duos: *Franciscum Ferdinandum* & *Johannem Ferdinandum*, sed in flore ætatis extinctos; ille enim

An. 1674. hic autem 1673. fatis concessit: sequioris sexus: *Mariam Franciscam Johanni Jacobo Comiti de Preising* elocatam, *Mariam Gertrudin Ludovico de Bertrand Comiti de la Peruse* Camerario Electorali nuptam, sed utramque in mortuorum censum relatam, tum *Mariam Annam* & *Mariam Claudiam*, Moniales;

Stem. Cp. Her. Sp. l. 3. c. 27. §. 43. 18. *Utuntur hi Comites* Bavarico *virgato scuto, eique imponunt* Palatinum *leonem coronatum; utroque familiari symbolo in unum latericulum compacto. Clypeo insistit galea coronata, cui inter alas* Bavaricas *virgatas, & foliolis exteriùs ornatas, adversa fronte insidet leo* Palatinus *coronatus.*

CAP. VII.

DE ELECTORE SAXONIÆ.

TErtium inter Electores Seculares locum occupat *Saxoniæ Dux*, qui S. R. I. *Archimareschallus* est, atque vi hujus muneris *in solemni processione Imperatorem immediatè præcedit, ensem Imperialem strictum deferens; in solemnibus verò curiis, posito ante ædificium sessionis Imperialis* (Aureæ Bullæ verbis utor)

A. B. c. 27. *scervo avenæ, tantæ altitudinis, ut perungat usque ad pectus vel sellam equi, quo vehitur, habens in manu baculum argenteum & mensuram argen-*

argenteam, hanc avena replet, famuloque primitus venienti ministrat; atque hoc facto figendo baculum in avenam recedit, ac Vice-Marescallo, qui senior est è familia Dominorum de Pappenheim, *potestatem eam distribuendi facit.* Porro *in comitiis publicis Ordinibus de alimentis hospitiisque prospicere* tenetur, in quo plerunque sub officialis sui opera utitur. In electione Regis Romanorum *quintum* obtinet *votum.* Vacante Imperio vices Cæsaris explet in illis locis, ubi *Saxonica jura* quondam vigebant. Denique hoc etiam ob Archimarescallatus officium eximium habet, quod à *tubicinibus Protector ac Patronus* salutatur, uti constat è diplomate Ferdinandi II. Imp. apud *Limnæum, Additionum Tomo I. ad lib. 3. c. 10. p. 210.*

2. Est Ducatus Saxoniæ, eique annexa dignitas Electoralis penes illam, in qua nunc versatur, familiam ultra duo secula, nempe inde ab anno 1423. quo *Alberto Duce & Electore Saxoniæ*, (qui à clarissimo Heroë *Bernhardo Urso*, quem Fridericus Barbarossa Imp. *Saxoniæ, Angriæ & Westphaliæ Ducem* constituit, genus duxerat) absque prole defuncto, disceptantibusque de ejus successione, Lauenburgico, Palatino & Brandenburgico, Sigismundus Imp. memor fidei & meritorum *Friderici Bellicosi*, Marchionis Misniæ & Landgravii Thuringiæ, eidem *Saxoniam*, tanquam *priscum Wittikindeorum*, à

quibus descendisse fertur, *patrimonium cum Electoratu* solemni investitura Posonii contulit. Atque abeo ad posteros axioma hoc serie nunquam interrupta est propagatum, hæsitque aliquandiu in *linea primogenita*, ab *Ernesto*, *Friderici Placidi* F. Bellicosi N. condita, & exinde *Ernestina* dicta; donec anno superioris seculi septimo & quadragesimo *Iohanni Friderico*, qui *Magnanimi* cognomen promeruit, *Johannis Constantis* F. *Ernesti* N. cùm Smalcaldico fœderi nomen dedisset, armaque pro aris & focis adversus Carolum V. Imp. cepisset, sed prælio ad *Mulbergam* commisso victus in ejus potestatem venisset, adimeretur; ac cum juribus conjunctis, magnaque ditionum parte, *Mauritio* ejus agnato, è *linea Albertina*, quæ ab Ernesti fratre *Alberto* nomen originemque traxit, prognato, attribueretur; quem Imperator anni sequentis d. 24. Febr. in Comitiis Augustanis publica & sollemni investitutura tanquam in possessionem misit, & in suam Imperiique fidem accepit: & licet *Mauritio* absque liberis mortuo, *Johannes Fridericus* pristinam dignitatem recuperare tentasset, frustra tamen nisus est, transitque ea ad Mauritii fratrem *Augustum*; à quo ad posteros transmissam, hac tempestate sustinet Serenissimus

Sleid. Comment. de St. Rel. & Reip. l. 20.

JOHAN-

JOHANNES GEORGIUS III. *Dux Saxoniæ, Iuliaci, Cliviæ & Montium, S. R. I. Archi Mareſcallus & Elector, Landgravius Thuringiæ, Marchio Miſniæ & utriusque Luſatiæ, Comes Princeps Hennebergæ, Burggravius Magdeburgi, Comes Marcæ & Ravensbergæ, Dominus Ravenſteinii.*

3. Natus eſt d. 20. Junii Anno 1647. Patre *Johanne Georgio* II. *Electore ac Duce Saxoniæ*, qui d. 22. Aug. An. 1680. Freibergæ, quo propter peſtem Dresdæ immane quantum graſſantem, ſeceſſerat, diutino morbo abſumptus, vita conceſſit: Matre *Magdalena Sibylla* Chriſtiani Marchionis *Brandenburgici*, lineæ Culmbacenſis, filia ſuperſtite. Vivo parente Budiſſini morabatur, ac *Luſatiam ſuperiorem* Vicario nomine, tanquam *Supremus Præfectus provincialis* (Ober-Landvogt) rexit. An. 1673. Cæſarem Egræ exercitum, ad tuendos Imperii limites à Gallis infeſtatos, collectum luſtrantem convenit; à quo *legione equeſtri* donatus, ac titulo *Locumtenentis Campi Mareſcalli* (Feld-Marſchalck-Lieutenant) ornatus, caſtra ſecutus eſt, & paternas etiam copias defenſioni Imperii deſtinatas ad Rhenanam deduxit oram; egregiaque fortitudinis documenta in conflictu *Mummenheimenſi* & *Sensheimenſi* edidit. Poſt Divi Parentis è vita diſceſſum *Electoratus Re-*

gimen suscepit, idque magna frugalitatis ac moderationis laude administrat. habens *secretiorum consiliorum arbitros*: *Nicolaum L. B. de Gersdorf*, qui *Director* est *Secretioris Senatus*, & Supremus Camerarius; *Fridericum Adolphum ab Haugwitz*, Supremum Aulæ Marescallum, & primas inter ministros aulicos tenentem; *Carolum L. B. de Friesen*, Consistorii & Judicii Aulici Lipsiensis Præsidem; *Fridericum de Werthern*, S. R. I. & Augustissimi Cæsaris Cameræ Janitorem hæreditarium (Erb-Kammer-Thürhüter) Supremum Thuringiæ Capitaneum, denique *Heinricum Gebhardum de Miltiz*, Cancellarium.

4. *Uxorem* accepit genere, probitate, prudentiaque fœminarum eminentissimam *Annam Sophiam*, Regiis parentibus editam, *Friderico III. Daniæ* Rege & *Sophia Amalia Ducissa Brunsv. & Lunæb.* quam *Hafniæ* Calendis An. 1647. sollemni nuptu duxit, *duplicis prolis mascula* pater hactenus ex ea factus: *Iohannis Georgii*, nati d. 18. Oct. 1668. ac in spem ampliſſimam adolescentis; & *Friderici Augusti*, cui d. 12. Maji anni 1670. natalis fuit.

5. *Sorores* Celsissimus Elector *duas* habuit, quarum *prior* intra primum ætatis *extincta* est; *altera Erdmuthis Sophia Christiano Ernesto M. Brandenb. Beruthino* nuptum anno 1662.

1662. locata, naturæ debitum d. 12. Jun. 1670 exsolvit.

5. *Propinquorum* Electoris haud exiguus est numerus; eorum unus secundo, reliqui tertio quartove consanguinitatis gradu ipsi conjuncti sunt, *communemque* secum *Parentem* agnoscunt *Iohannem Georgium* I. Hic enim quatuor auctus erat filiis, *Johanne Georgio* II. quo modernum Electorem genitum esse dixi, *Augusto*, *Christiano* & *Mauritio*.

7. *Augustus Administrator Archiepiscopatus Magdeburgensis* audiebat, ac *Hallæ ad Salam*, quæ inter civitates diœceseos secundas tenet, sedem habebat: verùm cum hæc dignitas hæreditaria non esset, sed vitæ ejus termino circumscripta, transiit ea, post ipsius obitum, qui in d. 4. Jun. Anni 1680. incidit, aliorsum; uti cap. sequenti dicetur.

8. E *duplici conjugio* numerosam sustulit sobolem; prior uxor *Anna Maria*, *Adolphi Friderici D. Meklenb.* filia, quæ anno 1647. ducta d. 11. Dec. 1669. vivere desiit, bis *sexies* mater facta est. Inter *masculos*, quorum *quinque* fuêre, familiam ducit & in ditionum regimine Parenti successit:

Iohannes Adolphus Dux Saxoniæ, Juliaci, Cliviæ & Montium, Landgr. Thuringiæ, Marchio Misniæ & utriusque Lusatiæ, Comes Princeps Henneberga & Barbiæ, Dominus

minus Ravensteinii, natus d. 2. Nov. 1649. Connubio sibi junxit A. 1671. d. 25. Octob. *Johannam Magdalenam Friderici Wilhelmi D. Saxo-Altenburgici & Magdalenæ Sibyllæ* amitæ suæ filiam, e qua hucusque suscepit:

I. *Magdalenam Sibyllam* n. 1673. d. 3. Sept.

II. *Augustum Fridericum* n. 1674. d. 15. Sept. †. 1675. d. 16. Aug.

III. *Iohannem Adolphum* n. 7. Jun. †. 18. ejusd. mensis An. 1676.

IV. *Iohannem Georgium* n. 1677. d. 13. Julii.

V. *Anonymum* d. 24. Jul. 1678.

VI. *Iohannam Wilhelminam* n. 1680. d. 20. Januar.

VII. *Fridericum Wilhelmum* n. 1681. d. 18. Jan.

9. *Fratres Johannis Adolphi* sunt:

Augustus Iunior dictus, n. An. 1650. d. 3. Dec. Hic à *Magdeburgensi Capitulo* in *Præpositum* An. 1661. cooptatus, aucta ætate in Sueciam iter fecit, ubi à Rege *Colonelli* axiomate & stipendio mactatus est, tum Electori etiam Colonienſi in obsidione Gröningæ in Westfrisia militavit; sed præmatura morte d. 11. Aug. 1674. Hallæ abreptus, *viduam* reliquit *Carolam Friderici Hassiæ Landgravii & Eleonoræ Catharinæ Palatinæ* filiam, quam A. 1673. d. 25. Aug.

Aug. duxerat ac *unicam* tantum *filiolam* in utero extinctam cum ea genuerat; vivit illa nunc in conjugio *Johannis Adolphi Comitis Teclenburgici.*

Christianus n. An. 1652. d. 25. Junii apud Electorem patruelem militari munere fungitur.

Heinricus n. 29 Sept. 1657. successit fratri Augusto in Præpositura Magdeburgensi.

Albertus n. 14. April. A. 1659.

10. *Sororum Johannis Adolphi* hæc est nomenclatio:

Magdalena Sibylla n. 2 Sept. 1648. ac *Friderico D. Saxo-Gothano* in matrimonium An. 1669. d. 14. Nov. collocata, fatis concessit d. 20. Jan. 1681.

Anna Maria n. d. 28. Febr. 1653. †. 17. Febr. 1671.

Sophia n. 23. Jun. 1654. nupsit A. 1676. 18. Jun. *Carolo Wilhelmo Pr. Anhaltino Servestano.*

Catharina n. 12. Sept. 1655. †. 21. April. 1663.

Christina n. 25. Aug. 1656. *Augusto Friderico D. Holsatiæ, Episcopo Eutinensi* in manum A. 1676. 21. Jun. convenit.

Elisabetha n. d. 25. Aug. 1660. †. d. 11. Maji 1663.

11. Hæc series est liberorum Augusti è

prio-

priore thoro, è *posteriore*, in quem An. 1672. d. 29. Jan. ascivit *Johannam Walburgin, Georgii Wilhelmi Comitis Leiningensis in Werstenburg.* filiam etiam dum superstitem, duo ei nati sunt mares.

Fridericus n. 20. Nov. 1673. &

Mauritius n. 5. Jan. 1676.

12. CHRISTIANUS, *Postulatus Administrator Episcopatus Martisburgensis*, qui solus ex Electoris patruis supereſt, lucem aspexit d. 27. Oct. An. 1615. Habet in conjugio *Christinam*, *Philippi D. Holsatiæ in Glücksburg* & *Sophiæ Hedvvigis Saxo-Lauenburgicæ* filiam, An. 1650. d. 19. Nov. junctam, è qua procreavit:

I. *Magdalenam Sophiam* n. 19. Oct 1651. † 29. Martii 1675.

II. *Iohannem Georgium* n. 4. Dec. 1652. † 3. Jan. 1654.

III. *Christianum* n. 19. Nov. 1653. Hic A. 1679. d. 14. Oct. nuptiis sibi adjunxit *Erdmuthin Dorotheam*, *Mauritij* patrui sui filiam.

IV. *Augustus* n. 15. Febr. 1655.

V. *Philippus* n. 26. Oct. 1657.

VI. *Christiana* n. 2. Jun. 1659. quam *Christianus Dux Saxoniæ* è *Gothanis* in matrimonium An. 1677. assumsit, & An. 1679. d. 17. Martii in puerperio extinctam amisit.

VII.

VII. *Sophia Hedvvigis* n. 4. Aug. 1660. ac *Johanni Erneſto Duci Saxoniæ è Gothanis*, Chriſtiani fratri An. 1680. elocata.

VIII. *Heinricus* n. 2. Sept. 1661.

IX. *Mauritius* n. 29. Oct. 1662. † 21. April. 1664.

X. Denique *Sibylla Maria* n. 28. Oct. 1667.

13. MAURITIUS, poſtremus è Joh. Georgii I. Electoris filiis, *Adminiſtrator Epiſcopatus Naumburgenſis ac Citienſis, nec non Balivia Thuringica*, quæ ad Ordinem Equeſtrem Teutonicum pertinet, annũ vitæ ſupremum habuit 1681. d. 4. Dec. *Nuptias ter* celebraverat; *primas* A. 1650. cum *Hedvvige Sophia, Philippi D. Holſatiæ in Glücksburg* filia; qua poſt biennium ac duplicem enixam prolem maſculam, ſed βραχύβιον, demortua, *ſecundis* ſibi junxit *Doretheam Mariam, Wilhelmi D. Saxo-Vinarienſis* gnatam An. 1656. d. 3. Julii, quæ elegantis ſobolis, quatuor nempe marium, ſex filiarum Parentem eum fecit, atque An. 1675. d. 11. Julii extremum diem implevit; itaque ad *tertias* transgreſſus nuptias An. 1676. d. 14. Jun. ſibi copulavit *Sophiam Eliſabetham, Philippi Ludovici D. Holſatiæ è Sunderburgicis, & Annæ Margaritæ Haſſiæ Landgraviæ* filiam, è qua liberos non vidit. Succeſſorem in ditionum regimine habuit filium è *ſecundo thoro* primogenitum; is eſt MAU-

MAURITIUS WILHELMUS *Dux Saxoniæ, Iuliaci, Cliviæ & Montium, Postulatus Administrator Episcopatus Naumburgensis, Landgravius Thuringiæ, Marchio Misniæ & utriusque Lusatiæ, Comes Princeps Hennebergæ, Comes Marcæ & Ravensbergæ, Dynasta Ravensteinii, Locumtenens Balliviæ Thuringicæ*, natalem diem habuit 12. Martii An. 1664. nuncque, nisi fallus est rumor, exterarum gentium mores & urbes visere secum constituit.

14. Inter ejus *fratres* proximus ordine nascendi *Johannes Georgius* natus d. 27. April. Anni 1665., sequentis d. 5 Sept. in sua resolutus est initia. Reliqui duo superant: *Christianus Augustus* n. 9. Oct. 1666. & *Fridericus Heinricus* n. 21. Jul. 1668.

15. *Sororum* hæc est series:

Eleonora Magdalena n. 30. Oct. 1658. †. 26. Febr. 1661.

Wilhelmina Eleonora n. 1659. †. e. a.

Erdmuthis Dorothea n. 13. Nov. 1661. desponsata *Ludovico Landgr. Hassiæ in Darmstad*; quo in ipso nuptiarum apparatu abrepto, à *Christiano Juniore* patrueli *Merseburgensi* in matrimonium An. 1679. ducta est.

Maria Sophia n. 3. Nov. 1670. †. 31. Maji 1671.

Mag-

Magdalena Sybilla n. 7. Apr. †. 26. Augusti 1672.

Wilhelmina Sibylla n. 1675.

16. Inter *amitas* Electoris sola supereſſe fertur *Maria Eliſabetha*, *Friderici D. Holſatiæ in Gottorp* vidua, nata An. 1610. d. 22. Nov. *Sophia Eleonora*, quæ *Georgio II. Landgr. Haſſ. Darmſtad. & Magdalena Sibylla*, quæ *Chriſtiano V. Daniæ Pr.* 2. *Friderico Wilhelmo D. Saxo-Altenburgico* nupſerant, ad plures abierunt, *illa* d. 2. Jun. 1671. *hæc* d. 6. Januar. 1668.

17. *Scutum Electorale* bis ad perpendiculum, ſexies transverſim ſectum eſt, & XXI. areolas complectitur: 1. *cærulea leonem ex argento & minio faſciis transverſis variegatum exhibet*, Thuringiæ ſymbolum. 2. *octo transverſis aureis & nigris taniis exarata, ſerto viridi rutaceo toti ſuperinducto*, Saxoniam *deſignat*. 3. *aurea leonem nigrum lingua & falculis coccineis defert*, Miſniæ ſ. 4. *aurea, quam leo niger dentibus ac falculis argenteis linguam rubeam protendens, occupat*, Juliacenſem Ducatum *notat*. 5. *rubea, ſcutulo argenteo in corde impreſſo, è quo octo ſceptra liliata in crucem & decuſſim diſpoſita aurea per totam aream protenduntur*, Cliviam *indicat*. 6. *argentea leonem rubeum falculis & corona aurea, lingua cærulea, cauda biſida continens*, Bergenſem Ducatum *ſignificat*. 7. *cærulea aquilam expanſam, coro-* *Spon. Od. Iser. publ.*

natam, auream defert. Palatinatus Saxonici emblema. 9. *in medio, ceu honoratiore loco, in* parmulæ formam *posita, ita ut in subjectam arcuatam protendatur, superiore parte atra, inferiore argentea est, & duos gladios rubentes in decussim trajectos,* Electoralem *scilicet* tesseram *exhibet.* 9. *nigra aquilam auream continet,* Palatinatus Thuringici symbolum. 10. *argentea bovem rubrum ventre albicante defert.* 11. *cærulea aureum murum, nigro opere cæmentitio distinctum, ac in pinnas assurgentem, repræsentat;* illa Lusatiam inferiorem, hæc superiorem *designat.* 12. *aurea duobus palis cæruleis distinguitur, &* Marchiam Landsbergensem *innuit.* 13. *cærulea leonem superiore corporis parte aureum, inferiore argenteum exhibet,* terræ Pleisensis δάγμα. 14. *aurea, rubeis corculis strata, in qua salit leo niger Misnicus,* Orlamundanum vel Vinariensem Comitatum *designat.* 15. *ex summo bipartita priore parte rubea, aquilam dimidiam argenteam aurea corona redimitam, posteriore argentea quatuor fascias coccineas defert, &* Magdeburgensem Burggraviatum *denotat.* 16. *argentea tria paria cornuum scarabæi rubea exhibens,* Brennensem Comitatum *significat.* 17. *argentea, rosa rubea, auro gemmata, & viridibus interfoliis ornata* Burggraviatum Aldenburgicum *notat.* 18. *argentea, inductis tribus fasciis cæruleis,* Eisenbergium Comitatum *designat.* 19.

argen-

argentea tres cantherios coccineos defert, Ravensbergium δεῖγμα. 20. *aurea fascia transversa triplici ductu ex argento & minio tessellata*, Marcanum Comitatum *notat*. 21. *solo colore miniato constat, ac* Regalia *significare fertur. In cuspide scuti aureus conspicitur latericulus, nigram gallinum, viridi colliculo insistentem exhibens; quo* Hennebergensis Comitatus *designatur.*

18. Galeæ *hoc scutum* octo *premunt*: Prima *coronata jugum alarum sustinet, superiore parte cœruleum, inferiore aureum, ut pinnæ, quales in latericulo* Lusatiæ superioris *apparent, muri distinctioni serviant.* Secundæ *acrostylium constat taurino capite rubeo, quod argenteis cornibus, & per nares trajecto annulo ornatum, atque aurea corona florea, circulo fascia* Marcanæ *concolori, redimitum est*, & Clivensi Marcanæque *areolæ respondet.* E tertia *coronata prominent duo cornua argentea, quorum latera quini utrinque bacilli foliati ornant; respicit hæc cassis* Thuringicum *latericulum.* Quarta *coronata sustinet pileum turbinatum fasciis aureis & nigris, sertoque transverso, symbolis* Saxonicis, *exaratum, desuper vero corona iterum aurea atque pavoninis orbibus fastigiatum; claudit utrumque pilei latus cornu ex nigro & argento variegatum, atque eorundem colorum vexillis propendentibus quinis ornatum: conjungitur hoc modo* Saxonicus *cum* Electorali *apice.* E

quinta *galea* Misnica *herma virilis eminet, a cuminato pileo tectus; vestis aquè ac pileus in palorum modum tæniis alternis argenteis & rubeis distinguuntur.* Sexta Juliacensis *gryphi aurei refert, cujus rostrum, lingua & armilla rubeum colorem, alæ nigrum agnoscunt.* Septima Bergensis *coronam auream cauda pavonina fastigiatam sustinet.* Octava *denique mitra ducali rubea tegitur, cujus vellere muris ponticifartæ ora reducta est, eminetque super illam exsurgens caput aquilæ argenteum cum collo; pertinere hæc cassis videtur ad* Lusatiæ inferioris *laterculum.* Phalerarum, quibus circumfusæ sunt hæ galeæ, colores exprimere tædiosum fortè foret; possuntque illi vel ab areolis vel ab apicibus dignosci.

19. Cæterorum *Saxoniæ Ducum*, quorum hoc capite mentio facta est, *clypei*, in eo tantùm ab illo, quem modo deumbravimus, differunt, quod Electorali symbolo carent, aliudque ferunt: Sic *Augustus Administrator Magdeburgensis*, hujus *Archiepiscopatûs emblema*, nec non *Barbiensem tesseram*, nempe *duos mullos barbatos aureos in campo cæruleo*, insignibus suis inseruit; cujus filios hoc quidem adhuc uti, istud verò omittere, arbitrari licet.

20. *Christianus Merseburgense* δᾶγμα, videlicet *atram crucem, aureo in laterculo*, gestare solet: *Mauritii* autem *filii Naumburgen-*

genſis Epiſcopatus ſymbolo, clavi ſcilicet & gladio argenteis in decuſſim trajectis, rubea in area, ſcutum ſuum exornare conſueverunt.

21. Sequitur, ut de *ditionibus* Sereniſſimi Electoris atque adeo totius *lineæ Albertinæ*, ſermonem inſtituamus: quod ut rite fiat, aſcendendum eſt ad *primam* ac ſummam *ſtirpis provinciarumque* Saxonicarum *diviſionem*, quæ in *Erneſto* & *Alberto*, *Friderici Placidi* filiis contigit: ad hos enim, cum Wilhelmo patruo abſque liberis mortuo, univerſæ ditiones avitæ, quæ præter *Saxoniam*, *Thuringiam*, *Miſniam* & *Coburgenſem in Franconia Principatum* potiſſimum complectebantur rediiſſent, ipſique in earum communione per annos bene multos in Dresdenſi arce mira concordia vixiſſent; tandem paulò antequam *Erneſtus* ex hac vita diſcederet, ad partitionem delapſi ſunt: quoniam autem recenti adhuc memoria tenebant ingens diſſidium, quod eadem occaſione patrem inter patruumque ortum erat, cenſuerunt, non ſingulas ſingulis provincias aſſignandas eſſe; ſed ita partiendas ut in ſingulis provinciis, præſertim Miſnenſi & Thuringica, ſuam quisq; portionem obtineret; annuorum redituum æqualitas eſſet, metallorumque proventus ambobus communis maneret; hac ratione ſe effecturos augurabantur, ut cum alter ſine proprio detrimento perdere alte-

rum non posset, perpetua aleretur concor-
lib. 7. p. 791. dia; uti *Fabritius* in *Orig. Saxon.* memorat.
Confecta itaque est provinciarum divisio in curia Lipsiensi 4. Id. Nov. 1485. In una parte erant urbes & oppida provinciarum Misniæ & Pleissensis duodecim, Saxoniæ XV. Thuringiæ XXXVIII. Franconiæ IX. Voitlandiæ XII. cum pertinentibus ad ea castris, villis, possessionibus & aliis; his insuper adjuncta grandis pecuniæ summa. In altera verò parte pecunia nulla & loca pauciora, provinciarum scilicet Misniæ & Osterlandiæ oppida XXXII. Saxoniæ duo, Thuringiæ XXII. reditus ex metallis æquales; æquales decimæ, patrocinium religiosorum & nobilium dispartitum. Ergò cùm penes Albertum, ceu minorem natu optio esset, ea ipsius in fratrem indulgentia fuit atque reverentia, ut præter omnium expectationem, partem posteriorem eamque deteriorem eligeret, ac *Dresda*, quæ in ea comprehendebatur, sedem figeret, quemadmodum
Fabrit. lib. eod. p. 809. apud citatum autorem legere est. Permansit res hoc in statu usque ad *bellum Smalcaldicum*, quo victus *Johannes Fridericus* Elector, Ernesti nepos, *dignitatem Electoralem cum ipso Saxoniæ Ducatu*, cujus caput *Wittenberga* est, præterea *Burggraviatum Magdeburgensem*, *Misniam atque oppida metallica* missa facere, & *Albertinæ lineæ* cedere ingratiis coactus est. 22. *Burg-*

22. *Burggraviatus Magdeburgensis* mentio hortari me videtur, ut quæ ejus sint jura, quáve via ad familiam pervenerit, paucis percurram. Institutus is est, *Lehmanno* teste, ab Ottone I. Imp. ac *Hermanno Stubekeshorn Billingio* dicto, Equestris ordinis Viro, sed ob egregia merita in splendidissimam fortunam evecto, collatus; à cujus posteris ad Ascanios eum transtulit Rudolphus I. Imp. & suo è filia Agnete nepoti Rudolpho Electori tribuit. Continebat verò Burggraviatus *jus judiciorum capitalium, in Archiepiscopatu, Hallensi præcipuè civitate & salinis Saxonicis*, fundatusque erat in *quatuor dynastiis* sive præfecturis, quarum nomina hæc sunt: *Gommern, Rauis, Elbenauu & Gottauu*, quæ feudi nomine ab ipso Imperatore cum Burggraviatus titulo conferri solebant. Cæterùm qua tempestate cum Saxoniæ Electoratu ad *Fridericum Misniæ Marchionem* per investituram Sigismundi Imp. transiit; inane erat nomen, jura obliterata, præfecturæ pignori oppositæ ob XXII. aureorum millia, quæ Magdeburgensis civitas *Alberto*, ultimo Ascaniæ stirpis Electori, numeraverat. Tentarunt quidem *Fridericus II. Placidus* ejusque frater *Wilhelmus*, eas vi aut minis Magdeburgenfibus extorquere; sed interveniente Archiepiscopo, aliqua pecuniæ summa accepta, civitati jus hypothecarium con-

Chron. Spir. lib. 5. cap. 5.

firmarunt. Inde *Fridericus Sapiens* Elector animum ad eas redimendas adjecit, sed cum de moneta lis oriretur, per arbitros res iterum composita, pignusque urbi relictum est. Demum An. 1538. *Johannes Fridericus Elector*, post longas tractationes, pecunia soluta, præfecturas recepit, titulumque *Burggravij Magdeburgensis* instauravit: verùm mox controversiam de ejus juribus in salinis & urbe Magdeburgensi ei movit *Albertus* Cardinalis & Archiepiscopus; cui vel ex æquo & bono, vel per sententiam dirimendæ, cum Principes familiæ Saxonicæ, Brandeburgicæ & Hassiacæ hæreditario fœdere juncti, tanquam arbitri sese Servesti accinxissent, elusit eorum conatus *Albertus* Præsul; & literas à Carolo V. impetratas, quibus negotii hujus tractatio, utpote de feudo Imperiali, ad Imperatorem revocabatur, exhiberi curavit. Post Alberti Archiep. obitum, *Mauritius* Electoratu, dein ipsa etiam urbe Magdeburgensi, quam Cæsar proscripserat, potitus, jura illa sibi denuo vindicavit; quin & urbis dominium cum Electore Brandeburgico & Archiepiscopo partitus est. Tandem verò Augustus An. 1579. ita cum *Joachimo Friderico Archiep.* transegit, ut *de juribus Burggraviatus ratione judiciorum, omnique in civitatem jure prorsus decederet, sibi verò posterisque* titulum Burggravii, ejus insignia atque

Chytraus Chron. Sax. pag. 435.

atque annexas præfecturas *retineret*, *eaque* lege beneficiaria *ab Imperatore acciperet*. Hoc demum seculo *Joh. Georgius* I. Elector per Pacificationem Pragensem & Osnabruggensem, *quatuor aliis præfecturis, è Magdeburgensi diœcesi exemptis*, quarum nomina in proclivi sunt: *Dam, Querfurt, Burg & Juterbock* auctus est.

23. Jam ad reliquas ditiones, quæ post Electoratum in Albertinam lineam translatum, accesserunt, progredienti, primo loco se offerunt quatuor nobiliora *Voitlandiæ* oppida: *Voigtsberg, Oelsniz, Plauen & Plauſſa*, quæ *Augustus* Elector ab *Heinrico Juniore Burggravio Misnensi & Comite in Hartenstein* Anno 1566. pretio sibi paravit. Successit *portio Hennebergici Comitatus*, qui cum *Georgius Ernestus* 1583. vitam & totam masculam Hennebergensium progeniem clausisset, ad Saxones & Hassos, è veteri pacto gentilitio delatus est. Postremum incrementum Electoribus Saxoniæ patrum demum memoria addidit *Lusatia*: eam quidem antiquitus ad Misniæ Marchiones pertinuisse, *Orientalemque Marchiam* dictam, primumque Dedonem ab Heinrico III. Imp. eam obtinuisse, ex historiarum monumentis constat. Sed *superiorem ejus partem* in Austrum excurrentem & Bohemiam versus spectantem *Dedonis* filio præripuit *Heinricus IV.* *Schurzfl. diss. de Lusatia.*

Imp. Anno 1086. & *Vratislao Duci Bohemiæ* tradidit. *Ottocarus* deinde Rex Bohemiæ eam Marchionibus Brandeburgensibus sive dotis loco, cum ejus sororem *Beatricem Ottoni* elocaret, sive pignoratitio titulo contulit; verùm extincta Brandeburgensium stirpe Ludovicus IV. Imp. *Budissinam Marchiam* Johanni Bohemiæ Regi restituit, qui *Görlicensem* etiam Misniæ Marchionibus oppignoratam, *Friderico Gravi*, ob repudium filiæ suæ Johannæ missum, armis ademit. Haud dissimili fato *inferior Lusatia*, quam *Valdemarus* Brandeburgicus *Friderico Admorso* Misniæ Marchioni eripuerat, ipso absque liberis mortuo *Johanni Boh: Regi* est attributa. Hoc denique seculo utraque ad pristinos reversa est Dominos, cum eam Ferdinandus II. Imp. *Johanni Georgio I.* Electori titulo satisfactionis impensarum in bellum Bohemicum factarum, ex pacto pacis Pragensis An. 1635. initæ, cessisset, & *jure perpetui ac sempiterni dominij sub* sui tanquam *Regis Bohemiæ clientela* obtinendam contulisset.

24. Recensitis ita *generatim* ditionibus, quæ penes Electoralem lineam sunt, nunc paucis *earum inter Electorem ejusque consanguineos partitio* commemoranda est: Ista verò nititur *tabulis supremis, à Johanne Georgio I. Electore scriptis;* quibus provincias inter

ter quatuor filios, quos reliquit, hoc modo dispertivit: *Johanni Georgio* primogenito, cui vi aureæ Bullæ debebatur Electoratus successio, assignavit juxta cum *Electorali Saxoniæ & Burggraviatus Magdeburgensis ditione, districtum Misnicum, Lipsiensem & metalliferum* (den Chur-Meißnischen/Leipzigischen und Ertzgebürgischen Craiß) præterea *Lusatiam superiorem, nec non jus in Abbatiam Quedlinburgensem, cum omnibus fructibus appertinentiisq;*; porro supellectilem pretiosiorem, ac præcipua mobilia, armamentaria, bibliothecas, pinacothecas, domus venatorias & metallifodinas; sed cum onere, ut hæc omnia decoro in statu conservet augeatque, ut debita Cameralia exsolvat, sorores fratrumque filias singulas dote 12000. Imperialium instruat. *Augusto* secundogenito, qui Misnensem Episcopatum fratri majori natu cesserat, legavit *quatuor præfecturas, Magdeburgensi diœcesi* per Instrumentum Pacis *exemptas*, præterea *oppida ac castra Thuringica* cum aliis, utpote: *Sachsenburg, Eckersberg, Weisensee, Freiburgk, Sangerhausen, Langensalz, Nebra, Sattichenbach, Heldrungen, Wendelstein & Weissenfels. Christiano* attribuit, præter *Episcopatum Martisburgensem Lusatiam inferiorem, Dobrilung, Finsterwald, Bitterfeld, Delitzsch & Zörbich. Mauritio* denique præter *Naumburgensem diœcesin* legavit *dynastias*

Tau-

Tautenberg, *Frauenprising*, *Niederwebern*, *Voigtsberg*, *Plauen*, *Pausen*, *Tribitz*, *Arnshag*, *Weida*, *Ziegeruck* ac *Electoralem portionem Comitatus Hennebergici*, Atque secundùm hanc Johannis Georgii I. dispositionem provinciæ etiam nunc sunt dispertitæ, tenetque modernus Elector ea omnia, quæ parenti avus assignaverat; & *Dresda*, quæ Misniæ metropolis est ad Albim sita, regiam habet magnificentissimam, omnibusq; cimeliis, quæ vel natura, vel ejus imitatrix ars effinxit aut effingere potis est, refertam. Augusti filii, postquam Halla in Brandeburgici Electoris, vigore Instrumenti Pacis, ditionem concessit, *Weissenfelsæ ad Salam*, ubi splendidam arcem magnis sumptibus Augustus exstruxerat, sedem fixerunt. Christianus *Merseburgi ad Salam*, Mauritii filii *Citicæ ad Elsterum* domicilia habent. De *jure superioritatis*, qua unumquemque in sua ditione gaudere Joh. Georgius I. voluit, controversiam patruo patruelibusque movit modernus Elector, cum gubernacula suscepisset; jussitque ut universa omnis Saxoniæ Nobilitas immediatis instructa bonis (*Schrifftsassij* vocabulo recepto vocantur, h. e. die so auf schrifftlichen Befehl und Bericht sitzen / *qui Principem tantùm, & judicium aulicum aut Cancellariam agnoscunt: neque Præfectorum cognitioni subjiciuntur,*) directò à se non à consanguineis licet eorum ditio-

Besold. Thes. Pr. aucto p. 875.

ditione comprehensa, dependeret, & investiturarum renovationem peteret, sibique homagium præstaret, provocando ad testamentariam Alberti Animosi constitutionem; neque hæc res transacta adhuc est.

25. Superest, ut de *Merseburgensi & Naumburgensi Episcopatibus* pauca subjiciam: utrumque ab Ottone I. Imp. institutum, & *posteriorem* quidem *Citicæ* primò, postea *Naumburgum ad Salam* translatum; in familiam perduxit Augustus Elector, eorumque administrationem in posteros, consentientibus Canonicorum collegiis, transmisit; inter quos *Joh. Georgius* binis filiis eam, uti dictum est, assignavit; & à Capitulis impetravit, ut illa in perpetuum penes filios eorumque hæredes masculos permaneret. De *Mansfeldica sequestratione* ac jure Electoris in *Quedlinburgensem Abbatiam* alio loco verba facere constitui. Id verò non omittendum autumo, obtinere Electorem Saxoniæ *Directorium in circulo Saxonico* superiore.

CAP. VIII.

DE ELECTORE BRANDENBURGICO.

PRoximus à Saxoniæ Duce inter Electores est *Brandenburgi Marchio*, qui S.R. Imp. *Archicamerarius* audit, atque ex constitu-

A. B. cap. 22. stitutione Aureæ Bullæ *in processionibus Imperialibus sceptrum Cæsari præfert, consistens à latere sinistro Ducis Saxoniæ: in sollemni verò*

A. B. c. 27. *curia equo, uti cæteri Electores, vectus, manu gestat argenteam pelvim cum manutergio, & ab equo descendens, aquam Imperatori vel Regi Romanorum manibus abluendis ministrat.* In electione sexto loco suffragium dicit. *Vicarios* sive *Subofficiales* in Archicamerarii munere habet *Principes ab Hohenzollern*, qui S. R. Imp. Camerarii hæreditarii appellantur, & ab eadem, qua Electores Brandenburgici stirpe descendunt; in quam quidem Marchia cum Septemvirali dignitate sub initium seculi XV. translata est, beneficio Sigismundi Imp. qui eam inde ab An. 1322. quo Johannes IV. ex Ascaniis ultimus Elector Brandenburgicus nulla prole relicta è vita migravit, inter varios & incertos dominos pervagatam, à Wilhelmo Misniæ Marchione, cui à Moraviæ Marchionibus arrhaboni relicta erat, redemit, & fidei ac curatelæ *Friderici Burggravij Norimbergensis* commisit; eidemque deinceps, ob præclara merita, & sumptus in administrationem factos, tum *Marchiam*, tum *Electoralem dignitatem cum annexo Archicamerarij officio, jure hæreditario possidendam*, pretio 400. mille florenorum tradidit, atque An. 1417. in concilio Constantiensi, impetrato reli-

reliquorum Electorum assensu, sollemni investitura confirmavit. Ab isto decimus est ordine, qui in præsenti illo decore fulget, nempe Serenissimus.

FRIDERICUS GUILIELMUS *Marchio Brandenburgi, S. R. Imp. Archicamerarius & Elector, Magdeburgi, Prussiæ, Iuliaci, Cliviæ, Montium, Stetini, Pomeraniæ, Cassubiæ, Vandaliæ, nec non in Silesia Crosnæ & Iegerndorffi Dux, Burggravius Norimbergæ, Princeps Halberstadij, Mindæ & Camini, Comes Marcæ & Ravensbergæ, Dominus Ravensteinij, Lauenburgi & Bytovij, &c.*

2. Susceptus est in lucem d. 6. Febr. An. 1620. à Parentibus Eminentissimis *Georgio Wilhelmo* Electore d. 21. Nov. 1640. mortuo, & *Elisabetha Carola Palatina* d. 16. Apr. 1660. defuncta. Post fata patris, cùm jam ipsius ætas sustinendo regimini sufficeret, gubernacula statim capessivit, atque Anno 1646. d. 7. Decembr. in Batavia *primas nuptias* celebravit cum *Luisa Heinrietta Nassovia, Heinrici Friderici Principis Arausionensis & Amaliæ C. Solmensis* filia, quæ postquam pulchra prole parentem cum feciſſet, vitam cum morte commutavit d. 18. Jun. An. 1667. Itaque anno sequenti ad *secunda vota* transiit, ducendo in matrimonium

d. 13.

d. 13. Jun. *Dorotheam Philippo Holsatiæ Ducè in Glüksburg* genitam, *Christiani Ludovici D. Brunsuic. & Lunæb.* viduam, quæ confessioni mariti protinus accessit, & aliquot liberis familiam auxit.

3. Sobolis, è *priore thoro* susceptæ hæc est series:

I. *Wilhelmus Heinricus*, n. *Cliviæ* d. 11. Maji 1648. † *Vesaliæ* d. 20. Oct. 1649.

II. *Carolus Æmilius*, n. *Coloniæ ad Sprevam* d. 6. Febr. 1655. qui cum ad ingentes, de se spes omnium animos erexisset, paternæ expeditionis in Alsatiam adversus Gallos comes, *Argentorati* maligna febri correptus, d. 22. Nov. 1674. animam efflavit.

III. *Fridericus*, n. Regiomonti d. 1. Jul. 1657. *Successionis Electoralis hæres*; literis non minùs quàm armis probè excultus; & horum quidem tyrocinium sub paterna manuductione, ultimo adversus Suecos bello fecit. Coivit *connubio Potsdami* d. 23. Aug. 1679. cum *Elisabetha Heinrica* amitina sua, filia *Wilhelmi Landgravij Hassiæ*, ex *Hedvvige Sophia Brandenburgica* progenita, filiamque ex ea hactenus sustulit: *Luisam Dorotheam Sophiam*, n. d. 19. Sept. 1680.

IV. & V. *Heinricus* & *Amalia*, gemelli, nati d. 9. Nov. 1664. denati, ille, septima, à nativitate luce, hæc d. 22. Jan. 1665.

VI.

VI. *Ludovicus* n. 28. Jun. 1666. multis magnanimæ indolis documentis in obsidione Sretinensi editis inclutus. *Desponsavit* sibi *Regiomonti* d. 20. Dec. 1680. *Luisam Carolam, Bogislai Pr, Radzivilij, D. Birzarum, Dubinskorum, Sluccia ac Copili*, & *Annæ Mariæ* eadem stirpe prognatæ filiam unicam & *magnarum ditionum in Lithuania hæredem*, eamque anni sequentis septima Januarii die, eadem in urbe, sollemni nuptu duxit.

4. E *posteriore thalamo* natorum hic est syllabus:

I. *Philippus Guilielmus* n. d. 19. Maji 1669.
II. *Maria Æmilia* n. 16. Nov. 1670.
III. *Albertus Fridericus* n. 14. Jan. 1672.
IV. *Carolus Philippus* n. 26. Dec. 1672.
V. *Elisabetha Sophia* n. 26. Mart. 1674.
VI. *Dorothea* n. 27. Maji 1675. † 1. Sept. 1676.
VII. *Christianus Ludovicus* n. 24. Maji 1677.

5. *Frater* Serenissimo Electori *nullus* est; è *sororibus* altera *Luisa Charlotta*, Jacobo *Curlandiæ Duci* nupta, supremum diem obiit An. 1676. d. 29. Aug. altera *Hedvvigis Sophia* Guilielmi *Landgravij Hassiæ* vidua, etiamnum in vivis est: Agnatos habet, sed septimo gradu remotos, de quibus inferiùs.

Spen. Op. Her. lib. 1. c. 11.

6. *Scutum*, quo utitur, quatuor lineis transversis in quinque regiones dividitur, quarum ultima unam, secunda quinque, reliquæ septem areas complectuntur, ut universim XXVII. laterculi numerentur. Primus & secundus Bergensis & Juliacensis Ducatus δήγματα *superiore capite, in Saxonico clypeo delineata*, continet. Tertius *argenteus aquilam nigram exhibet, cujus alæ semicirculis aureis trifoliatis & pectus litera S. itidem aurata, onerata, tum collo inserta corona ejusdem metalli conspicitur*, Prussiæ symbolum. Quartus *itidem argenteus aquilam explicatam rubeam deferens, cujus alæ similibus semicirculis in trifolia desinentibus distinguuntur, quæ* tessera *est* Marchiæ Brandenburgensis. Quintus *transversim sectus, superiore parte rubens, inferiore argento fulgens* Magdeburgensem Ducatum *denotat*. Sextus Cliviæ Ducatus *insignia exhibet*. Septimus *aureus deferens leonem nigrum, corona, lingua & falculis rubeis, margine ex minio & argento tessellato*, Burggraviatum Norimbergensem *designat*. Octavus, *qui* secundam regionem *inchoat, aureus est, & gryphum nigrum continet* Cassubiæ emblema. Nonus *cæruleus gryphum coronatũ rubeum unguibus aureis defert*, Stetinensis Ducatus tesseram. Decimi *locum parmula* Electorale δήγμα *exhibens, implet, estque illud sceptrum aureum in campo cæruleo.*

Un-

Undecimus *argenteus gryphum coccineum, rostro & cruribus aureis refert*, Pomeraniæ symbolum. Duodecimus *argenteus cum grypho, rubeis & prasinis taniis distinctio* Vandaliam *notat.* Decimus tertius, *à quo* tertia regio *incipit*, Marcani Comitatus *fasciam tessellatam repræsentat.* Quartus & decimus *ad perpendiculum sectus, hinc argento, isthinc minio tinctus* Halberstadiensem Principatum *notat.* Quintus & decimus, *aquilam nigram deferens, cujus pectori luna crescens & crucicula argentea inscripta*, Crosnensem Ducatum *designat.* Sextus & decimus *iterum argenteus, in quo gryphus obliquis ductibus viridibus & rubeis variegatus*, Stargardiam *significat.* Septimus & decimus *argenteus aquilam nigram continet, cujus pectori impressum cornu venatorium argenteum*, Jegerndorffense δεῖγμα. Octavus & Decimus *rubeus, duas claves argenteas decussatim locatas continens*, Mindensem Principatum *indicat.* Nonus & decimus *cantherios* Ravensbergicos *exhibet.* Vicesimus, qui *primus est* quartæ regionis, *quadripartitus est, 1. & 4. argento 2. & 3. nigro colore infectis, qua* tessera Zollerana *est.* Primus à vicesimo *transversim sectus, superiore parte coccinea gryphum exorientem argenteum continet, inferiore quintuplici ordine tessellarum cærulearum & aurearum repletur*, & Usedomium Comitatum *denotat*, Secundus &

vicesimus *coccineus gryphum argenteum, cujus extrema in piscis vel draconis caudam desinunt, repræsentat; quod* Symbolum Wolgastense *est.* Tertius & vicesimus *rubeus crucem argenteam continet* Caminensis Principatus *emblema.* Quartus post vicesimum *aureus gryphum nigrum deferens alis argenteis,* Barticum Principatum *innuit.* Quintus & vicesimus *aureus ramos duos detruncatos coccineos in decussim trajectos, interpositis quatuor rosis rubentibus exhibet,* Guzkoviani Comitatus *insignia.* Sextus à vicesimo *rubeus, aquilam argenteam lingua & unguibus auratis continens,* Rupinensem Comitatum *designat.* Extremus *denique, qui omnem ultimam regionem tanquam scuti cuspidem implet, rubet &* regalium *index est.*

7. *Huic scuto* galeæ novem *impositæ sunt, è quarum duabus extremis Viri silvestres, qui truncos manu tenent, &* telamonum *loco clypeum stipant, prospiciunt. Prima* Stetinensis, *Ducali mitra ornata est, cui impositus alius Orientalis pileolus, acuminatus, argenteus, in auream sphæram desinens, ac pavoninis pennis fastigiatus. Secunda* Bergensis. *Tertia* Juliacensis *est superiore capite adumbratæ. Quartæ coronatæ pelicanus insidet argenteus, pectoris vulnere pullos refocillans, designando* Magdeburgensi Ducatui. *Media* Brandenburgica *coronata sustinet jugum alarum cærulearum, quarum quævis sceptro aureo insignis est. Sexta* Prussica *aquilam scutariam fert. Septima*

Cli-

Clivensis est. *Octavam* Burggraviatus Norimbergensis *indicem, tegit mitra Ducalis rubea, & super illam inter cornua duo, alternis ex argento & minio segmentis variegata, leo exsurgens cum corona rubea niger. Extrema* Pomeranica *iterum mitra Ducali tegitur, cui corona aurea inseritur, & pro apice caudam pavoninam habet.*

8. Elector Brandenburgicus potentia, ditionum amplitudine, atque aulæ splendore omnes Imperii Principes facilè antecellit; prudentia quoque, qua civili, qua militari, præterea animi magnitudine ac rerum gestarum gloria nulli secundus est. Inter *provincias*, quæ ejus jurisdictionem suspiciunt, primus locus meritò tribuitur *Marchiæ Brandenburgicæ*, quæ circa *Albim*, *Viadrum & Havalim* fluvios extenditur, in limitibus Germaniæ adversus Slavicas gentes ab Heinrico Aucupe olim constituta: sub ea nunc comprehenditur *Nova Marchia*, quondam partim Regibus Poloniæ, & ex eis ortis Silesiæ Ducib[9], partim Ducibus Pomeraniæ subjecta. Et *Ducatū* quidem *Lubussensem*, cum ejus territorio, Boleslaus Heinrici D. Uratislavienſis F. Marchionib[9] Brandenburgicis circa finem seculi XII. vendidit. Postea Otto Longus Marchio, interfecto per insidias Premislao R. Poloniæ *Præposituram Sancensem*, cujus ordinaria jurisdictio inter *Viadrum*, *Dravam*, *Vartam & Notessum* amnes erat, occupavit; Po-

Hartknoch. Rep. Polon. l. 1. c. 5.

Pomeranorum verò loca Johannes I. Marchio, bello Ducibus illato, subegit, deinde verò etiam dotis nomine accepit, è quibus omnibus conflata est regio, *Nova Marchia* appellata. Regia Electoralis *Berolini* est, nobili civitate *ad Spream* amnem, in *media Marchia*, ceu vocant, sita; ubi, uti & in reliquis ad Electoratum pertinentibus locis Electoris absentis vices in præsenti obit *Johannes Georgius Princeps Anhaltinus Dessavienſis.*

9. Sequitur *Prussia*, & quidem illa pars, quam *Ducalem* vocant, quæq; ano supra milleſimum & quingenteſimum quinto ac viceſimo lege beneficiaria ad Marchiones Brandenburgicos pervenit; inter quos primus fuit *Albertus* Onolsbacenſi domo ortus, qui novam Ducis Prussiæ dignitatem familiæ intulit: Is enim, postquam in Supremum Magistrum Teutonici Ordinis, ad quem Prussia pertinebat, cooptatus esset, neque in Poloniæ Regis verba jurare vellet, bellum ortum est, eo eventu gestum, ut Albertus, Comite Eusenburgio rem infeliciter ad Dantiscum & Elbingam agente, speratis frustra à Cæsare, aliis turbis distracto, auxiliis, his conditionibus cum Sigismundo Rege transigeret, quo Prussia, in quantum Ordini subjecta fuerat, in ditionem regni Polonici redigeretur; à quo ipse eam *lege beneficiaria* possi-

Sleid. de St. Rel. & Reip. in fine lib. 5. Hartk. diss. de reb. Pruss. 19. §. 24

possidendam vicissim reciperet, ac jure hæreditario innixam ad filios posterosque transmitteret; aut si hi defuturi essent, successio ad ipsius fratres devolveretur. Cum itaque Alberto mortuo, ejus filius *Albertus Fridericus* Sigismundo Augusto Regi Lublini in conventu generali Ordinum Anno 1569. homagium præstaret, agnati quoque ejus, præcipuè *Joachimus Elector*, in societatem investituræ admissi sunt; cujus vigore Alberto Friderico An. 1618. mortuo, nulloque ex ejus linea mare superstite, *Iohannes Sigismundus Elector* pro se & fratribus *novam infeudationem* impetravit, cujus postea per *pacta Bidgostiensia* reliqui etiam Marchiones lineæ Franconicæ participes facti sunt. Ab isto igitur tempore Prussiæ Ducatus feudum fuit Poloniæ, donec An. 1657. modernus inclutissimus Elector *transactione Velaviæ* cum Rege Regnoque Polonico *inita*, cui Leopoldus Imp. sua per legatum Baronem Lisolam interposita auctoritate, magnum pondus addidit, *supremum ejus imperium* obtinuit, hoc jure atque titulo *pro se & omnibus maribus, quotquot* deinceps *è stirpe Electoris recta serie descendent*, separatim à Germaniæ rationibus, retinendum; *exceptis* tantum *præfecturis Butovienſi & Lauenburgenſi*, quas deinceps quoque Elector ejusque hæredes *jure clientelari* possidebunt; si verò Electoralis

Schurzfl. annot. ad res Pruſſ.

propago deficeret, ſtatutum mutuo conſenſu, ut Pruſſia priſtinam conditionem reciperet, atque poſtliminio *jure ſaltem clientelari* ad reliquos Marchiones, primò quidem domus Culmbacenſis ſive Barythinæ, & hac extincta Onolspacenſis, rediret. *Lauenburgum & Butoviam*, quorum mentio facta eſt, tenuerant olim Pomeraniæ Duces; ſed tanquam feudum Regni Poloniæ: hinc extincta An. 1637. Ducum ſtirpe ad Polonos redierunt, tandemque 1658. moderno Electori eadem lege beneficii conceſſæ ſunt, quod & ipſe per *Johannem L. B. ab Hoverbecke* Conſiliarium ſuum An. 1670. d. 5. Jul. recognovit. Inaudita verò fuit audacia *Chriſtiani Ludovici Kalckſteinii*, Viri bello quidem ſtrenui, ſed animo ferocis & varii in omni genere vitæ; qui neſcio quibus irarum ſtimulis percitus, in conventu Varſavienſi, quem Regni Polonici Ordines An. 1670. poſt Johannis Caſimiri Regis abdicationem agitaverant, manibus pedibusque obnixè omnia fecit, ut Electori Principi ſuo incommodaret; & per querelas, ementito omnium Pruſſiæ Ordinum nomine delatas, Polonis perſuaſit, ut à novo Rege pacta Velavienſia reſcindi poſtularent. Sed mali ſemina intra initium extincta ſunt, comprehenſo aſtu legati Electoralis Varſaviæ tum agentis, turbone illo, & Regiomontum abducto, ubi malè conſultorum pœnas capite exſolvit. 10. Ad-

Martin. Rer. Polon. l. 1. c. 6.

10. Administratur *Prussiæ Ducatus* hac ætate per *Gubernatorem*, & *Supremos Consiliarios;* illius, quem *Producem* (den Stadthalter) etiam vocant, munus sustinet: *Ernestus Bogislaus, Croji & Arschotti Dux &c. Neogardiæ & Masoviæ Princeps.* Horum quatuor sunt, solentque vernaculo vocabulo appellari, die Obern-Regiments-Räthe/ & gaudent supremis officiis quatuor: Primus est *Supremus Aulæ Provincialis Magister* (der Landhoffmeister) obitque hoc munus *Johannes Ernestus a Wallenrod*, Vir gravis, & multarum rerum usum habens, cujus multa domi forisque vel provisa prudenter, vel acta fortiter, vel dicta acutè feruntur: propterea quasi cognomen jam habet sapientis & εὐβαιοδήμου ἐμψύχου. Proximus ab illo est *Burggravius Supremus: Johannes Albertus à Kalrein*, *Hæreditarius Dominus in Lindenau.* Hunc excipit *Cancellarius: Johannes Dietericus à Tettau*, *Hæreditarius Dominus in Witten*, &c. qui etiam *feudorum Directorium* tenet & *præses* est *Supremi Tribunalis.* Quartus denique est *Mareschallus Supremus: Ahasuerus à Lehnsdorf*, *Hæreditarius Dominus in Stenhof*, &c. Eques Ordinis Johannitici.

11. Hos sequuntur *Consiliarij Terrestres sive Provinciales* (die Land-Räthe/) quorum priores quatuor perpetuò conjunctos habent *Capitaneatus primarios*, qui vocantur die Haupt-Aemter/ suntque

I. Capitaneus Brandenburgensis, qui dicitur *Director sive Marescallus Provinciæ* (Land-Marschall) is est hodie *Salomon à Kanitz, Hæred. Dn. in Krafftshagen.*

II. Capitaneus Brandenburgensis sive Advocatus Schakensis/ (Landvogt von Schacken) *Georgius Christophorus Finck à Finckenstein, Hæred. Dn. in Linckehnen.*

III. Capitaneus Fischhusensis, *Georgius Wilhelmus de Kreyzn, Hæred. Dn. in Wolshöven.*

IV. Capitaneus Tapiavensis: *Christophorus à Schlieben, Cubicularius Electoralis, Hæred. Dn. in Wandlacken.*

12. His alii *octo* additi sunt *Consiliarij Provinciales* è Nobilitate Prussiæ lecti. Istos ordine subsequuntur *Supremi Tribunalis* (An. 1657. instituti) *Assessores*, cujus Præses unus est ex Consiliariis supremis, uti è supra dictis apparet. *Assessores* sunt *octo*, in quibus quinque ex Equestri, & tres ex civium ordine: Proximi sunt *Judicij Aulici Assessores*, quorum *Præses* dicitur *Judex Aulicus* (der Hoffrichter) quod munus nunc gerit: *Melchior Ernestus à Kreyzn, Hæred. Dn. in Kapsitten.* Post illos censentur *Capitanei* quorum plerique Commendatoribus antiquis sunt substituti: dividitur autem Prussia in *tres circulos: Sambiensem, Natangensem & Oberlandensem.* Primus novem, alter tre-

tredecim, tertius undecim Capitaneos comprehendit, uti tradit *Hartknochius diß. de reb. Pruß. ult.* è qua ista, excepta nomenclatione, quam *Clarissimo apud Regiomontanos Professori* in acceptis fero, desumpta sunt.

13. Satis diu nos morata est Prussia, properandum ad *Pomeraniam*, cujus *regio ulterior* itidem Electori Brandenburgico hodie paret. Ad universæ quidem Pomeraniæ successionem vocabantur Brandenburgici, cùm An. 1637. Bogislaus XIV. Dux Pomeraniæ ultimus vitam familiamque clausisset; jure nimirum *pacti hæreditarij, inter Ludovicum Electorem Brandenburgicum & Barnimum Pomeraniæ Ducem*, pridem Anno scilicet 1338. de successione mutua initi, & sequenti seculo *Friderico II. Electori*, autoritate Friderici III. Cæsaris corroborati. Verùm flagrante ea tempestate bello, ut possessionem Ducatus adirent impediti, demum amore pacis, quæ Osnabrugi Germanos inter & Suecos pangebatur, de jure suo aliquatenus decesserunt ac passi sunt, ut traderetur coronæ Suevicæ omnis Pomerania citerior (Vor-Pommern) unà cum insula Rugia, adhæc ex ulteriori Pomerania Stetinum, Garz, Dam, Golnau & insula Wollin, unà cum interlabente Odera & mari, quod vulgò das frische Haff vocant, suisque tribus ostiis, *Pein*, *Schwiene* & *Dievenow*.

Instr. pacis Osnabr. §. 10.

venau atque adjacente utrinque terra; *servata sibi* tantùm *reliqua Pomerania ulteriore, & Colberga cum toto Episcopatu Caminensi*, cujus quidem Episcopatus ratione peculiare votum in modernis comitiis Elector prætendit & An. 1669. d. 20. Mart. obtinuit. His nupera *pace Neomagensi* accessére omnia *loca trans Viadrum sita*, quæ Suecis vel per dictam pacificationem Osnabrugensem vel Stetinensem transactionem concessa sunt, *exceptis* duobus *oppidis Dam & Golnau*; è quibus tamen hoc etiam arrhaboni Electori relictum est, usque dum Sueci summam quinquaginta mille imperialium ipsi sint exsoluturi. *Producis* munere *in Pomerania ulteriore* hodie fungitur *Fridericus Landgravius Hassiæ in Homburg.*

14. Cæterum *pro æquivalente recompensatione* citerioris Pomeraniæ acceperunt Brandenburgici *tres Episcopatus* seculi jure donatos, *Magdeburgensem*, *Halberstadiensem & Mindanum*, cum omnibus Regalibus atque appertinentiis, *in perpetuum & immediatum feudum.* Magdeburgensis Archiepiscopatus, jam indè ab initio superioris seculi usquead patrum nostrorum memoriam, *Antistites è Brandenburgensi familia* sibi petere consueverat: *Alberto* enim, qui primus ex hac gente An. 1513. in Archiepiscopum Magdeburgensem cooptatus est, & postea Mo-

Moguntinensi etiam Ecclesiæ præfici, nec non galero Cardinalitio decorari meruit succellére ex hac gente serie unquam interrupta : *Johannes Albertus*, *Fridericus Sigismundus*, *Joachimus Fridericus* & *Christianus Wilhelmus*. Ex his *Ioachimus Fridericus*, antiquatis jam dum ab Antecessoribus in diœcesi Pontificiis ritibus, matrimonium contraxit, è consensu tamen Canonicorum, hinc nihilominus Archiepiscopatus administrationem, dum viveret, tenuit; imò ad filium etiam *Christianum Wilhelmum* transmisit, indignè quidem id ferente Pio V. Papa, & nihil non movente, ut ei hanc dignitatem abrogaret; sollicitato frustrà Maximiliano Imp. qui cum videret, id faciliùs Romæ decerni, quàm tuto in Germania exe- *Thuan.* cutioni demandari, re in longum extracta, *hist. lib. 45.* vota & intempestivas Pontificis preces prudenter elusit; notante gravissimo historiarum sui temporis scriptore *Thuano*. *Christianus Wilhelmus* Archidiœcesi præfuit usque ad annum 1618. quo ob Danicorum armorum societatem à Cæsare proscriptus, & à Canonicis in ejus locum postulatus est *Augustus Dux Saxoniæ*, Johannis Georgii Electoris F. indignante Cæsare, qui hanc dignitatem filio *Leopoldo Guilielmo* destinaverat, Pontificisque assensum facilè impetraverat; unde dissidiorum semina orta, quæ subinde aucta,

pace

pace Pragensi sopita sunt, Archiepiscopatu Augusto relicto. *Osnabrugensi* verò *pacificatione*, Brandenburgicæ domui expectantia in eum est concessa, ita, ut quandocunque eundem vel morte Augusti Saxonis, vel quavis alia via vacare contigerit, tota diœcesis cum omnibus pertinentiis & territoriis, regalibus & juribus, Electori suisque posteris & successoribus, hæredibus & agnatis masculis, traderetur & conferretur in feudum perpetuum &c. Quoniam verò quatuor præfecturæ diœcesi exemptæ & Electori Saxoniæ concessæ fuerant, compensatæ illæ sunt Brandenburgensibus præfectura *Eglen*, quæ aliàs ad Capitulum spectabat, nec non *facultate quartam Canonicatuum Cathedralium partem*, decedentibus Canonicis *extinguendi*, eorumque reditus Cameræ Ducali applicandi. Verùm enim verò licet illa Archiepiscopatus Magdeburgensis metamorphosi, civitatis libertati nihil derogatum esse voluerit prædictum pacis instrumentum, quin potius expressis verbis pristinam immedietatem ei reservaverit; nihilo tamen secius Augustus Administrator eam infringere contendit, homagiumque sibi præstari postulavit: cumque illa renueret, & sub pacis Westphalicæ palladio satis se tutam crederet, tandem Elector Brandenburgicus intervenit, ac milite urbi ex improviso admoto, obsidio-

dionem minitatus est, nisi celeriter imperata facerent; sed cives malo tam inopinato perculsi satius esse duxerunt, in certas coire conditiones, quàm extrema pati, & d. 30. Maji An. 1666. *juramentum fidelitatis ac subjectionis* primò Augusto Saxoni Administratori, postea, sed in eventum tantùm Electori quoque Brandenburgico, conceptis verbis præstiterunt, atque Electorale præsidium receperunt. Ab hoc quindecim annorum spatium intercessit, cum, post Augusti ex hac vita discessum, Elector plenum urbis & diœceseos in Ducatum mutatæ imperium adiit & cives subditosque mense Jun. An. 1681. novo jurejurando in suam fidem astrinxit; *Augustum* autem *Holsatiæ Ducem* è linea Plœnensi in *Producis* munere, jam antea ipsi collato, confirmavit.

15. *Halberstadiensem & Mindanam diœcesin*, eodem titulo ac jure, quo Magdeburgensis, ad Electorem Brandenburgicum deveniisse, dictum est: id tantùm discriminis intererat, quod nihil loci expectantiæ instrumentum pacis hîc dederit, quemadmodum illic; sed ut in earum possessionem quietam ac realem statim à concluſa pace immitteretur, jusserit. Halberstadiensi Principatui annumeratæ sunt Dynastiæ *Lohr & Klettenberg*, quæ ad Comites Hohensteinenses quondam pertinuerant, atque eis extinctis

titu-

titulo caducitatis, Episcopatui applicatæ fuerant; eas Elector *Johanni Comiti de Sain & Witgenstein* in feudum contulit, cui etiam totius Principatus curatelam concessit, eique demortuo *Christianum Albertum Comitem de Dohna* substituit, qui An. 1677. obiens vacuum munus reliquit.

16. Est præterea in Celsissimi Electoris ditione *Ducatus Crosnensis* in Silesia, nunc novæ Marchiæ adjunctus, eum Heinricus II. Dux Glogovien-sis & Crosnensis conjugi suæ Barbaræ, quæ *Alberti* Electoris Brandenburgici filia erat, cùm sine liberis decederet, loco dotalitii legavit; sed bellum propterea Brandenburgensibus movit Johannes Dux Saganensis, quo cum succubuisset, Crosnam cum aliis oppidis dotalitio sive pignoratitio nomine Barbaræ reliquit; à qua ad fratrem ejusque posteros transmissum, demum 1588. *Ioachimus Elector II.* ab Imperatore Ferdinando pleno jure obtinuit.

17. *Jegerndorfensem* sive *Carnovium Ducatum* à Ludovico R. Ung. & Boh. *Georgio Marchioni* ex gratitudine ob fideliter administratam tutelam An. 1524. donatum, & ab ejus successore Ferdinando eidem sub feudi titulo relictum; postea à Georgii filio Georgio Friderico *ἀπάνω Ioachimo Friderico Electori* traditum, atque ab eo in filium *Iohannem Georgium* translatum, Ferdinandus

dus II. Imp. huic, sub prætextu feloniæ ademit, & *Liechtensteinio Principi* contulit; frustra hucusque ejus restitutionem urgentibus Brandenburgicis.

18. Supersunt *Clivia*, *Marca & Ravensberga* in Rhenano tractu sitæ, quas nunc itidem Brandenburgicus Elector inter ditiones numerat. Jus in eas, imò in universam Juliacensem hæreditatem familiæ natum est *ex matrimonio Alberti Friderici M. Brand. &* Ducis Prussiæ *cum Maria Eleonora, Wilhelmi Juliaci, Cliviæ & Montium Ducis filia;* quo inter *pacta dotalitia* constitutum est, ut *si masculæ Wilhelmi stirps in duobus*, quos tum habebat, *filiis deficeret, ditiones ad Mariam Eleonoram, tanquam primogenitam ex ejus filiabus, ex asse devolverentur; cæteris autem tribus filiabus ducenta millia florenorum in commune solverentur. Alberti Friderici* Prussiæ Ducis, masculæ prole destituti, filiam majorem natu, conjugio sibi junxit *Joh. Sigismundus* Elector Br. atque extincta Juliacensi masculæ stirpe An. 1609. in Johanne Wilhelmo, Mariæ Eleonoræ fratre, universam ejus hæreditatem, vigore pacti illius dotalitii, sibi vindicare conatus est. Sed plures eam competebant suis quisque titulis: *Saxoniæ Duces, Comites Palatini lineæ Neoburgicæ & Bipontinæ, Burgoviæ Marchio* ex Austriacis, nec non è *Marcanis Comitibus Bullionensis & Lumayana*

linea, denique *Nivernij Dux*; ex his tamen nonnulli litem deseruerunt; acerrimè omnium jus suum prosequente Palatino Neoburgico: comparabantur ab utraque parte favor & factio, & res aliquoties ad pactionem venit, nec una vice in bellum erupit, usque ad pacificationem Osnabrugensem, quâ, ne novis turbis controversia ista fomitem præberet, ad ordinarium processum vel amicabilem compositionem sepositа est: verùm An. 1666. Elector Brandenb. & Palatinus Neoburgicus, inscitis Saxonibus, transactione plenaria, salvo tamen jure tertii, provincias inter se partiti sunt, cessitque *Palatino* Juliacensis Ducatus cum Bergensi, *Electori* verò Cliviæ Ducatus cum Comitatibus Marca & Ravensberga: Ravensteinensis causa ad arbitros remissa est, quæ tamen nunc etiam dirempta, hæcque dynastia Palatino attributa fertur. Atque illarum provinciarum ratione novum sessionis & suffragii jus in circulo Westphalico obtinebit Elector, quam primum transactionem istam confirmationem effecerit Imperii approbatio; quod ne fiat, omni contentione obnituntur Saxones. Jamdum quidem *Westphalici circuli membrum* est Elector, ob Mindensem Principatum, ut & *Saxonici inferioris* ob Halberstadiensem Principatum, & Magdeburgensem Ducatum; cujus respectu *Directorium* hujus cir-

Instr. pac. §. 4. circa fin.

circuli unà cum Rege Sueciæ, tanquam Duce Bremensi, tenet; potissimùm verò ad *circulum Saxonicum superiorem*, ratione Marchiæ & Pomeraniæ refertur.

CAP. IX.

DE ELECTORE PALATINO.

A Brandenburgi Marchione ad *Comitem Palatinum Rheni* progredior, is olim secundum & proximum à Rege Bohemiæ locum inter Electores Seculares suo merito obtinuit, nunc verò, qui fortunæ ludus est, quo incertos honores transmutat, extremum occupat: ab illo videlicet tempore, quo *Fridericus V.* Elector Palatinus coronam Bohemicam à Proceribus ejus regni, vetus imperium fastidientibus, & novum Regem, novum statum, novam quærentibus Rempublicam, sibi delatam, uxoris regiæ suorumque stimulis accensus, acceptavit; anno autem sequenti, qui fuit seculi, quo agimus, vigesimus, d. 8. Nov. pugna decretoria, in conspectu urbis Pragæ, collatis cum Cæsareis Bavaricisque copiis signis, commissa victus, nec regno tantum, sed & paulò post avitis ditionibus exutus, à Ferdinando II. Imperatore proscriptus, atque Electorali digni-

tate mulctatus est. Inde quidem in pacis Westphalicæ pactis, pars avitarum possessionum, nempe, *inferior Palatinatus* ejus filio *Carolo Ludovico*, restitutus est, *superior* verò *cum Electoratu, in Bavaricam domum* transiit; instituto tamen in gratiam Palatinæ familiæ & publicæ tranquillitatis ergò, *octavo Electoratu*, sub *Archithesaurarij Imperij* titulo. Itaque septimo nunc loco in Electione Imperatoris votum dicit Palatinus, in processione sollemni coronam gestat: *in celebratione* verò *curiæ Imperialis equo vectus, missiles nummos in populum spargit*, atque in hujus muneris vices *Comites de Sinzendorf* ascivit. *Vicariatus* dignitatem, de qua ultimi interregni tempore controversiam Bavarum inter ac Palatinum ortam esse, supra dixi, tantum abest, ut iterum tangam, ut potius verba *Christophori Arnoldi*, Viri celebrati nominis, & inter eruditos Germaniæ facilè Principis (*è cujus studio doctrinaque ingentem non modò voluptatem, sed & utilitatem capio*) in consilium advocem, atque *enigma Oppiorum* me non intelligere, ultrò fatear.

In supplem. Hist. univ. Ruperti pag. 719.

2. Qui hodie inter Palatinos Electorali axiomate eminet, est Serenissimus

CAROLUS *Comes Palatinus Rheni, S. R. Imperij Elector & Archithesaurarius, Dux Bavariæ.* Princeps incomparabilis, cui

cui mirâ concordiâ, mirus concentus omnium laudum, omnisque gloriæ contigit: proceritas corporis, honor capitis & dignitas oris, animus sanctus, castus Deoque simillimus, ingenium artibus ingenuis viroque Principe dignis enutritum, adeo, ut si adhuc dubium fuisset, fortè casuque rectores, an aliquo Numine darentur, Principem tamen hunc liqueret divinitus constitutum. Auram vitalem primam hausit *Heidelbergæ*, anno hujus sæculi primo & quinquagesimo d. 31. Martii. *Parens* ei erat *Carolus Ludovicus Elector*, inter sapientissimos sui ævi Principes numerandus, qui An. 1680. d. 28. Aug. cum gravitate valeditudinis, qua per aliquot dies tentatus fuerat, levari visus, mutando aëri Manhemio Heidelbergam veheretur, in medio itineris, prope pagum Eclingen, novo symptomate correptus, animam sub dio exhalavit. *Mater Carola è Landgraviis Hassiæ lineæ Casselensis* orta, hodiedum in vivis est.

3. Agebat Celsissimus Elector in *Angliâ*, quo animi gratia, visendisque propinquis excurrerat, cum Inclutus Parens ad superos emigraret; atque memorabile hoc putabit posteritas, quod per *tres* singulos dies, *tripli*ci honore cumulatus est: *primâ* enim *die* in Oxoniensi Universitate *Doctoris* titulum, qui veteri exemplo atque instituto Principibus

literatis conferri solet, accepit; *altera*, per lato de Patris morte nuntio, *Electorem* sese vidit; *tertia* in Ordinem *Equitum Periscelidis* lectum se esse ab Angliæ Rege percepit. Quoniam autem viduatum domi regimen absentiam Principis haud ultrà ferebat, parva interposita mora, ad reditum se accinxit, & d. 25. Oct. salvus & incolumis ad penates reversus, magna omnium lætitia, supinis manibus exceptus est. Supremo in Parentem officio functus, antequam gubernacula attingeret, *supplicationes* decrevit: intelligebat enim ejus pietas *omnium rerum gerendarum initium à precationibus capiendum esse, nihilque ritè, nihil providenter homines sine Dei immortalis ope, consilio, honore auspicari*, ut *Plinij* quidem verba huc transferam. Postea subditis sacramento sibi obstrictis, primum principalium ejus operum fuit, *ærarij* curatio ac provisio, ut istud sanctè administraretur, redituumque & sumptuum computatio certa atque accurata iniretur; tum alia multa, quæ *boni Principis* argumenta sunt instituit; ut appareret, eandem ei mentem esse quæ *Hadriano* Imp. quondam fuit, qui audi-

Ælius Spart. Hadr. c. 8.

tus est dicere: *ita se Remp. gesturum, ut sciret rem populi esse, non propriam.* In negotiorum verò curarumque consortium assumpsit trigam virorum non sanguinis splendore minus, quàm prudentia & multo rerum usu

præ-

præstantium, nimirum: *Wolfgangum Theodoricum Comitem de Castell*, Aulæ Supremum Præfectum; *Heinricum Casimirum L. B. ab & in Steinkallenfels*, Aulæ Marescallum & Consilii bellici Præsidem; denique *Joh. Fridericum L. B. ab & in Stein*, Supremum Dicasterii Judicem & Cameræ Præsidem.

4. Induxit Serenissimus Elector penatibus, vivo adhuc Patre, anno scilicet 1671. d. 20. Sept. Regiæ stirpis *conjugem, Wilhelminam Ernestinam Friderici III. Daniæ Regis & Sophiæ Æmiliæ Ducissæ Brunsuic. & Luneburg.* filiam, quæ ut pulchra tandem prole familiam augeat, subditorumque vota ac suspiria impleat, faxit DEUS.

5. *Soror* Electori est unica: *Elisabetha Carola* d. 27. Maji An. 1652. nata, & *Philippo Aurelianensi Duci*, Regis Galliarum fratri An. 1671. d. 21. Nov. nuptum collocata.

6. *Patruus* ejus *Rupertus Comes Palatinus Rheni* An. 1619. natus, in Anglia fortunarum sedem locavit, ubi locum inter Regii sanguinis Principes, Equites ordinis Periscelidis & consiliorum Regiorum arbitros obtinuit. A Carolo I. Anno 1643. *Dux Cambriæ* nec non *Comes de Holderneſſe* atque castri *Windsorij* Gubernator creatus est; rei etiam maritimæ curam, tanquam Thalassiarchæ vicarius, gessit. *Societatis Regiæ* grande decus columenque quo ad vivebat, fuit.

Sed totum in investigatione naturæ, & mechanicarum artium cultura defixum mors occupavit d. 29. Nov. An. 1682. Uxorem nunquam duxit, *naturales* tamen *liberos* duos post se reliquit: nempe filiam *Rupertam* è *Margarita Hues* genitam, & *Comiti Durfortensi*, (qui haud dubiè *Ludovicus de Durasfort, Comes de Feversham & Marchio de Blanquefort*, Ducis de Duras in Gallia frater, jure *indigenatus* in Anglia donatus est,) ceu ferunt, nupturam; & filium, cui nomen *Dudley Bard*, alia matre, incomperti nominis, editum.

7. *Eduardus* Ruperti frater, An. 1663. d. 13. Martii in Gallia moriens viduam reliquit *Annam Gonzagam Caroli Ducis Nivernij* filiam, cum tribus filiabus ex ea procreatis.

I. *Anna* n. 23. Julii 1647. nupta 11. Dec. 1663. *Heinrico Julio Burbonio Duci d' Enghien.*

II. *Benedicta Heinrica Philippa* n. 1648. quæ nunc *vidua* est *Johannis Friderici D. Lunæburgo-Hannoverani*, cui An. 1669. in manum convenerat.

III. *Luisa Maria* n. 1652. mulier facta est ex viro *Carolo Theodoro Principe Salmensi* An. 1671. & Aquis-grani d. 11. Martii 1679. vitæ sortem dereliquit.

8. *Gu-*

8. *Gustavo*, qui Ruperti & Eduardi frater minimus natu extitit, & Anno 1632. in lucem prodiit, *annus emortualis* fuit seculi *quintus & quadragesimus.*

9. *Elisabetha* amita Electoris, *Abbatissa Hervordiensis*, miraculum inter eruditas fœminas, infinita rerum omnium cognitione sexum suum supergressa d. 8. Febr. 1680. animam cœlo reddidit.

10. Ejus soror *Luisa Hollandina*, mutandæ religionis studio è Batavia in Galliam se recepit, & An. 1659. d. 25. Martii sollemni ritu monasterium S. Virgini Mariæ sacrum, quod *Malbissony* prope pontem Æsiæ est, ingressa, post quinquennium, *Abbatia* ista, quam ob opulentiam *Regiam* vocant, donata est.

11. *Sophia* minima natu istarum soror, vivit in conjugio *Ernesti Augusti D. Brunsu. & Lunaburg. Episcopi Osnabrugensis.*

12. *Insignia* Electoralia *tribus scutis colligatis constant:* Primum *nigrum est, & leonem exhibet aureum* Palatinum: Secundum *rhombos argenteos & cœruleos* Bavaricos *continet:* Tertium, *quod imo loco inter duos interjacet, absque figura tantùm rubet. Hæc scuta circumdata sunt* symbolo Ordinis Periscelidis. Galea *incumbit* unica, *cui adversa fronte insidet leo* scutarius; Laciniæ *circumfluentes rubro & atro colore tinguntur:* Telamones *addi solent* duo Leones.

13. De *Simmerenſi linea* commemorandum eſt, eam in *Ludovico Philippo Comite Palatino*, Electoris propatruo ortam, defeciſſe in ejusdem filio *Ludovico Hermanno Mauritio Franciſco*, qui d. 24. Dec. 1673. mortalitalitem explevit, nullis cum *conjuge Maria*, Heinrici Friderici Pr. Auriaci filia, quam d. 23. Sept. 1666. duxerat, liberis ſuſceptis. Habuit verò *ſororem* unicam *Carolam Eliſabetham Mariam* An. 1631. natam, *Georgij D. Lignicenſis* conſortem, & A. 1664. denatam.

14. *Ditiones* Electorales Palatinæ nullis certis limitibus ac finibus determinatæ, latiſſimè ſe diffundunt, & fertiliſſimis ac amœniſſimis fluviis, *Rheno*, *Nicro & Nava* irriguntur; dividunturque in *Cisrhenanas* & *Transrhenanas*: illæ *quinque* præfecturas (Ober-Aempter) hæ *decem* complectuntur. *Ciſrhenanæ* hæ ſunt: *Heidelberg*, *Mosbach*, *Bretta*, *Bochsberg & Uzberg*, *Heidelberga* totius Palatinatus *metropolis* eſt, in fauce montium ſita, ubi tantam ajunt eſſe *myrtillorum* copiam ut inde nomen urbi putetur inditum, alluiturque *Nicro*. Eam jam illo tempore, quo Heinrici priſcæ familiæ Palatinæ Principis ultimi filiam Agnetem Otto Ludovici F. Bavarus duxit, à Palatinis Rheni habitatam & cum vicino tractu poſſeſſam fuiſſe, refert antiquitatum Palatinarum vindex *Freherus*, exhibens *tabulas inveſtitorias*, quibus Heinricus

Orig. Palat. part. 1. c. 10.

ricus Episcopus Wormatiensis Ludovico Bavariæ Duci, ob dictum filii ejus cum Agnete matrimonium, An. 1125. in feudum concessit *castrum in Heidelberg, cum burgo ipsius castri & Comitia Stalbuhel*, &c. Angusto autem admodum spatio isto ævo circumscriptum oppidum amplificavit *Rupertus Senior*, atque *Academiâ*, quæ *prima omnium Germaniæ* fuit, An. 1346. ornavit. Arx verò vertici montis incumbens ac sede Electorali nobilis, elegans profecto ac regificum ædificium, singulari artificio & symmetria spectandum, & pulcerrimis plurimisque statuis insigne *Ottonem Heinricum* Electorem habet autorem. Duabus ab Heidelberga leucis distat *Manhemium*, ad *Rheni Nicrique* confluvium situm, & duplici telonio fructuosum. Vetus id est & nobile castellum, à Valentiniano, Alemannis Suevisque coërcendis quondam conditum, & à Friderico IV. Electore ad suam, suique populi & patriæ tutelam, de novo à fundamentis, unà cum oppido ei conjuncto, extructum, propugnaculisque ac castro *Friderichsburg* dicto firmatum; à *Carolo Ludovico* autem illius nepote, cui maximè in deliciis erat, omnibus partibus perfectum & absolutum. Subest id immediatè Cancellariæ Electorali, neque à sententia Senatus Manheimensis ad alium, quàm ad Regimen sive Dicasterium Electo-

Freh. oper. cit. p. 2. c. 19.

rale

rale provocatur. *Friderichsburgi* Gubernator in præsentia est *Joh. Albertus Fray* Chiliarcha, quem Carolus Ludovicus Elector tempore Vicariatus cum *Clooſio* Præfecto Brettano *nobilitate* donavit. *Manheimio* præest Colonellus *Jacobus von Deel.* *Heidelbergenſi* verò præfecturæ vicaria potestate impositus est *Ludovicus Casimirus de Bernſtein*, qui *Supremi* etiam *Camerarij* munus in aula Electorali obit.

15. *Mosbach* infra Heidelbergam, in *Nicrino* tamen *tractu* positum, oppidum quondam Imperiale fuisse, & *pignoratitio titulo* ad Palatinos devenisse tradit *Sprengerus*, præbuit id duobus abhinc seculis domicilium *Ottoni Palatino*, Ruperti Rigorosi Electoris filio natu minori. *Præfectum* hac tempestate habet *Johannem Philippum ab Adelsheim.*

Sprenger. Luc. med. St. Imp. pag. 319.

16. *Bretta* in *Craichgovia* Philippi Melanchtonis communis Germaniæ Præceptoris patria, *Comitatus* olim fuit, & à Comitibus Eberſteiniis ad Marchiones Badæ, ab his ad Palatinos cum omnimoda jurisdictione *emptionis titulo* transiit: *Archipræfectum* (Ober-Amptmann) habet: N. *Clooſium à Neuburg.*

Sprenger. loc. eit.

17. *Bochsberg* in Franconiæ confinijs, Fridericus Victoriosus Rosenbergiis Equitibus extorsit, & Palatinatui adjunxit, uti è

Ca-

Cæsparo Lerchio Zeilerus in *Typogr. Palatinatus* memorat: administratur ab Officiali, quem den Amtsverweser vocant, is nunc est *Erhardus Wahl*, Consiliarius Electoralis. pag. 19.

18. *Uzberg* castrum, haud procul Francofurto dissitum, in silva Ottonica, oppido *Umbstad* incumbit; cujus partem Rupertus Senior à Fuldensi Abbate pecunia sibi comparavit; alteram partem Hanoici Comites possidebant: sed utramque flagrante bello Bavarico Wilhelmus Landgr. Hassiæ vi executionis adversus Philippum Electorem Palatinum proscriptum, sibi demandatæ, occupavit sub superioris seculi initia. deinceps, cum Hanoicis alio modo satisfactum esset, Palatinus & Landgravius per pacta An. 1521. sancita, communem ejus possessionem, quæ hodie dum durat, inierunt: *præest* Uzbergo nomine Electorali *Wilhelmus Curtius*, Eques Baronettus Anglicus.

19. Post Cisrhenanas Palatinatus præfecturas, *Transrhenanæ* recensendæ veniunt, quarum *decem* esse dixi; nomina earum in promptu sunt: *Alzei*, *Germersheim*, *Neustatt*, *Lautern*, *Oppenheim*, *Baccharach*, *Creuznenach*, *Simern*, *Kirchsberg* & *Stromberg*.

20. *Alzei* sive *Alceja* omnium præfecturarum amplissima, suos olim habuit Comites, qui *Sprengero* teste, *hereditarii* erant *Dapiferi Palatinatus*, quibusque extinctis Comita- *Lus. med. St. Imp. p. 322.*

mitatus *caducitatis jure* ad Palatinos devenit. Solet hodie administrari à *Burggravio*, quæ dignitas per complures annos in familia *Baronum de Winneberg* hæsisse fertur, nunc ea gaudet *Wolf. Theod. Comes de Castell.*

21. *Germersheimium* supra Nemetes ad *Rhenum* situm, castroque munitum, *Vicum Julij*, cujus in *Notitia Imperij* mentio occurrit, esse, & postea sub Francorum imperio in *Germerij* aut *Germerici* alicujus jus venisse, paulatimque è vico in oppidum excrevisse, arbitratur *Freherus.* Pertinet ad hanc præfecturam *Selsa* sive *Salesia*, ubi Adelheidis, Ottonis M. Imp. consors, postquam eam cum aliis locis, in Comitatu Hugonis Comitis sitis, à marito dono accepit, *monasterium* condidit, idque prædiis ditavit; quod successu temporum in *Præposituram* mutatum est, & inter *immediatos Ordines Imperij* susceptum. Palatini verò, in quorum jus *Advocatia* ejus pervenerat, post reformatam religionem, reditus in alios usus converterunt, & onera Imperii præstare receperunt. Hac tempestate in possessionem Selzæ non minus quàm Germersheimii Galli irrepserunt, eamque nescio quo frivolo & cassa nuce viliore dependentiæ ab Alsatia titulo, tueri mordicus contendunt: quo ipso æranium Electorale haud exiguum patitur detrimentum, cùm grandis pecuniæ summa è

Orig. Palat. p. 2. c. 16.

te-

teloniis, quæ hic loci sunt, quotannis redire soleat.

22. *Neustadium* in Nemetibus amœnissimo loco positum, *Rupertus Senior* Ecclesia An. 1390. ornavit, eamque reditibus dotavit; quorum pars deinceps Heidelbergensi Academiæ concessa est. Refertur ad hanc præfecturam *Frankendalium*, è cœnobio, quale initio fuit, in oppidi formam amplificatum à Friderico III. Electore, & solidis postea munimentis præcinctum, quod exulceratum iisdem temporibus, cum misera Germania sanguine natares, & *bellum annis tricenis seipsum* (dicente *Livio*) *aleret*, multa gravia perpessum, atque ab Hispanis, quorum in potestatem bis incidit, neque nisi sexto post restitutam Germaniæ pacem anno, ad veros Dominos rediit, viribus valdè attenuatum imò exinanitum est; fungitur ibi nunc *Gubernatoris* munere *Carolus Ludovicus Comes de Sain & Witgenstein, Supremus* in aula Electorali *Hippocomus. Totam* verò *præfecturam* regit titulo *Vicedomini Maximilianus L. B. Degenfeldius.*

23. *Lautra*, ab amne cognomine eam perluente nomen nacta, & *Cæsarea* dicta à palatio Imperiali, quod Fridericus Barbarossa ibi exstruxit, *Frehero* eximium super omnes Vogasi civitates decus audit. Eam An. 1402. cum *Oppenheimio*, *Ingelheimio*, & *Odern-*

dernheimio Palatinis pretio centum mille florenorum ab Imperio oppignoratam fuisse è *Munstero* constat. Obtinet verò *Lautrensis Principatus* nomine Elector *peculiare* in comitiis *votum.*

24. De *Oppenheimio*, Imperiali olim oppido, quo pacto in Palatinorum ditionem devenerit, modò dictum est. *Baccharacum* ad Rhenum situm, à Baccho nomen habere, adeoque *Bacchi aram* sonare, non absre omnibus creditur; eò quod *flos Liberi Patris* omnium judicio laudatissimus in montibus circumjectis nascitur. Illud cum impositio castello *Staleke* jam dum An. 1190. Conradi Palatini Comitis, fratris Friderici Barbarossæ, sedem fuisse, testatur *Freherus.*

Op. cit. p. 1. c. 1.

25. *Crucenacum* ad *Navam* in pago *Hunesruch* ab Hunnorum præsidio dicto, ac male hodiè *Hundsruck* (dorsum canis) appellato, situm, metropolis est *Comitatus Spanheimensis anterioris;* in quam jus nacti sunt Palatini partim donationis, partim hæreditatis titulo. Ruperti Palatini, in Regem Romanorum electi, filius major natu cognominis An. 1392. matrimonio sibi sociavit Elisabetham, Simonis Comitis Spanheimensis filiam unicam; quæ marito absque liberis mortuo, è singulari in Palatinos affectu, consentiente patre, *quintam partem anterioris Comitatus Spanheimici*, Ruperto Imp.

V. Freh. not. in Anon. Moselam pag. 14.

Imp. socero suo, donavit; quam donationem, defuncto Simone, Ludovico Barbato Electori leviro suo confirmavit, eidemque possessionem hujus quintæ partis tradidit; reliquis partibus ad Johannem agnatum, qui ulteriorem Comitatum Spanheimensem tenebat, devolutis. Is sobole destitutus condito An. 1415. testamento, Bernhardum M. Badæ, & Fridericum C. Veldentiæ, amitinos suos; hæredes pro æqualibus partibus instituit; qui etiam Johanne 1437. defuncto Comitatum occuparunt. Sed Friderici Veldentiæ C. filiam unicam Annam cùm *Stephanus Comes Palatinus in Simern & Zvveybruck*, Ruperti Imp. filius quintogenitus in uxorem duxisset, socero demortuo, tum *Veldentiæ Comitatus*, tum quicquid ille in *Sphanhemio Comitatu* tenuerat, nimirum *ex anteriore duo quinquennes*, *ulterioris* verò *medietas*, ad Stephanum *uxorio jure* devoluta sunt; qui per supremas tabulas *Fridericum* filium primogenitum hæredem *in partibus anterioris Comitatus Spanheimij & terris Simerensibus* scripsit; *Ludovico* autem secundo genito *terras Bipontinas cum Comitatu Veldentiæ & medietate ulterioris Spanheimici* assignavit. Posteaquam itaque anno superioris seculo nono & quinquagesimo, quo *Otto Heinricus Elector* Palatinus improlis obiit, Electoratus ad *Fridericum III.*

Pium dictum *è linea Simerensi* delapsus est, *quinta* illa *anterioris Comitatus Spanheimici portio*, quam ex Elisabethæ donatione ad familiam deveniſſe dictum est, *cum reliquis duobus quicuncibus*, quos Simerenses obtinebant, *coaluit*. Postea *Fridericus Quartus* Pii nepos, cum *duos* haberet *filios*, majori natu *cognomini* Electoratum cum Palatinatu; juniori autem *Ludovico Philippo* Lauterensem & Simerensem Principatus, cum *partibus anterioris Comitatus Spanheimici*, per testamentum legavit. At verò *Carolus Ludovicus Elector*, hanc ditionum partitionem nimium quantum sibi detrimentosam esse, neque avo potestatem fuisse dictitans, tam grandem illarum partem natu minori filio attribuendi controversiam patrueli ea propter movit, quæ An. 1654. in comitiis Ratisbonensibus ita composita est, ut Simerensis *reditibus quintæ partis in Comitatu Spanheimio*, præterea duabus tertiis præfecturæ Strombergicæ, Lauterensi verò integra decederet; reliqua autem cum toto Simerensi Principatu retineret: aliquot tamen post annos mutata aliquatenus est hæc transactio, ita ut Elector redditis Simerensi duobus trientibus præfecturæ Strombergicæ, in societatem *jurisdictionis in Comitatu Spanheimensi*, quoad quintam illam partem ipsi adjudicatam, admitteretur. Atque vi hujus pacti cum Elector

ctor subditos anterioris Comitatus in suam fidem sacramento adigeret, Marchiones Badæ actui illi contradixerunt, seque *unum* tantùm *Condominum*, nempe *Principem Simerensem* agnoscere denuntiarunt; nec non Commissionem à Cæsare exorarunt, qua Electori omnis jurisdictio in Spanheimensi Comitatu abjudicata est, subditique à juramento ei præstito absoluti sunt. Tandem autem per ultimam *transactionem Crucenaci initam*, Elector *in consortium dominij* receptus est, ita ut anterior Comitatus Spanheimensis *tres dominos æquali potestate gaudentes* agnoverit, usque dum extincta ante annos non ita multos Simerensi linea, omnes ejus ditiones cum Palatinis coalescerent, atque adeo tres etiam illæ quincunces Spanheimenses ad unum dominum redirent; ita ut hodie Elector imperium in hunc Comitatum cum solo Badæ Marchione dividat. Verùm enim verò Galli, qui rerum dominos se esse putant, postquam Veldentiæ Comitatum subegissent, cives etiam & subditos anterioris Comitatus Spanheimici, quasi is à Veldentia penderet, ad homagium Regi suo præstandum, per literas in ipso oppido Crucenacensi, à clandestinis Gallicæ ambitionis administris, publicis valvis affixas, evocarunt, sed successu hactenus caruerunt. *Præest* Electoris nomine *Comitatui Spanheimensi*

L. B. de Steinkallenfels, cujus inter primarios ejus ministros mentio jam dum facta est.

26. Restant *Simerensis*, *Kirchbergensis* & *Strombergensis* præfecturæ, quæ ad Simerensem Principatum referuntur; & Ludovici Heinrici morte ad Electorem, uti dixi, devenerunt. *Simerense* oppidum ad amnem ὁμώνυμον, eumque auriferum situm, *Rupertus Palatinus* Imp. cum vicino tractu à quodam Ruchgravio 6000. florenis emisse memoratur. *Kirchberg* Comitatus titulo quondam nobilis, & jure Advocatiæ cœnobii Ravengeresburgensis gavisa, defuncto A. 1408. *Gerhardo Comite de Kirberg*, ejus familiæ ultimo, caducitatis lege ad Palatinatum recidit, & à Ruperto Rom. Rege receptum, deinceps in jure Palatino mansit. *Stromberg* castrum est antiquissimum, inter Simeram & Crucenacum, Burggraviatu olim insigne, & der Saal zu Stromberg dictum, quod notam regalis loci esse existimat sæpe citatus *Freherus*, *in notis ad Pet. de Andlo.*

Freh. Orig. Palat. p. 2. c. 11.

lib. 1. c. 16.

27. Quoniam de Simerensi Principatu modò dictum est, haud extra callem deflexurus sum, si de lite inter Palatinum & Moguntinum Electores ob *Bockelheimensem* præfecturam eique conjuncta oppida, *Sobernheim* & *Monzingen*, ante annos non ita multos orta, pauca è *deductione facti*, quam

Ser.

Ser. Elector piæ memoriæ in comitiis An. 1674. exhiberi curavit, excerpta subjungam. Acquisivit Bœkelheimium, cum locis prædictis, *Fridericus Victoriosus* El. Palat. eaque bello legitimo Ludovico Duci Bipontino An. 1471. eripuit: *Philippus* verò Elector inita cum Casparo & Alexandro Ludovici filiis transactione, illorum possessionem confirmatiorem sibi reddidit, & ad posteros transmisit; inde *Fridericus IV.* El. ea Simerensi Principatui incorporavit, & filio secundogenito *Ludovico Philippo* assignavit. Hic illa tanquam rem suam quietè & nemine contradicente tenuit, usque ad annum 1663. quo Johannes Philippus, Moguntinensium Archi-Episcopus, eum obturbavit, prætendens, Palatinos Bœkelheimium hypothecario tantùm titulo possidere, seque paratum in præsentia esse, ut illud reluueret, denuntians. Simerensis Princeps rem novam sibique inauditam, confestim ad Electorem patruelem tanquam caput familiæ detulit, consilium ejus opemque flagitavit, & certam ejus spem obtinuit: nihilo tamen secius Moguntinensium minis percelli se ac permoveri paulò pòst est passus, ut insscio patruele pactionem iniret, & *directum dominium* in sæpe memorata loca Archiepiscopo traderet, sibi verò posterisque masculis tantùm *utile dominium* à Moguntina sede *beneficia-*

ficiaria lege accipiendum reservaret, permitteretque, ut subditi eò pertinentes, nec non ipse præfectus castri Bœkelheimensis, cum cæteris subofficialibus, homagium Archiepiscopo *eventualiter* (uti loqui amant) præstarent. Verùm Elector Palatinus re tam insolenti percepta, & cum reliquis agnatis communicata Notarium delegavit cum testibus, qui insinuatis Moguntino sollemni ceremonia literis, clandestino illo actui suo agnatorumque nomine contradiceret, suaque sibi jura, reservaret; repetita est hæc protestatio cum Joh. Philippo mortuo Lotharius Fridericus denuo subditos ad homagium illud eventuale adegisset. Postea quàm verò ipse Simerensis Princeps ἀπεκτονῶς vivis excessit, ejusque hæreditas omnis ad Electorem patruelem devoluta est; ille nihil cunctatus in possessionem Bœkelheimii vacuam involavit, subditosque cum officialibus in suam fidem jurejurando adstrinxit; atque adeo Moguntinos post festum venientes prævertit. Exarsit autem exinde lis inter utrumque Electorem, quam successor Lotharii Damianus Hartardus persecutus est; donec Imperator suam auctoritatem interponeret, locaque controversa *sequestraret*, denominato *sequestre Barone de Landsberg*, cui altioribus postea muniis admoto succenturiatus est *Ludovicus Gustavus Comes*

mes in Hohenloë; quo quidem in statu rem adhuc versari audio.

28. Id quoque non prætereundum esse puto, quod nulli in Palatinatu Electorali sint Ordines sive Status Provinciales, quales in Bipontino & Neoburgensi, cæterisque omnibus Germaniæ Principatibus reperiri solent, quodque clientum & vasallorum copia ac splendore omnes Imperii Proceres Palatinus Elector antecellat; catalogum eorum enumerat *Cl. Spenerus in Opere Heraldico.* *lib. 3. c. 27. §. 8.*

29. Denique inter *privilegia* ac *regalia*, quibus Elector Palatinus eminet, ut *jus reluendi dominia & loca Imperii à Cæsaribus oppignorata*, tum singulare *privilegium fabrorum ahenariorum* (deß Keßler-Handwercks) quod se *per Alsatiam, Franconiam, Sueviam* & vicina territoria extendit, nec non alia transeam, eximium est *jus Wildfangiatus*, quod quoniam superioribus lustris atrocis belli materies fuit, haud absurdum videtur propositi operis regulæ, ejus historiam succinctè percurrere. Est verò *Wildfangiatus jus, in numerum hominum propriorum cooptandi extra legitimum thorum natos & advenitios, qui sua sponte ad loca ubi advenas ejusmodi post certum tempus censeri moris est, se conferunt, ibidemque domicilium figunt.* Dicuntur autem Wildfänge, quod, quo Palatino

se homines illi submittunt tempore, domino & certa societate civili careant, nec ullius civitatis juribus obstricti sint, Germanis, *res incertæ curæ dominiique* frequenter Wild appellantibus: A *capiendo* verò vocantur Wildfänge / non quod ferarum in morem in viti in casses pertrahantur, captique infami servitute ac summis miseriis affligantur, inque belluas deformentur, uti ab adversariis exprobratum est; sed quod sua sponte venientes in loca, ubi El. Palatino homines proprios acquirendi jus est, fixa ibi fortunarum sede, nec anni spatio à Domino quopiam vindicati, in censum Palatinatus propriorum hominum, inque clientelam Electoris recipiuntur, præstitis paucis ab antiquo præstari solitis; qualia sunt, ut præfecto ipsorum curam suscipienti, nomenque in album referenti solvant *florenum receptionis* (den Fahgulden) ut Principi *fidem* promittant, vel stipulata manu, vel juratò, pro consuetudine cujusque loci; ut corporis *censum annuum* pendant, qui exiguus est; ut in casu mortis *mortuarium* dent, quod marito defuncto communiter pecorum præstantissimum, uxore mortua vestium optima est; sin autem defunctus vel cœlebs, vel parentibus, liberis, fratribus sororibusq; careat, & sine testamento decedat (quod mortalium genus Hagestelsen nuncupatur) ad Fi-

scum

scum hæreditas omnis devolvatur: His quibusdam in locis accedunt, *angariæ & operæ*, in aliis *jura armorum*, *sequelæ*, *lustrandi* & similia. Atque hæc jura non in suo solum territorio Palatinus El. exercet, sed & in alieno, habetque *præfectos* (Außfauthe vocantur) per quos hominibus propriis in alieno solo degentibus, tutores dat, inventaria confici jubet, eos non tantùm contra vim externam defendit, sed & contra tutorum domesticorum aliorumque fraudes tuetur; nec ipsorum dominorum territorii injuriis aut immodicis exactionibus vexari patitur, ad sua verò, tanquam Heri sui (als ihres Leibherrn) obsequia certis in casibus adstringit; uti ista omnia pluraque fusiùs recensetAutor *Justitiæ causæ Palatinæ*, quem *Bœkelmannum* clarissimum Academiæ Heidelbergensis, postea Lugdunensis apud Batavos Antecessorem fuisse, constans est opinio. part. 1. cap. 2.

30. Verùm enim verò ægrè & impatienter jus hoc Palatini Electoris nunquam nor tulerunt vicini, inprimis *Antistites Nemetum & Vangionum*, *Wild- & Rheingravii & libera Imperij in istis oris Nobilitas*; cumque concessis post tricennalem tempestatem Germaniæ halcedoniis, loca bello desolata à novis advenis passim advolantibus inhabitari ac coli inciperent, eosque El. Palatinus sibi tanquam Wildfangios vindicaret, graviter conquesti

sunt, & magno ipsorum cum damno id conjunctum esse, atque ad injuriam ditionum suarum finitimorumque pertinere clamitarunt, perfeceruntque ut in comitiis Ratisbonæ 1653. habitis à Cæsare Commissio eam ob causam decerneretur, quam tamen Palatinus acriter obnitendo irritam reddidit. Postquam autem *Joh. Philippus Moguntinensis Elector* etiam in Wormatiensem Episcopum esset cooptatus, aggregavit sese & ipse prædictis actoribus, nec non *Trevirensem & Colonien-sem Archipræsules cum Lotharingiæ Duce* ob Comitatum Falkensteinium in societatem pertraxit; qui omnes conjunctis viribus, litem Palatino denuo intenderunt, & scriptis initio jus Wildfangiatus exagitarunt, tanquam absurdum, intolerandum, barbarum, aliorum jura & totas ditiones ac territoria absorbens, nullo justo titulo aut authentico privilegio fulcitum; atque etiamsi aliquod habeat, & quandam juris speciem præ se ferat, periniquum tamen esse, & Imperii statui adversum, ut quis in alterius territorio tanta facultate polleat; cum quisque plebejus suæ rei moderator sit ac arbiter: denique nec in Cæsaris potestate esse, jura Ordinum commiscere & transportare; quæ omnia fusiore & mordaci stylo *autor Vindiciarum secundum libertatem Imperialem quorundam Imperij Statuum contra Palatinum Wildfangiatum*,

tum, in duplici scripto annis 1665. & 1666. evulgato, exaggeravit. At reclamabat *Palatinus*, & docebat, nihil à jure suo alienum à se quæri, neque Wildfangiatus privilegium ab se confictum, aut dolo malo extortum, neque in ullius injuriam usurpatum fuisse; quippe quod vetustate & benignitate Cæsarum quasi robore se tueretur: etenim jam diu ante Wenceslaum illud proditum domuique Palatinæ impertitum, atque à Maximiliano I. ejusque successoribus, & demum à Leopoldo hodierno Imperatore publicis iterum tabulis, tituque beneficiario sollemniter corroboratum, & quasi per manus à majoribus traditum, ac omni jure ad se delatum, & titulo privilegii retentum, secureque & citra periculum violandorum alienæ ditionis finium possessum fuisse. *V. Schurzfl. contin. ep. hist. Sleid. p. 3. 4. & 5.*

31. A *verbis* tandem ventum est ad *verbera*, quæ primus inflixit Moguntinensis Præsul: is enim, re adversus Erfurtenses ex animi sententia gestâ, exercitum victorem & auxiliis Gallicis satis probè ornatum, Palatinis immisit terris, id obtentui sumens, quod El. Palatinus oppidum *Ladenburg* mœnibus nudasset de sua tantùm voluntate, neque re secum, cui tanquam Episcopo Wormatiensi commune in oppidum dominium competat, communicata. Cum Moguntino mox Lotharingiæ Dux infesta signa

signa conjunxit, frugiferos in Palatinatu agros vastavit, prædas egit, magnum ubique terrorem circumtulit, frustrà intercedente Cæsare, &, ut amicabili via controversia componeretur, imperante. Regum Galliæ & Sueciæ opera demum effectum est, ut in ipsos tanquam arbitros ab utraque parte compromitteretur: missi itaque ab illis sunt Legati Hailbronnam, qui re omni exactè pervestigata & cognita A. 1667. d. 7. Febr. *laudum* pronuntiarunt, quo *Electori Palatino jura Wildfangiatus in locis controversis adjudicata sunt, sed eo modo exercenda, ne normam privilegij & antiquam consuetudinem excedant: ne pro advenis habeantur, qui jam subditi vicina ditionis in alium ejusdem vicinie locum commigrant, ac domicilium saltem transferunt: ne subditorum debitis erga dominos territorij officiis impedimento sint: ne ipsa dominorum territorij superioritas & jurisdictio ledatur; de cæteris verò juribus*, qualia sunt indictio accisæ, Jurisdictio civilis & criminalis, jus armorum, lustrationis, venationis & similibus *decretum est, ista Electori Palatino neutiquam competere, eique in posterum illis abstinendum esse, nisi fortè aliquid horum ex veteri conventione ad Palatinum pertineat, quo casu transactionibus antiquis insistendum omnino esse.* Integrum hoc laudum videri potest *in Theatri Europei Tomo. 10.* Part. 1. pag. 454.

23. Com-

23. Comprehenditur Elector Palatinus potissimum sub *Circulo Rhenano inferiore* (quem den Chur-Reinischen vulgò vocant) respectu autem *Simerensis* Principatus ad *Superiorem* refertur, acejus *Directorium* unà cum Wormatiensi Episcopo tenet; qui quidem id sibi soli arrogat. Ventilata est hæc controversia ante annos non ita multos literis amœbeis, neque tamen, quantum scio, composita: id interea usu venit, ut Status circulares Romanis sacris addicti Wormatiensis Præsulis, Protestantes verò Simerensis Principis Directorium agnoscant.

33. Cæterum non segreganda fortassis est ab Electorali Palatina domo *Caroli Ludovici* Octoviri soboles è *Degenfeldia* suscepta, cui Serenissimus Parens *Raugraviorum* nomen indidit; quod quidem novum non est, aut ab ipso excogitatum, sed aliquot jam retrò seculis cognitum, licet rarissimè apud scriptores rerum Germanicarum obvium. Neque illi ipsi autores, qui eorum mentionem faciunt, quippe oppido pauci sunt, circa veram nominis appellationem ac significationem concordant, sed diversimodè id enuntiant. *Trithemius*, qui inter omnes sæpissime horum Comitum meminit, lepidè vocat *Hirsutos* tanquam Rauchgrafen: quo sensu quoque *Brito Armoricus* cecinit: lib. 5. Philippidos.

Et

Et Comitem, quem Teutonici dixére pilosum,
Ut juvet Othonem, regio Trajectica misit.

Sed quid *Trajectum* ad nostros Raugravios, quorum præcipuam sedem circa *Crucenacum* fuisse, nobis compertum est? (Verba sunt Viri stupendæ eruditionis & longiore ævo dignissimi, *Pauli Hachenburgii in epist. ad Cl. Arnoldum* haud diu ante obitum *scripta.*) Magis ad rhombum esse videntur, quæ *Reinesius in Var. Lect.* habet: *Raugravij seu Comites* Asperi *sic sunt appellati, quod loca aspera, montana & confragosa, inter Mosellam & Mosdm, in terris Trevirensium & Leodiensium habitarunt.* In *Aurea Bulla* enumerantur inter conductores Electoris Trevirensis, & in *Autographo*, quod *Fracofurti* custoditur, & pronuper à *Cl. Thulemario* evulgatum est, *Ruhgrafen* nominantur, quasi à quiete sint dicti; quemadmodum etiam Belgicas provincias quondam præfectos habuisse *Schookius* testatur, qui populari vocabulo *Rœvvaerd*, vel *Rustbevvaerder* appellabantur, quod fuerint quasi quietis & tranquillitatis publicæ defensores atque custodes. *Alb. Cranzius* à *rure* vult nominatos, refertque *Comitum ruris* titulo usos fuisse in Saxonia *Comites de Dassel*, inter *Einbeck* & *Hœxer*, qui cornu cervinum integrum insignium loco gestaverint. In catalogo *Episcoporum Wormatiensium* occurrunt *Friderieus*

lib. 2. c. 16.

Descript. Belg. Fœder. lib. 11. c. 3.

lib. 8. c. 26.

cus ac *Eberhardus Ruhgrafii*, fratres germani, qui seculo XIII. vixerunt, & cognomen de *Bayenburg* vel *Boyneburg* usurparunt, quosque *Bruschius* ex Hassia oriundos fuisse tradit; unde opinio invaluit, ejusdem ipsos generis cum hodiernis *Boyneburgiis & Bemelbergiis* fuisse. Nec desunt, quibus *Rugegrafiorum* nomen arridet, quasi *Advocati* aut *Procuratores* Imperatoris fuerint, quod hominũ genus *Fiscales* nominare solent: de qua appellatione videri potest *Speidelius in Spec. Jur. Polit. Hist.* Has verò diversas autorum sententias, qui conciliaret, nemo hactenus extitit, neque qui certam Raugraviorum originem, etymologiam, & genealogiam eruere ac in publicam proferre lucem sustineret: præstitisset id haud dubiè & spem amicis factam impleviſſet prælaudatus *Hachenbergius*, nisi immani fatorum necessitate eorundem munus ante diem jussus esset implere, & cursu lampada tradere suo in officio Academico successori haud indigno; qui ut eam horum studiorum cultoribus præferre, & rem vetustate obscuram illustrare velit, publica voce nobis est rogandus.

34. Id quidem fama communis fert, Raugraviorum familiam dudum extinctam, possessiones vacuas Electori Palatino, tanquam Domino directo, reliquisse: nomen eorum renovavit, uti dictum est, Carolus Ludovicus, ho-

hodierni Electoris Parens. Is enim cum orto inter ipsum & uxorem Carolam Landgraviam dissidio & divortio, *Luisam Degenfeldiam*, Christophori Martini L. B. de Degenfeld, S. R. Imp. Equitis & Annæ Mariæ Adelmanniæ ab Adelmansfelden filiam in thorum asciviſſet, & legitimæ conjugis loco habuiſſet, *Raugraviam* eam appellari voluit, idque nominis in sobolem, quam numerosam ex ea sustulit, derivavit. Amisit illa vitam, cùm quartam & decimam prolem in utero gestaret, d. 18. Mart. anni 1677. *Liberorum* quos *superstites* reliquit, hæc est series:

I. *Carolus Ludovicus*, *Raugravius Palatinus* (Rauhgraf zu Pfalz) n. 5. Octobr. 1658.

II. *Carolina* n. 19. Nov. 1659. nupta Anno 1683. d. 4. Jan. *Mainardo Comiti de Schœnberg*, *Friderici Mareschalli Gallia & Magnatis Lusitania* filio.

III. *Luisa*, n. 15. Jan. 1661.

IV. *Amalia Elisabetha*, n. 22. Mart. 1663.

V. *Carolus Eduardus*, n. 9. Maji 1668.

VI. *Carolus Mauritius*, n. 30. Decembr. 1670.

VII. *Carolus Augustus*, n. 9. Octobr. 1672.

& de-

& denique VIII. *Carolus Casimirus*, n. 22. Apr. 1675. *Ludovicum, Georgium Ludovicum, Fridericam, Fridericum Wilhelmum* & *Sophiam* natos 9. Februar. 1662. 20. Mart. 1664. 25. Jun. 1665. 15. Nov. 1666. & 9. Jul. 1669. immatura ætate mors intercepit, *primum* 28. Mart. anni natalis, *secundum* 10. Jul. 1665. *tertiam* 27. Jul. 1674. *quartum* 20. Jul. 1667. *quintam* denique 18. Nov. 1669.

35. *Insignia*, quibus *Raugraviana* illa *soboles* uti solet, constare accepi scuto, è *Leone* Palatino & *rhombis* Bavaricis *repetitis*, *quadripartito*; *cujus medietati* tessera gentilitia Degenfeldiorum *imponitur*: *nempe parmula iterum quadripartita, cujus 1. & 4. areola bis transversim secta, superiores duas partes è minio & argento quadrifidas habet, infimam cœruleam; 2. & 3. è minio & argento obliquè dextrorsum secta pfittacum discolorem continet.*

LIBER III.

DE PRINCIPIBUS ECCLESIASTICIS.

CAP. I.

DE ARCHIEPISCOPIS.

PRoximum ab Electoribus locum inter Ordines Imperii *Principes* occupant, qui iterum vel sunt *Ecclesiastici* vel *Seculares*. *Ecclesiastici* Principes in universum Secularibus τῇ πρωτοθρόνῳ præstant, & *quinque* distingui possunt *classibus*: alii enim sunt *Archiepiscopi*, alii *Episcopi*, alii *Magistri Sacræ Equestris militiæ*, alii *Abbates* ex veteri ordine *Principibus adscripti*, quibus uti cæteris jus est *viritim* sententiam dicendi, alii denique *Prælati* carentes Principum dignitate, & *curiata* suffragia ferentes; quibus accedunt *Abbatissæ*.

2. *Archiepiscopi* superioribus seculis in Imperio *octo* fuere, nempe *Moguntinus*, *Trevirensis*, *Colonienſis*, *Magdeburgenſis*, *Salisburgenſis*, *Vesontinus*, *Bremenſis* & *Rigenſis*. Hic autem numerus processu temporum imminutus est; postremo, ceu mox dicetur, ab Imperio planè avulso, aliis verò duobus jure seculi donatis.

3. *Ri-*

3. *Rigenſis* Archiepiſcopus in Livonia conventibus Imperii adhuc anno ſuperioris ſeculi viceſimo nono & trigeſimo interfuit; poſteriore verò ævo, cùm *Guilielmus Archiepiſcopus* & *Guilielmus Furſtenbergius Livonienſium Equitum Magiſter*, graves inter ſe ſimultates exercerent, & continuis bellis ſeſe atterrerent, atque Ivano Moſcoviæ Magno Duci idoneam occaſionem utrosque aggrediendi, & magnam Livoniæ partem in ditionem ſuam redigendi præberent; poſtea Sigismundus Auguſtus Rex Poloniæ à *Gotthardo Kettelero*, Furſtenbergii ſucceſſore, in auxilium accitus, Moſchos Livonia quidem exturbaſſet, ſed eam totam, ſola *Curlandia* & *Semigallia* excepta, quippe quas Gotthardo prædicto in feudum conceſſit, Regno Poloniæ anno 1561. adjeciſſet, Rigenſes Archiepiſcopi comitia Imperii frequentare, aut in ejus ærarium aliquid conferre deſierunt. *Hartkn. Rer. Polon. lib. 1, c. 8, §. 2.*

4. *Bremenſis* Archiepiſcopatus per *Inſtrumentum Pacis Weſtphalicæ* in *ſecularem Principatum* converſus & *Sueciæ Regno in perpetuum ac immediatum Imperii feudum traditus eſt, cum omnibus & ſingulis ad eum pertinentibus eccleſiaſticis & ſecularibus bonis ac juribus; ceſſante Capitulorum cæterorumque Collegiorum Eccleſiaſticorum eligendi & poſtulandi, omnique alio jure, adminiſtratione & gubernatione terrarum eò pertinentium.* *Inſtr. pac. Oſnabr. §. 10.*

5. Haud diſpari modo *Magdeburgenſem*

Archiepiscopatum *seculo redditum*, & vigore ejusdem pacificationis *Electori Brandenburgico, ejusque posteris & successoribus in feudum perpetuum, sub nomine Ducatus, collatum esse, superiore libro, cap. 8.* dictum est; è collegio autem Canonicorum quartam tantùm partem, iis decedentibus, extinguendi, eorumque reditus Cameræ Ducali applicandi facultatem accepit.

6. Reliqui *quinque* Archiepiscopatus pristino hodiedum statu gaudent, & inter Imperii ordines sacro nomine fulgent. De *Moguntino, Trevirensi* & *Colonienſi*, Electorali axiomate eminentibus, *libro superiore* actum est; restant *Salisburgensis* & *Vesontinus*. Huic non solùm An. 1651. cùm Vesontium Imperialis quondam civitas (quam *Dubis* interſecat, & J. Cæsar *maximum Sequanorum oppidum* sua jamdum ætate fuisse testatur, cujusque Historiam *Joh. Jacobus* & *Julius Chifletij* illustrarunt) Regi Hispaniarum, promovendæ restitutionis Franckenthalii ergò, transcripta esset, jura sua, liberaque & Imperialis immedietas sarta ac tecta permanserunt, sed neque per pacem *Neomagi* An. 1678. sancitam, qua omnem Burgundiæ Comitatum Galliæ Regis ditioni Hispani permiserunt, quidquam eis derogatum fuit, neq; etiam derogari potuit; ut adeò *Vesontinus Archiepiscopus* hodienum locum suum inter membra Imperii & speciatim *Circuli Rhenani Superioris* obti-

Comment. de B. Gall. lib. 1.

neat

neat. Qui dignitatem hanc in præsentia sustinet, nomen habet ANTONII PETRI DE GRAMMONT.

7. *Salisburgensem* Archidiœcesin nunc moderatur Reverendissimus MAXIMILIANUS GANDOLPHUS *Archiepiscopus Salisburgensis, Legatus natus sedis Apostolicæ Romanæ.* Electus est d. 30. Julii An. 1668. in locum *Guidobaldi Comitis de Thun*, S. R. E. Cardinalis, ipsis Calendis Junii ejusdem anni defuncti, cùm anteà Lavantinam Ecclesiam, posteà Seccaviensem rexisset. Genus ducit ex illustri familia Carinthiaca *de Khuenburg*, cujus genealogiam *Bucelinus Tomo II. Germaniæ Chrono-Topo-Stemmatographicæ* exhibuit; quæque superiore etiam seculo duos Archipræsules Salisburgensi Ecclesiæ, *Michaëlem* nempe & *Georgium* dedit, & nunc *Comitum* axiomate aucta est. *Parentes* illi fuére, *Reimpertus Mauritius L. B. de Khuenburg & Helena de Schrattenbach.*

8. *Scutum*, quo uti solet, bis transversim, semel perpendiculariter sectum est, atque ita *sex laterculos* continet, quorum 1. *aureus leonem nigrum*, 2. *rubeus fasciam argenteam deferunt, & conjunctim* Archiepiscopatum Salisburgensem *designant*, 3. & 6. *bipertiti sunt ex argento & minio, inscripto disco, pari sectione affecto, & alternatim aream coloribus tincto,*

que tessera gentilitia *est* Khuenburgiorum. 4. & 5. *transversim secti, & nigro colore atque argento infecti sunt, inscripto ferramento ostij, pali situ oppositos ejus colores recipiens, quod* symbolum *est* familiæ Steyersbergiæ. *Clypeo huic imponitur* crux, *tecta petaso* Archiepiscopali.

9. Salisburgensis Ecclesiæ prima jecit fundamenta, primusque fuit Episcopus *S. Rupertus*, Bojorum Apostolus vulgò dictus: is enim postquam à *Theodone* Bojorum Principe, quem Reginodrudis uxor è Francorum Regum familia, dudum Christiana orta, desiderio amplectendæ veritatis Evangelicæ incenderat, evocatus, per totam Boicam ad inferiorem usque Pannoniam multam pietatis sementem fecisset, & in interiore præcipuè Boica, ubi impietatem & idololatriam maximè grassantem animadverterat, potiore cura rudes populorum animos ad veri & unius Dei intelligentiam erexisset; (verbis utor Viri magni nominis & eminentissimæ eruditionis, *Marci Velseri*) indeque à Theodone monitus esset, ut initiis bene positis provehendis sedem sacrorum legeret firmaretque, ex qua ipse & successores Episcopi subjectam provinciam salubribus præceptis informatam regerent, *Juvaviam* elegit, splendidam olim Romani nominis coloniam, ab Hadriano deductam, tum afflictam supe-

Sub init. lib. 4. Rer. Boic.

ſuperiorum temporum barbaricis motibus ac vaſtitate, poſteà magno ſtudio & alacritate inſtauraram, & mutato veteri vocabulo, *Salisburgum* dictam, à præfluente *Salſa*. Hic itaque loci templum DEO & S. Petro cum cœnobio poſitum Rupertus dicavit, ſacerdotibus ſacerdotumque miniſtris, & omnibus ſubinde rebus, quæ ad divinum cultum Chriſtiano ritu peragendum opportunæ, Ducis liberalitate fretus, ampliter inſtruens: neque defuit Theodo conceptæ ſpei, donata proprietate territorii circumjacentis, & largis ſubminiſtratis vectigalibus; eumque æmulati poſteriores Principes multas certatim regiæ munificentiæ donationes adjecerunt, ut Salisburgenſes paulatim ad tantum ſplendoris faſtigium excreverint, quantum rari alii ubivis terrarum Epiſcopi ſupergreſſi. Hucusque ὁ Θαυμάσιος *Velſerus*, qui *ſexcenteſimo decimo ſexto* poſt Chriſtum natum *anno* id contigiſſe, rationem ſubducit.

10. Decimus à Ruperto Epiſcopus, *Arno*, *primus* à Leone III. Pontifice ad inſtantiam reliquorum Bojariæ Epiſcoporum, & cum conſenſu Caroli M. factus eſt *Archiepiſcopus*, palliumque impetravit, uti *Hundius* memorat. *Gebhardus* Archiepiſcopus è Comitibus Helfenſteiniis oriundus, Heinrici IV. Imp. συγχορος, cum Pontifice Romano Hildebrando, adverſus Cæſarem bruto fulmine percuſſum, adhæreret, remune-

Mattrot. Samſb. edit Ingolſtad. pag. 3. & 4.

ratus est jure & titulo *Legationis* super omnes Ecclesias Regni Germanici, ut diceretur *Legatus natus*, quæ dignitas postea, *Hundio* telle, ad omnes successores hæreditario quodam jure devoluta est; de ea tamen, ut & de *Primatu* Germaniæ, controversiam ei nunquam non movit Magdeburgensis Archiepiscopus. Sunt autem *Legati nati* (*Becmanno* indice) *qui non sunt missi de latere, sed habent ratione privilegij beneficij possessi potestatem à Pontifice M. tanquam Legati ejus*; vel, *qui suarum provinciarum prætextu Legatione funguntur*. Idem *Gebhardus*, à quo digressio facta est, castrum Juvavense, ultra flumen in eminenti montis specula positum, quod Hunnorum barbarie funditus cum urbe eversum erat, è ruinis primus excitavit; successores verò ejus id ædificiis ampliarunt, & tanquam locum, ad tuendam urbem & hostium insultus procul arcendos, maximè opportunum munierunt; superiore demum seculo Archiepiscopi post bellum rusticum, quo tota ferè Germania superior vexabatur & vastabatur, turribus, muris ac propugnaculis adeo firmarunt, ut inexpugnabilis arx illa videatur. Cæterum optime de Archiepiscopatu meruisse celebratur *Leonhardus*, qui An. 1495. in Præsulem cooptatus est: hunc enim non solùm multa prædia à diœcesi bellorum ac temporum injuriis abalienata redemisse ac recuperasse, sed

Ibid. pag. 8.

Not. dign. Ill. diss. 15. c. 1. §. 6.

Pighius Hier. Prodic. p. 217. & seqq.

ſed & novas acquiſiſſe poſſeſſiones prædicant; quarum ſyllabum *Hundius* in citato opere *Metrop. Salib.* recenſet. Pag. 31.

11. Numerantur hodie in diœceſi, teſte *Zeilero*, *octo* potiora *oppida*, præter complura ignobiliora: illa ſunt ipſa metropolis *Salzburgum*, *Hällein*, *Lauffen*, *Tietmeningen*, quæ à *Salza* alluuntur, *Muldorf* ad *Oenum*, *Radſtat ad Anaſum*, *Frieſach* & *fanum S. Andreæ* in Carinthia. *Termini* Archiepiſcopatus ſunt: *ab ortu* Styria & Auſtria ſuperior, à *meridie* Carinthia & pars Tyrolenſis Comitatus, *ab occaſu* ejusdem Comitatus portio & Bavaria, à qua etiam *Septentrionem verſus* terminatur; eſtque dives metalli fodinis & ſalinis. Refertur ad *circulum Bavaricum*, ejusque *Directorium* unà cum Duce Bavariæ Archiepiſcopus obtinet; *Principum* etiam *Senatum* in publicis Imperii conventibus cum Auſtriæ Archiduce alternis vicibus *dirigit*. *Suffraganeas* Eccleſias *octo* habet: *Friſingenſem*, *Paſſavienſem*, *Brixienſem*, *Chiemſeenſem*, *Gurcenſem*, *Seccavienſem* & *Lavantinam*; ex his quatuor poſteriores Ordinibus Imperii non accenſentur, utpote voto & ſeſſione in comitiis carentes. 7.

12. *Officiales hereditarij* Archiepiſcopatus hodie ſunt, Pincernæ: *Comites de Khuenburg*: qui *Baronibus à Thurn*, quorum poſtremus *Hieronymus* An. 1642. vitam familiamque finivit, ſucceſſerunt. Dapiferi; *Comites*

de Thanhausen. Marescalli: *Comites de Lodron.* Camerarii: *Comites de Torring.*

13. *Canonicorum* metropolitanorum collegium constat XXIV. sodalibus, quos omnes *illustri sanguine* cretos esse oportet; horum ea nunc est nomenclatio:

I. *Carolus Comes de Castel-Barco, Baro quatuor Vicariatuum, Dynasta Graesta.* Praepositus & Archipresbyter, qua in dignitate surrogatus est *Johanni Baptistæ Comiti de Lodron* annte annum, & quod excurrit defuncto. Genus ejus à priscis Ducibus & Regibus Bohemiæ defluxisse *Bucelinus Tom. III. Germ. Stemmatogr.* perhibet & *parentes* ei tribuit *Scipionem de Castro Barco & Lauram de Galvagnis.*

II. *Wilhelmus L. B. de Fürstenberg*, Decanus. *Frater Episcopi Paderbornensis.*

III. *Carolus Comes de Liechtenstein, Baro in Castelkorn, Dynasta in Schenna,* Episcopus Olomucensis. Philippi Rudolphi C. de Liechtenstein, & Claræ Vintleriæ de Platsch *filius.*

IV. *Carolus Ferdinandus Comes de Muggenthal, Baro in Waal, Dynasta in Bedernau,* Actu Senior & Custos. *Patrem* habuit Heinricum. *Matrem* Euphrosynam de Stein.

V. *Conradus Fortunatus Comes de Spaur & Pflaum.* Oblatarius & Scholasticus.

VI.

VI. *Ferdinandus Leopoldus Benno Comes de Martinix*, Jaroslao primo è familia Comite, ac Maria Eusebia Sternbergia *natus.*

VII. *Ernestus Trautson, Comes de Falckenstein, Baro in Sprechenstein, Dominus in Matray, Kaya, Laa, Neuschlos & S. Pölten;* Johannis Francisci Trautsonii & Maximilianæ C. de Zollern, *filius.*

VIII. *Franciscus Antonius Comes de Königsek & Rotenfels, Dynasta in Aulendorf & Stanffen.*

IX. *Johannes Ernestus Comes de Thun, Dn. in Tetschen, Closterle, Castelpfund, Felixburg & Schönstein,* Episcopus Seccavienſis; qua in dignitate anteceſſorem habuit *Wenceslaum Wilhelmum C. ab Hofkirchen* intra hoc biennium mortuum. *Parentes* autem ei fuere Johannes Sigismundus C. de Thun, & Margarita Anna C. ab Oettingen; *frater* ſed conſanguineus Guidobaldus Cardinalis & Archiepiſcopus.

X. *Sigismundus Ignatius Comes in Wolckenstein & Trospurg, Baro in Neuhaus.*

XI. *Joachimus Albertus L. B. de Leublfing in Rhain.*

XII. *Franciſcus Caſpar à Stadion,* Epiſcopus Lavantinus.

XIII. *Franciſcus Gobertus, Comes ab Aſpermont Lynden, in Recheim, Baro in Persheim, Dn. in Blaningen.*

XIV.

XIV. *Franciſcus Ferdinandus Comes de Khuenburg, Baro in Khuenegg, Dn. in Ungarsbach & Jasbina.*

XV. *Johannes Fridericus Ignatius Comes in Preyſing, Baro ab & in Alten Preyſing, Dn. in Hohen Aſchau, Sollhuben, Cronvvinckhl, & Kopffsburg;* filius Johannis Maximiliani C. de Preiſing & Mariæ Veronicæ Dapiferæ C. de Trauchburg.

XVI. *Maximilianus Comes & Dominus in Scherffenberg.*

XVII. *Johannes Philippus Comes de Lamberg;* Joh. Maximiliano Supremo aulæ Cæſareæ h.t. Præfecto & Juditha Rebecca Eleonora C. de Wrbm natus.

XVIII. *Joh. Sigismundus Comes de Khuenburg, Baro in Khuenegg, Dn. in Prunſee, Rabenhofen, Kopreinig & Otterspach.*

XIX. *Carolus Philippus Comes Palatinus Rheni, Bavariæ, Juliaci, Cliviæ & Montium Dux,* &c.

XX. *Sigismundus Carolus Comes de Caſtel-Barco, Baro quatuor Vicariatum,* &c. Præpoſiti è fratre Franciſco, marito Claudiæ Dorotheæ C. de Lodron, nepos.

XXI. *Hugo Franciſcus Comes à Königseck & Rotenfels, Dominus in Aulendorf & Staufen.*

XXII. *Rudolphus Joſephus Comes in Thun.*

XXIII. *Maximilianus Adamus Comes in Lieb-*

Liechtenſtein, &c. Præpoſitus Brünenſis; *Maximiliano*, qui Epiſcopi Olomucenſis frater eſt, & Cœcilia Radegonda B. de Bemmelberg *natus.*

XXIV. Denique *Fridericus Erneſtus Euſebius S. R. Imp. Dapifer hæreditarius, Comes in Fridberg & Trauchburg, Baro in Waldburg, Dn. in Scheer, Dirmendingen, in Buſſen & Khislegg.*

CAP. II.

DE EPISCOPIS IN GENERE

Speciatim verò

DE BAMBERGENSI.

ARchiepiſcopos excipiunt *Epiſcopi:* horum aliquot retro ſeculis longè major fuit numerus, ac nunc eſt, neque uno modo ordo eorum ſeſe per Imperium mutavit. Quidam enim Epiſcopatus unà cum integris regionibus Imperii finibus jam exciderunt, quales ſunt omnes per *Pruſſiam, Livoniam, Helvetiam, & Lotharingiam* conſtituti; quorum in claſſem etiam *Bohemiæ, Sileſiæ & Moraviæ* Epiſcopatus ſine injuria referri poſſe cenſet *á nátv Conringius.* Aliorum Epiſcopatuum regiones hodièque manent in ditio-

Annot. ad Lampad. part. 3. c. 6. §. 42.

ditione Imperii, non tamen reguntur à Principibus Episcopali adhuc nomine fulgentibus, sed secularibus. Est autem horum quoque non una ratio: quidam enim etiam collegia Canonicorum simul abjecerunt; alii retinuerunt quidem, sed aliqua redituum parte multata. Quidam in conventu Imperii Ordinum nunc seculares inter Principes sententiam ferunt; ex sanctione videlicet Instrumenti Pacis Westphalicæ: quemadmodum Rex Sueciæ *Verdensis Ducis* titulo, Elector Brandenburgicus nomine *Principis Halberstadiensis*, *Mindensis & Caminensis*; Meklenburgensis denique tanquam *Princeps Suerinensis & Ratzeburgensis.* Alii comitiis non interfunt, neque an antehac interfuerint, ad liquidum exploratum est: sunt autem hujus generis *Misnensis*, *Mersburgensis*, *Naumburgensis*, *Brandenburgensis*, *Havelbergensis & Libussensis.*

2. Qui hoc adhuc ævo Episcopatus ad censum Imperii pertinent, quorumque Antistites in Ecclesiasticorum Principum collegio locum suffragiumque obtinent, *primum & vicesimum* implent *numerum*, hocque ordine in comitiis considere solent: Primum locum occupat Episcopus *Bambergensis*, proximi ab eo sunt *Herbipolitanus & Wormatiensis*, vicibus alternis; hos excipiunt

Spi-

Spirensis & Eichstadiensis, itidem alternatim; sequuntur *Argentoratensis*, *Constantiensis*, *Augustanus*, *Hildesheimensis*, *Paderbornensis*, *Frisingensis*, *Ratisbonensis*, *Passaviensis & Tridentinus*; tum per vices, *Brixiensis & Basileensis*; post hos eodem alternandi ordine, *Leodiensis*, *Osnabruggensis & Monasteriensis*; claudunt que chorum *Lubecensis & Curiensis*.

3. *Rambergensi* Diœcesi in præsentia præest Reverendissimus.

MARQUARDUS SEBASTIANUS *Episcopus Bambergensis S. R. Imperij Princeps*, electus d. 10. Jun. An. 1683. in locum *Petri Philippi de Dernbach*, Episcopi Bambergensis & Herbipolitani. Genus ducit à vetustissima familia *Schenckiorum de Stauffenberg*, *Dynastarum in Amertingen*, *Hornbach*, *Wulflingen*, qui Sueviæ Ducum Pincernæ hæreditarii quondam extiterunt, quorumque Genealogiam *Bucelinus* inde à *Bertholdo de Stauffenberg*, Equite, qui circa confinia seculorum undecimi & duodecimi claruit, justa serie deduxit. Patrem habuit *Johannem Sigismundum Schenckium de Stauffenberg Dominum in Amertingen*; matrem *Margaritam Ursulam Schenckiam à Geyren*; avum *Bernhardum*, aviam *Annam Reginam de Leonrodt*; proavum *Sebastianum*, *Annam Rechbergiam* mari-

Germ. Tom. II.

maritum, & communem omnium ex hac gente sat numerosa viventium parentem.

4. *Scutum* Episcopi Bambergensis hodierni *quadripartitum* est: areola prima & quarta *aurea leonem nigrum salientem, cui baltheus diagonalis argenteus totam aream permeans inductus, continet, quod* Bambergensis Episcopatus symbolum *est*: Secunda & tertia *argentea, fascia rubea in duas dividitur partes, quarum utraque leonem gradientem cœruleum defert, quæ* tessera *est* gentilitia Schenckiorum de Stauffenberg. Galeæ *incumbunt* duæ, *& inter eas* diadema Imperiale, *ceu* symbolum munificentiæ Imperatoris Heinrici II. galea anterior *tegitur pulvillo coccineo, cujus extremi globuli & panniculi auro fulgent, ei mediante sceptro aureo innititur tabula octangula aurea cum typo* Bambergensi; *angulis verò admotæ conspiciuntur singulæ pennæ pavoninæ*: posteriori galeæ gentilitiæ *imponitur pileus rubeus ora reducta argentea, cum tibiis duabus aureis, plumis nigris fastigiatis. Stipant clypeum* gladius & pedum Episcopale.

4. *Bambergensis* diœcesis ad *Mœnum* & *Regnesium*, Brandenburgicis, Hennebergicis & Herbipolensibus ditionibus majori ex parte cincta *Comitatus* quondam fuit, qui post mortem *Alberti Comitis Bambergensis*, fraude *Hattonis* Moguntinensis Præsulis in

in adversariorum manus delapsi, & ultimo ab iis supplicio affecti, in fiscum redactus, & ab *Ottone III.* Imp. *Heinrico D. Bavariæ* suo nepoti, ac in Imperio successori donatus est. Hic bonitati tituli, quo Comitatum illum tenebat, diffidens, quod iniquiùs paulò cum Alberto actum esse intelligebat, piis usibus eum mancipare, instinctu *Cunigundæ* conjugis suæ, decrevit; Episcopatum itaque ex eo fundavit, quem multis ampliſſimisque privilegiis ornavit, ac præter *Bambergenses* ditiones, compluribus etiam in *Carinthia* oppidis pagisque, præterea castro ac vico *Abach*, supra Ratisbonam sito, in quo ipse auram vitalem primùm hauserat, dotavit; primumque ejus Episcopum *Eberhardum* Cancellarium suum An. 1007. constituit. Inter *privilegia* verò & *jura* eximia, quo novum Episcopatum Cæsar decoravit, *primarium* hoc est, quod eum *nulli Archiepiscopo*, sed immediatè Romanæ sedi *subesse*, & *omnes Germaniæ Episcopos antecedere* voluerit: quam quidem prærogativam, ut ei à Pontifice impetraret, censum annuum *centum marcarum argenti & equum candidum phaleratum* Benedicto VIII. Papæ pollicitus est; quem tamen deinceps traditione *Beneventi*, oppidi Italici, redemit. Haud minoris illud est æstimandum, quod idem Imperator *quatuor supremos Imperij Officiales*, *iisdem ministeriis & offi-*

Limn. l. P. T. V. Addit. ad l. 4. c. 7. p. 230.

V. Freh. not. ad Pet. 7. de Andlo c. 25. p. 216.

officiis Episcopatui addixerit, quod insigne ejus ornamentum *Sericum Divæ Cunigundis filum* nominant; unde gravis ortus est error, quem superioris ævi scriptores quasi per manus traditum posteris communicarunt, quasi Principes Electores officia sua cum annexis commodis ab Episcopis Bambergensibus feuditulo accipiant; verùm traditionis hujus ἀλογίαν res ipsa ac experientia quotidiana dudum prodiderunt, neque mihi animus est in hac claritate Soli lucernam adhibere.

5. Hoc etiam inter eximia Episcopi Bambergensis referri potest, quòd *Director* audit *circuli Franconici*, & jus convocandi ejus Ordines unà cum Marchione Brandenburgico exercet. Ea cæteroquin ditionum ad Episcopatum pertinentium est amplitudo, ut LXXI. præfecturas amplectatur, quarum XV. in Carinthia sunt sitæ, reliquæ in ipsa diœcesi, cujus *metropolin Bambergam, liberam* antehac, sub seculi XIV. finem *subjugasse* memoratur *Lambertus* Episcopus. Ob *ditionum Carinthiacarum* verò *immedietatem* ac *immunitatem* controversia Episcopis cum domo Austriaca jam inde à Ferdinandi I. temporibus intercessit, conquerentibus illis, se duplici onere in Imperii contributionibus gravari, dum & ad ærarium Imperii quotam suam solvere tenentur, neque

que minus in diætis provincialibus Carinthiæ portionem suam pendere adiguntur. Incaluit hæc controversia in præsentibus etiam comitiis, & scriptis amœbeis acriter agitata, nunc verò transactione composita est.

6. Habent *Electores seculares* in officiis Episcopatus suos *Vicarios* ac *Subofficiales hæreditarios*, alios tamen ab illis, qui eorum vices in Supremis Imperii muniis implent, nimirum *Regis Bohemiæ* Archipincernæ Subofficiales sunt *Equites ab Aufseas*. *Ducis Bavariæ* Archidapiferi, *Truchsessii de Pommersfelden*. *Ducis Saxoniæ* Archimarescalli, *Marescalli ab Ebnet*. *Marchionis Brandenburgici* Archicamerarii, *Equites de Rotenhan*.

7. *Capitulum* Ecclesiæ Cathedralis Bambergensis *viginti* constat *Canonicis*, ad quorum stipendium Heinricus II. Imp. locum suæ proprietatis *Furt* dictum in pago *Nordgonne*, & in Comitatu *Berengeri Comitis* (primo à Noriberga lapide ad *Regnesi Pegnesisque* confluvium) situm, unà cum omnibus pertinentiis donavit atque proprietavit; uti se habent verba *instrumenti donationis*, Francofurti Cal. Nov. An. 1007. signati. Hæc verò *Capitularium Bambergensium* impræsentiarum est series:

I. *Franciscus Conradus à Stadion*, Præpositus.
II. *Carolus Fridericus Voit à Rineck*, Decanus,

pronuper è Cantore *ad id dignitatis evectus.*

III. *Conradus Wilhelmus à Werdnau.*

IV. *Johannes Philippus ab Elckershausen, dictus Klüppel,* Scholasticus.

V. *Vitus Dietericus ab Erthal,* Custos.

VI. *Franciscus Caspar à Stadion.*

VII. *Franciscus Otto Kottwiz ab Anlenbach,* Vicedominus in Carinthia.

VIII. *Georgius Heinricus à Stadion,* Cellarius.

IX. *Otto Philippus à Guttenberg.*

X. *Philippus Ignatius ab Haslang.*

XI. *Joh. Godofredus à Guttenberg.*

XII. *Joh. Philippus ab & in Franckenstein.*

XIII. *Carolus Sigismundus ab Aufsees.*

XIV. *Wolfgangus Philippus Gros à Trokhau.*

XV. *Georgius Wolfgangus à Rotenhan.*

XVI. *Lotharius Franciscus L. B. à Schönborn.*

XXVII. *Fridericus Edmundus à Sikingen.*

XVIII. *Joh. Franciscus Carolus ab Ostein.*

Residua duo loca in præsentia vacant.

8. Adjuncti sunt Capitularibus XV. *Domicelli,* hac serie:

I. *Philippus Ludovicus Faust de Stromberg.*

II. *Philippus Ludovicus à Rosenbach.*

III. *Adamus Adolphus à Thungen.*

IV. *Franciscus Georgius Faust à Stromberg.*

V. *Joh. Wolfgangus à Wallenfels.*

VI. *Philippus Wilhelmus à Dernbach.*

VII.

VII. *Georgius Wilhelmus Casimirus Schnzbar, dictus Milchling.*
VIII. *Godofredus Dietericus ab Erthal.*
IX. *Adamus Theophilus à Thüngen.*
X. *Fridericus Johannes Georgius à Sikingen.*
XI. *Franciscus Fridericus à Greiffenklau dictus Volrath.*
XII. *Heinricus Christophorus ab Aufsees.*
XIII. *Ferdinandus Johannes Josephus ab Hasslang.*
XIV. *Johannes Christophorus ab Erthal.*
Denique XV. *Philippus Reinhardus Eberhardus Schnzbar, dictus Milchling.*

CAP. III.

DE EPISCOPO HERBIPOLITANO.

CONRADUS WILHELMUS *Episcopus Herbipolitanus Franciæ Orientalis Dux.* Prognatus est ex incluta apud Suevos familia *de Werdnau*, sive *Wernau*, cujus Stemmatographiam *Bucelinus Tomo II. Germ.* exhibuit à *Corado à Wernau*, qui ludis equestribus à Guelphone Duce *Tiguri* An. 1165. celebratis, interfuerit derivatam. Parens ei fuit *Georgius Ludovicus de Werdnau*, mater *Veronica Ursula Schenckia de Stanffenberg:* patruus *Vitus Godofredus Decanus Capituli Herbipolitani.* Avus, *Conradus*, avia

Margarita Barbara ab Aschhausen, proavus, *Joh. Vitus*, proavia *Anna de Rechberg*. Antequam infula decoraretur, inter Canonicos Herbipolitanos *Cantoris* officio fungebatur; in Bambergensi autem Capitulo, ante paucos demum annos *Decanatum, Joh. Philippi Eglofsteiny* morte vacuefactum, obtinuit. Postquam autem pronuper anno nempe 1683. noctu inter 22. & 23. Aprilis *Petrus Philippus Episcopus Bambergensis & Herbipolitanus* vitæ sortem dereliquisset, dignus statim voce omnis populi habitus est, qui ei surrogaretur. Die itaque 31. Maji sollemni electione à Capitulo Herbipolitano habita, Episcopus & Princeps Herbipolitanæ Diœceseos renuntiatus fuit.

2. *Scuto* utitur *quadripartito*; areola prima *transversim secta est, tribus cuspidibus argenteis in caput laterculi rubeum protensis*, & Franconiæ Ducatum *innuit*; secundam & tertiam *argenteam transit baltheus niger, cui tres globuli aurei impressi, quod δᾶγμα* est gentilitium familiæ de Werdnau; quarta *cærulea vexillum exhibet ex minio & argento quadripartitum, lanceæ aureæ obliquo situ locatæ affixum, quod* symbolum est Herbipolensis Episcopatus. Galeæ *incumbunt* tres, prima *coronata sustinet duo cornua, sectione* Franconici *laterculi distincta; mediæ* gentilitiæ *itidem coronatæ imponitur figura semicircularis argentea, cujus extremitates in globulos aureos*

reos tribus plumis, quarum media argentea, reliquæ nigræ sunt, ornatos desinunt; extrema Herbipolensis *tecta est mitella Principali rubea, cui inter duo vexilla insistunt tres plumæ struthionicæ antrorsum reflexæ. Adjiciuntur hinc* pedum, *isthinc* ensis.

3. Herbipoleos, quæ Franciæ Orientalis metropolis ab omni memoria fuit, prim⁹ Episcopus S. *Burckardus* memoratur, à *Bonifacio* Archiepiscopo Moguntinensi & Germaniæ Apostolo, anno circiter 741. constitutus, atque à *Zacharia* Pontifice 748. vel 750. investitus, nec non *Episcopus Franconiæ* salutatus: ei *Pipinus* Francorum Regis Comestabilis, ejusdem Pontificis rogatu, prædia nonnulla unde cœnobium conderet, donavit, eidemque postea, cum à Papa facultatem Childericum Regem exauctorandi, ac regium diadema capiti suo imponendi, ipsi exorasset, in signum gratitudinis, *Ducatum Franconiæ*, quantum ejus ad se pertinebat, sollemni ceremonia, coacto *Francofurti* An. 752. Principum conventu, tradidit; ita ut in posterum Episcopos Herbipolenses omnes simul etiam pro Ducibus Franconiæ haberi, & omnimoda jurisdictione gaudere voluerit; eodemque tempore vicinos Comites Episcopatus ministeriis hæreditario nomine mancipasse perhibetur, nempe *Henneberg ensem Comitem*, ut Marescalli, *Rineccensem*, ut Dapiferi, *Castelensem* ut Pincernæ, &

Wertheimenſem ut Camerarii munia obeant: quod tamen alii demum An. 1168. à *Friderico I.* Imp. in comitiis Herbipolenſibus factum eſſe tradunt. Ab illa verò Præſulum duplici poteſtate πολυθρύλητος verſiculus ortus eſt: *Herbipolis ſola judicat enſe & ſtola:* quem tamen de priſcis ſaltem temporibus intelligendum eſſe, recte monitum eſt à *Limnæo*, cùm hac tempeſtate omnes Germaniæ Epiſcopos utraque poteſtate, Eccleſiaſtica & civili pollere, lippis & tonſoribus notum ſit. Acerrimè autem pro Ducatu Franconiæ decertavit *Erlangus* Epiſcopus quartus & viceſimus à Burkardo, è *Comitum de Calvv*, ſtirpe oriundus, cùm Heinricus IV. Imp. eum, quod ab ipſo ad Pontificis Romani partes deſciviſſet, Ducatu exuere, & in Conradum Sueviæ Ducem ſuum è ſorore nepotem illum transferre tentaſſet; unde in ſignum poteſtatis ſuæ gladium vagina vacuum ſibi præferri juſſit, eumque pedo paſtorali in inſignibus primus conjunxit. Ducis verò Franconiæ titulum trecentos ferme poſt annos *Godofredus* è Pincernis dē Limpurg proſatus, uſurpare cœpit, anſam ei præbente Alberto Marchione Brandenburgico, poſtea Electore, qui eundem titulum ſibi ſumſerat; cujus etiam poſteros, ut & Moguntinum Electorem, præterea Saxoniæ Ducem ob Hennebergicum Comitatum &

T. V. I. P. Add. ad l. 4. c. 7. p. 251.

Bam-

Bambergenſem Epiſcopum, hoc axioma Herbipolitano Præſuli hodiedum denegare *Limnæus* teſtatur. *T. IV. I.P. Add. ad l. 3. c. 3. p. 325.*

4. Eccleſiaſticæ verò jurisdictioni hujus Epiſcopatus non parum decerptum eſt, cum Bambergenſem Heinricus II. inſtitueret; quod tamen detrimentum Imperator munificus abundè penſavit, dum *dominium directum Comitis Catimelibocenſis*, præterea proprietatem vici *Bernheim* cum caſtro & nemore adjecto, porro arcem *Salza*, *Rongau*, *Mainingen*, *Mergenrod*, *Martenwaldorf*, *Altendorf* aliaque diœceſi adjunxit. Dividitur ea in LII. præfecturas, quæ ditionibus *Fuldenſibus*, *Bambergenſibus*, *Mergentheimenſibus*, tum ſilvis *Ottonica & Speshard* fermè cinguntur.

5. Cæterum familiis, quas ſub ipſam Epiſcopatus fundationem, miniſteriis ejus adſcriptas fuiſſe dictum eſt, majori ex parte extinctis, aliæ paris dignitatis, ſuccenturiatæ ſunt; nempe Hennebergicis Comitibus in *Mareſcalli* munere ſuffecti ſunt *Landgravii Leuchtenbergenſes*, quorum ſtirps nunc itidem defecit; collatumque eſt hoc officium haud ita pridem *Comitibus de Dernbach*; Sub Mareſcalli autem (Unter-Marſchalck) munus tenent *Equites de Bibra*. *Pincernatus* penes *Comites de Caſtel* etiam nunc eſt, habentque illi ſubofficiales *Equites de Grumbach*.

Dapiferatus post Rineccenſes, *Comitibus Eyſenbergæ* collatus eſt, quibus ſubſtituti ſunt *Equites de Thungen.* *Camerarij* officium extinctis Wertheimenſibus, *Comites Stolbergæ* obtinuerunt, qui vicarios habent *Equites Zobel de Gibelſtad.*

6. Capitulum Herbipolitanum 24. *Canonicis* equeſtri ſtirpe ortis conſtat, quorum hæc nunc eſt nomenclatio:

I. *Franciſcus Conradus à Stadion*, Præpoſitus, Senior, & Jubilæus.

II. *Franciſcus Chriſtophorus à Roſenbach.* Decanus.

III. *Joh. Philippus ab Elckershauſen*, *dictus Kluppel.* Jubilæus.

IV. *Antonius à Wiltberg.* Scholaſticus & Jubilæus.

V. *Vitus Theodoricus ab Erthal.* Cuſtos.

VI. *Franciſcus Caſpar à Stadion*, Epiſcopus Lavantinus.

VII. *Joh. Georgius Specht à Bubenheim.*

VIII. *Franciſcus ab Hazfeld*, *Comes de Gleichen.*

IX. *Joh. Heinricus ab Oſtein*, Decanus Comburgenſis.

X. *Franciſcus Otto Kottwiz ab Aulenbach.* Cellarius.

XI. *Georgius Heinricus à Stadion.*

XII. *Fridericus Edmundus à Sickingen.*

XIII. *Franciſcus Reinhardus ab Elter.*

XIV.

XIV. *Joh. Reichartus de Mauchenheim dictus Bechtelsheim, Judex provincialis* (Landrichter.)
XV. *Otto Philippus à Guttenberg.*
XVI. *Marquardus Sebastianus Schenck de Stauffenberg.*
XVII. *Joh. Godofredus à Guttenberg.*
XVIII. *Carolus Sigismundus ab Auffses.*
XIX. *Joh. Philippus Fuchs à Dornheim.*
XX. *Joh. Franciscus Carolus ab Ostein.*
XXI. *Carolus Fridericus Voit à Rineck.*
XXII. *Wolfgangus Philippus Gros à Trockau.*
XXIII. *Wilhelmus Reinhardus à Walderdorf.*
Locus ultimus nunc vacat.

7. *Domicellariorum* hic ἐν τῷ περάτι est syllabus:
Emericus Fridericus à Walderdorf.
Joh. Lucas ab Ingelheim.
Lotharius Franciscus à Schönborn.
Georgius Wolfgangus à Rotenhan.
Joh. Philippus Greiffenklau de Volraths.
Philippus Eberhardus Comes in Lövvenstein & Wertheim.
Philippus Ludovicus Faust de Stromberg.
Philippus Ludovicus à Rosenbach.
Godofredus Dietericus Ernestus ab Erthal.
Joh. Christophorus Augustinus à Riedheim.
Joh. Hartmannus de Rosenbach.
Franciscus Godofredus de Franckenstein.
Franciscus Georgius Faust de Stromberg.

Geor-

Georgius Wilhelmus Casimirus Schuzbar, dictus Milchling.
Damianus Eckenbertus L. B. de Dalberg.
Philippus Wilhelmus L. B. de Dernbach.
Ignatius Theobaldus Hartmannus à Reinach.
Fridericus Joh. Georgius à Sickingen.
Franciscus Petrus à Sickingen.
Joh. Antonius ab Erthal.
Damianus Joh. Philippus L. B. de Sickingen.
Joh. Fridericus Camerer de Wormbs L. B. de Dalberg.
Job. Conradus Heinricus de Buebenhofen.
Christophorus Heinricus Greiffenklau de Volraths.
Philippus Reinhardus Eberhardus Shhuzbar dictus Milchling.
Joh. Philippus Franciscus L. B. de Schönborn.
Wilhelmus Jacobus à Reinach.
Fridericus Godofredus Ignatius L.B.de Pfurdt: Is N. *Baronis Schönborni* nondum pubertatem ingressi, locum explet, *Portatorem* vocant.
Denique *Franciscus Eckenbertus Camerer de Wormbs, L. B. de Dalberg.*

CAP. IV.

DE WORMATIENSI EPISCOPO.

FRANCISCUS EMERICUS CASPAR *Episcopus Wormatiensis S. R. Imp. Princeps,*

ceps, electus est d. 10. Nov. 1679. in locum *Caroli Heinrici Metternichy L. B. in Winnenburg & Beilstein*, Electoris & Archiepiscopi Moguntinensis; qui, ut res, quos in hac dignitate habuit Prædecessores, in Episcopum Wormatiensis Ecclesiæ postulatus fuerat.

2. Genus ducit ex antiqua splendidaque familia *VValtpodiorum de Bassenheim*. Baronum axiomate ornata, cujus stemmatographiam, gratia Perillustris *Dn. Georgij Philippi Greiffenklau de Vollraths* suppeditatam, publici juris feci. *Parentes* habuit *Damianum Waltpotium* & *Elisabetham Hundtin de Saulheim: frater* ipsi est *Johannes Lotharius VValtpod.* cujus in ultimo Imperii Recessu, ratione Dynastiæ *Pyrmontanæ*, de qua nunc lis est sub judice, mentio occurrit. Antequam ad Episcopatum eveheretur, Capituli *Wormatiensis Præpositus* fuit, *Moguntinensis* verò *Custos*, & *Spirensis Scholasticus* adhuc audit. Stirpis suæ originem *Romanam* esse, Waltpodios; cum colonia, ab Agrippa in Ubiorum solum deducta, in has quas etiam nunc incolunt, oras venisse, & propter provinciam aliquam sæpe administratam nobilissimum nomen accepisse, censet *Gelenius de admir. Colon. Agripp. magn.* Nam (ut clarissimi auctoris verba mea faciam,) *si veteres Romanos ad nostra appellationis regulas* *lib. 2. synt. 1. p. 127.*

voce-

vocemus, veterum Walten & Schalten *nomina sunt, quibus indicatur, cum potestate prætoria quempiam præsidere;* Boden verò & Botten, *Legatum Latino idiomate rectè transferimus. Unde liquet Waltpodiis officij nomen inhæsisse à* Proconsulari, Prætoria *similique* potestate *Itaque Waltpodios,* si nomen *spectemus, dictos à* Legationis *potestate; si* insignia, Ælios seu Solares aut Soligeros *in Ubios venisse Roma traductos antiqua est traditio, & attestatur Poëta Germanicus ante sexcentos annos;* cujus rythmos hîc referre nihil attinet. *Idem etiam eruitur ex antiquissimis Ubio-Romanis muris, qui marmoribus apud S. Claram & passim incisos referunt teretes clypeos, cum armis Waltpodiorum.*

3. *Scutum* hodierni Episcopi Wormatiensis *quadripartitum* est: 1. & 4. areola *nigra clavem argenteam diagonali situ locatam, adjectis lapillis tetragonis aureis, defert* & Wormatiensem Episcopatum *designat:* 2. & 3. *argentea est, è cujus umbilico sex radij trigoni (similes alis molæ pnevmaticæ) coccinei per totam aream protenduntur; quod* symbolum *est* gentilitium Waltpodiorum de Bassenheim. Galeæ *incumbunt* tres, *quarum* mediam *pulvinar premit, cum infula* Episcopali: dextra *pulvinari rubeo impositam tabulam sexangulam sustinet, singulis angulis pavoninis pennis ornata, cum typo scutario* Wormatiensi: è sinistra

stra cassîde *cygnus exsurgit*, *cujus alis* tessera Waltpodiorum gentilitia *impressa est*. Laciniæ *hinc nigræ sunt & aureæ*, *isthinc argenteæ* & rubeæ. *Subjiciuntur scuto* gladius & pedum.

4. Wormatia vetustissimis Germaniæ civitatibus accensenda. *Borbetomagum* sub Romanis dicta, *Vangionum* olim caput, & Regum Cæsarumque nuptiis, acaliis sollemnibus curiis in ea celebriatis incluta, *Archiepiscopatu* quondam eminuit; quam dignitatem ornasse primus legitur *Victor*, qui seculo quarto synodo Colonienſi, adversus Euphratem Arianum habitæ, interfuit. Hunc exceperunt alii pari dignitate, usque ad *Gervilium* Archiepiscopum, *Geroldi*, qui pater ei fuit, ac prælio, à Pipino Francorum Rege cum Thuringis commisso, cecidit, successorem. Hic ob sævitiam vindicatæ paternæ cædis (namque interfectorem parentis, simulata amicitia ad colloquium evocatum, suapte manu trucidavit) Archiepiscopali axiomate exutus est, quod *Pipinus* Moguntiam, hucusque Wormatiæ subditam, transtulisse vulgò fertur; *Gervilij* autem successores, in quibus primus *VVernharius*, Episcopali tantùm honore contentos esse jussit. Jactabantur ea tempestate versiculi in utrumque Archiepiscopum *Geroldum & Gervilium* concinnati, in *illum* hi:

Ense

VVoif. cent. 6. lect. memor. f. 578.

Enſe Geroldus *obit Præſul, qui dimicat enſe?*
Perplacet ergò chorum, non adiiſſe forum.
In filium *iſti:*
Quid Laicus faciet, cum pergat ad arma Sacerdos?

Bruſch. c. 7. p. 106.

Gervilius *patris vindicat enſe necem.*
Antiſtes baculo, gladio non utitur unctus:
Hoſtem, Gervili, cur, precor, ergo necas?

5. Hac ipſa verò degradatione ad limites oppido anguſtos redacta eſt diœceſis, ſuntque nunc etiam ejus reditus adeo exiles, ut inter Rhenanos Epiſcopatus pro *pauperrimo* habeatur: Obtinet nihilominus Præſul *Directorium circuli Rhenani ſuperioris.* In civitate Wormatienſi nulla pollet jurisdictione, libera enim illa eſt & Imperio immediatè ſubjecta; & quamvis fidelitatis juramentum cives Epiſcopo præſtare ſoleant, nullam tamen id ſubjectionem involvit. *Sedes Epiſcopalis* nunc, uti ferunt, *Durnſteinij* eſt, quod caſtrum duabus ab urbe leucis diſtat; ante hac *Ladenburgi* fuit, cujus oppidi *condominium Electores Palatini* jam à longo tempore obtinent, acquiſitum à Ruperto Seniore, qui An. 1371. *dimidiam partem Ladenburgi*, caſtri *Stein*, & quatuor eò pertinentium pagorum *Lampertheim, Hofheim, Northeim & Neckarshauſen*, titulo *emptionis venditionis* (uti quidem à Palatinis jactitatur) à *Simone Comite Spanhemij & Vianda* nactus

eſt;

est; eorumque condomium, sancita postea A. 1387. cum Episcopo *Ekhardo* & Capitulo Wormatiensi transactione, sibi posterisque ac successoribus asseruit: Nostra autem ætate gravis inde exarsit controversia, cum Anno 1661. *Hugo Eberhardus* Episcopus Wormatiensis prætenderet, Palatinos non jure proprietaris, sed hypothecario tantùm titulo prædictum condominium possidere, produceretque *instrumentum oppignorationis*, à Ruperto Electore Palatino tanquam acquirente confectum; in quo disertè & planissimè enarratur, *Dietericum Episcopum Wormatiæ Comiti Walraffio Spanheimensi & hæredibus ejus, Ecclesiæ sua castra & loca prædicta ex parte dimidia, pro XXI. millibus florenorum* oppignorasse, *postea cum consensu Ekhardi Episcopi & Capituli ejus*, Rupertum seniorem Electorem Palatinum, *illud* jus pignoris *in antè nominatis locis, pro eadem summa à Simonde Comite, Walraffi filio*, redemisse; *sed ad laudem Dei & ex singulari in Ecclesiam Wormatiensem affectu, de illis XXI. mille florenis*, sex millia florenorum remisisse. *ita ut illa summa non excederet* XV. millia. *Porro Rupertum fidem obstrinxisse, ut, quandocunque prædictus Ekhardus Episcopus aut ejus successores tradituri ac persoluturi sint ipsi aut ejus hæredibus XV. millia florenorum, ipse illique tenerentur, argentum istud accipere, & castra illa pro dimidia portione cum pertinentiis suis per relutionem reddere.* Hoc itaq; in-

pag. 80. strumento, quod adjectum est *Vindiciis adversus Wildfangiatum Palatinum An.° 1665. evulgatis*, subnixus *Hugo Eberhardus* Episcopus *Carolo Ludovico Electori Palatino* per Notarium & testes denuntiari curavit, paratum se esse, illam argenti summam dissolvere, pignusque satis diu in alienis manibus versatum, reluere, ac Episcopatui denuo vindicare; requisivit etiam, ut ad causam justo ac decenti modo cognoscendam, Austrægas denominaret. At vero Elector, qui aliquid monstri Episcopum alere suspicabatur, tergiversari, instrumentum oppignorationis non agnoscere, denuntiationem illam antiquis pactis adversari, requisitionem etiam debitis formis destitui, dictitare. Hac repulsa concitatus Præsul, rem sine mora ad Judicium Imperiale Aulicum detulit, & mandatum citationis adversus *Electorem Palatinum* extraxit; isto autem forum hoc refugiente, perfecerunt *Hugonis Eberhardi* in Episcopatu successores, quorum, quia Electorali etiam & Archiepiscopali apud Moguntinos dignitate eminebant, magna in aula Imperiali erat autoritas, ut non obstantibus Exceptionibus fori declinatoriis ab Elector Palatino interpositis d. 22. Jun. 1673. in contumaciam adversus ipsum pronunciaretur, & *sententia definitiva* ferretur; qua injunctum illi est, *ne reluitioni prædictæ obesset*, sed

sed intra duorum mensium spatium Actori possessionem faceret, pecunia numerata, possessionem dimidiæ partis controversæ in memoratis locis arripiendi, sub pœna decem marcarum auri. Graves eapropter & iteratas querelas movit Elector Palatinus in comitiis præsentibus, sententiæque illius iniquitatem, nullitatem & partialitatem (sit venia vulgari vocabulo) præterea præjudicium ac detrimentum, quod in universos ac singulos Imperii Ordines exinde redundet, variis *libellis memorialibus*, quos statibus exhiberi curavit, denique *Deductione summaria* exaggeravit.

6. Capitulum Wormatiense *novem* constat *Canonicis*, quorum hæc est nomenclatio:

I. *Philippus Franciscus Eberhardus Camerarius de Wormbs, L. B. de Dalberg.* Præpositus & Cameræ Imperialis Spirensis Præses.

II. *Adolphus Fridericus Dominus in Elz.* Decanus.

III. *Johannes Carolus ab & in Franckenstein.* Custos.

IV. *Philippus Wilhelmus à Nesselrath, dictus Hugenpott* Scholasticus.

V. *Caspar Heinricus Wrede ab Ameckhe.* Cantor.

VI. *Franciscus Adolphus L. B. ab Elter.* Senior.

VII. *Maximilianus Heinricus L. B. à Gymnich.*

VIII. *Johannes Rudolphus à Franckenstein.*
Denique IX. *Joh. Adam L. B. à Hoheneck.*
7. *Domicellariorum* totidem nunc numerantur, hac serie:
Johannes Hermannus à Klatten.
Josvvinus Caspar à Ketteler in Harkotten.
Johannes Philippus Warmbolt in Umbstat, L. B.
Alexander Joh. Franciscus Ignatius Waltpod à Bassenheim in Godenau
Johannes Philippus Hundt à Saulheim.
Franciscus Wolfgangus L. B. de Metternich.
Johannes Heinricus ab & in Giesenberg.
Wilhelmus Ulricus à Guttenberg,
Johannes Sigismundus L. B. ab & in Frens & Kendenich.

CAP. V.

DE EPISCOPO AICHSTETTENSI.

MARQUARDUS *Episcopus Aichstettensis, S. R. Imp. Princeps*, prognatus est ex illustri familia Franconiæ *Schenckiorum de Castel*, quam aliquot jam dum abhinc seculis inter Barones numeratam, Leopoldus Augustus denuo axiomate illo ornavit. Patrem habuit *Johannem Eberhardum Schenckium de Castel*, matrem *Catharinam Hundpissin de Waltrams*; avum *Fridericum*, aviam *Catharinam de Schvvendi*.

2. Eve-

2. Evectus est ad Episcopatum ante quinque & quadraginta annos, postquam *Johannes Christophorus à Westertetten*, An. 1637. morte sua vacuam sedem fecisset. Inter Capitulares *Moguntinenses Præpositi* dignitatem sustinet; Princeps optimus & humanissimus, ad omnia, quæ providenda sunt in Republica, & animo & consilio paratus; cui in honorificentissima legatione, qua in comitiis hodiernis sub titulo *Commissarij Cæsarei primarij* fungitur, pietas rectissima sentiendi perpetuò, & autoritas, quæ sentiebat obtinendi ut plurimùm supererat.

3. *Clypeus*, quo utitur, *quadripartitus* est: 1. & 4. latereculus *argenteus singula juga cornuum cervinorum rubeorum, cum adherente cranij parte exhibet*, familiæ Schenckiorum de Castel δᾶγμα: 2. & 3. *itidem argenteus binos gradientes leones rubeos auro coronatos defert, quæ tessera est* familiæ Schenckiorum de Landeck. Toti imponitur parmula *ovali forma rubea exhibens pedum Episcopale argenteum*, quo Episcopatus Aichstettensis *designatur*. *Huic clypeo* quatuor *insistunt* galeæ, *quarum* primam *ornant cornua cervina* Schenckiana: secundam *tiara* Episcopalis, *pulvillo rubeo imposita, premit*: *è tertia coronata protenditur brachium cocco indutum, manu pedum Episcopale argenteum sursum protendens*, apex Aichstettinus; *è* quarta *coronata exsurgit*

Spon. Oper. Her. Sp. l. 3. c. 42.

herma virilis rubeo amictu, quod cimerion est Landeckiorum pincernarum: Laciniæ *sunt ex argento & cocco: Subjiciuntur scuto* pedum Episcopale & ensis.

4. Aichstettensem Episcopatum, prisca ætate *Aureatensem* dictum à civitate ab Attila quondam eversa (cujus rudera in vico *Nassenfels*, tribus ab Ingolstadio leucis dissito, supereſſe *Zeilerus* è *Gretſero* refert) fundavit Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus, & primum ejus Episcopum *Wilibaldum*, suum è sorore Bonna nepotem, cujus pater *Richardus Anglorum Rex* fuisse perhibetur, constituit; eumque ad eam dignationem extulit, ut ipsum & successores primum locum inter Episcopos Moguntinæ sedi suffragantes tenere, & perpetuum ejus Cancellarium esse voluerit. *Wilibaldus* exstructo, seculo VIII. ad *Altimolam* fluvium Norici in Comitatu *Hirſperg* (cujus magnam partem Sahvviggerus Comes ei donaverat) cœnobio, vicinis ruricolis ansam eò commigrandi, atque exciso querceto, à quo nomen postea urbi inditum esse putant, domicilia illic instituendi præbuit; unde ubi antea ingens solitudo erat, mox vicus, è vico verò civitas exsurrexit. Extra urbis autem pomœria insigne castrum excelsa in rupe condidit *Bertholdus* Episcopus, è stirpe Burggraviorum Noribergensium oriundus, & *Wi-*

libal-

libaldsburg nominavit, quod à successoribus amplificatum & *Episcopali sedi* aptatum est. Inter *benefactores & dotatores* Ecclesiæ celebratur, præter prædictum *Schwiggerum* Comitem Hirspergensem, *Gebhardus* ejus gentilis ac familiæ ultimus, qui residuam Comitatus partem unà cum oppido *Berchingensi* Episcopatui donavit. Accessit etiam Imperatorum munificentia, quippe *Arnulphus Imp.* monasterium amplum atque opulentum *Hasenried*, *Fridericus I.* verò vicum *Rebdorf*, quem *Altimola* alluit, Diœcesi adjecerunt: quam Episcopi quoque novis ditionibus subinde auxerunt; etenim *Conradus à Pfaffenhoven* quadragesimus à Wilibaldo Præsul, castra *Kapfenberg*, *Gundelsheim & Sansee*; *Philippus à Razenhausen Gerdingen* & *Wartberg*; *Marquardus ab Hegeln* monasterium *Morsbrun*, *Henricus Schenck Reichenoviam* arcem, *Fridericus* denique, è Comitibus *Oetingæ* oriundus, *Dorhausen & Prunneck* pretio acquisivisse memorantur.

5. Insigne verò est elogium, & (*Spenero τῷ καλλιαρίστῳ* judice) omni aliorum potentiæ ac opulentiæ, & mille triumphis vel palmis non æquiparandum, sed longissimè præponendum, quo *Bruschius* Episcopos Aichstettenses ornavit, dum *eos solos, inter omnes alios Germaniæ Episcopos conservandæ pacis & tran-*

quillitatis publicæ semper amantes & studiosos, nunquam arma sumsisse, nunquam bella gessisse, aut ullius inquietis autores fuisse prædicat.

6. Est cæteroquin hic Episcopatus potens amplis & pluribus *vasallis* nobilibus, à quo Principes etiam & Comites feuda recognoscunt: Ecclesiastica ejus Jurisdictio per superiorem quoque Palatinatum, & illum, quem die jungę Pfalz vocant, sese extendit; & licet diœcesis præter Franconiam, Bavariam etiam ac Sueviam contingat, ad solum tamen *Franconicum circulum* refertur.

7. *Ministri hæreditarij*, quibus stipatus est Episcopatus, hi sunt: Marescalli, *Schenckij L. B. de Castel.* Pincernæ, *Equites ab Eyb*, Dapiferi, *Nobiles à Leonrod.* Camerarii, *Equites de Schaumberg.*

8. *Canonici Capitulares* Aichstettenses *sextum & decimum* implent *numerum*, hoc ordine:

I. *Johannes Eucharius Schenck L. B. de Castel, Dynasta in Beuren & Bischingen.* Præpositus. *Agnatus Episcopi octavo gradu conjunctus, filius* Udalrici Christophori & Mariæ Cleophes à Wolffurt.

II. *Johannes Martinus ab Eyb.* Decanus.

III. *Johannes Marquardus L. B. à Bernhausen, Dynasta in Eppishausen & Herrlingen.* Custos.

IV.

IV. *Wolfgangus Franciſcus Ignatius L. B. à Spirrink.* Cantor.

V. *Franciſcus Rudolphus ab & in Schœnau.*

VI. *Johannes Frobenius Ignatius S. R. I. Dapifer hereditarius, Comes in Zeil, Dn. in Waldburg.*

VII. *Heinricus Ferdinandus L. B. de Layen.*

VIII. *Franciſcus Chriſtophorus Rinck de Baldenſtain.*

IX. *Franciſcus Adolphus ab Ehingen.* Cellarius.

X. *Philippus Ignatius L. B. ab Haslang.* Scholaſticus.

XI. *Johannes Rudolphus ab Ovv,*

XII. *Franciſcus Waltherus ab Halvveil,*

XIII. *Johannes Antonius Knœbel de Kazenelnbogen.*

XIV. *Carolus Ferdinandus L. B. ab Ulm in Erbach.*

XV. *Rudolphus Dietericus L. B. de Freyberg in Rœnau.*

XVI. *Alexander Sigismundus Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ, &c.*

9. His *undecim* adjunguntur *Domicelli*, quorum hæc in præſentia eſt nomenclatio:

Chriſtophorus Benedictus L. B. de Freyberg & Eyſſenberg.

Johannes Heinricus Speth de Zvvyfalten.

Franciſcus Thomas Erhard Schenck de Caſtel,

Reverendi Epiſcopi ac Præpoſiti agnatus,

utrique nono gradu conjunctus, filius *Johannis Erhardi & Mariæ Elisabethæ de Roppurg.*

Antonius Maria Fridericus Comes de Fürstenberg.

Joseph Melchior L. B. ab Ulm in Erbach.

Carolus Christianus L. B. de Leublfing.

Johannes Ernestus L. B. ab Ulm in Erbach.

Marquardus Ferdinandus Schliderer de Lachen.

Johannes Sigismundus Comes de Küenburg.

Franciscus Dietericus de Guttenberg.

Denique *Fridericus Godofredus Ignatius L. B. de Pfürdt.*

CAP. VI.

DE EPISCOPO SPIRENSI.

JOHANNES HUGO, ex *Orsbeckiorum* incluta stirpe prosatus, priusquam Trevirensi Archiepiscopali sedi admoveretur, Spirensis Ecclesiæ Antistes jam dum erat; in qua dignitate successit *Lothario Friderico Metternichio in Burscheid*, Moguntinensi etiam Archipræsuli, Anno 1675. rebus humanis exempto; cùm jam ante ipsius obitum in *Coadjutorem* ei adjunctus esset: De ejus prosapia atque insignibus *superiore libro* actum est. cap. 3.

2. Spi-

2. Spirensis Episcopatus, quamvis incompertæ sit originis, vetustioribus tamen Germaniæ annumeratur, hoc argumento, quod jam An. 398. *Iessius* sive *Tessis* Episcopus Nemetum synodo Colonienſi, qua Euphrati Ariano dignitas Episcopalis abrogata est, interfuisse legatur. Post illum tamen nulla Spirensium Episcoporum memoria occurrit usq; ad *Athanasium*, quem Sacellanum suum *Dagobertus* Rex Francorum An. 610. Ecclesiæ huic præfecit, atque adeo Episcopatum *restauraſſe* putatur; ab isto verò ad nostram usque ætatem justa nec interrupta Præsulum series texi potest. *Lehm. Chron. Spir. l. 1. c. 28.*

3. Inter *Evergetas* Ecclesiæ laudibus in primis vehuntur Imperatores *Heinricus II. Conradus II. Heinricus III.* & IV. qui compluribus eam prædiis ditarunt; qualia sunt *Rotenfels*, *Eppingen*, *Hertheim*, *Hornbach*, *Weiblſtad* cum pago *Minderbach*, oppidum *Bruchſal* aliaque. Ex Episcopis *Iohannes*, cum frater ipsius *Lyboldus Comes Creichgovia* absque liberis mortem obiisset, multa è Comitatu bonacis & trans Rhenum sita Ecclesiæ donavit. *Emericus*, qui seculo XIV. vixit, aliquot pagos à cive nobili Heinrico von Cöln coëmit, inter quos etiam *Udenheiminm* erat, quod posteà *Gerhardus* Episcopus muro fossaque circumdedit, *Georgius* verò sub jui- *Lehm. Chron. Spir. l. 7. c. 23.*

initium superioris seculi arcem ibi condidit, & Episcopalem sedem in id transtulit, hoc demum seculo *Philippus Christophorus* novas solidasque munitiones adstruxit, locoque nobile ac perpetuum à se nomen dedit, & *Philipsburgum* vocavit; neq tamen diu eo gavisus est, bellicis enim turbis in Germania invalescentibus, à Suecis, qui victricia per Imperium arma circumferebant, deditione An. 1634. occupatum, & paulò pòst Gallis traditum fuit, quibus anno sequenti virtute ac stratagemate *Caspari Bambergeri* Chiliarchæ Cæsarei iterum ereptum; sed A. 1644. à Condæo Principe & Turennio Vice-Comite, illustri bellatorum strenuissimorum pari, denuo obsessum, cum pulveris pyrii inopia laboraret, potestati eorum sese permisit; à quo tempore Gallico præsidio custoditum est, usque ad annum 1676. quo orto inter Germanos & Gallos bello, illi post longam eamque acerrimam obsidionem id recuperarunt, & Cæsari tuendum tradiderunt.

4. In *Spirensem civitatem* nulla Episcopo jurisdictio competit, quippe quæ in classe liberarum ac Imperialium est; fidelitatis saltem sacramentum cives Præsuli, ad Wormatiensium exemplum, dicunt: habet tamen ille facultatem nonnulla in urbe officia constituendi, nempe Camerarii, Sculteti, & quæ rem

rem monetariam ac telonia concernunt, uti *Sprengerus* testatur; qui id etiam refert, Episcopis ante annos haud ita multos à Cæsare potestatem esse factam, sese non solùm Episcopos von Speyer/ sed & zu Speyer nominandi, idque inde manasse, quod *pagum Spirensem* ab amne præfluente ita appellatum, & extra urbis pomœria situm, mœnibus cinxerint: quamquam *Limnæus* ex *Hoppingio* docet, jamdum An. 1589. per transactionem civitati cum Præsule convenisse, ut eum in posterum non amplius Episcopum von/ sed zu Speyer salutaret. *Iurispr. publ. l. 3. c. 10. p. 410.* *Tom. V. I. P. Add. ad l. 4. c. 7. p. 259.*

5. Sedem Episcopo *Bruchsella* præbet (quamquam & Spiræ elegans ipsi est palatium) in *Prurrhenico* tractu, qui ei maximam partem subest, sita; ubi arcem *Ulricus* II. Præsul, cum ejus Advocatiam à Comitibus de Calvvemisset, exstruxit. Est ibi nunc *Præpositura*, Odenheimio, post destructum An. 1525. rusticorum furore cœnobium à Friderico Imp. 1160. fundatum, & ab Episcopis Spirensibus hypothecario titulo acquisitum, illuc translata. *Weisenburgensis* etiam Præpositura, in oppido Imperiali cognomine ad *Luteram* in *Wasgavia* sito, & nunc à Gallis detento, Episcopatui Spirensi incorporata est. Fundavit eam Dagobertus Rex Franciæ An. 629. & in *Abbatiam Ordinis Benedictini* instituit; Carolus IV. Imp. Abbates *Principali* *Spon. Oper. Har. Ep. l. c. c. 64. §. 9*

pali dignitate exornavit. Verùm *Rudigerus* cognomine *Piscator*, Abbas LVI. An. 1526. Abbatiam in *secularem Præposituram* mutari passus est; ejusque successor *Philippus de Flerstein* Episcopus Spirensis à Carolo V. Imp. & Paulo III. Papa obtinuit, ut Episcopatui Spirensi insereretur.

6. *Officialibus hæreditariis* caret. *Canonicorum Capitularium* hic est syllabus:

I. *Johannes Philippus à Walderdorf.* Præpositus, electus haud ita pridem in locum *Damiani Emerici ab Orsbeck* defuncti.

II. *Ignatius Wolf dictus Metternich in Gracht*, Decanus & Præpositus ad S. Germani.

III. *Franciscus Emmericus Caspar Waltpod de Bassenheim*, Episcopus Wormatiensis, Scholasticus & Præpositus ad omnium Sanctorum.

IV. *Cornelius Adolphus à Rolshausen.* Custos.

V. *Damianus Ernestus à Wasperg:* Cantor.

VI. *Fridericus Wilhelmus L. B. de Lœ in Wissen.*

VII. *Heinricus Hartardus de Rollingen.* Præpositus ad S. Guidonis.

VIII. *Heinricus Ernestus à Nagel de Coborg.*

IX. *Joh. Bernhardus Droste in Senden.*

7. Sequuntur *Domicellarij.*

Philippus Wilhelmus L. B. de Boineburg.

Theodorus Ferdinandus Baro de Frens in Kendenich.

Feli-

Felix Ego Comes de Fürſtenberg, &c.
Johannes Heinricus Arnoldus de Wachtendonck.
Hermannus Fridericus de Schade,
Damianus Hugo Franciſcus Adrianus Antonius L. B. de Virmund in Nordenbeck, Nerſe.
Wilhelmus Hermannus Ignatius Ferdinandus Hieronymus L. B. Wolf dictus Metternich in Gracht.
Johannes Heidenreich ab & in Gieſenberg.
Plato Amelungius à Schlon, conditus Gehlen ab Hohlvvinckel.
Franciſcus Antonius Cammerer de Worms L. B. de Dahlberg.
Alexander Johannes Franciſcus Ignatius Waltpod, L. B. de Baſſenheim in Godenau.
Fridericus Chriſtianus Ignatius Franciſcus Filius in Elz.

CAP. VII.

DE EPISCOPO ARGENTINENSI.

GUILIELMUS EGO *Epiſcopus Argentinenſis, Adminiſtrator Stabulenſis & Malmundurienſis, Landgravius Alſatiæ, Princeps in Fürſtenberg*, electus eſt d. 8. Jun. 1682. in locum *Franciſci Egonis* fratris ſui, corpore pariter & animo germani. *Paren-*

tes

tes eis fuere *Ego Comes de Fürſtenberg*, & *Anna Maria Principiſſa ab Hohenzollern*; de quorum proſapia ſuo loco ſermo erit.

2. *Scuto* utitur, *quadripartito*: primam areolam *rubeam permeat baltheus diagonalis argenteus*, *quod* Argentinenſis Epiſcopatus ſymbolum *eſt*. Secunda *argentea agnum candidum*, *pedum paſtorale rubeum geſtantem*, *& ante arborem viridem*, *ſuper graminea colle gradientem exhibet*, *nempe* Stabulenſis Abbatiæ emblema: tertia *argentea baſiliſcum viridi monticulo inſiſtentem defert*, *qua* Malmundrienſis Abbatia *indicatur*: quarta *rubea argenteum baltheum continet cujus extremitates veticulo terminantur*, *deſignando* Landgraviatui Alſatiæ: Toti *verò* parmula *incumbit*, gentilitiam Fürſtenbergiorum teſſeram *deferens*. Tegi *poteſt hoc ſcutum hinc tiara* Epiſcopali, *iſthinc mitra* Principali *rubea*, *vellere herminioco reflexa*: *ſubjici autem* pedum cum enſe, *ſitu decuſſato*.

Spm. Op. Har. Sp. l. 3. c. 19.

3. Fundatio Epiſcopatus Argentinenſis *Dagoberto* Regi Franciæ vulgo adſcribitur, ſed craſſo errore, quem poſt *Godefridum Henſcheniũ* inprimis detexit *Ulricus Obrecht* Vir patriarum rerum apprimè peritus, *in prodromo Alſaticæ hiſtoriæ*; ubi dictum Epiſcopatum trecentis jamdum ante Dagobertum annis floruiſſe evincit, ex actis Synodi Agrippinenſis. ſub Conſtantio & Conſtante, Conſtan-

c. 9.

stantini M. filiis Anno 346. habitæ; cui *Amandum Argentinensium Episcopum* interfuisse subscriptio testetur. Illos præterea, qui Dagobertum, si non primum fundatorem, restauratorem tamen Episcopatus fuisse perhibent, eò quod *Amando* non alius substituatur, quàm *Arbogastus* Aquitanus, circa annum 650. vivis exemptus, atque adeo intercedente trium seculorum spatio Ecclesia Episcopis destituta fuerit, refellit & meliora docet è veteri membrana, in qua *Erckenbaldus* Præsul, qui *Ottonis* I. & II. tempore vixit, carmine suos in Episcopatu antecessores enumeravit, atque illud etiam inter *Amandum* & *Arbogastum* intervallum expleverit. Porro, nec munificentiam, qua Ecclesia Argentinensis locupletata est, *Dagoberto* I. uti vulgaris fert traditio, sed ejus nepoti *Dagoberto* II. adscribendam esse asserit, & quàm pudendâ ἀνιστορησία & ἀλογία illorum commentum laboret, qui *Dagobertum* quicquid juris aut regiæ superioritatis in Alsatia sibi aut suis quocunque modo competeret, in *Amandum* & ejus in Præsulatu legitimos successores transfudisse, tradiderunt, graviter ostendit: neque illam disquisitionem sicco præterit pede, *an autoritate Heinrici II. Imp. Wernerus Episcopus, urbem Argentinam sibi subjectam reddiderit,*

quod nonnulli, consequentiarum fidiculos obtorto velut collo pertrahentes quò volunt, affirmare sustinuerunt: ipse verò è certis fidisque documentis ac præstantiorum Historicorum scriptis demonstrat, *Wernerum* ab Heinrico Imp. gubernationem *unius in urbe monasterij* impetrasse, & id quidem ea duntaxat ratione, *quatenus*, ut verba instrumenti habent, *de facultatibus illius repararet Episcopalem sedem;* quàm infirma itaque & elumbis illa sit ratiocinatio, quæ à concessa unius monasterii administratione, eaque temporaria duntaxat, ad superiotatem aut imperium publicum universæ civitatis argumentatur, nervosè disserit, atq; ut omnes Episcopalium prætensionum titulos ac σοφίσματα destruat & evertat, civitati verò perpetuam, integram & illibatam libertatem vindicet, plurimum industriæ judiciique adhibet. Denique id etiam demonstrat, quàm apertè illi fallantur, qui cum *Guillimanno* prodidere, *Alsatiæ inferioris Landgraviatum* Argentinensem Episcopum, quatenus Episcopatus beneficium erat, post *Heinrici Landgravij* ex *Egenheimensibus* obitum, recepisse, neque alteri commisisse, sed deinceps titulo ejus usum esse: Imò planum facit, Landgraviatum Episcopatus beneficiũ nunquam fuisse, feudis tantùm quibusdam cum illo connexis, Landgravios ab Episcopis

Opt. cit. c. 22.

pis investiri solitos esse; quæ Heinrico mortuo, reciderint quidem ad Episcopatum, sed Comitibus *Oettingensibus*, postquam illis ab Imperatoribus Landgraviatus commissus erat, etiam fuerint collata; qui illa demum *Johanni C. Liechtenbergio* Episcopo Argentinensi An. 1359. vendiderunt; atque hunc primum titulum *Landgravij* usurpasse, non ob horum solummodo feudorum redemptionem, sed quia à Johanne insuper Landgravio qualescunque Landgraviatus reliquias cæteras Episcopatui comparaverat.

4. Cæterum, sicut nullum unquam jus, nulla Jurisdictio Episcopo in urbem Argentinam competebat, ita nec sedem ibi habebat, sed *Tabernis Alsaticis*, quæ quatuor milliaribus inde distant. Hoc verò ævo, versæ, lætaquidem quoad Præsulem, tristi vero civitati mutatione, sunt vices: postquam enim hæc libertatis suæ quondam ad prodigium usque tenax, & tot ac tantis munitionibus, quas inexsuperabiles jactare solebat, obvallata, deteriore hac ætate degener facta, exteri Regis jugo colla subdere, quam aliqua saltem (ne dicam ultima) pro libertate ac fide, qua Imperio obstricta erat, experiri maluit; Episcopum etiam recipere, ædemque Cathedralem ei pandere, & potestati ejus permittere coacta est; cujus possessionem ille d. 19. Oct. 1681. splendido comitatu urbem ingressus,

cepit, templumque sollemni pompa & cerémonia in Romana Ecclesia recepta initiavit. Exscripta est typis *narratio succincta hujus sollemnitatis*, in cujus limine hoc legitur *lemma chronicum:*

Anno, quo
LUDoVICUS Deo DatVs reX
FranCIsCo egonI epIsCopo argentInensI
eCCLesIaM (Vibe, potestatI regIs
sIne VI, sVbaCta) restItVebat.

5. Neque vero dubium est, quin etiam *Canonici*, qui hactenus *Molzemij* res suas curabant, nunc in urbem domicilia sint translaturi, & operam sedulò daturi, ut ædes illas, quas den Brüderhoff vocant, præbendasque, quæ per instrumentum pacis Westphalicæ Ducibus *Brunsvicensibus & Mecklenburgensibus* concessæ sunt, sibi vindicent. De acri dissidio, quod superiore seculo ad finem vergente, inter Canonicos (quorum aliqui, illi nimirum, qui *Evangelicam* religionem profitebantur, *Johannem Georgium*, *Marchionem Brandenburgicum*, *Pontificii* verò *Carolum Lotharingum* suffragiis suis in Episcopum elegerant) ortum & armis agitatum est, belloque Germanico præluit, nihil hîc attinet dicere; diserte id & scitè, ut omnia ὁ πάνυ *Thuanus* recensuit. *Hist. lib. 104. & seq.*

6. Constat *Collegium Canonicorum* XXIV. sodalibus, in quorum numerum nemo coopta-

ptatur, nisi illustres Principes, Comites & Barones, qui fidem suæ illustris prosapiæ majorum legitima demonstratione fecerint; unde est, quod Argentinensis Episcopatus, inter Rhenanos *Nobilissimi* nomen promeruerit. In hodierna Canonicorum nomenclatione ac serie exploranda operam, quam multam adhibui, lusi; id unum constat, principem inter eos locum nunc obtinere *Franciscum Bernhardum Principem Nassovium* ex *Hadamarensi* linea, Capituli *Decanum*; qui An. 1681. d. 9. Maji surrogatus est *Ignatio Eusebio Comiti a Königseck*, vix annuo spatio hac dignitate gavisо; eam enim anno demum 1680. d. 12. Jun. morte *Philippi Salentini C. Manderscheidij* adeptus erat.

CAP. VIII.

DE EPISCOPO CONSTANTIENSI.

FRANCISCUS JOHANNES *Episcopus Constantiensis, S. R. Imp. Princeps, Dynasta Rëichenoviæ & Oeningiæ*; electus est d. 7. Febr. 1645. in locum *Johannis S. R. Imp. Dapiferi in Waldburg*. Prognatus est ex Illustri stirpe Suevica Dominorum de *Prasberg*, qui aliàs dicuntur *Vogt de Summerovv*; pater ei erat *Albertus de Prasberg*, dictus *Vogt de Summerovv*, mater *Maria Salo-*

me à Sirgenſtein: patruus *Sixtus Wernerus* Epiſcopus Conſtantienſis, An. 1628. mortuus: avus *Hugo*, avia *Walpurgis de Kronheim*: proavus *Johannes Jacobus*, proavia *Clara de Klingenberg & Dvviel.* Integram familiæ deductionem videre eſt in *Bucelini Tomo III. Germ. Stemmatogr.*

2. *Scutum* Epiſcopi *quadripartitum* eſt: 1. & 4. laterculus *rubeus cruce argentea notatur, quod* Conſtantienſis Epiſcopatus *ſymbolum eſt*: 2. & 3. *aureus cornu cervinum nigrum deorſum incurvatum continet, quæ* teſſeraeſt gentilitia Prasbergiorum. Galeæ *incumbunt* duæ, *quibus interpoſita eſt* tiara Epiſcopalis, *in fronte B. Virginis Deiparæ imaginem exhibens*: prior galea *ſuſtinet tabulam rubeam ſexangularem, globulis ac plumis ornatam, cui* crux. Icutaria *inſcripta eſt*: è poſtetiore Prasbergia *exſurgit collum caputque moloſſi*: *Clypeo ſubjectum eſt* pedum Epiſcopale *ſitu perpendiculari.*

Fourn. Geogr. orb. not. lib. 4. c. 34.

3. Epiſcopatus Conſtantienſis in urbe *Vindoniſſa*, in *Ergoja* ſita, ortus, poſtquam ea ab Alemannis everſa erat, à Regibus Franciæ *Conſtantiam*, à Conſtantio Imp. Magni Conſtantini patre appellatam, & loco opportuno, inter Acronium & Venetum lacum ad Rhenum jacentem, transportatus eſſe perhibetur ſeculo ſexto, qua tempeſtate *Maximus* ſeu *Maximinus* Epiſcopi munus obibat.

bat. *S. Conradus* Comes Altorfensis, quartus & vigesimus ab isto Præsul, omne, quod habebat, patrimonium Episcopatui donavit, si *Sprengero* credimus. Tam latè verò ejus diœcesis sese extendit, ut omnes Germaniæ amplitudine exsuperare feratur; memorantque imperante Friderico II. in Synodo An. 1435. habita, ultra *septendecim millia Presbyterorum & parochiarum* in ea numerata fuisse; & quamvis post reformatam in Suevia & Helvetia religionem, complures civitates ejus jurisdictioni sese subduxerint, latè tamen adhuc Episcopi in Ecclesiasticis potestas divagatur; quam Abbatiæ monasteriaque haud pauca suspiciunt. Neque minùs prædiis ditionibusq; auctus est Episcopatus, tenetque præter varia in *Turgoja* loca, in Imperiali solo præcipuè civitates *Merspurg* & *Marchdorff*, quarum illa Comitibus de Rordorf quondam paruit, nuncque sedem ac domicilium Episcopis præbet: namque in ipsa urbe Constantia nulla gaudent civili jurisdictione, quippe quæ penes Austriacos est, ab eo tempore, quo Ferdinandus I. Imp. Constantienses, quod decretum religionis, *Interim* vulgò vocant, recipere detrectâssent An. 1548. proscripsit, & postea libertate, quam Friderico III. Cæsari in acceptis ferebant, multatos, in suam clientelam suscepit, his conditionibus, *ut ipsum ejusque liberos &*

Luc. mea St. Imp. p. 297.

Mah.

Sleid. Comment. de St. Rel. & Reit. l. 21. p. 348.

& hæredes pro suis dominis imposterum agnoscant, eique fidem omnem & obedientiam præstent, nec ab eis ullo tempore deficiant, neque fœdus ullum ineant: decretis, quæ Ferdinandus ejusque præfecti de religione cæterisque rebus facturi sunt, omnino pareant: in bellicis aliisque negotiis ipsi ejusque hæredibus præstò sint, & imperata faciant, sicut reliqui provinciales.

4 Est cæteroquin Episcopus Constantiensis *Dominus Divitis Augiæ*, sive *Reichenoviæ*, de qua *Abbatia* inferiùs dicetur; & *Oeningæ*, quæ *Præpositura* est in pago ejus nominis *ad lacum Bodanicum* sito, quem Comitatum olim fuisse *Zeilerus in Topogr. Suevia* è Crusio refert. Obtinet etiam *Directorium circuli Suevici* cum Duce Wirtenbergico, atque in Diætis circularibus primo sedet loco.

5. *Ministris hæreditariis* stipatum ac ornatum esse hunc Episcopatum, exinde colligere licet, quod in *Bucelini Tomo III. Germ. Stemmatogr. Barones Zvveyer*, ejus *Dapiferi hæreditarij* vocantur; quæ verò familiæ cætera munia teneant, expiscari haud integrum fuit.

6. *Canonicorum* Collegium *quatuor & viginti sodales* complectitur, quorum hæc est nomenclatio:

I. *Alexander Sigismundus Comes Palatinus Rheni &c. Coadjutor Episc. Augustani.* Præpositus.

II. *Geor-*

II. *Georgius Sigismundus Episcopus Heliopolitanus, Suffraganeus.* Decanus.
III. *Heinricus Christophorus a Liebenfels.* Cantor.
IV. *Sebastianus Peregrinus L. B. Zvveyer ab Euebach.*
V. *Joh. Albertus Schindelin, ab & in Unter Raidnavv.* Custos.
VI. *Marquardus Rudolphus à Rodt.*
VII. *Josephus ab Ach* J. U. L. Vicarius generalis.
VIII. *Carolus Antonius Pfyffer ab Altishoffen.*
IX. *Joh. Sigismundus à Bernhausen.*
X. *Wolfgangus Dominicus ab Hallvveil.*
XI. *Joh. Wolfgangus ab & in Bodmann.*
XII. *Joh. Theodorus Hauser à Gleichenstorf.*
XIII. *Franciscus Dominicus Vogt ab alten Sumerovv, de Prasberg in Dachsvvangen.*
XIV. *Franciscus Josephus à Liebenfels.*
XV. *Joh. Franciscus Antonius L. B. ab & in Schönavv.*
XVI. *Felix Ego Comes à Furstenberg &c.*
XVII. *Johannes Blavv. S. Theol. D.* Officialis.
XVIII. *Franciscus Theodoricus à Gemmingen.*
XIX. *Franciscus Johannes Romanus ab & in Sirgenstein.*
XX. *Johannes Paulus Roth, à Schreckenstein.*
XXI. *Fridericus L. B. à Stein.*
XXII. *Johannes Wilhelmus Segesser à Brunegg.*

XXIII. *Johannes Franciscus Schenck de Stauffenberg.*

XXIV. *Wernerus Dietericus de Neuhausen.*

CAP. IX.

DE EPISCOPO AUGUSTANO.

JOHANNES CHRISTOPHORUS *Episcopus Augustanus, S. R. Imp. Princeps*; evectus est è *Præposito Elvecensi* ad Episcopalem dignitatem, d. 18. Aug. 1665. postquam *Sigismundus Franciscus Archidux Austriæ* ad conjugium animum adjiciens, Ecclesiastica beneficia & axiomata dimisisset. Genus ducit è perantiqua familia Suevica *de Freyberg*, quæ hodie *Baronum* titulo ornata est. *Parentes* habuit *Casparem à Freyberg* & *Annam Reginam à Rechberg*,

Spm. Op. Har. Sp. l. 3. c. 41.

2. *Scuto* utitur *quadripartito*: 1. & 4. area la *ex cocco & argento bipartita est*, ac Augustanum Episcopatum *denotat*: 2. & 3. *transversim secta*, *in capite argento fulget*, *inferiori medietati cœrulea*, *tres globi aurei 2. 1. inscribuntur*, *quæ* tessera gentilitia Freybergiorum *est*. *Insistunt clypeo præter* tiaram Episcopalem, *pulvinari impositam*, duo galeæ *coronatæ*; *quarum* prior Episcopalis *sustinet tabulam 12. angulorum ex minio & argento bipertitam*, *cujus*

jus singulis angulis admoventur singulæ plumæ pavoninæ deauratæ: altera Freybergia *sustinet quinque erectas struthionicas plumas argenteas retrorsum reflexas. Scuto decussatim, pro more, subjiciuntur* gladius & pedum: Laciniæ *hinc argenteæ sunt & rubeæ, isthinc ejusdem metalli & cœrulea.*

3. Prima Christianæ religionis semina in Vindelicia à *Narcisso* Episcopo ejusque Diacono *Felice*, postea Gerundæ Tarraconensis Hispaniæ urbe martyrium passis, sparsa esse, vulgaris est traditio: hos enim illa tempestate, qua Diocletiana persecutio, quæ in tertium seculum incidit, fervebat, profugos & Augustam delatos, fortuna apud fœminam quandam *Aſram*, è Cypro oriundam, & meretriciis Veneris mysteriis cum puellis suis initiatam, iisque gnaviter litantem, divertisse, illamque cum tota familia ad pieratis verique DEI cultum perduxisse, & *Sozimum* Hilariæ, quæ Afræ mater erat, fratrem, indito ei in baptismate *Dionisii* nomine, *primum* in Vindelicia *Episcopum* constituisse ferunt. Verùm, & si hanc Afræ conversionem nemo facilè in dubium vocaverit; ante ipsam tamen Christianos Augustæ fuisse, & jam olim *Lucium* quendam Rhætos Evangelium docuisse, atque ex illis, quos Augustæ sacræ fidei adjunxit, Campestrii, viri

viri primarii nomen superare, *Marcus Velserus*, egregius antiquitatum patriarum vindex, edocuit in luculento *ad Historiam conversionis S. Afræ commentario:* ubi neque id
pag. 453. extra omnem dubitationis aleam positum arbitratur, quod *Dionysius* ille à Narcisso Episcopus Ecclesiæ Augustanæ, isque primus fuerit constitutus: id enim adversari Canonibus Apostolicis, qui Episcopū à duobus aut tribus Episcopis, non ab uno duntaxat, ordinandum esse, caverint; ne tamen traditionem antiquam Augustanæ Ecclesiæ elevet, *Dionysium* à *Narcisso* Presbyterum designatum, postea Canonicè in Episcopum promotum esse, & ideo primum dici, quod nullius anterioris memoria superstes sit, licet reapse primus in hac sede non sederit, largitur. Hunc ipsum autem Dionysium *Sozimum* ante baptismum dictum fuisse ægrè concedit, sicque sentit: si *Sozimus* aliquis Augustæ Episcopus fuit, vel circa hæc tempora, vel multis post seculis, sub Regibus Francorum, ut nonnulli scripserunt, cum omnino diversum à Dionysio fuisse, neque causam esse, cur confundantur.

4. Inter successores Dionysii *Simpertus* numeratur, ex Ducibus Lotharingiæ, sore-
Vels. vir. Aug. Vind. l. 4. pag. 835. re Caroli M. editus; hunc Augustanam diœcesin Noricorum finibus auxisse, ac *Novoburgensem* jurisdictionem ei adjecisse, Annalium

alium monumentis testatum est. Seculi patio remotus ab isto erat *Vdalricus* Episcopus, *Hupaldi I. Comes Kyburgensis & Ditperae Burkardo I. Sueviæ Duce* prognatæ, filius in *Sanctorum* classem post obitum relatus; cui inter alia beneficia, quæ Episcopatui exhibuisse perhibetur, id etiam adscribitur, quod glires è tota diœcesi exterminaverit, adeo ut nec hodie aërem Augustanum tolerare valeant, uti *Zeilerus* è Stengelio refert. Ulrico Sancto successit *Heinricus Comes de Geisenhausen*, qui, quod ulcimus suæ stirpis fuerat, integrum Comitatum avitum Episcopatui donavit. Pari titulo *Vdescalcus Episcopus C. Eschenloënsis* An. 1102. mortuus, castrum *Eschenloë*, præterea pagos *Kulsingen & Eringen*, cum arce *Traitenried*, Ecclesiæ adjecit. Inter omnes verò optimè de ea meritus est *Hartmannus* Præsul, *ultimus Comitum Kyburgensium & Dillingensium*, qui civitatem & arcem *Dillingensem*, nec non Comitatum *Witislingensem*, & omnes fere pagos, usque ad Werdeam Suevicam sitos ei contulit: Obiit ille An. 1286. Hoc denique seculo *Heinricus à Knöringen*, qui annum sextum & quadragesimum vitæ supremum habuit, Dynastiam *Otilienberg* in Algoja cum adjunctis pagis, castris & decimis, emptionis titulo acquisivit, & Episcopatui incorporavit.

5. Se-

5. Sedes Episcopalis *Dillingæ* est, quam Danubius alluit: in Augustana civitate quippe quæ inter liberas & Imperiales urbes caput dudum extulit, nulla ei est juris dictio civilis, an prisca ætate fuerit, disquirere non est meum, affirmatur ab his, negatur ab illis. Comprehenditur diœcesis sub *circulo Suevico*, & exporrigit se *Orientem* versus ultra Licum, usque ad finem Frisingensis & Ratisbonensis Episcopatus; versus *meridiem* ad Alpes usque quà Brixensi & Curiensi diœcesi terminatur; versus *occidentem* ad Hilaram usque, quæ à Constantiensi separatur; denique versus *septentrionem* ad Danubium & Aichstettensis Episcopatus limites.

6. *Officiales hereditarij* Augustani Episcopatus hi sunt: Dapiferi, *Equites de Stadion*. Pincernæ, *Nobiles de Welden*. Marescalli *Equites de Westernach*. Camerarii, *Barones de Freyberg*, qui successerunt *Nobilibus ab Hoheneck*.

7. Cæterum vergentibus jam ad senectutem Johannis Christophori Episcopi annis assumsit is An. 1681. prævio Capituli assensu, in dignitatis curarumque consortem *Coadjutorem* vocant, *Alexandrum Sigismundum*, *Comitem Palatinum Rheni*, *Philippi Wilhelmi Ducis Neoburgici* filium quintogenitum.

8. Ca

8. Capitulum Augustanæ Ecclesiæ Cathedralis *viginti* constat *Canonicis*, quorum hic in præsentia est syllabus:

I. *Johannes Eucharius Schenck Baro de Castel.* Præpositus, qui hanc dignitatem morte *Johannis Reinhardi ab Eyb* vacuefactam, nuper demum obtinuit.

II. *Leonhardus Frey J. U. Licentiatus.* Decanus.

III. *Johannes Martinus Myllerus S. S. Th. D.* Cellarius & Senior.

IV. *Johannes Franciscus Reuberg ad Eggenstein & Ehrenhausen*, S. S. Th. D.

V. *Johannes Marquardus L. B. à Bernhausen Dn. in Eppishausen, Klingenstein & Herlingen.*

VI. *Johannes Martinus ab Eyb.*

VI. *Johannes Frobenius Ignatius S. R. I. Dapifer hæreditarius, Comes in Zeil, Dn. in Walpurg.* Custos.

VIII. *Sebastianus Peregrinus Baro Zvveyer ab Euebach.*

IX. *Johannes Christophorus Baro Adelmann ab Adelmansfelden.*

X. *Franciscus Antonius Comes in Königsegg & Rotenfels.*

XI. *Franciscus Fridericus Comes à Wolckenstein & Trosburg.*

XII. *Marcus Albertus Baro de Freyberg in Raunavv.* Scholasticus.

XIII.

XIII. *Johannes Fridericus Ignatius Comes de Preysingen Baro in Alten Preysingen.*

XIV. *Wolfgangus Franciscus Ignatius B. de Spirinck.*

XV. *Marcus Raphael ab Halvveil.*

XVI. *Franciscus Bernhardus L. B. ab Haslang, Dn. in Hohenkamer, Haslang, Kreit, Groshausen & Giebing.*

XVII. *Johannes Ludovicus Ungelter de Deisfenhausen.*

XVIII. *Eustachius Egolphus à Westernach,* Episcopus Dioclensis Suffraganeus.

XIX. *Johannes Conradus Laurentius Comes à Törring in Seefeld.*

XX. *Ferdinandus Baro Zvveyer ab Euebach.*

9. Capitularibus totidem subjunguntur *Domicelli*:

I. *Paris Carolus Josephus à Tuliers Baro de Froberg.*

II. *Franciscus Brock S. S. Theol. D.* Officialis.

III. *Sigismundus Comes ab Arcu.*

IV. *Marquardus Rudolphus à Rodt.*

V. *Josephus Ignatius Baro de Taxis.*

VI. *Carolus Ferdinandus L. B. ab Ulm Dn. in Erbach.*

VII. *Franciscus Theodorus à Guttenberg.*

VIII. *Christophorus Otto C. & Dn. in Schallenberg.*

IX. *Johannes Guilielmus Segesser à Brunegg.*

X. *Ru-*

X. *Rudolphus Theodoricus B. de Freyberg in Raunavv.*
XI. *Joh. Theodoricus Hauſer à Gleichenſtorf S. S. Theol. D.*
XII. *Johannes Chriſtophorus Guilielmus C. & Dn. à Tyrheim.*
XIII. *Ferdinandus Joſephus Johannes à Weſternach.*
XIV. *Joh. Chriſtophorus B. de Stein.*
XV. *Chriſtophorus Benedictus Baro de Freyberg & Eiſenberg.*
XVI. *Joh. Franciſcus Schenck à Stauffenberg.*
XVII. *Joh. Sigismundus B. de Bienzenau.*
XVIII. *Wolfgangus Dominicus ab Halvveil.*
XIX. *Joh. Antonius Knobl. à Kazenelenbogen.*
XX. locus in præſentia vacat.

CAP. X.

DE EPISCOPO HILDESHEIMENSI ET LEODIENSI.

MAXIMILIANUS HEINRICUS è *Ducibus Bavariæ* ortus, cujus tanquam Archiepiſcopi & Electoris Colonienſis *cap. 4. libri ſuperioris* mentio facta eſt, Hildesheimenſem quoque ac Leodienſem Epiſcopatus regit, & in utroque *Prædeceſſorem* eundem, quem in Archiepiſcopatu, habuit, *patruum* ſcilicet *Ferdinandum.*

2. *Scuto*, Hildesheimensis Episcopatus ratione, *tali* fortassis *utitur*, *ut quadripartito è* Bavaricis ac Palatinis *symbolis repetitis, in medio incumbat parmula ex argento & minio bipertita, quod* Hildesheimense *δῆγμα est.*

3. Quæ verò tanquam *Leodiensis Præsul* ferre solet insignia, ita vidi disposita, ut *aquilæ Imperialis bicipitis mitra ducali redimita, ac rostris unguibusque* pedum ensemque *deaussatim locatos tenentis, pectori scutum impressum sit è* Bavaricis ac Palatinis emblematibus *repetitis quadrifidum: ab utroque autem aquilæ latere* duæ *conspiciantur* parmulæ, *quarum* superior à dextris *tiara tecta rubea est, & columnam argenteam basi quadrangulari, aliquot constanti gradibus innitentem, & epistylio aureo ornatam exhibet*, Leodiensis Episcopatus *symbolum. Huic* è regione sinistra *respondens pelta, ducali pileo cincta, & itidem rubea fasciam argenteam continet, qua* Bullionensis Ducatus *designatur.* Inferior à dextro latere *argentea tres leones prasinos 2, 1, linguis cruentis defert &* Marchionatum de Franchimont *notat: ei* opposita parmula *aurea est, inductis quatuor fasciis rubeis, qua tessera est* Comitatus Lossensis; *utraque verò corona Comitibus propria tegitur.*

4. Episcopatus *Hildesheimensis* fundator *Carolus M.* extitit, qui ad propagandum veri Dei cultum, & ad convertendos Saxones, cùm

cùm aliis in locis, tùm etiam ad confluentes *Sabæ & Lynÿ* piſculentorum amnium in *Elzÿ* pago amœniſſimo, à manſione Caroli *Aula Regia* dicto, Eccleſiam in honorem S. Petri condidit, & Epiſcopatum *Aulicenſem* appellavit; hic poſtea à Ludovico Pio translatus eſt *trans Lynium* in locum, quem à cœlitus miſſa nive *Hildeſchnee*, & demum terminatione paululum immutata *Hildesheim* dictum eſſe cenſet *Bertius*. Primus Epiſcopus *Guntharius* ſeu *Guntherus* memoratur, An. 835. mortuus. De vigeſimo primo Præſule *Bernhardo, Comite Rotenburgio*, memorabile eſt, & viro Epiſcopo, (ſi diis placet) dignum, quod *Bruſchius* recenſet: nimirum acquiſiviſſe eum per revelationem ac admonitionem familiaris cujusdam ſpiritus (quem Chronica Saxonum à ruſtico pileo, quo tectus incedebat, *Hudickhin* vocabant) *Winzenburgenſem Comitatum* & oppidum *Alvendenſe*; poſtquam Hermannus, ultimus Comes à Winzenburg Saxonici cujusdam ac præpotentis Reguli interfector, relictis ſuis omnibus ditionibus, in ſpontaneum exilium abierat, nemini poſtea ſuorum unquam viſus: acceſſit tamen deinceps occupationi hujus Comitatus ab Epiſcopo factæ Lotharii Saxonis Imp. conſenſus. *Adologo* Epiſcopus XXIV. *Comitatum Homburgenſem*, *Iohan-*

Commentat. rer. Germ. l. 3. p. 163.

me à Sirgenſtein: patruus *Sixtus Wernerus* Epiſcopus Conſtantienſis, An. 1628. mortuus: avus *Hugo*, avia *Walpurgis de Kronheim*: proavus *Johannes Jacobus*, proavia *Clara de Klingenberg & Dvviel.* Integram familiæ deductionem videre eſt in *Bucelini Tomo III. Germ. Stemmatogr.*

2. *Scutum* Epiſcopi *quadripartitum* eſt: 1. & 4. laterculus *rubeus cruce argentea notatur, quod* Conſtantienſis Epiſcopatus *ſymbolum eſt*: 2. & 3. *aureus cornu cervinum nigrum deorſum incurvatum continet, quæ* teſſeraeſt gentilitia Prasbergiorum. Galeæ *incumbunt* duæ, *quibus interpoſita eſt* tiara Epiſcopalis, *in fronte B. Virginis Deiparæ imaginem exhibens*: prior galea *ſuſtinet tabulam rubeam ſexangularem, globulis ac plumis ornatam, cui* crux ſcutaria *inſcripta eſt*: è poſtetiore Prasbergia *exſurgit collum caputque moloſſi*: *Clypeo ſubjectum eſt* pedum Epiſcopale *ſitu perpendiculari.*

Tourn. Geogr. orb. not. lib. 4. c. 34.

3. Epiſcopatus Conſtantienſis in urbe *Vindoniſſa*, in *Ergoja* ſita, ortus, poſtquam ea ab Alemannis everſa erat, à Regibus Franciæ *Conſtantiam*, à Conſtantio Imp. Magni Conſtantini patre appellatam, & loco opportuno, inter Acronium & Venetum lacum ad Rhenum jacentem, transportatus eſſe perhibetur ſeculo ſexto, qua tempeſtate *Maximus* ſeu *Maximinus* Epiſcopi munus obibat.

bat. *S. Conradus* Comes Altorfensis, quartus & vigesimus ab isto Præsul, omne, quod habebat, patrimonium Episcopatui donavit, si *Sprengero* credimus. Tam latè verò ejus diœcesis sese extendit, ut omnes Germaniæ amplitudine exsuperare feratur; memoranque imperante Friderico II. in Synodo An. 1435. habita, ultra *septendecim millia Presbyterorum & parochiarum* in ea numerata fuisse; & quamvis post reformatam in Suevia & Helvetia religionem, complures civitates ejus jurisdictioni sese subduxerint, latè tamen adhuc Episcopi in Ecclesiasticis potestas divagatur; quam Abbatiæ monasteriaque haud pauca suspiciunt. Neque minùs prædiis ditionibusq; auctus est Episcopatus, tenetque præter varia in *Turgoja* loca, in Imperiali solo præcipuè civitates *Merspurg* & *Marchdorff*, quarum illa Comitibus de Rordorf quondam paruit, nuncque sedem ac domicilium Episcopis præbet: namque in ipsa urbe Constantia nulla gaudent civili jurisdictione, quippe quæ penes Austriacos est, ab eo tempore, quo Ferdinandus I. Imp. Constantienses, quod decretum religionis, *Interim* vulgò vocant, recipere detrectâssent An. 1548. proscripsit, & postea libertate, quam Friderico III. Cæsari in acceptis ferebant, multatos, in suam clientelam suscepit, his conditionibus, *ut ipsum ejusque liberos & hæ-*

Luc. mea ?. St. Imp. p. 297.

Sleid. Comment. de St. Rel. & Reit. l. 21. p. 348.

& hæredes pro suis dominis imposterum agnoscant, eique fidem omnem & obedientiam præstent, nec ab eis ullo tempore deficiant, neque fœdus ullum ineant: decretis, quæ Ferdinandus ejusque præfecti de religione cæterisque rebus facturi sunt, omnino pareant: in bellicis aliisque negotiis ipsi ejusque hæredibus præstò sint, & imperata faciant, sicut reliqui provinciales.

4 Est cæteroquin Episcopus Constantiensis *Dominus Divitis Augiæ*, sive *Reichenoviæ*, de qua *Abbatia* inferiùs dicetur; & *Oeningæ*, quæ *Præpositura* est in pago ejus nominis *ad lacum Bodanicum* sito, quem Comitatum olim fuisse *Zeilerus in Topogr. Suevia* è Crusio refert. Obtinet etiam *Directorium circuli Suevici* cum Duce Wirtenbergico, atque in Diætis circularibus primo sedet loco.

5. *Ministris hæreditariis* stipatum ac ornatum esse hunc Episcopatum, exinde colligere licet, quod in *Bucelini Tomo III. Germ. Stemmatogr. Barones Zvveyer*, ejus *Dapiferi hæreditarij* vocantur; quæ verò familiæ cætera munia teneant, expiscari haud integrum fuit.

6. *Canonicorum* Collegium *quatuor & viginti sodales* complectitur, quorum hæc est nomenclatio:

I. *Alexander Sigismundus Comes Palatinus Rheni &c. Coadjutor Episc. Augustani.* Præpositus.

II. *Geor-*

II. *Georgius Sigismundus Episcopus Heliopolitanus, Suffraganeus.* Decanus.
III. *Heinricus Christophorus a Liebenfels.* Cantor.
IV. *Sebastianus Peregrinus L. B. Zvveyer ab Euebach.*
V. *Joh. Albertus Schindelin, ab & in Unter Raidnavv.* Custos.
VI. *Marquardus Rudolphus à Rodt.*
VII. *Josephus ab Ach* J. U. L. Vicarius generalis.
VIII. *Carolus Antonius Pfyffer ab Altishoffen.*
IX. *Joh. Sigismundus à Bernhausen.*
X. *Wolfgangus Dominicus ab Hallvveil.*
XI. *Joh. Wolfgangus ab & in Bodmann.*
XII. *Joh. Theodorus Hauser à Gleichenstorf.*
XIII. *Franciscus Dominicus Vogt ab alten Sumerovv, de Prasberg in Dachsvvangen.*
XIV. *Franciscus Josephus à Liebenfels.*
XV. *Joh. Franciscus Antonius L. B. ab & in Schönavv.*
XVI. *Felix Ego Comes à Furstenberg &c.*
XVII. *Johannes Blavv. S. Theol. D.* Officialis.
XVIII. *Franciscus Theodoricus à Gemmingen.*
XIX. *Franciscus Johannes Romanus ab & in Sirgenstein.*
XX. *Johannes Paulus Roth, à Schreckenstein.*
XXI. *Fridericus L. B. à Stein.*
XXII. *Johannes Wilhelmus Segesser à Brunegg.*

XXIII. *Johannes Franciscus Schenck de Stauffenberg.*

XXIV. *Wernerus Dietericus de Neuhausen.*

CAP. IX.

DE EPISCOPO AUGUSTANO.

JOHANNES CHRISTOPHORUS *Episcopus Augustanus, S. R. Imp. Princeps*; evectus est è *Præposito Elvecensi* ad Episcopalem dignitatem, d. 18. Aug. 1665. postquam *Sigismundus Franciscus Archidux Austriæ* ad conjugium animum adjiciens, Ecclesiastica beneficia & axiomata dimisisset. Genus ducit è perantiqua familia Suevica *de Freyberg*, quæ hodie *Baronum* titulo ornata est. *Parentes* habuit *Casparem à Freyberg* & *Annam Reginam à Rechberg*,

Spen. Op. Her. Sp. l. 3. c. 43.

2. *Scuto* utitur *quadripartito*: 1. & 4. areola *ex cocco & argento bipartita est*, ac Augustanum Episcopatum *denotat*: 2. & 3. *transversim secta, in capite argento fulget, inferiori medietati cærulea, tres globi aurei 2. 1. inscribuntur, quæ* tessera gentilitia Freybergiorum est. *Insistunt clypeo præter* tiaram Episcopalem, *pulvinari impositam*, duo galeæ *coronatæ; quarum* prior Episcopalis *sustinet tabulam 12. angulorum ex minio & argento bipertitam*, cu-

jus

jus singulis angulis admoventur singulæ plumæ pavoninæ deauratæ: altera Freybergia *sustinet quinque erectas struthionicas plumas argenteas retrorsum reflexas. Scuto decussatim, pro more, subjiciuntur* gladius & pedum: Laciniæ *hinc argenteæ sunt & rubeæ, isthinc ejusdem metalli & cæruleæ.*

3. Prima Christianæ religionis semina in Vindelicia à *Narcisso* Episcopo ejusque Diacono *Felice*, postea Gerundæ Tarraconensis Hispaniæ urbe martyrium passis, sparsa esse, vulgaris est traditio: hos enim illa tempestate, qua Diocletiana persecutio, quæ in tertium seculum incidit, fervebat, profugos & Augustam delatos, fortuna apud fœminam quandam *Afram*, è Cypro oriundam, & meretriciis Veneris mysteriis cum puellis suis initiatam, iisque gnaviter litantem, divertisse, illamque cum tota familia ad pietatis verique DEI cultum perduxisse, & *Sozimum* Hilariæ, quæ Afræ mater erat, fratrem, indito ei in baptismate *Dionisii* nomine, *primum* in Vindelicia *Episcopum* constituisse ferunt. Verùm, & si hanc Afræ conversionem nemo facilè in dubium vocaverit; ante ipsam tamen Christianos Augustæ fuisse, & jam olim *Lucium* quendam Rhætos Evangelium docuisse, atque ex illis, quos Augustæ sacræ fidei adjunxit, Campestrii, viri

viri primarii nomen superare, *Marcus Velserus*, egregius antiquitatum patriarum vindex, edocuit in luculento *ad Historiam conversionis S. Afræ commentario:* ubi neque id extra omnem dubitationis aleam positum arbitratur, quod *Dionysius* ille à Narcisso Episcopus Ecclesiæ Augustanæ, isque primus fuerit constitutus: id enim adversari Canonibus Apostolicis, qui Episcopū à duobus aut tribus Episcopis, non ab uno duntaxat, ordinandum esse, caverint; ne tamen traditionem antiquam Augustanæ Ecclesiæ elevet, *Dionysium* à *Narcisso* Presbyterum designatum, postea Canonicè in Episcopum promotum esse, & ideo primum dici, quod nullius anterioris memoria superstes sit, licet reapse primus in hac sede non sederit, largitur. Hunc ipsum autem Dionysium *Sozimum* ante baptismum dictum fuisse ægrè concedit, sicque sentit: si *Sozimus* aliquis Augustæ Episcopus fuit, vel circa hæc tempora, vel multis post seculis, sub Regibus Francorum, ut nonnulli scripserunt, cum omnino diversum à Dionysio fuisse, neque causam esse, cur confundantur.

pag. 453.

4. Inter successores Dionysii *Simpertus* numeratur, ex Ducibus Lotharingiæ, sorore Caroli M. editus; hunc Augustanam diœcesin Noricorum finibus auxisse, ac *Novoburgensem* jurisdictionem ei adjecisse, Annalium

Vels. vir. Aug. Vind. l. 4. pag. 335.

nalium monumentis testatum est. Seculi spatio remotus ab isto erat *Vdalricus* Episcopus, *Hupaldi I. Comes Kyburgensis & Ditpergæ Burkardo I. Sueviæ Duce* prognatæ, filius in *Sanctorum* classem post obitum relatus; cui inter alia beneficia, quæ Episcopatui exhibuisse perhibetur, id etiam adscribitur, quod glires è tota diœcesi exterminaverit, adeo ut nec hodie aërem Augustanum tolerare valeant, uti *Zeilerus* è Stengelio refert. Ulrico Sancto successit *Heinricus Comes de Geisenhausen*, qui, quod ulcimus suæ stirpis fuerat, integrum Comitatum avitum Episcopatui donavit. Pari titulo *Vdescalcus Episcopus C. Eschenloënsis* An. 1102. mortuus, castrum *Eschenloë*, præterea pagos *Kulsingen & Eringen*, cum arce *Traitenried*, Ecclesiæ adjecit. Inter omnes verò optimè de ea meritus est *Hartmannus* Præsul, *ultimus Comitum Kyburgensium & Dillingensium*, qui civitatem & arcem *Dillingensem*, nec non Comitatum *Witislingensem*, & omnes fere pagos, usque ad Werdeam Suevicam sitos ei contulit: Obiit ille An. 1286. Hoc denique seculo *Heinricus à Knöringen*, qui annum sextum & quadragesimum vitæ supremum habuit, Dynastiam *Otilienberg* in Algoja cum adjunctis pagis, castris & decimis, emptionis titulo acquisivit, & Episcopatui incorporavit.

5. Se-

5. Sedes Episcopalis *Dillingæ* est, quam Danubius alluit : in Augustana civitate, quippe quæ inter liberas & Imperiales urbes caput dudum extulit, nulla ei est jurisdictio civilis, an prisca ætate fuerit, disquirere non est meum, affirmatur ab his, negatur ab illis. Comprehenditur diœcesis sub *circulo Suevico*, & exporrigit se *Orientem* versus ultra Licum, usque ad finem Frisingensis & Ratisbonensis Episcopatus ; versus *meridiem* ad Alpes usque quà Brixensi & Curiensi diœcesi terminatur ; versus *occidentem* ad Hilaram usque, quæ à Constantiensi separatur ; denique versus *septentrionem* ad Danubium & Aichstettensis Episcopatus limites.

6. *Officiales hæreditarij* Augustani Episcopatus hi sunt : Dapiferi, *Equites de Stadion* Pincernæ, *Nobiles de Welden.* Marescalli *Equites de Westernach.* Camerarii, *Barones de Freyberg*, qui successerunt *Nobilibus ab Honeneck.*

7. Cæterum vergentibus jam ad senectutem Johannis Christophori Episcopi annis assumsit is An. 1681. prævio Capituli assensu, in dignitatis curarumque consortem *Coadjutorem* vocant, *Alexandrum Sigismundum*, *Comitem Palatinum Rheni*, *Philippi Wilhelmi Ducis Neoburgici* filium quintogenitum.

8. Ca

8. Capitulum Augustanæ Ecclesiæ Cathedralis *viginti* constat *Canonicis*, quorum hic in præsentia est syllabus:

I. *Johannes Eucharius Schenck Baro de Castel.* Præpositus, qui hanc dignitatem morte *Johannis Reinhardi ab Eyb* vacuefactam, nuper demum obtinuit.

II. *Leonhardus Frey J. V. Licentiatus.* Decanus.

III. *Johannes Martinus Myllerus S. S. Th. D.* Cellarius & Senior.

IV. *Johannes Franciscus Reuberg ad Eggenstein & Ehrenhausen*, S. S. Th. D.

V. *Johannes Marquardus L. B. à Bernhausen Dn. in Eppishausen, Klingenstein & Herlingen.*

VI. *Johannes Martinus ab Eyb.*

VI. *Johannes Frobenius Ignatius S. R. I. Dapifer hereditarius, Comes in Zeil, Dn. in Walpurg.* Custos.

VIII. *Sebastianus Peregrinus Baro Zvveyer ab Euebach.*

IX. *Johannes Christophorus Baro Adelmann ab Adelmansfelden.*

X. *Franciscus Antonius Comes in Königsegg & Rotenfels.*

XI. *Franciscus Fridericus Comes à Wolckenstein & Trosburg.*

XII. *Marcus Albertus Baro de Freyberg in Raunavv.* Scholasticus.

XIII.

XIII. *Johannes Fridericus Ignatius Comes de Preysingen Baro in Alten Preysingen.*

XIV. *Wolfgangus Franciscus Ignatius B. de Spirinck.*

XV. *Marcus Raphael ab Halvveil.*

XVI. *Franciscus Bernhardus L. B. ab Haslang, Dn. in Hohenkamer, Haslang, Kreit, Groshausen & Giebing.*

XVII. *Johannes Ludovicus Ungelter de Deisfenhausen.*

XVIII. *Eustachius Egolphus à Westernach,* Episcopus Dioclensis Suffraganeus.

XIX. *Johannes Conradus Laurentius Comes à Törring in Seefeld.*

XX. *Ferdinandus Baro Zvveyer ab Euebach.*

9. Capitularibus totidem subjunguntur *Domicelli*:

I. *Paris Carolus Josephus à Tuliers Baro de Froberg.*

II. *Franciscus Brock S. S. Theol. D.* Officialis.

III. *Sigismundus Comes ab Arcu.*

IV. *Marquardus Rudolphus à Rodt.*

V. *Josephus Ignatius Baro de Taxis.*

VI. *Carolus Ferdinandus L. B. ab Ulm Dn. in Erbach.*

VII. *Franciscus Theodorus à Guttenberg.*

VIII. *Christophorus Otto C. & Dn. in Schallenberg.*

IX. *Johannes Guilielmus Segesser à Brunegg.*

X. *Ru-*

X. *Rudolphus Theodoricus B. de Freyberg in Raunavv.*
XI. *Joh. Theodoricus Hauser à Gleichenstorf S. S. Theol. D.*
XII. *Johannes Christophorus Guilielmus C. & Dn. à Tyrheim.*
XIII. *Ferdinandus Josephus Johannes à Westernach.*
XIV. *Joh. Christophorus B. de Stein.*
XV. *Christophorus Benedictus Baro de Freyberg & Eisenberg.*
XVI. *Joh. Franciscus Schenck à Stauffenberg.*
XVII. *Joh. Sigismundus B. de Bienzenau.*
XVIII. *Wolfgangus Dominicus ab Halvveil.*
XIX. *Joh. Antonius Knöbl. à Kazenelenbogen.*
XX. locus in præsentia vacat.

CAP. X.

DE EPISCOPO HILDESHEIMENSI ET LEODIENSI.

MAXIMILIANUS HEINRICUS è *Ducibus Bavariæ* ortus, cujus tanquam Archiepiscopi & Electoris Colonienſis *cap. 4. libri superioris* mentio facta est, Hildesheimenſem quoque ac Leodienſem Episcopatus regit, & in utroque *Prædecessorem* eundem, quem in Archiepiscopatu, habuit, *patruum* scilicet *Ferdinandum.*

2. *Scuto*, Hildesheimensis Episcopatus ratione, *tali* fortassis *utitur*, *ut quadripartito è* Bavaricis ac Palatinis *symbolis repetitis, in medio incumbat parmula ex argento & minio bipertita, quod* Hildesheimense δᾶγμα *est*.

3. Quæ verò tanquam *Leodiensis Præsul* ferre solet insignia, ita vidi dispositа, ut *aquilæ Imperialis bicipitis mitra ducali redimitæ, ac rostris unguibusque* pedum ensemque *decussatim locatos tenentis, pectori scutum impressum sit è* Bavaricis ac Palatinis emblematibus *repetitis quadrifidum: ab utroque autem aquilæ latere* duæ *conspiciantur* parmulæ, *quarum* superior à dextris *tiara tecta rubea est, & columnam argenteam basi quadrangulari, aliquot constanti gradibus innitentem, & epistylio aureo ornatam exhibet*, Leodiensis Episcopatus *symbolum. Huic* è regione sinistra *respondens pelta, ducali pileo cincta, & itidem rubea fasciam argenteam continet, qua* Bullionensis Ducatus *designatur*. Inferior à dextro latere *argentea tres leones prasinos 2, 1, linguis cruentis defert &* Marchionatum de Franchimont *notat: ei* oppositа parmula *aurea est, inductis quatuor fasciis rubeis, qua tessera est* Comitatus Lossensis; *utraque verò corona Comitibus propria tegitur.*

4. Episcopatus *Hildesheimensis* fundator *Carolus M.* extitit, qui ad propagandum veri Dei cultum, & ad convertendos Saxones, cùm

cùm aliis in locis, tùm etiam ad confluentes *Sabæ & Lyni* piſculentorum amnium in *Elxij* pago amœniſſimo, à manſione Caroli *Aula Regia* dicto, Eccleſiam in honorem S. Petri condidit, & Epiſcopatum *Aulicenſem* appellavit; hic poſtea à Ludovico Pio translatus eſt *trans Lynium* in locum, quem à cœlitus miſſa nive *Hildeſchnee*, & demum terminatione paululum immutata *Hildesheim* dictum eſſe cenſet *Bertius*. Primus Epiſcopus *Guntharius* ſeu *Guntherus* memoratur, An. 835. mortuus. De vigeſimo primo Præſule *Bernhardo, Comite Rotenburgio*, memorabile eſt, & viro Epiſcopo, (ſi diis placet) dignum, quod *Bruſchius* recenſet: nimirum acquiſiviſſe eum per revelàtionem ac admonitionem familiaris cujusdam ſpiritus (quem Chronica Saxonum à ruſtico pileo, quo tectus incedebat, *Hudickhin* vocabant) *Winzanburgenſem Comitatum* & oppidum *Alvendenſe*; poſtquam Hermannus, ultimus Comes à Winzenburg Saxonici cujusdam ac præpotentis Reguli interfector, relictis ſuis omnibus ditionibus, in ſpontaneum exilium abierat, nemini poſtea ſuorum unquam viſus: acceſſit tamen deinceps occupationi hujus Comitatus ab Epiſcopo factæ Lotharii Saxonis Imp. conſenſus. *Adologo* Epiſcopus XXIV. *Comitatum Homburgenſem*, *Iohan-*

Commentar. rer. Germ. l. 3. p. 163.

Iohannes XXXI. *Payuensem*, *Otto* hujus successor *arcem Woldenbergensem* à Comitibus ejus nominis, *emptionis titulo* acquisiverunt: integrum autem *Comitatum Woldenbergensem* cum oppido *Bockelom*, præterea *Lutter*, *Baremberg*, & *Comitatum Pfaffenburg* nunc *Poppenburg* dictum, *Otto II.* Episcopus quintus & trigesimus, An. 1331. mortuus, stirpis suæ ultimus, Episcopatui adjecit; cum ejus antecessor *Heinricus II. Comitatus Dassellensis* investituram ab Heinrico VII. Imp. impetrasset. *Heinricus III.* Ottonis II. successor, è Ducibus Brunsuicensibus oriundus, *Comitatum Schladen* cum appertinentiis diœcesi adjunxit; cum verò à nonnullis Canonicis ei æmulus *Ericus Comes Schauenburgicus* objectus esset, civesque Hildesienses ab istius partibus starent, collatis signis in pascuis suburbanis cum eis decertavit, & magna clade affectos perdomuit, coëgitque, ut in extruenda munitione, qua in officio eos contineret, quamque *Mariaeburgum* nominavit, operam sibi præstarent.

Chron. Riddagshus. edit. Meib. p. 65.

5. His autem aliisque modis cum ad amplam potentiam excreviisset Episcopatus, factum tandem est *Iohannis* Præsulis è familia Saxo-Lauenburgicorum, temeritate ac insolentia, ut ingens detrimentum acciperet. Ea tempestate *septem Comitatus* sub se habe-

habebat diœceſis: *Winzenburg*, *Schladen*, *Poppenburg*, *Peyne*, *Oldenburg*, *Levvenſtein & Hunsruck*: hac potentia, ut & Heinrici Luneburgenſis Ducis aliorumque confœderatione ferox *Johannes* Epiſcopus, Ducibus Brunſuici ac Mindenſi Præſuli An. 1519. bellum intulerit, ſed à Carolo V. paulò pòſt ad Imperiale faſtigium evecto, ob publicam pacem violatam proſcriptus, in eas redactus eſt anguſtias, ut præter Hildeſiam non niſi tres arces *Peyne*, *Steyervvald & Marienburg* ipſi ſupereſſent, reliqua Brunſuicenſes tenerent; unde hæc pars *major diœceſis*, illa *minor* dicebatur. Hujus quidem ſeculi Anno 29: in Spirenſi Camera ſententia lata eſt contra Brunſuicenſes, eisque reſtitutio Hildesheimenſium ditionum imperata; ſed *Fridericus Ulricus Dux Brunſuicenſis* reviſionem quæſivit atque impetravit. Inde Goslariæ amica transactio An. 1642. inſtituta, & inſequenti anno Brunſuici confecta eſt, qua Epiſcopatus in eum ſtatum, quo An. 1519. gaudebat, reſtituebatur; Brunſuicenſibus verò quatuor tantùm præfecturæ, nempe *Coldingen*, *Luttern*, *Bahrenberg & Weſterhof* relinquebantur; præterea circa exercitium religionis Evangelicæ, quod An. 1542. à Senatu Hildeſiæ introductum eſt, certa inita ſunt pacta, quæ *inſtrumentum pacis Osnabrugenſis* poſtea confirmatiora reddidit.

6. Comprehenditur Episcopatus Hildesheimensis sub *circulo Saxonico inferiore:* inter ejus *ministeriales* Marescalli hæreditarii sunt, *Nobiles Swviegel*, Dapiferi, *Equites Kramij.*

6. In Collegio *Canonicorum* Ecclesiæ Cathedralis An. 1681. numerabantur XLI. sodales, hac serie:

I. *Franciscus Ego*, *Episcopus Argentinensis.* Præpositus, *quem interea è medio excessisse neminem latet.* Ep. Argent. † 1668.

II. *Jodocus Edmondus à Brabeck.* Decanus.

III. *Jodocus à Plettenberg*, Presbyter.

IV. *Christianus Dietericus à Plettenberg*, Presbyter.

V. *Ferdinandus à Landsberg in Erwvate.* Presbyter.

VI. *Constantinus Wernerus à Gymnich in Vlaten*, Presbyter.

VII. *Hermannus Stephanus à Bockenvorde, dictus Schüngel*, Diaconus.

VIII. *Hermannus Godofredus à Bucholz*, Diaconus.

IX. *Johannes Sigismundus Adolphus Bertold à Nesselrode*, Diaconus.

X. *Dietericus Otto Korff, dictus Smising*, Diaconus.

XI. *Wilhelmus Fridericus Philippus Westphael*, Diaconus.

XII. *Simon Westphael*, Senior & Jubilarius.

XIII.

XIII. *Johannes Godofredus ab Hörde.*
XIV. *Claudius Everhardus à Snettlage,*
XV. *Fridericus à Niehausen.*
XVI. *Rabanus Christophorus ab Hörde.*
XVII. *Matthias Augustus à Büren.*
XVIII. *Johannes Adolphus à Fürstenberg,* Præpositus ad S. Crucis.
XIX. *Franciscus Wilhelmus ab Hörde.*
XX. *Franciscus Dietericus Joseph à Landsberg in Erwatte.*
XXI. *Hermannus Wernerus Wolf dictus Metternich* Scholasticus: *quem in* Præpositum Capituli *electum esse, dum hæc scribimus, fama tulit.*
XXII. *Dietericus Jodocus* von der *Recke,* Custos.
XXIII. *Wilhelmus Ego Landgravius de Fürstenberg.*
XXIV. *Ernestus Leopoldus à Bockenvorde, dictus Schüngel,* Cellarius.
XXV. *Ludolfus Walter de Brabeck,* Cantor.
XXVI. *Franciscus Dietericus de Beissel & Gymnich in Smittheim.*
XXVII. *Franciscus ab & in Frenz & Kenderniz.*
XXVIII. *Johannes Ernestus* von der *Lippe.*
XXIX. *Wilhelmus à Niehausen.*
XXX. *Fridericus Mauritius à Plettenberg.*
XXXI. *Franciscus Wilhelmus à Twvickel.*
XXXII. *Franciscus Wilhelmus à Schorlemer.*

XXXIII. *Maximilianus Heinricus ab & in Weichs.*

XXXIV. *Heinricus Adolphus ab & in Frenz & Kendernich.*

XXXV. *Heinricus Wilhelmus de Wendt.*

XXXVI. *Caspar Fridericus ab Hoheneck.*

XXXVII. *Hermannus* von der *Reck in Steinfordt.*

XXXVIII. *Arnoldus Fridericus* von der *Horst.*

XXXIX. *Franciscus ab & in Frenz & Kendernich.*

XL. *Adolphus Arnoldus à Gysenberg.*

Denique XLI. *Johannes Adolphus à Loë, Dynasta in Wissen.*

4. *Leodiensis* Episcopatus initio *Tungris* fuit, quod oppidum ad *Jeckeram* situm est, & Leodio Trajectoque pari trium leucarum intervallo distat, nobilissima quondam Galliarum metropolis, plus centum primariis templis superbiens; unde amplitudinem pariter & magnificentiam, qua olim eminebat, in proclivi est colligere: fertur autem, prima omnium universæ Galliæ & Germaniæ, Christianam fidem amplexa esse, idque opera & prædicationibus *S. Materni*, ineunte seculo secundo. Episcopum primis Ecclesiæ temporibus peculiarem non habuit, sed unum eundemque cum Trevirensibus & Colonienſibus; unde *Aub. Miraus*, crebrò mira-

Fast. Belg. & Burgp. 305. & 849.

miratum se esse, ait, qua fronte scriptores recentiores, singulorum horum Præsulum stirpem ediſſerere, initia & exitus certis annis affigere adorsi sint; cum tamen satis liquidò compertum habeatur, anno demum 312. post pacem à Constantino M. Christianæ Ecclesiæ redditam, primum Tungris peculiarem Episcopum *S. Servatium* datum esse. Hujus autem tempora exceperunt Hunnorum depopulationes, quibus cum Tungrensis etiam urbs excidium esset passa, translatus est Episcopatus *Trajectum ad Mosam*; unde postea An. circiter 709. *Leodium*, *S. Huberto* Præsule, ex Aquitaniæ Ducibus orto, transiit. Hæc civitas *Eburonum* quondam metropolis, mirificè inter colles & montes in amœnissima valle ad *Mosam*, quæ *Legia*, *Uta*, *Vesa*, & *Ambluaria* amnibus ibi commiscetur, sita, *Regia urbs* extitit, usque dum à Carolo Burgundiæ Duce in Episcopi sui potestatem redacta fuit; uti *Sprengerus* è Kyriandri Hist. Trev. refert. *Guicciardinus* tamen *in descriptione Belgij*, eam *urbis Imperialis* nomine cohonestavit, sed in quam nihil juris habeat Imperator, nisi quod bellum cum Turcis gesturo suppeditare debeat pauculos milites, seu pecuniam potiùs in eorum stipendia erogandam: at in civili simul & Ecclesiastica re supremo Episcopi sui imperio subesse eam memoravit, iis tamen privile-

Iurispr. publ. p. 417.

vilegiis atque immunitatibus gaudere, ut ceu libera quædam Resp. à Consulibus suis, Senatoribus, aliisque Magistratibus oppidanis, populariter gubernetur; & in Ecclesiasticis quidem primò Coloniam, inde Romam; in civilibus verò, modò ne certam pecuniæ summam lis excedat, ad Imperialem Cameram provocet. Cæterùm frequentes seditiones, quibus turbida & factiosa civium ingenia, urbem Præsulesque exagitaverunt, ansam præbuerunt hodierno Episcopo, ut castrum, *Citadelle* vocant, An. 1650. exstrueret, & tanquam jugum quoddam urbis cervicibus imponeret; id nupera tempestate bellica Galli, cum *Baronis de Quincy* Præfecti perfidia An. 1675. in eorum manus perveniisset, neque tamen id tueri valerent, subdito pulvere pyrio, diruerunt atque exscinderunt; quo fræno amoto, pristinam ferocitatem cives induisse, dissidium, quod in præsentia cum Episcopo exercent, arguere videtur.

9. Reditus hujus Episcopatus luculentissimi sunt, utpote qui *Ducatum* etiam *Bullionensem*, *Marchionatum Franchimontanum*, necnon *Comitatum Loozensem* & *Hasbaniensem*, præterea duas & quinquaginta primarii nominis, easdemque ditissimas Abbatias (*Guicciardino* teste) continet; adeò ut Præsul Leodiensis in ditione sua, præter *semissem urbis*

urbis Trajecti ad Mosam, quatuor & viginti oppida muris clausa, & *supra mille ducentos pagos* numeret. *Bullionensem Ducatum* Godofredus Bullionæus, omnis ætatis & memoriæ clarissimus Princeps, ut cum fratribus Eustathio & Balduino ad expeditionem sacram instructior iret, *Audeberto* Episcopo Anno 1096. pretio vendidit. Successu quidem temporis *Marcani*, *Principes Sedanenses* jus sibi in eum arrogarunt, atq; ope Heinrici II. Regis Gall. An. 1552. castrum Bullionense munitissimum occuparunt; sed sancita septennio post Cameracensi pace, Leodiensi Præsuli restituere coacti sunt. Posteà cum Sedanensium Principum hæreditatem familia *Turria* in Galliis crevisset, jura quoque, titulum & insignia Bullionensis Ducatus sibi sumsit, perfecitque ut in nupera *pacificatione Neomagensi Cæsareo-Gallica articulo 28.* ita disponeretur: *cum ab antiquo controversia sit de castro & Ducatu Bullionensi inter Episcopum & Principem Leodiensem, & Duces ejus nominis, conventum est, ut Duce Bullionensi in ea, in qua nunc est, possessione manente, controversia illa amicabili via, vel per arbitros à partibus, intra trimestre à ratihabita pace nominandos, terminetur, via facti penitus exclusa.* Ob hunc autem articulum Elector Colonensis, tanquam Episcopus Leodiensis, publicam in comitiis Ratisbonensibus interposuit pro-

protestationem, illumque citra suum mandatum & consensum insertum esse, neque inseri debuisse, pronuntiavit.

10. Refertur Diœcesis ad *circulum Westphalicum*, ac limites habet ab *ortu* Mosam fluvium, à *meridie* Luzelburgensem Ducatum, ac *occasu & septentrione* Mosam partim ac Ducatum Limburgensem, nec non provinciam Namurensem.

11. *Canonicorum* Ecclesiæ cathedralis numerus diffusus est, & ad *sexagesimum* usque excurrit; eorum An. 1681. hæc erat nomenclatio:

I. *Emanuel Theodosius de la Tour, Princeps Arvernia, Dux Bullionensis, S. R. E. Cardinalis, & Magnus Galliæ Eleemosynarius*, Præpositus Leodiensis & Custos.

II. *Joh. Ludovicus Baro ab Elderen*, Decanus Leodiensis; *Dominus temporalis de Loya Rechoven.* Cl. Ep. An. 1688 in locum Max. Henr.

III. *Ægydius Franciscus Baro de Surlet*, Archidiaconus Ardennæ & S. Bartholomæi Præpositus.

IV. *Hermannus de Stokhem*, Archidiaconus Condrosti, S. Martini Præpositus.

V. *Claudius Comes de Poictiers*, Archidiaconus Famennæ & Abbas Divæ Virginis in Cheminon.

VI. *Laurentius de Mean* Archidiac. Hannoniæ, Schol. Leod. Præpositus Tongrensis.

VII.

VII. *Johannes de Stockhem*, Archidiac. Brabantiæ & Præpositus S. Pauli.

VIII. *Joh. Arnoldus Baro de Lerardt* Archidiac. Campiniæ.

IX. *Lambertus de Liverlo*, Archidiac. Hasb. Præp. Fossi.

X. *Joh. Edmundus Baro d' Outremont & de Balgoy.*

XI. *Franciscus Tabolet*, Abbas Secularis Dionantensis.

XII. *Joh. Ernestus Baro de Surlet*, Vicarius Generalis Leodiensis, Abbas Secularis Visetensis.

XIII. *Erasmus Baro de Surlet.*

XIV. *Arnoldus Philippus Selys*, Præpositus Maseckensis.

XV. *Renatus Franciscus de Sluse*, Abbas Amanienſis.

XVI. *Franciscus Egon, Episc. Argent. Adm. Murbacensis, Luderen & Stabul. Landgr. Alsatiæ & Princeps in Furstenberg.* †.

XVII. *Waltherus de Liverlo*, Præpositus S. Johannis Evangel. & Officialis Leodiensis.

XVIII. *Henricus du Mont, Theologus.*

XIX. *Fridericus Princeps Cardinalis Hassiæ* †.

XX. *Antonius Hieronymus ex Comitibus de Duras, Baro de la Fosse*, Episc. & Principis Leodiensis Cancellarius.

XXI. *Petrus Woot*, Præpositus Thudinensis.

XXII. *Thomas Franciscus Woot.*

XXIII.

XXIII. *Andreas de Gerin*, Officialis Capituli.

XXIV. *Wilhelmus Egon Princeps Landgravius de Furſtenberg, Comes de Hailigenberg & Werdenberg.*

XXV. *Wilhelmus Bernhardus de Hinnisdael.* Cantor & ad S. Crucem Præpoſitus.

XXVI. *Franciſcus Gobertus Comes de Aſpremont, Lynden in Rechheim.*

XXVII. *Johannes Petrus de Roſen.*

XXVIII. *Johannes Petrus de Sprimont*, Abbas Gynacenſis.

XXIX. *Joh. Arnoldus Baro à & in Bocholz.*

XXX. *Arnoldus Udalricus Baro de Reneſſe.*

XXXI. *Godofredus Udalricus Baro de Lamargelle.*

XXXII. *Guilielmus de Mean.*

XXXIII. *Petrus Aloyſius Roſſius Dn. de Liboy in Jemeppe*, Præpoſitus S. Petri.

XXXIV. *Arnoldus Bernhardus Woot.*

XXXV. *Carolus Erneſtus Comes de Lynden.*

XXXVI. *Carolus Gobertus Comes de Aſpremont Lynden in Rechheim.*

XXXVII. *Wolfgandus Georgius Comes Palatinus.*

XXXVIII. *Cornelius Faes.*

XXXIX. *Martinus de Foſſez.*

XL. *Conſtantinus Warnerus Baro de Gymnick.*

XLI. *Ferdinandus Maximilianus Comes de Berlo*, Præpoſitus Lantzonienſis.

XLII.

XLII. *Johannes Ferdinandus de Mean.*
XLIII. *Petrus de Simonis.*
XLIV. *Johannes Renatus de Neufcourt.*
XLV. *Hugo Franciſcus Comes in Königsegg & Rotenfels.*
XLVI. *Henricus Baro à Borcherode.*
XLVII. *Hubertus de Fraisne.*
XLVIII. *Ludovicus Antonius Comes Palatinus Rheni, Dux Bavaria.*
XLXIX. *Johannes Petrus Burman*, Pœnitentiarius.
L. *Nicolaus Franciſcus, Comes de Poictiers.*
Quæ reſidua ſunt loca, pro tempore vacant.

CAP. XI.

DE EPISCOPO PADERBONENSI ET MONASTERIENSI.

FERDINANDUS, *Epiſcopus Paderborna & Monaſterij, Burggravius in Stromberg, S.R.I. Princeps, Comes in Pyrmont, Dominus in Borcolo, Baro de Fürſtenberg*; antiqua quidem ſuæ gentis, quam ab *Oldenburgicis Comitibus*, haud vanis teſtimoniis, derivare amant, nobilitate clarus, multò tamen ſuis laudibus illuſtrior, omnibus animi atque ingenii dotibus ornatus, literarum ac pacis, qua illæ efflorescunt, amantiſſimus: aſpexit lucem vitalem *Bilſtenii* d. 21. Oct. anni

anni 1626. Pater ei erat, *Fridericus Fürstenbergius, Dynasta in Bilstein & Waldenburg*, Moguntinus, Colonienſis & Paderbornenſis Conſiliarius intimus, An. 1646. defunctus; mater *Anna Maria de Kerpen*, *Domina in Illingen* è Weſtrafia. Recenſetur integra familiæ deductio in *Monumentis Paderbornenſibus* ab ipſo Reverendiſſimo Epiſcopo evulgatis & elegantiſſimo commentario, qui ſanè demorſos ſapit ungues, illuſtratis. Pag. 287. & ſeq.

2. Dum Coloniæ literis navabat operam hic noſter in gratiam & benevolentiam *Fabij Chigij*, qui tum Nuncii Apoſtolici munere ibi fungebatur, atque ejus ſtudiis doctriſque impensè delectabatur, facilè ſe inſinuavit; ita, ut poſtquàm ille aliquot poſt annos Romam reverſus, in Cardinalium numerum cooptatus eſſet, eum ſibi adjungeret, poſtea Pontifex factus *Cubicularij* loco haberet, & *Canonicatibus in Hildeſienſi*, *Paderbornenſi & Monaſterienſi* Eccleſia augeret atque condecoraret. Denique cum *Theodoricus Adolphus* von der *Reck*, Præſul Paderbornenſis, d. 31. Januar. 1661. è vita emigraſſet, tantùm commendatione ſua effecit, ut Canonici hunc ſibi Epiſcopum d. 20. Aprilis deligerent. Quo nuntio Romæ accepto, d. 6. Jun. à *Julio Roſpiglioſio Cardinale*, ſacris initiatus, in viam ſe dedit & quarto poſt menſe Paderbornam delatus, ingenti lætitia atque applau-

applausu exceptus, sollemnique cerimonia d. 4. Oct. *Episcopus ac Princeps Paderbornensis* inauguratus est. Tantam verò mox virtute suaatque in omni genere prudentiaexistimationem consecutus est, ut amplioribus honoribus cumularetur,& *Christophoro Bernhardo de Gahlen*, Episcopo Monasterienſi famosissimo, *Coadjutor* adderetur; quod factum d. 19. Jul. 1667. cumque iste undecimo abhinc anno, qui erat seculi octavus & septuagesimus, d. 19. Sept. sicca morte ad generum Cereris descendisset, gubernacula hujus Ecclesiæ lætis auspiciis susscepit, quæ quidem ad symboli sui normam *Suaviter & Fortiter* moderatur.

3. *Scutum*, quo uti solet, *duabus lineis transversis & totidem perpendicularibus*, in novem areolas *dividitur*: prima & extrema *cœruleá fasciam auream continens*, Monasterienſem Episcopatum *designat*: Secunda & octava *rubeu cum cruce aurea* Paderbornenſem *denotat*; tertia & septima *ex argento & minio secta, in superiore argentea parte tres aviculas nigras, pedibus inferiorem rubeam partem tangentes refert, quod symbolum est* Burggraviatus Stromburgenſis: quarta *argentea, cui impressa crux anchorata rubea* Comitatum Pyrmontanum *indicat*: quinta eademque media, gentilitiam Furstenbergiorum tesseram *exhibet, auream nempe parmulam, cui inducta duæ*

Spen. Cbron. Har. Sp. l. 3. c. 29.

fascia rubea; quæ fidem faciunt origini familiæ ab Oldenburgensibus, iisdem insigniis utentibus, derivatæ. Restat sexta areola, quæ *rubea, & tribus nummis Byzantinis aureis. 2, 1, ornata est*; & Dominium Borcolo *denotat. Huic scuto* septem *imponuntur* galeæ: *prima* Fürstenbergensis *coronata, duobus ornatur erectis foliis oblongis, aureis, cocco fasciatis*: è secunda *itidem coronata, ala* Stromburgensi symbolo *picta expanditur*; tertia Paderbornia *pulvinari imponit crucem erectam trabe ima oblongiore*: quarta eaque media tiaram Episcopalem, *pulvino incumbentem, sustinet*: quintæ *coronatæ inter duo cornua impositum est scutulum* Monasteriense: sextæ Pyrmontanæ *coronatæ incumbit pileus orientalis oblongus, pennis pavoninis fastigiatus; quem trabs crucis anchorata transadigit*: Ultima *coronata alam cum* Borcoloënsi *tessera sustinet. Subjiciuntur huic scuto* pedum atque ensis.

4. *Paderbonensem* Episcopatum Carolus M. post debellatos Saxones fundavit, & Synodo ibi habita conspicuum reddidit, in qua primores, magnaque populi multitudo baptismo lustrata est, & salutares primùm rogatæ leges, juraque sancita sunt: inde mox Christiana religio velut à capite in universam Westphaliam defluxit; traduntque, Ecclesiæ huic ideo *rubeam crucem* pro insignibus datam esse, quod in ea primùm Saxones

Panegyr. Theod. Episc. Paderb. l. 2. c. 5.

&

& Westphali cruentis Caroli prælüs compulsi, sub hoc Christi signo militare cœpissent. Dicta est *Paderborna* à fontibus *Paderæ* amnis, qui ad similitudinem *Padi*, maximi in Italia fluvii (à quo etiam nomen mutuasse eum volunt) in pede montis è tribus fontibus scaturiens, multis rivulorum decursibus, ab eodem monte concurrentibus, inter unius alveiripas intra civitatis mœnia excipitur; postea *Lippæ* junctus, Rheno tandem commiscetur. Templum cathedrale à Carolo M. extructum Leo III. Papa, cum ob Romanorum persecutiones Paderbornam ad Carolum confugisset, consecravit, & S. Stephani Protomartyris lipsanis, Roma secum allatis, ornavit, sedemque Episcopalem ibidem auctoritate Apostolica confirmavit; quod factum anno quarto Episcopatus *Hatamari*, primi Præsulis, exeunte seculo octavo. Neque *Advotato* destitutam esse voluit novam Ecclesiam Carolus, idque muneris *Witikindo Comiti Sualenbergio & Waldeccio* demandavit, in cujus posteritate hæsit usque ad alium *Witekindum* Comitem: qui Fridericum Barbarossam in Palæstinam comitaturus, pecuniæ ad sumptus itinerarios indigens, Advocatiam Episcopo, acceptis 300. marcis argenti, remisisse perhibetur. *Monum. Paderb. p.* 170.

5. Inter *benefactores* Ecclesiæ celebratur inprimis *Dodeco* Comes, qui prædia sua

Meinvverco Episcopo donavit, quorum nomina in Diplomate ita enuntiantur: *Wartbergh, Ruinlefessun, Erungen, Radi, Radi in superiori Wurmlahun, Rohthem, Garnetti, Rodvvardeshusun, Illandehusun, Silihem, cum agris cultis & incultis, silvis, aquis aquarumq; discursibus, pratis, pascuis, nec non cum utriusque sexus mancipiis, & cum omnibus ad hæc loca pertinentibus appendiciis;* atque hanc donationem *Heinricus II. Imp.* peculiari diplomate An. 1021. roboravit, cui etiam biennio post suæ munificentiæ tesseram adjecit, nempe prædium *Hohunseli* dictum, situm in pago *Westfalon*, in Comitatu Bernhardi Comitis. Posteriore ævo pars Comitatus *Stoppelbergensis*, Comitibus circa annum 1312. extinctis diœcesi accessit. *Pyrmontanum Comitatum* ab acidulis celebrem, cum Spiegelbergiorum Comitum, ad quos post Sualenbergios delapsus erat, stirps defecisset, *Rembertus* Episcopus Paderbornensis sibi titulo caducitatis vindicare omni ope contendit, incassum tamen, hæreditate Spiegelbergiorum ad Lippienses, & ab his ad Gleichenses devoluta; quibus itidem hoc demum, quo agimus, seculo extinctis, Waldeccii Comites eam adiere, cum quibus hodiernus Præsul A. 1668. ita pepigit, ut Pyrmontium penes Waldeccios maneret, in casu autem deficientium masculorum ad Episcopatum devenireret.

Monum. Paderb. pag. 159.

ret. Est etiam inter hujus diœceseos limites *Wevelsburgum* vetustissimum, ab Hunnorum Germaniam devastantium memoria, castellum, quod *Fridericus Arnsbergæ Comes* instauravit & munivit; postea verò Comites Waldeccii, in quorum potestatem pervenit, ad Ecclesiam Paderbornensem transtulerunt; Burani Dynastæ autem tum beneficii, tum pignoris titulo diu possederunt, donec *Theodorus Fürstenbergius* Præsul anno 1589. *Johanni Seniori* & *Johanni Juniori* Dynastis Buranis, 3536. aureis Rhenanis numeratis, id Episcopatui recuperaret, atque arce magnis sumptibus à fundamentis ædificata, exornaret; quam à Suecis deinceps An. 1646. incensam atque exustam *Theodorus Adolphus de Reck* Episcopus majorem partem restituit. *Heristallium* in ripa *Visurgis*, ubi sedem Episcopalem aliquando fuisse, sunt qui tradunt, à Falkenbergiorum familia diu possessum, *Theodoricus Fürstenbergius* Episcopus præsenti pecunia 17666. aureorum redemptam A. 1608. Ecclesiæ reddidit. *Mon. Paderb. p. 219 & seq.* *Ibid. p. 216*

6. Refertur diœcesis Paderbornensis ad *circulum Westphalicum*, & includitur ferme Brunsvicensi Ducatu, Waldeccio, Marcano & Lippiensi Comitatu, ferturque complecti XX. oppida, totidem Vogtejas & castella, XVI. monasteria & LIV. parochias.

7. *Officiales hereditarij* hujus Episcopatus,

isti à *Bucelino* enumerantur: Camerarii, *Equites Schilder.* Mareſcalli, *Spiegelij de Peckelſen.* Dapiferi, *Equites Sepel.* Pincernæ, *Spiegelij à Deſſenburg.*

8. *Canonicorum* Eccleſiæ Cathedralis Paderbornenſis Syllogen hanc accepimus:

I. *Joh. Adolphus L. B. de Furſtenberg*, Rev. Epiſcopi frater. Præpoſitus.

II. *Hermannus Wernerus L. B. Wolf Metternich in Gracht*, Decanus.

III. *Wilhelmus Franciſcus à Vittinghof*, dictus *Schell.* Cantor & Senior.

IV. *Matthias* von der *Reck.* Cuſtos.

V. *Joh. Wilhelmus L. B. Wolf Metternich in Gracht.*

VI. *Franciſcus L. B. ab & in Frens in Kendernich.*

VII. *Wilhelmus L. B. à Furſtenberg.*

VIII. *Joh. Rotgerus Torck.*

IX. *Joh. Georgius* von der *Brüggenei*, *dictus Haſenkampf*, Scholaſticus.

X. *Franciſcus Adolphus Wilhelmus C. & Dn. Friſiæ Orient. & Ritbergæ.*

XI. *Fridericus ab Einhauſen.*

XII. *Antonius Lothardus* von der *Lippe.*

XIII. *Fridericus Raab* von der *Lippe.*

XIV. *Fridericus Chriſtianus à Plettenberg.*

XV. *Ferdinandus à Plettenberg.* Camerarius.

XVI. *Bernhardus à Plettenberg.*

XVII. *Georgius Hermannus Spiegel in Deſſenberg.*

XVIII.

XVIII. *Hermannus* von der *Reck.*

XIX. *Dietericus Haro Ignatius à Vittinghof*, dictus *Schell.*

XX. *Wolfgangus Georgius Comes Palatinus Rheni* &c.

XXI. *Wilhelmus Franciscus Johannes Bertramus L. B. à Nesselrode in Creshoven.*

XXII. *Franciscus Arnoldus L. B. Wolf Metternich in Gracht.*

XXIII. *Ferdinandus Ignatius de Nagel in Vornholt.*

XXIV. *Albertus Eusebius C. in Königseck & Rotenfels.*

9. *Monasterienſis* Episcopatus eundem fundatorem agnoscit, quem Paderbornenſis, nempe Carolum M. dicebatur autem principiò *Mimingerodenſis* seu *Mimingardefurdenſis*, à loco hujus nominis in Saxoniæ inferioris seu Westphaliæ mediterraneis sito; qui posteà ab insigni monasterio, quod *Hermannus Episcopus* An. 1650. mortuus, ibi extruxit, appellationem mutuavit, & *Monasterium* κατ' ἐξοχὴν nominatus est. Primus Episcopus *Ludgerus* Frisius fuit, frater *Hildegrini*, Halberstadienſis Episcopi, ab *Hildebaldo* Ubiorum Antistite inauguratus, & An. 809. fato functus. Inter ejus successores *Hermannus II. Comes de Kazenelnbogen* ab Imperatore obtinuit, ut ipse & qui ei succesturi sint, *Principes* vocarentur, & *potestate*

gladij secularis uterentur: qui hunc excepit *Otto Comes à Bentheim*, An. 1246. *primus à Clero electus* est, cùm anteà Episcopi ab Imperatore constituti fuerint, uti *Bertius* refert.

10. Auctus est hic Episcopatus pedetentim variis ditionum accessionibus, nimirum dynastiis *Ahusen*, *Horstmar*, *Ludinghausen*, *Ottenstein*, præterea *Comitatu Vechtensi*, qui in confiniis Osnabrugensis diœcesèos & Diepholtini Comitatus situs est; & *Burggraviatu Stromburgensi*, dicto à castro; quod non procul *Lupia* fluvio, & oppidis *Widenbrug* ac *Rheda* distat; atque ob hunc Burggraviatum peculiare suffragii jus in comitiis 1653. petiit *Christophorus Bernardus Præsul*, & obtinuit, ut à Cæsare ad Directorium Moguntinum ea de causa decretum fieret.

11. De *Borcoloënsi* dynastia, cujus insignia in scuto Episcopali vidimus, diuturna ac gravis controversia Præsuli Monasterienſi cum Comitibus *Lymburgi ac Styrumij*, eorumque partes tuentibus *Batavis* intercedit, inde ab An. 1553. quo *Jodoco. Comite Bronchorstio & Dynasta Borcoloënsi* absque prole extincto, Monasterienſis Episcopus Dominium illud, quod à *Gilberto Bronchorstio* An. 1406. voluntariè Episcopatui *in feudum* oblatum esse perhibebant, ex capite *caducitatis* sibi vindicare contendit; *curia* verò *Geldrica* interveniens,

niens, & superioritatem Dominii ad Ducatū pertinere dictitans, illud, tanquam beneficium sine discrimine sexus ad familiam primi acquirentis spectans, per sententiam *Irmgardi*, quæ Jodoci consobrina & Georgio Comiti de Limburg & Styrum nupta erat, attribuit: atque cum Episcopus Geldrico tribunali spreto ad Cameram Spirensem partem adversariam evocasset, novam illud sententiam An. 1616. adversus eum tulit, Comitemque Limpurgi in possessionem Borcoloi immisit. At verò posteaquam *Christophorus Bernardus* ad Episcopatum pervenit, Batavis cæteroquin haud satis æquus, illicò in id incubuit, ut cognitio causæ Borcoloënsis in *Camera Spirensi* reassumeretur, perfecitque ut per mandatum acta superiora omnia rescinderentur, & adversarii, ad causam in tribunali Imperii perorandam citarentur. Sed Ordines fœderati Belgii, uti graviter ferebant, sibi de tractu extra Imperii limites sito, leges præscribi; ita nihilominus negotium, novas turbas quavis occasione daturum, amica compositione ad finem perduci, impensè cupiebant: quoniam autem nec Episcopus de suis in dynastiam prætensionibus decedere, nec Batavi Limburgiorum Comitum causam deserere fas putabant, ad arma prosiliit sagatus Præsul Anno 1665. & libello

diffidationis istam quoque causam interseruit; & quanquam altero statim anno bellum hoc ex formula *pacis Clivensis* compositum fuerit, tamen cum sexennio post, Galli Batavis bellum inferre decrevissent, facilè persuaderi se est passus, ut hanc ansam arriperet, provinciasque fœderatas infestis armis denuo invaderet; quibus præter alia non exigui momenti loca, Borcoloum etiam in potestatem suam redegit: concluſa autem postea, anno scilicet 1674. cum Cæsare & Batavis pace, omnia restituit.

12. Ipsam diœceseos, nèc non totius Westphaliæ, metropolin quod attinet, certum est, gavisam eam quondam aliqua libertate fuisse, quam limis lividisque oculis aspiciens modò memoratus Episcopus *Christophorus Bernardus*, jurgii causam intulit, postulavitque ut præsidium reciperet; detrectantem An. 1657. mense Augusto obsidione cinxit; quam licet sequenti mense, intercedente Nobilitate provinciali solvisset, nondum tamen triennii spatio elapso, acriore oppugnatione Monasterienses vexare, d. 22. Jul. 1660. cœpit, omnique eos commeatu intercluſit; & tandem fame incendiisque, quæ crebrimis ignitorum globulorum ejaculationibus in urbe excitavit, quibusque eam miserè deformavit, ad incitas redactos, ad deditionem & certam subjectio-

jectionis confessionem d. 28. Martii anni 1661. coëgit; hoc insuper maximo omnium onere civibus impositio, ut loco opportuno, castellum, quo in potestate eos haberet, quodque in majus eorum ludibrium (die Brillen) nominavit, exstruerent.

13. Obtinet Episcopus Monasterienſis *Directorium circuli Westphalici*, unà cum Duce Juliacensi: cingitur verò diœcesis Frisia utraque, Transisalania, Geldria, Clivia, Marca, Westphaliæ Ducatu, Mindensi & Osnabruggensi Episcopatibus.

14. Inter *Ministeriales* Marescalli hæreditarii munus penes familiam *de Morien* est, in qua ante annos non ita multos eminuit *Ferdinandus de Morien, Comes de Flodorf.* Camerarii dignitatem Christophorus Bernardus Præsul gentilibus suis, *Baronibus de Gahlen*, contulit: Dapiferorum, quos Erbdroſten appellant, officium tenent *Barones Droist von Vischering*: Pincernatus verò vacat.

15. *Capitulum* Monasterienſe *quadraginta* constat *Canonicis* Equestri genere natis, qui fidem nobilis prosapiæ octo majorum, tum à paterno tum materno latere, legitima demonstratione, facere tenentur; eorum An. 1681. hic erat catalogus.

I. *Wilhelmus L. B. de Fürſtenberg*, Præpositus *frater Episcopi major natu.*

II. *Johannes Rotgerus Torck*, Decanus;

III.

III. *Christianus à Plettenberg*, Scholasticus.
IV. *Matthias Korf, dictus Schmisinek*, Custos.
V. *Dietericus Antonius L. B. à Vehlen*, Vice-Dominus.
VI. *Engelbertus à Bevervörde*, Cellari Senior.
VII. *Jodocus Edmundus à Brabeck.*
VIII. *Johannes Wilhelmus L. B. à Nesselradt.*
IX. *Johannes Heinricus ab Ascheberg.*
X. *Joh. Wilhelmus L. B. Wolff à Metternich.*
XI. *Matthias* von der *Recke.*
XII. *Hermannus Stephanus Dieth L. B. & Nobilis Dominus de Büxen & Ringelstein & Schencking*, Cantor.
XIII. *Wilhelmus Franciscus de Wittinghoff dictus Schell.*
XIV. *Dietericus Jodocus* von der *Recke.*
XV. *Ignatius Wolff L. B. de Metternich.*
XVI. *Johannes Ernestus de Brabeck.*
XVII. *Johannes Adolphus L. B. de Fürstenberg*, Præpositus in Veteri Ecclesia.
XVIII. *Ferdinandus Franciscus Adolphus de Landtsberg.*
XIX. *Matthias Fridericus* von der *Recke*, Præpositus ad D. Mauritium.
XX. *Fridericus Christianus de Plettenberg.*
XXI. *Johannes Caspar à Lethmate.*
XXII. *Conradus Gaudentius de Ketteler.*
XXIII. *Heinricus Wilhelmus à Wendt.*
XXIV. *Heinricus Rembertus à Galen.*
XXV. *Heydenrich Ludovicus L. B. Droste de Vischering.*

XXVI.

XXVI. *Dietericus Otto Korf dictus Schmisinck.*

XXVII. *Wilhelmus Franciscus Joh. Bertram L. B. à Nesselradt in Ereshoven.*

XXVIII. *Ferdinandus Maximilianus Comes in Ost-Friesland & Rittberg.*

XXIX. *Johannes Wilhelmus à Schilder.*

XXX. *Heinricus Korff, dictus Schmisinck.*

XXXI. *Ferdinandus Benedictus L. B. de Galen.*

XXXII. *Wolfgangus Georgius Fridericus Franciscus, Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ.*

XXXIII. *Ludovicus Antonius Comes Palat. Rheni, Dux Bavariæ.*

XXXIV. *Christophorus Heinricus L. B. à Galen.*

XXXV. *Adolphus Heinricus L. B. Droste de Vischering.*

XXXVI. *Christophorus Alexander L. B. à Velen.*

XXXVII. *Ferdinandus à Plettenberg.*

XXXVIII. *Carolus Franciscus L. B. à Wachtendonck.*

XXXIX. *Jodocus Godofridus Adrian L. B. Droste de Vischering.*

XL. *Bernhardus Engelbert Christianus de Beverforde.*

CAP.

CAP. XII.

DE EPISCOPO FRISINGENSI ET RATISBONENSI.

Successit à Remis D. Bav. in utroq; Episcopatu.

ALBERTUS SIGISMUNDUS *Episcopus Frisingensis & Ratisbonensis, superioris & inferioris Bavariæ nec non superioris Palatinatus Dux, Comes Palatinus Rheni, Landgravius Leuchtenbergæ.* Susceptus est in lucem d. 5. Aug. An. 1623. à Parentibus Sereniſſimis, *Alberto Duce utriusque Bavariæ, & Mechtilde* filia Georgii ultimi *Landgravij de Leuchtenberg.* Fratrem habet unicum *Maximilianum Heinricum, Archiepiscopum & Electorem Colonienſem.* Succeſſit in *Frisingenſi* Episcopatu *Vito Adamo Seebeck*, cui jam A. 1639. *Coadjutor* additus fuerat: ad *Ratisbonenſis* a. Eccleſiæ regimen evectus est, cum *Guidobaldus Comes à Thun S. R. E. Cardinalis & Archiepiscopus Salisburgenſis* d. 30. Jul. 1668. rebus humanis exemptus eſſet; poſtquam haud integri biennii ſpatio hujus Episcopatus gubernacula, quæ d. 8. Oct. 1668. defuncto *Adamo Laurentio Comite à Torring*, tradita ipſi fuerunt, rexiſſet.

Spon. Op. Mar. St. l. 3. cap. 8.

2. *Scuto* uti ſolet *quadripartito*: prima & quarta areola *argentea caput æthiopis nigrum, aurea corona redimitum, veſte quoad collum & hu-*

humeros coccinea continet, quod Frisingensis Episcopatus *symbolum est:* secunda & tertia *rubea baltheum diagonalem argenteum exhibet,* & Ratisbonensem Episcopatum *designat:* Toti *incumbit* pelta è Bavaricis & Palatinis *tesseris quadripartita. Clypeo* imposita est *crux, quam hinc* tiara *cum* pedo, *isthinc* pileus Ducalis *cum* gladio *stipant.*

3. Episcopatum Frisingensem à *S. Corbiniano* institutum esse consentiunt Scriptores, quo verò tempore id contigerit in diversas abeunt opiniones. *Hundius* è veteri Chronico id in *Thassilonis II.* qui Pipini Regis sororius fuit, & filii ejus *Theodonis VI.* tempora refert; à quibus *Corbinianus*, cùm à Gregorio III. Papa Episcopus inauguratus, & in Bavariam missus esset, non solùm benignè exceptus, sed & monte illo, qui *Fruxinum* dicebatur, donatus fuerit; ubi fine moraædem B. Benedicto sacram extruxerit, & monachorum conventum coadunaverit, dotans Ecclesiam prædiis *Maise*, aliàs *Majes ad Artheſim*, prope Tyrolin & Meran, *Charzes*, *Camina* & aliis, quæ pro 900. solidis auri à Pipino Rege acceptis emerit. At *Aventinus* & *M. Velserus* rem aliter paulò enarrant, & *Corbinianum* in Melitonensi agro apud Senones natum, ac sanctimoniæ fama clarum, ad Bojos venisse tradunt ea tempestate, qua *Theodo V.* & mox ejus filii *Theodibaldus*, *Gri-*

Mastrop. Sacrab. p. 37.

Kals. Hist. Boic. l. 4. p. 133. & seq.

Grimoaldus & *Hugibertus* summam rerum hîc loci tenebant : quos inter *Grimoaldus* inprimis, cui pars provinciæ in Italiam vergens obtigerat, regia Frisingæ constituta, bene & liberaliter illum habuit, atque à *Pilidrudis*, (quæ primò *Theodibaldi* conjux, hoc defuncto, in fratris ejus *Grimoaldi* manum incestuosa copula convenit) insidiis tutatus est, præterea amœnissimum terrarum tractum, silvis frugibusque lætum, cui incolæ *Camina* nomen fecerant, *Timone* & *Finali* amnibus utrinque irriguum, quo delectari *Corbinianum* senserat, pretio ab ejus dominis redemit, Ecclesiæque S. Mariæ virginis Frisingæ, quæ novo Episcopo sedes destinata, contribuit. Eo in loco Corbinianus templum *S. Valentini & S. Zenonis* memoria celebre, ædificabit, optimum etiam de proximo agrum *Chories* nomine, coëmit; erogata pecunia, quàm à Pipino Heristallo Equitum Magistro apud Francos dudum dono acceperat. Neque post *Grimoaldi* mortem, quem in annum septingentesimum sive octavum sive nonum Annales referunt, minore benevolentia *Hugiberti* usus est Corbinianus; sed abeo *Majis*, ubi ad evitandos sicarios à Pilidrudi submissos, latuerat, revocatus, & Frisingæ in arce sua collocatus, placida tandem morte animam illic exhalavit, Ecclesiæque à se conditæ curam *Erimberto* fratri suo tradidit.

4. *Wal-*

4. *Walthonis*, qui decimus fuit Episcopus, ætate constitutum esse Pontificia autoritate, memorat *Hundius*, ut deinceps nullus per Capitulum eligeretur in Episcopum, nisi esset Canonicus ejusdem Ecclesiæ. *Metrop. Sa, lub. p. 39.*

5. Inter *Evergetas* Episcopatus celebrantur *Ludovicus* IV. Imp., qui *Walthoni* modò dicto, sub cujus disciplina adoleverat, *curtem Regiam in Veringa*, cum pertinentiis An. 920. donavit: *Otto I.* qui eidem domum *Lac* tradidit: *Arnoldus Dux Bavariæ*, qui *Wolframo* Præsuli tertio & decimo *Majas & Caninas*, item *vicos, vineas aliaque prædia prope Tyrolios, in Vennonum Athesisque valle*, quæ adhuc ibi Mystæ Freisingenses possident, reddidit: *S. Cunigundis* Heinrici II. Imp. vidua, quæ prædia *Ranteſtorf* sive *Ranteshovam Hochperchach Ostermutinga*, *Veltkirch* cum Ecclesiis & decimis aliaque multa Episcopatui per donationem mortis causa adjecit. Inter Episcopos *Engelbertus Comes Mospurgensis* è proprio patrimonio Ecclesiam dotavit: *Meginvvard*[9] emit A. 1080. ab Adalramo de Schmittehausen castrum *Battenberch* cum pertinentiis. *Otto* Leopoldi Marchionis Austriæ F. Episcopus tertius & vigesimus An. 1158. mortuus, qui *Chronico* conscripto nomen suum perpetuæ commendavit memoriæ, instauraſſe Episcopatum prædicatur; bona enim distracta recuperavit, collapsa pa-

latia & ædificia restituit, religionemque monasteriorum reparavit.

6. Hoc ævo Diœcesis *tredecim* sub se habet *Præfecturas*, quas inter præcipuæ sunt: *Frisingensis*, quæ civitatem ejusque districtum complectitur; *Ismanningensis*, ad Orientalem Isaræ plagam sita, & Monachium usque vergens; *Burckrainensis*, ad quam vicus insignis *Isen* refertur, & *Werdenfelsensis*, olim Comitatus, vicos *Mittevvald*, *Partenkirch* & *Gernisgau* comprehendens: istas autem Præfecturas absoluta potestate tenet Episcopus, solusque jus collectandi exercet: in cæteris non item, quippe quæ alienæ jurisdictioni partim Austriacorum, partim Bavariæ Ducum subsunt.

V. Limn. I. P. Tom. V. adl. 4. c 7. p. 254.

Hund. Metrop. Sal. p. 37.

7. Refertur Episcopatus Frisingensis ad *circulum Bavaricum*, & *Advocatos* quondam habuit *Comites Schyrenses*, è quibus Otto IV. Comes Schyrensis & Palatinus Advocatiæ renuntiasse ab *Hundio* memoratur.

8. *Officiales hæreditarij* hi sunt: Dapiferi, *Barones de Seibolsdorf.* Pincernæ, *Comites de Preysing, in Kopfberg.* Marescalli, *Dynastæ de Bienzenau.* Camerarii, *Nobiles de Raindorf.*

9. *Capitulum* XXIV. Canonicos continet, in quibus vel generis nobilitas, vel eruditionis eminentia requiritur; eorum hunc accepimus catalogum:

I. *Je-*

I. *Johannes Sigismundus Zeller, L. B. ab & in Leibersdorf, Dynasta in Gleinstetten & Aiterbach*, Præpositus.

II. *Johannes Sigismundus L. B. de Neuhaus in Greiffenfels, Ehrnhaus & Zangberg*, Decanus Senior & Jubilæus.

III. *Georgius Degenhard Rosenbusch, ab & in Nozing, inferius & superius Viechhausen.* Scholasticus.

IV. *Johannes Georgius Visler, à Malgerstorf, in Liechtenhaag & Ruetting.*

V. *Wolfgangus Sigismundus à Sandizell*, Custos.

VI. *Franciscus Kall, S. Theol. D.* Officialis.

VII. *Christianus L. B. à Königsfeld, in Zaizkoven & Pfœckoven. Trifflfing, Schönach & vetus Egloshaimb.*

VIII. *Johannes Adolphus L. B. ab in Schönburg, Dn. in Rohr & Kirchberg.*

IX. *Petrus Ernestus à Winckelhofen, in Engloß, Neydenstein & Grackhofen.*

X. *Johannes Jacobus ab Heervvart in Hohenburg, S. Theol. Licentiatus.*

XI. *Johannes Baptista Wenzl, S. Theol. D.*

XII. *Albertus Sigismundus Westacher, ab & in Mosen, in Weeg & Arnstorf.*

XIII. *Andreas Lenzer, S. Theol. D.*

XIV. *Johannes Rudolphus à Leoprechting, in Pänzig & Aich.*

XV. *Franciſcus Jacobus Zadler, S. Theol. & V. J. D.* Vicarius Generalis.

XVI. *Johannes Franciſcus Egker, à Küpfing in Train.*

XVII. *Johannes Franciſcus Khuen, ab Auer.*

XVIII. *Caſpar Sigismundus, Dn. ab & in Lerchenfeld.*

XIX. *Vitus Adamus Pelckhofer, ab Hohen-Buekbach, in Moſſach.*

XX. *Johannes Antonius Gugler de Zeilhofen,* U. J. D.

XXI. *Franciſcus Joſephus de Roll, in Bernavv.*

XXII. *Johannes Caſpar Eckhard, V. J. Licentiatus.*

Reſidua *duo loca* tum *vacabant.*

10. *Ratisbonenſium* Epiſcoporum primum fuiſſe *Paulinum* quendam, communis fert traditio; quam refellit *M. Velſerus* in *Scholiis ad vitam S. Severini, & Tigurinum* ſive *Tiburniam* Norici metropolin, ubi ſummi ſacerdotii Principatum Paulinus tenuit, aliam eſſe a *Regino-burgo*, edocuit; pro hoc uno autem ſuppoſititio, duos genuinos Epiſcopos Ratisbonenſibus dedit, *Ioſeppum* nempè & *Cyrinum.* Juſtam & continuam Præſulum ſeriem *Hundius* non niſi à *S. Garibaldo* vel *Gauboldo* nectit, quem Bonifacius Archiepiſcopus Moguntinus juſſu Gregorii III. Papæ

Pag. 670. & 671.

Metrop. Salisb. p. 56.

Papæ An. 740. Episcopum Reginoburgensis Ecclesiæ constituit, quique in Monasterio S. Emerani, tum quidem adhuc extra urbis pomœria sito, domicilium habuit; unde tertius ac eo Præsul *Adolvvinus* instinctu Regum Franciæ, qui Bojoariam occupaverant, sedem Episcopalem in civitatem ad *S. Stephani* Protomartyris ædem transtulit. Inter ejus successores præcipuè *Heinricus Comes de Roteneck* bene de Ecclesia meritus est, quippe qui, cum ultimus suæ stirpis esset, vendito patrimonio Ludovico D. Bavariæ, Episcopatui usuris & debitis onerato, succurrit, reditus Episcopales & Canonicorum præbendas copiosè auxit, & templum cathedrale, à Leone antecessore suo cœptum, sumptuoso opere, An. 1280. absolvit: adhæc magna pecunia *Advocatiam & Judiciū in Velden, Eberspерunt, Teyspach, Frondsnhausen, Ergoltspach, Essenpach, Pilsting & Auting* redemit, atque omnia ferè diœceseos castra muris ac turribus firmavit. Qui eum excepit *Conradus de Luppurg*, patruo suo cognomine absque liberis mortuo, *castrum ac dominium Luppurg*, supra Ratisbonam ad Laberamnem Noricum situm, Ecclesiæ donavit. Sed *Fridericus I.* Præsul, qui (ut *Hundij* verbis utar) *annis quatuor & viginti jedem Ratisbonensem tanquam inutile pondus pressit*, omne ferme Episcopatus patrimo-

Hund. op. cit. p. 72.

Ibid. p. 34.

nium dissipavit atque exinanivit: quibus re cuperandis successores multum non mod industriæ & curæ, sed & sumptuum imper dere coacti sunt. Laudatur inprimis *Alber tus* An. 1421. defunctus, quod varia prædi dominiaq; speciatim *Comitatum Hohenburg* quem Ernestus & Fridericus Comites postre mi, trecentis fermè retrò annis Episcopatu donaverant, & oppidum *Pechlaren* in Austri inferiore situm, reluerit. Hac ætate nullum oppidum in Bavaria Episcopum Ratisbo nensem tenere, *Zeilerus* tradit, pagos tamen & vicos complures haud exigui momenti nonnulla etiam loca in Austria ad eum per tinere. Annumeratur autem diœcesis *cir culo Bavarico.*

11. *Officiales hæreditarios* habet: Pincer nas, *Barones à Pfetten.* Dapiferos, *Comites Nothaft de Wernberg.* Marescallos, *Comites de Torring.* Camerarios, *Equites de Stingl heim.*

12. *Capitulum* duodecim constat Cano nicis, quibus *undecim Domicelli* subnectun tur; *Capitularium* hæc in præsentia est no menclatio:

I. *Wolfgangus Sigismundus L.B. de Leublfing in Rain & Graventraubach, filius Johannis Christophori & Evæ de Seibolsdorf,* Præpositus & Archipresbyter.

II. *Io-*

II. *Johannes Dauſch, S. Theol. D. & Juris Canonici Licentiatus*, Decanus.

III. *Albertus Erneſtus Comes de Wartenberg & Hachenburg, Dn. in Walt*, Capellanus Imperialis.

IV. *Ignatius Plebſt, S. Theol. D.* Cuſtos, Præpoſitus S. Johannis.

V. *Joh. Franciſcus Adamus Comes à Törring, Stain & Pertenſtein, in Eirnbach & Rittersvvörth*, Wolfgangi Theodorici & Mariæ Margaritæ B. de Tannberg F.

VI. *Franciſcus Weinhard*, Epiſcopus Liddæ, Suffraganeus, Præſes Conſiſtorii & Vicarius Generalis.

VII. *Wolfgangus Chriſtophorus L. B. à Clam*, Scholaſticus.

VIII. *Franciſcus Bernhardus L.B. ab Haslang, in Hohen Cammer & Giebing.*

IX. *Joh. Ludovicus Ungelter à Deiſſenhauſen, in Oberſtozingen & Zell.*

X. *Sigiſmundus Chriſtophorus Comes ab Herberſtein, L. B, in Neuberg & Guttenhag, Dn. in Lankovviz*, Erneſto Friderico Comite & Anna Regina L. B. de Falbenhaubt *natus.*

XI. *Joachimus Albert⁹ L.B. de Leublfin in Rain.*

XII. *Joh. Conradus Laurentius Comes à Törring in Seefeld, Wörth, Delling & Dinglbach, filius* Ferdinandi & Iſabellæ Seraphiæ Baroniſſæ de Bemmelberg.

13. *Domicelli* hi sunt:

I. *Joh. Franciscus Ernestus Comes ab Herberstein*, &c. Adamo Quintino, & Regina Catharina C. de Rattmansdorf *natus.*

II. *Joh. Gözfridt, S. Theol. D.*

III. *Joh. Heinricus Speth à Zvvyfalten in Hettingen*, Capellanus honoris.

IV. *Josephus Aloysius Oexl*, J. U. D.

V. *Christianus L. B. de Königsfeldt, in Zaykhoven & Pfakhoven, Trufflfing, Schönach & Alten Eglosheim.*

VI. *Alexander Sigismundus Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ.*

VII. *Joh. Sigismundus Zeller, L. B. in Laiberstorf Dn. in Kleynstetten.*

VIII. *Weikhardus Ignatius Guilielmus Comes de Salm & Neuburg ad Oenum.*

IX. *Joh. Eucharius Schenk, L. B. de Castel.*

X. *Joh. Wolfgangus Ignatius Ego L. B. de Neuhaus in Greiffenfels & Ehrenhaus.*

Denique XI. *Franciscus Petrus Wampel in Karpfheim, S. Theol. D.*

CAP. XIII.

DE EPISCOPO PASSAVIENSI.

SEBASTIANUS, *Episcopus exemptæ Ecclesiæ Passaviensis, S. R. Imp. Princeps, Comes*

Comes de Pœttingen: electus est An. 1673. d. 10. Mart. in locum *Wenceslai Comitis à Thun*, d. 6. Jan. ejusdem anni demortui. Genus ducit ex illustri familia Austriaca *Dominorum de Pœttingen*, nunc *Comitum* axiomate ornatorum. Patre natus est *Ortliebo L. B. de Pœttingen*, matre *Anna Jacobea de Paumgarten*; avo *Sebastiano*, avia *Regina ab Eck*; fratres habet *Johannem Sebastianum* Consiliarium Cæsareum, & *Wolfgangum Sebastianum*, Equitem Ordinis Melitensis.

2. *Scutum* fert *quadripartitum, cujus* prima & extrema areola *rubea continet duo ligna jugi equini, ex auro: qua* tessera est familiaris Pœttingiorum: secunda & tertia *rubea canem venaticum argentatum, & millo aureo cinctum defert, quo* familiam Schauliorum in Englstein *notari ait* Spener[9]. Mediæ *scuti* parti incumbit parmula *argentea lupum rubeum sive excoriatum continens, quod* symbolum est Passavienſis Episcopatus. Tegitur *hic clypeus* mitra Episcopali *cruce fastigiata, & subjiciuntur* pedum & ensis. [9] *Op. Hæral. Sp. l. 2. c. 67.*

3. Passavienſi sive Patavienſi Ecclesiæ originem dedit *Laureacenſis* Archiepiscopatus, qui inter quatuor sacras per Boicam sedes, primas obtinebat, & à *Laureaco* Norici veteris oppido metropolitano ad *Anasum* aminem, sito dictus erat: istud ab Attila ferro

igneque deletum, & deinceps reſtauratum, fluvii, quo alluitur, nomen accepit, idque hac quoque ætate ſervat: *ſedem metropolitanam* autem inde Juvaviam, quæ nunc Salisburgum appellatur, transtulit S. *Rupertus*, auſpice *Theodone III.* Bojorum Duce, qui in *Patavienſi* oppido, ad trium amniũ *Danubij*, *Oeni* & *Ilsæ* concurſũ poſito, & à cohorte Batavorum, quæ ſub Antonino caſtra hîc loci habebat, dicto, Epiſcopatum inſtituit ſeculo ſexto ad finem vergente; eique præfecit *Erchenfridum*, tradita ipſi civitate, jure proprietatis perpetuo poſſidenda. Uſi ſunt nihilominus Ehrenfridi ſucceſſores titulo *Archiepiſcopi Laureacenſis* per longum temporis ſpatium, memoratque *Hundius*, grave diſſidium ſeculo decimo inter *Heroldum* Salisburgenſem Archiepiſcopum & *Gerardum* Laureacenſem ſive Paſſavienſem Præſulem ea propter ortum eſſe; quod *Agapitus* II. Pontifex Romanus tandem æqua tranſactione ita compoſuit, ut diviſis in duas partes Noricæ regionis provinciis, *Heroldo* Salisburgenſi Occidentalis Pannoniæ cura & paſtoralis cuſtodia commiſſa eſſet; *Gerardo* verò ejusque ſucceſſoribus propter emeritam Laureacenſis Eccleſiæ antiquitatem Orientalis Pannoniæ regionumque adjacentium inſpectio commendaretur, atque ſic *duo Metropolitani* iſtis in oris eſſent. Sed abſtinuere eodem adhuc

Metrop. Salub. p. 121. & 122.

adhuc seculo Passavienſis Eccleſiæ Antiſtites Archiepiſcopi Laureacenſis titulo, primusque qui ſimplici axiomate Epiſcopi Passavienſis uteretur, *Chriſtianus* extitit An. 991. ad Eccleſiæ hujus clavum admotus. Huic *Otto III.* Imperator roboravit omnia privilegia hujus Eccleſiæ, & incorporationem monaſterii *Cremsmunſter*, cum omnibus pertinentiis & Capellæ in *Octinga*, & Abbatiæ in *Mathaſe*, exemitque eum ac ejus ſucceſſores ab omni Ducum aliorumque potentium perſonarum ſervitio; præterea ſpeciali dono *mercatum*, *monetam*, *bannum*, *telonium & totius publicæ rei diſtrictum* ei contulit, tali tenore, ut Præſules omnem rempublicam hactenus ad Cæſarem in Pataviensi civitate pertinentem haberent, & firmiter intra civitatem & extra tenerent. Aucta deinceps eſt diœceſis diverſis prædiis, inprimis autem ditione *Viechtenſteinia*, quam *Conradus Comes de Hall & Waſſenburg* in Palæſtinam iter facturus, Ulrico Epiſcopo An. 1218. pretio mille marcarum tradidit; poſtea verò, mutato conſilio, ejus reſtitutionem poſtulavit, Præſulique renuenti bellum intulit: quod ab utriusq; hæredibus ac ſucceſſoribus continuatum, ita demum transactum eſt, ut perſoluta à *Rudigero*, qui tum Epiſcopatui præerat, certa pecuniæ ſumma, integer Comitatus penes diœceſin pleno jure permaneret.

Hund. ibid. p. 125.

Hund. l. b. p. 134. & de famil. Bavar. p. 152.

4. Re-

4. Refertur Episcopatus Passavienſis ad *circulum Bavaricum*, licet multa loca in Austria etiam possideat, qualia sunt: *Mautern, Trebenſee, Ambſtetten, Eberſperg, Hag & Stahrenberg. Miniſteriales* habet: Pincernas hæreditarios, *Barones, nunc Comites de Kirchberg.* Mareſcallos, ex illustri *Nothaftiorum* familia. Camerarios, *Equites ab Ahaim.* Dapiferos, *Nobiles ab Ambsham.*

5. *Capitulum* XXIV. Canonicos complectitur, quos omnes illustri loco natos apprimé que nobiles esse oportet, illorum hic in præsentia est syllabus.

I. *Franciſcus Antonius Comes & Dn. in Loſenſtein, Dynaſta in Loſenſteinleuthen & Gſchwend, filius Georgij Achatij C. de Loſenſtein & Franciſcæ C. de Mansfeld:* Præpositus Capituli.

II. *Leopoldus Khuen, Comes de Liechtenberg & Gandeck, L. B. in Nevven Lembach, natus* Jacobo Khuen B. de Liechtenb. & Siguna Margarita Bar. ab Annenberg. Decanus.

III. *Johannes Franciſcus Adamus Comes à Törring, Stein & Berchtenſtein.*

IV. *Hermannus Matthias Comes ab Attimis.* Custos.

V. *Franciſcus Leopoldus Guilielmus Comes à Slavata de Chlumb & Koſchimberg, filius* Joachimi Udalrici & Franciſcæ C. de Meggau.

VI.

VI. *Jaroslaus Franciscus Ignatius Comes de Sternberg*, Episcopus Leuthmarienſis.

VII. *Johannes Erneſtus Comes à Thun*, &c. Episcopus Seccavienſis.

VIII. *Johannes Philippus Comes de Lamberg.*

IX. *Johannes Fridericus Ignatius Comes in Preyſing*, &c.

X. *Weickhardus Ignatius Guilielmus Comes in Salm & Neuburg ad Oenum.*

XI. *Georgius Fridericus Comes & Dn. de Salburg in Sallaberg, L. B. in Falckenſtein*, Georgii Sigismundi & Sidoniæ Eliſabethæ de Scherffenberg *filius.*

XII. *Wolfgangus Georgius Fridericus Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ*, &c.

XIII. *Ferdinandus Comes de Khuenburg in Ungerſpach.*

XIV. *Sigismundus Chriſtophorus Comes ab Herberſtein*, &c.

XV. *Rudolphus Joſephus Comes à Thun.*

XVI. *Franciſcus Dominicus Ignatius, Comes de Pötting, Burggravius hæreditarius in Linz, Rev. Epiſcopi è fratre* Joh. Sebaſtiano *nepos* Maria Barbara Sternbergia *natus.*

XVII. *Ferdinandus Franciſcus L. B. de Prato, Dn. in Segenzani.*

XVIII. *TranGott Comes de Kufſtein, Dn. in Weidenholz filius* Lobgotti C. de Kufſtein & Mariæ Annæ C. de Stahrenberg.

XIX.

XIX. *Joh. Joachim Ignatius L. B. ab Ahamb, Neuhaus & Geinberg, natus patre* Franciſco Aloiſio, *matre* Helena Clara B. Buckhin de Tanneck.

XX. *Gualbertus Xaverius C. de Dietrichſtein, L. B. in Hollenburg, Fynckenſtein & Talenberg.*

XXI. *Guidobaldus Virgilius C. de Thun, Dn. in Tetſchen, Clöſterle, Caſtelpfund, Felixburg & Schönſtein.*

XXII. *Carolus Chriſtianus L. B. de Leublfing in Rhain.*

Reſidua duo loca vacant.

CAP. XIV.

DE EPISCOPO TRIDENTINO.

FRANCISCUS, *Epiſcopus Tridentinus, S. R. Imp. Princeps*, prognatus è prænobili familia *Equitum ab Albertis*, evectus eſt ad Epiſcopalem dignitatem A. 1677. poſtquam *Sigiſmundus Alphonſus Comes de Thun*, morte ſua vacuam ſedem feciſſet.

Sp. Op. Har. Sp. l. 3. c. 28. 2. *Clypeus*, quo utitur, *quadripartitus*: 1. & 4. area *argentea aquilam nigram continet, roſtro & pedibus aureis, cujus alis circuli foliati, itidem auro tincti, impreſſi ſunt; tota vero aquila rubeis flammulis vel ſanguineis guttis reſpergitur*: *quod* ſymbolum eſt Epiſcopatus Triden-

dentini. 2. & 3. *transversim secta, superiore parte cœrulea aquilam argenteam alis & pedibus aureis expansis, rostroque itidem aureo hiante, & lingua rubea exerta exhibet; inferiore verò ternis palis rubeis & viridibus distinguitur, quæ* tessera gentilis est Equitum ab Albertis. *Scuto* imponitur tiara, *adjectis hinc* gladio, *illinc* pedo.

3. Ecclesiæ Tridentinæ initia in primum Christi seculum, quintum nempe & quadragesimum ab ejus adscensione annum, refert *Franciscus Adamus Comes Brandisius in Commentario Germanico de Tyrolensi Comitatu*, ac memorat, ea tempestate *Hermagoram*, S. Marci Evangelistæ discipulum & Episcopum Aquilejensem, primam hisce in oris ædem vero DEO sacram condidisse, eique *Iovinum* præfeciſſe. Post hunc alii enumerantur Antistites usque ad *Vigilium*, familia Equestri Romana ortum, Theodosii & Maxentiæ filium, qui Honorio Imperante, patria relicta, cum *Claudiano* & *Magoriano* fratribus, in montana hæc loca venit, atque ab *Abundantio* Aquilejensi Patriarcha demandatam sibi Episcopalem curam susceptit; quam tanto studio ac zelo gessit, ut brevi temporis spatio, viciniam ab idolorum cultu expurgaret, indigenasque ad fidem Christianam converteret: tandem verò, cum fanum Saturni in valle Readena destruere co-

Tyrol. Adlers Ehrenstr. *part. 2. p. 1. & seqq.*

naretur, ab incolis gentilibus saxis obrutus est usque ad necem: cadaver à clero Tridentum deportatum, & in templo, quod ipse exstruxerat, & *SS. Gervasio & Prothasio* dedicaverat, sepultum est.

4. Crevit successu temporis Episcopatus munificentia Imperatorum & Principum: Theodosius Imp. postquam An. 398 à S. Basilio Christianis mysteriis initiatus est, *valles Logerinam & Ursinicam* ei donavit; Carolus M. civitatem *Reiff* & Dominium *Judiciariam:* Conradus II. *Bolzanum* urbem diœcesi adjecerunt, & quanquam sub Longobardorum Bojorumque dominatione, non unam calamitatem & jacturam Episcopatus sensit, Austriaca tamen domus, cum An. 1363. Tyrolensi Comitatu potita esset, omnia ei restituit, quin & majora addidit. Hinc *Albertus* Episcopus, ex Ortenburgicis Comitibus prognatus, Albertum & Leopoldum Duces Austriæ & Comites Tyrolenses, literis An. 1365. scriptis, suæ diœceseos *Advocatos hæreditarios* (Erbvogte) salutavit atque agnovit, & suam vicissim opem ac assistentiam eis detulit: quæ *mutuæ defensionis pacta* sub Friderico, Maximiliano & Ferdinando Impp. repetita deinceps sunt; sed salvo jure immedietatis, nec non sessionis ac suffragii in comitiis Imperii, quo Episcopi Tridentini nunquam non gavisi sunt: ut

tamen

tamen melior inter Episcopatum & Tyrolensem provinciam existat harmonia, utque vi unita quibuscunque insultibus propellendis sint fortiores, constitutum est Anno 1511. ut Episcopus diætis provincialib⁹ Tyrolensibus intersit, de pace publica, salute ac defensione patriæ consilium conferat, quotam suam secundùm exigentiam necessitatis (relicto sibi jure & modo collectandi) pendat; vicissim verò domus Austriaca ea quæ diœcesis Imperio debet, exceptis tantùm impensis Cameralibus, persolvat. Neque tamen per hæc pacta impediri potuit, quò minus inter Episcopum & Tyrolense regimen lites orirentur; graves certè querelæ ab illo motæ sunt in comitiis Ratisbonensibus anni 1641. adversus Claudiam, Leopoldi Archiducis viduam; quod ea jus suum ultra quàm par esset, extenderet, Episcopumque non alio, quàm *Landsassii* loco haberet; quæ gravamina singillatim *Limnæus* recensuit. *I. P. Tom. IV. Add. ad l. 4. c. 7. p. 486.*

5. *Officiales hæreditarij* hujus Episcopatus sunt: Pincernæ, *Comites de Thun.* Marescalli, *Barones de Firmian.*

6. *Canonici* octavum & decimum nunc explent numerum, hac serie:

1. *Josephus Victorius de Albertis*, Decanus Prior SS. Thomæ & Leonardi.

II. *Antonius Picolomini S. R. I. Comes*, Præpositus.

III. *Carolus Emanuel Veltolinus.* Archidiaconus.

IV. *Bernardinus Malanotti.*

V. *Joh. Baptista Comes Lodroni.*

VI. *Antonius Crosinus S. R. I. Baro de Manburg.*

VII. *Jacobus Roborellus à Freiberg*, Summus Scholasticus.

VIII. *Joh. Michael Comes à Spauer & Valker, Dn. Fay & Zambana.*

IX. *Carolus Comes Castri Barci &c.*

X. *Franciscus Dominicus Comes à Petting.*

XI. *Bonaventura de Albertis Comes de Colico.*

XII. *Wolfgangus Georgius Comes Palat. Rheni, Dux Bavar. &c.*

XIII. *Franciscus Antonius Sardanea de Meanpeg.*

XIV. *Antonius Dominicus C. à Wolckenstein & Trosburg.*

XV. *Georgius Sigismundus de Sinersperg.*

XVI. *Carolus Ferdinandus Comes Lodroni Dn. Cast. S. Johannis.*

XVII. *Joh. Baptista S. R. I. Comes ab Arcu &c.*

XVIII. *Franciscus Sigismundus Comes ab Arsio & Vasio.*

CA

CAP. XV.

DE EPISCOPO BRIXINENSI.

PAULINUS, *Episcopus Brixinensis, S. R. Imp. Princeps*, virtute magis quàm sanguine nobilis, electus est anno 1677. è *Summo Pœnitentiario* in locum *Sigismundi Alphonsi Comitis de Thun*, qui præter Tridentinam Ecclesiam Brixinensem quoque rexit.

2. *Scuto* utitur *semel perpendiculariter, bis transversim secto, atque adeo* sex areolas *continente. In* prima *rubea graditur agnus, quem paschalem vocant, argenteus, vexillum rubea cruce insignitum gestans, quod* emblema *est* Episcopale. Secunda *argentea continet aquilam expansam rubeam, cruribus, rostro & corona aureis, cujus corpori & alis pedum Episcopale situ transverso imponitur; quo symbolo designari ajunt* Capitulum Cathedrale: tertia & sexta *rubea pelicanum argenteum defert, aureo rostro pectus mordentem, cum ternis pullis argenteis*: quarta & quinta *cærulea exhibet sagittam, diagonali situ, argenteam, aureis pinnulis armatam, stipante illam utrinque stella sexangulari aurea; quæ* tessera *est* familiaris *Paulini Mair, moderni Præsulis. Huic scuto* tiara *imponitur, adjectis hinc* pedo, *illinc* gladio. *Spon. Op. Her. Sp. l. 3. c. 6.*

3. Brixinensis Episcopatus initio *Sabiona*

Noricorum fuit, quæ civitas erat in Tyrolensi Comitatu inter Oenipontum & Bolzanum sita, ubi anno circiter 360. S. *Cassianus* in divinis literis egregiè versatus, & vitæ sanctimonia conspicuus, expulsa idololatria, incolas ad Christi fidem convertit, & ædificata in honorem Virginis Mariæ æde sacra, *primus* ibi *Episcopus* à Fortunato Patriarcha Aquilejensi ordinatus est: eum postea à gentilibus pulsum, & ad Forum Cornelii puerorum stylis confossum, Prudentius versibus memoriæ commendavit. Qua verò tempestate, cujusque auspiciis Episcopatus *Brixiam* sive *Brixinum*, in confiniis Tyroli & Italiæ situm, translatus fuerit, dissentiunt scriptores: *Hundius* id ab *Albino* Episcopo octavo & vigesimo factum tradit; *Bucelinus*, Aventinum secutus, in *Hartvicum*, qui An. 1038. vixit, digitum intendit; à quo Brixinum mœnibus cinctum esse plerique memorant. Privilegia, quibus eminet, in acceptis fert præcipuè Imperatoribus *Ludovico* I. *Ludovico* IV. *Conrado* I. *Ottoni* II. *Heinrico* IV. & *Friderico* I. Hi Episcopatum in peculiarem Imperii tutelam susceperunt, eo addito, ut Præsules non alii quam Imperio Romano obedirent; præterea jus telonii, pedagii & monetæ cudendæ ei impertierunt; uti patet è diplomatibus de annis 814. 909. 916. 977. 1111. & 1179., quæ in Archi-

vo

vo Episcopali adhuc ostendi, *Comes Brandisius* testatur. Heinricus II. Imp. Episcopatui Dynastiam *Veldes* in Carniola, octo milliaribus Labaco distantem, cum insula, dicta Insul bey unser lieben Frauen / contulit. *lib. cit. part. 2. pag. 6.*

4. Quamvis verò Brixinensis Ecclesiæ Antistites, pari modo ac Tridentini, ob *jus Advocatiæ* atque alias quasdam rationes, *Tyrolense regimen* respiciant, symbola sua in ærarium provinciale conferant, nihilo tamen secius *Principibus Imperii* accensentur, Regalia ab Imperatoribus accipiunt, sessionem ac suffragium in comitiis Imperii obtinent: ab oneribus quidem Imperii (præter contributionem ad Cameræ sustentationem, quam ipse Episcopus solvit) à domo Austriaca eximuntur, vigore pactorum ob mutuam defensionem subditorum & ditionum, quæ ubique cinctæ & mixtæ sunt Austriacis, initorum. Verùm quod Tridentino Episcopo accidisse dictum est, ut ejus jura ab Austriacis variis modis coarctarentur atque infringerentur, id Brixinensis quoque sensit, unde conquestus is est in comitiis anni 1654. Austriacos jura sua, ob beneficium protectionis, ab eo tempore cœptæ, quo adversus Venetos Maximilianus I. bellum gesserat, recepta, nimium quantum distendere, & superioritatem etiam, collectationes, metata & epide-

I. P. T. V. Add. ad l. 5. c. 2, p. 687.

metica aliaque sibi arrogare, uti *Limnæus* enarrat.

5. Habet cæteroquin hic Episcopatus complures Nobiles & illustres *Vasallos*, ipsa quoque Serenissima domus Austriaca quædam ab eo feuda insignia recognoscit. *Officiales* ejus *hæreditarij* sunt: Marescalli, *Barones à Welsperg.* Camerarii *Columnii Barones à Vols.* Pincernæ, *Comites de Thun.* Dapiferi, *Comites de Wolckenstein.*

6. *Capitulum* novendecim Canonicis nunc constat, partim ex *Equitum*, partim *Doctorum* ordine; eorum hæc est nomenclatura:

I. *Guilielmus Vintler*, *L. B. in Runglstein & Dominus in Platsch, filius Melchioris & Johannæ de Welsperg*, Præpositus.

II. *Joh. Osvvaldus a Mitterhofen, in Freidenthurn*, Decanus.

III. *Joh. Georgius Trapp in Bisein, Curburg & Svvanburg, Comes in Matsch, filius Georgij & Barbaræ Baronissæ Königlin ab Ehrnburg.* Senior.

IV. *Vigilius Mancius, S. Theologiæ D.*

V. *Georgius Joachimus à Winckhofen in Engloß*, Scholasticus.

VI. *Carolus Hannibal Baro in Welsperg & Primör, Prior SS. Martini & Juliani de Castrozza, filius Sigismundi Wolfgangi Theodorici & Helenæ C. de Wolckenstein*, Custos.

VII. *Christophorus Haim, J. U. D.*

VIII.

VIII. *Franciscus L.B. ab Enzenberg in Freyen & Jochelsthurn.*

IX. *Thomas de Mornberg in Jauffen, J. C. D.*

X. *Guidobaldus Vigilius Comes à Thun*, Præpositus B. M. V. in Ambitu.

XI. *Franciscus Antonius Colomna L. B. à Vols, Dn. in Schenckenberg.*

XII. *Ferdinandus Carolus L. B. à Welsperg & Primor.*

XIII. *Christophorus Priggl, J. U. Lic.*

XIV. *Matthias Jenner, SS. Theol. D.*

XV. *Joh. Franciscus Khuen de Auer & Belasi, Dn. in Leichtenburg.*

XVI. *Johannes Antonius de Zephyris in Greit, S. Theol. D.*

XVII. *Jacobus Philippus Merl de Milln & Sichlburg.*

XVIII. *Wolfgangus Georgius C. Palat. Rheni &c.*

Denique XIX. *Joh. Jacobus Perckhoffer S. Theol. D.*

CAP. XVI.

DE BASILEENSI ET CURIENSI EPISCOPUS.

JOHANNES CONRADUS, *Episcopus Basileensis S. R. Imp. Princeps*; electus est An. 1656. d. 22. Dec. in locum *Joh.*

Franciſci à Schönau d. 30. Nov. ejusdem anni defuncti: genus ducit ex incluta familia Equeſtri de *Roggenbach*; pater ei erat *Joh. Hartmannus*, mater *Saſanna ze Rhein*, avus *Joh. Adolphus*, avia *Maria de Pfort*.

2. *Scuto* utitur *quadripartito*, cujus 1. & 4. area *argentea figuram nigram (quam* Freherus *inter inſtrumenta piſcatoria refert) continet*, & Epiſcopatum Baſilienſem *deſignat: 2. & 3. transverſim ſecta, ſuperiore parte è cocco & nigro perpendiculariter diviſa eſt, inferiore tota argentea fulget; quod* δᾶγμα eſt gentilitium Dominorum de Roggenbach. Tegitur *ſcutum* tiara Epiſcopali, *hinc* pedo, *iſthinc* gladio *ſtipata*.

Not. ad Petr. ab Andlo c. 15. p. 217.

3. Epiſcopatus Baſileenſis initio *Rauracenſis* dicebatur, eſtque vetus traditio, Rauracos Chriſtianæ religionis ſemina à Sequanis hauſiſſe, accurantibus Biſontinis Archiepiſcopis, quibus hoc adhuc ævo Baſileenſes Præſules ſuffragari perhibent: exiſtimabat a. *B. Rhenanus*, Baſileenſis Epiſcopi tractum multis annis in Biſontinæ Eccleſiæ diœceſi & adminiſtratione fuiſſe, usque ad Francicarum legum ſanctionem, qua ſingulæ civitates ſuos habere Epiſcopos juſſæ ſunt. Sed diſſentit ab illo autor *Baſileæ Sacræ*, atque authenticis monumentis compertum eſſe, teſtatur, anteriore & quidem aureo ævo Conſtantini M. jam dum proprios Epiſcopos Rau-

Baſil. lib. 8. pag. 12.

Rauracis fuisse, qui eversa *Augusta Rauracorum* vel ab Allemannis circa annum 360. vel ab Hunnis 451. *Basileam*, quæ tum exoriebatur, sedem transtulerunt. *Primus* Rauracorum *Episcopus*, de quo memoriæ proditum est, *Iustinianus* audit, qui An. 346. synodo Colonienſi adversus Euphratem interfuit: post hunc hiatum patitur Episcoporum catalogus usque ad *S. Pantalum*, quem vulgò pro primò Basileensi Præsule habent, martyrii corona illustrem, cui, intercedente iterum aliquo intervallo, *Adelphius* succenturiatur, qui primò concilio Aurelianensi à Clodovæo Francorum Rege Aurelias An. 507. convocato, subscripsit: à *Walano* demum, qui circa annum 750. Ecclesiæ præfuit, Episcoporum series filo non interrupto nectitur.

4. Inter *benefactores* hujus Episcopatus celebratur in primis Heinricus II. Imp. qui An. 1004. in *Adalberonem* Præsulem sibi egregiè charum liberalitatem suam effundens, juris ipsius fecit *sylvas Alsatiæ in Vtonis Comitatu, à Pyrrha flumine inter Ilum & Rhenum ad sex milliaria protensas*; ea conditione, ut *venatio* soli Episcopo permitteretur: quadriennio post eidem Adalberoni donavit *sylvas in Brisgoja, à vico Toginga usque Gundelfingam & Betzingam*. Verùm nec inter hos limites constitit Heinrici S. munificentia, cathedra- *Basil. Sacra p. 140.*

lem insuper ædem, Hungarorum vastatione labefactatam diruit, ut novam passus aliquot à Rheno remotam erigeret: eam anno 1019. d. 11. Oct. *Adalbero*, ipso Imperatore & Episcopis bene multis præsentibus, solemni ritu consecravit, honorique dicavit *Christi resurgentis, S. Crucis, Deiparæ Virginis, S. Johannis Baptistæ, omniumque denique Apostolorum & Sanctorum.* Inter Præsules prædicantur merita *Heinrici* III. *Comitis Neoburgensis*, qui, ut *Brisacense* feudum, extincta Sueviæ Ducum familia, ad se revolutum, diœcesi asseret adversus Rudolphum Habspurgicum postea Imperatorem, qui Brisacum astu occupaverat, omni non modò contentione, sed & dimicatione laboravit, atque quod intenderat, tandem interveniente summa 900. marcarum argenti, quam Rudolpho solvit, obtinuit. Devenit tamen postea, incertum qua via, Brisacum ad Imperium, & A. 1331. à Ludovico Bavaro Imp. Ottoni Archiduci Austriæ jure pignoris concessum, & à domo Austriaca in hoc usque seculum possessum est, donec per pacem Westphalicam in Regem Galliarum transferretur. Sed novis etiam ditionibus Episcopatum auxit *Heinricus*; namque arcem *Biederthan* à Comite Godefrido cognato suo, præterea *Bruntrutum* arcem & *Teuffenstein* à Comitibus de Neufchastel pretio comparavit: porro *Pfyreta-*

Basil. Sacra p. 241.

retanum Comitatum acquisivit, quem integrum, excepto solo castro *Schönberg* & curte *Illeburg*, Ulricus Comes de Pfyrt, ac Theobaldus ejus filius, eidem pro 850. marcis argenti, cum omni jure & jurisdictione anno 1271. vendiderunt; ea quidem conditione, ut ipsi eorumque hæredes masculi prædictum Comitatum ab Ecclesia, præstito fidelitatis sacramento, in feudum seu beneficium reciperent. Theobaldus postea An. 1309. *Ottoni* Episcopo è Baronibus de Grandsé orto, ad plures sopiendas tricas, nobilem etiam Toparchiam, castrum & oppidum *Blumbergam* sive *Florimontem* donationis titulo transcripsit, eo iterum pacto, ut donata feudi nomine retineret. *Ulricus* denique ultimus *Comes Pfyrtensis*, & ejus conjux *Johannetta*, *Gerardo à Wippingen*, Ottonis in Episcopatu successori, tertiam partem hæreditatis, quàm à *Berchtoldo C. de Strasberga* acceperant, donarunt. Cum autem non ita multò post Comitum Pfyrtensium masculà stirps defecisset, *Iohannes de Senna* Præsul, firmandæ concordiæ & pacis perstudiosus, Comitatum *Rudolpho Austriæ Archiduci*, Johanna Ulrici ultimi Comitis Pfyrtensis filia nato, An. 1361. feudi nomine contulit; permansitque ille penes Austriacos per trium ferme seculorum spatium, usque dum concessa per pacis Monasterienſis formulam

Ibid. p. 261.

Gal-

Gallis *Suntgoja*, hi Pfyretanum quoque Comitatum, quasi sub ea comprehensum, sui juris facerent, ne quicquam reclamante Episcopo & Capitulo Basileensi, qui restitutionem ejus, vel saltem compensationem atque indemnisationem, in superioribus & hodiernis comitiis crebrò flagitarunt, atque adhuc urgent.

V. Limn. l. P. T. V. Add. ad l. 4. c. 7. p. 255.

5. In *civitatem Basileensem* nulla amplius jurisdictio Episcopis competit; qui tamen olim legitimi ejus Domini fuerunt; quemadmodum *Urstitius* testatur, & jura constituendorum magistratuum, judicandi, de appellationibus cognoscendi, juramentum fidelitatis exigendi, aliaque habuerunt; quæ temporum successu ab illis vendita, bellicis impensis consumpta, variis contractibus & transactionibus alienata, in civium manus pervenerunt: Superesse nihilominus Præsulibus aliquam pristinæ potestatis recognitionem, *Æneas Sylvius* tradidit, quod *annuos quatuor denarios* ex *singula familia* recipiant. Habitarunt Episcopi in *minore Basilea*, quæ cis Rhenum est, usque ad annum 1365. quo *Iohannes* Præsul natus è Comitibus de Vienna, qui multa Episcopatus dominia juraque vel prorsus dissipavit, vel alieno ære gravavit, eam civitatis partem Leopoldo Austriæ Duci oppignoravit, in cujus potestate quatuordecim annis permansit, donec à civibus, annuen-

Epit. Hist. Bas. cap. 7.

Descript. Basil. pag. 20.

Urstit. lib. cit. c. 18.

annuente *Himerio* è Romsteiniis Baronibus Johannis successore, redimeretur, atq; majori urbi uniretur: inde itaq; sedem Præsules *Bruntrutum* transtulerunt, quod in Comitatu *Alsgaugensi* ad *Hallum* fluvium situm est; Capitulum verò *Delemontij* in *Salzgoja* ut plurimum degit: diœcesis *circulo Rhenano superiori annumeratur.*

6. *Curiensem* Ecclesiam in præsentia regit

ULRICUS, *Episcopus Curiæ, S. R. Imp. Princeps, Dominus in Fürstenberg & Gros-Engstingen*; suffectus is est d. 23. Febr. anni 1661. à Capitulo in locum *Johannis Flugij ab Aspermont.* Sanguinem ducit è familia *de Monte*, quam Romanam vetustissimæ originis *Bucelinus* prædicat. Pater ejus a *Albertus de Monte*, mater *Margarita de Marmels*; avus, *Lucius de Monte*, avia *Ursula Baroniſſa de Saxo.* *Germ. Stemmatogr. Tom. IV.*

7. *Scuto* utitur *quadripartito*: 1. & 4. area *argentea capricornum salientem nigrum continet, quod* symbolum *est* Episcopatus 2. & 3. *cœrulea dimidium unicornu ex auro, sectione apparente cruenta, quæ* tessera *est* gentilitia familiæ de Monte. *Scuto* incumbit tiara, *adjectis hinc* pedo, *isthinc* gladio. *Spen. Obs. Har. Sp. l. 3. c. 11.*

8. Curiensis Episcopatus inter eos, quos Rhenus alluit, primus ab ejus fontibus occurrit,

currit, indeque *supremus* (das Oberste in der Pfaffengaß) appellatur. Eum *Bucclinus* ab ipso Petro Apostolorum Principe fundatum arbitratur, unde & oppidum *Veldkirchium* & adjecta regio *Campus S. Petri* nominetur, *primum* tamen *Episcopum* vocat *S. Lucium*, quem alii *Coilli Britanniæ Regis*, alii *Simonis Crucigeri* filium fuisse volunt. *Germ. Sacr. Part. 1. p. 3.* *Bruschius* initia Episcopatus ad annum 440. refert, primum Præsulem memorat *Asimonem*, qui An. 451. Chalcedonensi interfuit concilio. De *Paschali* quarto & decimo Episcopo insigne est ad memoriam, quod idem *Bruschius* recenset: *Paschalis Comes Brigantinus Vigilii Præsidis Rhætiæ filius, Episcopus Curiensis, habuit uxorem Dominam Esopejam, Comitissam de Rhætia alta: quæ etiam in vetustis diplomatibus nominatim ponitur, & se subscripsit Antistitam Curiensem: præsertim in fundatoriis literis vetustissimis monialium cœnobij Caczes*, in Tumiliasca supra Rhetium siti. Ejus cœnobii *fundatores fuerunt iste Paschalis Episcopus & ejus filius Victor, successor patris in Episcopatu. Prima ejusdem Abbatissa legitur fuisse Domina Vespula, Paschalis Episcopi ex Esopeja conjuge filia: cujus soror Ursicina ejusdem loci monialis fuit.*

9, Inter *Evergetas* Ecclesiæ Curiensis celebrantur: *Carolus Crassus* Imp. qui *Rotha-*

rio

rio Episcopo An. 881. ditionem & villam *Fluminis* donavit; *Otto M.* qui *Waldoni* An. 440. *Pludentum* oppidum *Drusianæ* vallis, nec non ejus successori *Hardoberto*, ob damna à Saracenis Episcopatui illa a, quædam prædia in pago *Zizers* & Alsatia dedit; *Otto III.* qui *Vvaldoni II.* An. 995. totum oppidum *Clavennense* in Prægallia contulit; *Fridericus Barbarossa*, qui *Eginonem* Episcopum Anno 1174. mortuum ob egregias virtutes *Principali axiomate* ornavit; *Otto IV.* denique, qui *Regalia* etiam *Reinherio* Episcopo impertiit. Inter Præsules *amplificasse* diœcesin prædicantur: *Conradus* è Baronibus Bellomontii, exstructo castro *Fürstenburgo* in Athesina valle, consensu Mainardi Austriæ Ducis; *Heinricus* ex Comitibus Montfortii emtis arcibus *Asperimontis* & *Rhams*; *Vlricus* è Lenzburgiis, comparato 2500. aureis castro *Tumiliascæ*; *Hartmannus*, qui *Ramuncensem*, *Greiffensteiniam* & *Haldensteiniam* arces acquisivit, nec non munificentia *Modestini Vice-Comitis Mediolanensis* Anno 1404. totam *vallem Tellinam*, communitatem in *Bormio* & *Busclatio*, castrum item & oppidum & totam vallem *Clavennam* & *Plurium* accepit.

9. Cæterùm cùm Curienses Episcopi comitiis ac diætis circularibus per longum tem-

temporis ſpatium non interfuiſſent, petiit An. 1642. *Iohannes* Præſul in conventu à circulo Suevico Ulmæ agitato, ut priſtini juris ſui ratio haberetur, ipſeque nunc & in poſterum ad ſeſſionem ſuffragiumque admitteretur, quod etiam conceſſum ei eſt; unde & in comitiis Imperii anni 1654. ſententiam in Senatu Principum dixit, Receſſuique per Legatum ſubſcripſit. Sedem habet in ipſa civitate *Curia* in qua tamen non omnimoda pollet jurisdictione.

„ 11. Inter *Officiales hæreditarios* Epiſcopa-„ tus Curienſis numerantur inprimis *Archi-*„ *duces Auſtriæ*, qui, *Bruſchio* teſte, feuda offi-„ cii *Pincernæ*, & totum Comitatum Tyrolo-„ nenſem ab eo recipere conſueverunt. Reli-„ quos miniſtros ita *Bucelinus* recenſet: Mareſcalli *Equites de Marmels* ſeu *Marmore*; Dapiferi *Comites de Matſch*; Camerarii *Barones de Belmont*.

CAP. XVII.

DE OSNABRUGGENSI ET LUBECENSI EPISCOPIS.

REſtant è choro Epiſcoporum illi, qui in Senatu Imperii *ſcamnum transverſum*, inter menſam Directorialem & Eccleſiaſticorum Principum ſedilia collocatum, occupare

pare solent; horum in præsentia *duo* sunt, videlicet *Osnabruggensis & Lubecensis.*

2. Ille ERNESTI AUGUSTI nomen habet, & è Serenissima stirpe *Ducum Brunsuicensium & Lünæburgensium* prognatus est, de qua inferiùs sermo erit.

Fuit ei *antecessor* in Episcopatu *Franciscus Wilhelmus Comes de Wartenberg S. R. E. Cardinalis*, An. 1662. fatis functus, cui jam dum per *instrumentum pacis Westphalicæ* successor designatus erat: inter alia enim, quæ Celsissimæ domui Brunsvicensi æquivalentiæ sive compensationis nomine in eo concessa sunt, hoc etiam erat, *ut viventi tum Episcopo Osnabruggensi immediatè succederet minor natu è Georgij Ducis Lüneburgensis filiis, ita ut in-posterum alternativè, modò Romanæ, inde Evangelicæ religioni addicti, sed ex his non alij quàm ex familia modò nominati Ducis Georgij descendentes; illis autem deficientibus, ex Ducis Augusti posteritate, Episcopatui huic præficerentur.* Instr. Pac. Osn. art. 13.

3. *Symbolum* Osnabruggensis Episcopatus, quod Ernestus Augustus scuto gentilitio infrà delineando, inferere solet, pingitur *parma argentea rotam rubeam continente.*

4. *Fundator* Episcopatus *Carolus M.* extitit, qui devicto Witekindo, Saxonum Regulo, Osnabruggæ; in veteri Bructerorum regione, ubi hic domicilium habuisse fertur, Ecclesiam in honorem S. Petri, Crispini &

Crispiniani condidit, eamque latifundiis & vasto nemore intra hæc loca *Farnevvinckel*, *Rustenheim*, *Angaria*, *Osningsnethe*, *Dershoffet & Egesterfeld*, dotavit, atque *Episcopum* ei præfecit *VVisonem*; uti ex ipso Caroli diplomate *Bertius* docet. Inter Wisonis successores tres è *Brunsuicensi* stirpe oriundi enumerantur: *Melchior*, qui seculo quarto & decimo; *Ericus Grubenhagius*, qui superiore seculo, & *Philippus VVilhelmus*, qui patrum nostrorum memoria Episcoparum rexére. *Ericus* cùm diœcesi præsideret, graves turbæ inter Senatum & cives Osnabruggenses, nec non Canonicos sunt ortæ, quos coëmendis & colendis agris, atque aliis rationibus multipliciter sibi incommodare, alimenta sua deteriora reddere, nec tamen liberam Evangelii prædicationem permittere, cives querebantur: cumque hi facta seditione aliquot Canonicorum curias diripuissent, atque Episcopum etiam contumeliis exagitassent, immanem ille pecuniæ summam mulctæ loco civitati imperavit, eamque pendere detrectanti obsidionem intentavit: sed intercedente Philippo Duce Brunsuicensi, fratre Episcopi, & Philippo Seniore C. Waldeccensi, bellum, persolutis à civitate sexies millenis aureis Rhenensibus, sublatum est, quod incidit in annum 1525.

Rer. Germ. l. 3. p. 224.

Chytr. Chron. Sax. l. 11. p. 332.

1525. Sedes Episcopalis *Iburgi* antehac fuit, quod An. 1553. Philippus M. Dux Brunsuicensis, cum Osnabruggensi diœcesi arma infesta inferret, occupavit, atque omnium rerum copia abundans diripuit. Hodiernus verò Princeps in ipsa urbe, loco suo ære comparato, elegantem ac splendidam arcem, in qua resideret, exstruxit. *Id. l. 18. p. 517.*

5. Superiore bello tricennali, postquam Osnabruggensis Episcopatus in Suecorum potestatem devenit, translatus is est in *Gustavum Comitem de Wasaburg*, Gustavi Adolphi Regis filium naturalem, & Capitulum, cum Senatù populoque, in ejus fidem sub initium anni 1634. ad actum: verùm per pacificationem Westphalicam rediit diœcesis ad Præsulem suum *Franciscum Wilhelmum*; cui tamen id oneris impositum est, ut Gustavo Wasaburgio loco compensationis intra quatuor proximos annos *octuaginta milliatalerorum* persolveret. Cæterùm ne per alternativam successionem Catholicorum & Evangelicorum, institutam per instrumentum pacis (quemadmodum paulò ante dictum est) difficultas aut confusio oriretur circa *censuram ritusque in Romana Ecclesia receptos*, cautum est eadem pacis formula, ut eorum omnium dispositio, quoties alternativa successio in Augustanæ Confessioni addictum devenerit, Archiepiscopo Colonienſi velut *V. Inst. pacis Osnabr. art. 13. §. 2.* *Ibid. §. 3.*

Metropolitano reservata, adversus Augustanam Confessionem autem profitentes planè sublata esse debeat. Cætera superioritatis & regiminis jura in civilibus & criminalibus Augustanæ Conf. Episcopo juxta Capitulationis leges illibata permaneant; quoties vero Catholicus Episcopus rerum potitur, nihil omnino in Evangelicorum sacra arroget sibi juris aut obtineat.

6. Annumeratur diœcesis *circulo Westphalico;* Officialibus hæreditariis nullis stipata esse fertur. *Capitulum* XXV. Constat Canonicis, inter quos *tres* tantum, nempe VI. XIV. & XXII. *Augustanam Conf.* profitentur, reliqui Romanis sacris addicti sunt; Series eorum & nomenclatio ista nunc est:

I. *Joh. Fridericus de Loent*, Præpositus & Archidiaconus.

II. *Crato Wernerus à Palandt*, Decanus.

III. *Benedictus à Gahlen*, Senior, Archidiaconus & Sacellanus in Dielen.

IV. *Jodocus Heinricus Korff*, Sacellanus in Schledehausen.

V. *Dietericus Heinricus à Nehem*, Sacellanus in Melle, Præpositus S. Johannis, Archidiaconus.

VI. *Otto Heinricus ab Ohr*, Præpositus in Quackenbrück, Archidiaconus.

VII. *Jodocus Dietericus Korff.*

VIII.

VIII. *Franciscus Adolphus Wilhelmus Comes ac Dn. Frisiæ Orientalis & Rietbergæ.*

IX. *Dietericus Ludovicus Korff*, Custos & Archidiaconus, Præpositus in Widenbrück.

X. *Wolfgangus Georgius Comes Palat. Rheni*, &c.

XI. *Antonius Wernerus Guido à Palandt.*

XII. *Heidenricus Ludovicus Droste.*

XIII. *Franciscus Dietericus Josephus à Landsbergen.*

XIV. *Ferdinandus Joachimus ab Ohr, de Notbecke.*

XV, *Philippus Conradus Spiegel in Diesenberg.*

XVI. *Johannes Christophorus Vincke*, Scholasticus & Archidiaconus.

XVII. *Christophorus Heinricus à Gahlen von de Assen.*

XVIII. *Heinricus Korff, dictus Smising.*

XIX. *Franciscus Arnoldus Wolff, dictus Metternich in Gracht.*

XX. *Ignatius Heinricus Dietericus ab Horste.*

XXI. *Carolus Franciscus L. B. de Wachtendonck.*

XXII. *Fridericus Ferdinandus Adam Korff à Wachhorst.*

XXIII. *Bernardus Mauritius à Kappel.*

XXIV. *Ernestus à Beveren.*

Denique XXV. *Johannes Franciscus Caspar ab Unt in Giesenberg.*

7. *Lubecenſem* Epiſcopatum hodie adminiſtrat

AUGUSTUS FRIDERICUS, *Heres Norvvegiæ, Poſtulatus Epiſcopus Lubecenſis, Dux Slesvici, Holſatiæ, Stormariæ & Ditmarſorum, Comes Oldenburgi ac Delmenhorſti,* filius Friderici Ducis Holſatiæ & Slesvici, de cujus natalibus cæterisque decoribus alio loco dicetur.

8. *Teſſera* Epiſcopatus, quæ in gentilitio ejus ſcuto inferius deſcribendo, conſpicitur, *crux eſt aurea, mitra Epiſcopali tecta, in campo cæruleo.*

9. Origo Epiſcopatus Lubecenſis *Oldenburgi* in Wagria fuit, quo loco eum *Otto M.* Imp. inſtituiſſe fertur: inde *Heinricus Leo* potentiſſimus per Germaniam Princeps, eam Friderico I. annuente, Lubecam, ſplendidiſſimam Wagriæ metropolin, à ſe ſubjugatam, transtulit, exſtructaque eſt à *Gerardo Epiſcopo* in arenis Eccleſia Cathedralis S. Johanni dedicata. *Detlevus de Reventlovv*, quadrageſimus ordine Præſul, qui anno quinto & trigeſimo ſuperioris ſeculi rebus humanis exemtus eſt, *Evangelicæ religionis* exercitium in diœceſi introduxit.

Bert. rer. Germ. l. 3. p. 177.

10. Hæret nunc Epiſcopatus per integri ſeculi ſpatium & quod excurrit in *familiæ Ducum Holſatiæ & Slesvici*, hicque longo uſu mos

mos invaluit, ut filiis natu minoribus quasi in *Apennagium* cedat, Capitulo umbra tantùm Electionis relicta. Primus qui ex inclutissima hac stirpe in Episcopum Lubecensem postulatus est, *Iohannes Adolphus* extitit, Christiani III. Regis Daniæ è fratre Adolpho Duce Slesvicensi nepos, qui Bremensem etiam Archidiœcesin rexit, & An. 1596. ad conjugium animum adjiciens, Episcopatum Lubecensem fratri suo *Iohanni Friderico* tradidit; cui An. 1634. defuncto *Iohannes*, filius Johannis Adolphi modò memorati, surrogatus est; post quem *Iohannes Georgius*, Friderici Ducis Gottorpiensis, qui Johannis frater major erat, filius Episcopatum suscepit; sed immatura morte in peregrinatione Neapolitana An. 1655. extinctus, eum fratri *Christiano Alberto* reliquit, à quo An. 1665. in *Augustum Fridericum* germanum suum translatus est servato tamen sibi jure ac titulo *Coadjutoris*. Sedem Præsuli *Oitinum* præbet, Wagriæ oppidum, quarto à Lubeca lapide dissitum, diœcesis *circulo Saxonico inferiori* annumeratur.

CAP. XVIII.

DE SUPREMO ORDINIS TEVTONICI MAGISTRO.

JOHANNES CASPAR, *S. R. Imp. Princeps, Administrator Supremi Magisterij in Borussia, Teutonici Ordinis per Germaniam & Italiam Magnus Magister, Dux in Silesia, Freudenthalij & Eyllenbergæ, nec non S. Cæsareæ Majestatis per utramque Silesiam Supremus Capitaneus.*

2. Prognatus est ex incluta stirpe Suevica *ab Ampringen*, quam *Ferdinandus Hauk* in libello, cui titulus die Herzligkeit Edler freyen Francken / ab *Amprinto*, Comite ab Habspurg & Altenburg derivat; cujusque extremus quidem, at maximè conspicuus & florentissimus palmes hic noster est, quem non imber edax, non aquilo impotens poterit deterere, aut innumerabilis annorum series & fuga temporum delere: quamquam & alio modo memoriæ generis sui consuluit, dum in nomen familiæ, post fata sua assumendum, adoptavit N. *de Wesenberg* cognationi sibi junctum.

3. *Parens* Reverendissimo Principi fuit *Joh. Christophorus ab Ampringen*, mater *Susanna*

Sanna de Landsberg, à quibus An. 1619. d. 20. Martii in lucem susceptus est. Postquam excessit ex ephebis, ordini Equestri Teutonico nomen dedit, & per varios gradus eò mox dignitatis pervenit, ut *Baliviæ Austriacæ Archicommendator* præficeretur: cùm verò *Leopoldo VVilhelmo Archiduci & Ordinis Teutonici Magistro* Anno 1662. defuncto, *Carolus Iosephus Archidux*, infirma adhuc ætate suffectus esset, hic noster in eorum extitit numero, qui curam atque administrationem Magisterii gesserunt; quo in munere virtutem fidemque suam universo Ordini adeò probavit, ut præ cæteris dignissimum eum judicarent, quem *Carolo Josepho*, An. 1664. præmaturo funere è vivis sublato, *successorem* constituerent. Ipse Leopoldus Augustus, quanto in pretio optimi atque acerrimi viri raram in hoc seculo integritatem & præstantem prudentiam haberet, abundè testatus est, cùm An. 1673. *Regno Hungariæ* factionibus ac intestinis dissensionibus diviso, eum *vicaria potestate* imponeret; qua per octo circiter annorum spatium egregiè defunctus est, manserunt ejus merita altâ Cæsaris mente reposta, ita ut novis honoribus pronuper eum cumularet, & *Supremum Capitaneum utriusque Silesiæ* in locum Friderici Landgravii Hassiæ, S. R. E. Cardinalis & Episcopi Vratislaviensis, designaret.

4. *Scutum*, quo uti solet, *quadripartitum est, mediante cruce nigra, cui alia aurea ac liliata, in corde peltam auream nigra aquila insignitam gerens, superinducitur; quod* Magisterii Ordinis Teutonici symbolum *est.* Area prima & extrema *argentea crucem nigram* vetustiorem Ordinis tesseram *exhibet:* secunda & tertia *rubea palos duos argenteos & fasciam unam auream continet, quod* gentilitium δεῖγμα est familiæ ab Ampringen: *Impositæ sunt huic scuto* tres cassides *coronatæ, quarum* anterior *jugum alarum complicitarum argentearum, cui crux nigra inscripta, sustinet:* Mediæ *incumbit tabula octangularis argentea,* symbolo Magisterii Ordinis *insignita, & singulis angulis totidem globulis aureis, qui plumis nigris fastigiati sunt, ornata. E* posteriore casside gentilitia *protenduntur bini pedes ursini aversi rubei, falcatis digitis singuli globum aureum stringentes:* Phaleræ *circumfluunt hinc argenteæ & nigræ, isthinc rubeæ & aureæ.*

5. *Ludovicus Antonius Comes Palatinus Rheni,* &c. filius tertio genitus Philippi Wilhelmi Comitis Palatini Rheni, Ducis Neoburgici, electus & inauguratus est in *Coadjutorem Supremi Magisterij Ordinis Teutonici* d. 16. Dec. 1679. cum sexta retro luce, ritu sollemni *insignibus Equestribus* decoratus esset.

6. *Scuto* utitur eodem, quo Serenissimus Pa-

Parens, quodque inferiùs delineaturi sumus, ita tamen ut *substrata ei crux nigra cum aurea liliata, quatuor locis promineat:* Tegitur *pileo Ducali.*

7. Ordo Teutonicus, olim *Hospitalis S. Mariæ Hierosolymitanæ* dictus, exortus est in Sancta illa civitate, quam inhabitatam à Christianis circa initia seculi XI. cùm Viri Teutones frequenter inviserent, permotus est honestus quidam urbis incola, genere Germanus, ut in usum hospitum popularium xenodochium de suis facultatibus exstrueret, Oratoriumque B. Virgini Deiparæ sacrum adjiceret: ad quod confluentibus indies magno numero Germanis, multi ex eis seculo renuntiantes, se suaque Deo & hospitum infirmorum curationi devoverunt; his successu temporum diversi Nobiles atque Equestris prosapiæ viri accesserunt, qui tandem numero aucti regulam institutaque *Fratrum militiæ* templi assumserunt, & paulò post occasione obsidionis Acconitanæ (quæ civitas aliàs *Ptolemais* dicebatur, quamque *Sprengerus* crassa ἀνισογνωσία *Anconam Italiæ urbem* ad Adriaticum mare sitam putavit) Ordinis sui confirmationem à Cælestino III. Papa, intercedente Heinrico VI. Imp. ejusque fratre Friderico Sueviæ Duce An. 1192. obtinuerunt, & adoptata in *Advocatam* B. Virgine Maria, *tesseræ* loco *crucem nigram in cam-*

Iurispr. publ. l. 2. c. 10. p. 408.

campo argenteo acceperunt; cui deinceps Johannes Rex Hierosolymitanus, *auream* superinduxit, Fridericus autem II. Imp. *aquilam nigram Imperij in campo aureo*, medio & honoratiore crucis loco imponendam addidit: denique Ludovicus IX. Rex Galliæ à bello sacro redux crucis aureæ extremitates *quatuor liliis* auxit atque ornavit. Primus Ordinis Magister *Heinricus Waltpodius* fuisse memoratur.

8. Transierunt hi Equites, quos à symbolo modò dicto, *Crucigeros* nominabant, è Palestina, in qua annis aliquot strenuè rem Christianam curaverant, ingentemque sui famam excitaverant, in Germaniam, Magistro *Hermanno de Salza* circa annum 1229. exciti à Conrado Massoviæ Duce, ut sibi à Prussis gentilibus afflicto, suppetias ferrent: ab eo autem in præmium navatæ fortiter operæ *Culmensem* districtum, & quicquid terræ est inter *Vistulam*, *Mocram* & *Dreventiam* flumina acceperunt, cumque sequenti temporum tractu Prussiam & Livoniam ampliſſimas provincias, armis victoriisque suis emensi essent, & cum *Ensiferorum Equitum* in Livonia ordine sese conjunxissent, Palæstinam autem interea Saraceni pulsis Christianis, occupassent, istis in oris sedem fixerunt, opibusque ac potentia immane quantum creverunt. Verùm enim verò rebus sic pro-

prosperè atque ex voto sibi succedentibus elati, insolentiùs se gerere, sociorum ac vicinorum terras appetere, subditos intolerabili dominatu premere, tributisque vexare cœperunt; unde factum, ut utrorumque, vicinorum nempe & subditorum odium infestasque manus in se concitarent, atque à Polonis inprimis malè multarentur. Cruentum profectò ac funestum Ordini accidit *prælium ad Dannebergam*, in Prussia, An. 1410. Equites inter & Polonos commissum; quo quinquaginta millia Crucigerorum, cum ipso Magistro *Ulrico à Jungingen* cæsa, præterea quatuordecim millia capta esse, *Hartknochius* è Cromero refert. Attritis tam immani clade Ordinis viribus, prima ab *Vladislao Jagellone* fundamenta Prussiæ *Polonis* acquirendæ jacta sunt; quæ postea corroboravit *Casimirus IV.* Rex, & Magistrum Ordinemque in fidem ac clientelam suam recepit; demùm perfecit *Sigismundus*, quo regnante Crucigerorum Ordo in Prussia planè sublatus, *Alberto* verò, *Marchioni Brandenburgico*, tum Supremo ejus Magistro, *titulus Ducis ac reliqua Prussiæ*, quæ nondum ad Polonos desciverant, *lege beneficiaria* concessa sunt. Sed nec lentiore gradu in Livonia ad ima decurrit Teutonici ordinis fortuna ac dominium, ita ut eadem fermè tempestate, occasione dissidii inter *Guilielmum Furstenbergium*, Livoniæ

Reip. Pol. l. 1. c. 7.

vonia Provincialem Magistrum, & Guilielmum Archiepiscopum Rigensem orti, periret, & Livonia à Sigismundo Augusto Regno Poloniæ conjungeretur; Magister vero Provincialis *Gotthardus Kettlerus*, qui Furstenbergio successerat, *Curlandia & Semigallia nec non Ducis axiomate* ad posteros transmittendo, *investiretur*. Hoc modo meliore ditionum parte exutus Ordo Teutonicus, ad tenuem conditionem, atque ad illa sola bona, quæ per Imperium hinc inde sparsa sunt, redactus est.

9. Quo verò ævo Supremus Magister in numerum *Principum Imperij* sit cooptatus, & *jus sessionis & suffragij* in comitiis obtinuerit, non omnino liquet: *Amb. Miraus* id eo tempore contigisse tradit, quo Ordo possessiones in Prussia acquisivit, & Hermannum de Salza Magistrum habuit, cui sententiæ adstipulari videtur *Chronicon Prussiacum Petri de Dusburg*: alii verò id seriùs accidisse perhibent. Quicquid sit, id certo certius est, non ab uno seculo Magistros Teutonici Ordinis illa prærogativa eminuisse; cui asserto testimonium omni exceptione majus dat *Recessus Imperij Augustanus anni 1500.* in quo inter Imperii Proceres, qui actis illorum Comitiorum subscripserunt, etiam Magistri Ordinis Teutonici mentio reperitur. Hodie *proximum ab Archiepiscopo Salisburgensi locum*

De Orig. Ord. Equest. l. 1. c. 4.

Part. 2. c. 5.

locum in scamno Principum Ecclesiastico-rum occupat, ac ante Bambergensem Præsulem, invitò quidem eo, ac de *proedria* cum ipso disceptante, sententiam dicit.

10. *Sedem* habet *Mergentheimij*, quæ civitas ad *Tubarim* sita est, referturque inter membra *circuli Franconici*, tum ratione bonorum Cameralium, quæ maximam partem *Nicrus* alluit, tum ob Balliviam Franconicum: & licet multa eò spectantia loca, Commendæque diversæ in Suevia jaceant, nihil tamen rei ipsi cum circulo Suevico est; sed Symbola, quæ eorum etiam nomine Imperio debet, in Franconici circuli ærarium omnia confert.

11. Dividitur Ordo in *undecim* omnino *Ballivias: Alsaticam, Austriacam, Athesinam sive Tyrolensem, Confluentinam, Franconicam, Juncetanam sive Biesensem, Westphalicam & Lotharingicam*, merè Catholicas; *Hassiacam, Thuringicam & Saxonicam*, maxima parte Evangelicas, Superiorem tamen suum agnoscentes; quippe quarum Archicommendatores partim personaliter, partim per Legatos comparuerunt tum An. 1662. Viennæ, tum post octennium Mergentheimii in Capitulis, ut vocant Generalibus, præmissa totius Ordinis Visitatione, celebratis; ubi inter cætera pro restauratione hujus quondam florentissimæ militiæ actum fuit de exercitio mili-

militari contra infideles rursum instituendo, ærarium in eum finem atque ad colligendum belli nervum constituto; uti *Autor Relationis succinctæ de Ord. Teut.* memorat. Accensenda esset Balliviis superiùs enumeratis *Ultrajectensis*, ob Commendarum multitudinem (tredecim enim omnino continet) & redituum opulentiam haud postrema; nisi Fœderati Belgæ hoc demum seculo, ante annos circiter quinquaginta, eam Ordini Teutonico subtraxissent, & dispositioni suæ mancipassent: ac licet ejus restitutionem Ordo precibus crebro repetitis, Cæsaris quoque & Statuum Imperii intercessione adhibita, à Bataviæ Primoribus flagitasset, vana tamen præcepta hactenus surdis auribus cecinit: fruitur verò hujus Balliviæ reditibus in præsentia *Heinricus Trajectanus Comes à Solms in Braunfels*, militum Prætorianorum Ducis Arausionensis Præfectus.

12. *Administrantur* Balliviæ suprà recensitæ per *Archicommendatores*, vulgò *Provinciales* (Land-Commenthur) dictos, qui a *Consiliariis*, vernaculo vocabulo die Rathsgebietiger appellatis, eligentur, atque à Supremo Magistro confirmantur; subsunt verò istis alii, qui vel nudè *Commendatores*, vel *Commendatores castri* (Hauß-Commenthurn) nominantur. *Archicommendatores* partim sunt *immediati*, quibus locus in comitiis inter

Præ-

Prælatos competit, quales sunt, qui Alsaticæ & Confluentinæ Balliviæ præsunt; partim *mediati*, qui quidem quoad Ordinis regulas ac institutaimmediatè Magistro parent, cæterùm Principibus, in quorum ditionibus domicilia ac possessiones habent, certis conditionibus addicti sunt, in diætis provincialibus (den Landtägen) comparent atque onera subeunt; tales sunt Archicommendatores in *Austria*, *Saxonia*, *Thuringia*, *Hassia*, &c.

13. *Alsaticam* Balliviam eique conjunctam *Burgundicam* nunc administrat *Iohannes Hartmannus à Roggenbach*, *S. Cæs. Maj. Consiliarius*, *Archicommendator Balliviarum Alsaticæ & Burgundicæ*, *Commendator in Altschhausen*, *Eques Ordinis Teutonici*, frater Episcopi Basileensis. Locus ei est inter ter Prælatos *scamni Suevici*.

14. *Austriacæ* Balliviæ præest *Christophorus L. B. ab Heuniken*, *in Iächel Möllis & Dedetzviz hæreditarius*, *S. Cæs. Maj. Camerarius*, *Archicommendator Balliviæ Austriacæ*, *Commendator in Groß Sontag & Kraz ad Licum*, *Eq. Ord. Teut.*

15. Balliviam *Tyrolensem ad Athesin* regit *Iohannes Iacobus Comes à Thun*, *S. Cæs. Maj. Camerarius*, *Archicommendator Balliviæ Athesinæ*, *Commendator in Bozen &*

Weggenstein, Eq. Ord. Teut. Parentes huic erant *Georgius Sigismundus L. B. à Thun & Maria L. B. de Firmian.*

16. *Confluentinam* tenet *Grosvvinus Scheiffard, L. B. de Merode in Alner, Archicommendator Balliviæ Confluentinæ, Commendator ad S. Catharinam Coloniæ, Dynastæ in Elsen, Herrn-Molheim & Oetinghofen, Eq. Ord. Teut.*

17. *Franconicæ* præest *Iohannes VVilhelmus à Zocha, Supremi Magistri Consiliarius, Archicommendator Balliviæ Franconicæ, Commendator Ellingæ & Noribergæ, Eq. Ord. Teut.* surrogatus est *Joh. Ludovico à Roggenbach* d. 2. Mart. anni superioris 1682. defuncto; cum antea dynastias *Freudenthal & Eulenberg in Silesia*, à Maximiliano Archiduce & Supremo Equitum Teutonicorum Magistro Ordini donatas, & pro nuper à Cæsare in Principatum, quoad hodiernus Magister superstes fuerit, evectas, vicario nomine administrasset.

18. Quoniam verò *Ballivia Franconica*, eò quod sedes Magistri Mergentheimium, ejusque bona Cameralia ad eam referuntur, aliquid eximii mereri videtur, lubet singulos ejus Commendatores & Equites, quotquot hodie continet recensere:

I. *Johannes Adolphus Rau ab Holzhausen*, Se-

re-

reniſſimi Coadjutoris Supremus Aulæ Magiſter, Conſiliarius Balliviæ Franconicæ & Commendator in Ratisbona & Gœnghoven, Eques Ord. Teuton.

II. *Nicolaus L. B. de Sparr in Greiffenberg*, Reverendiſſimi Principis, nec non Balliviæ Franc. Conſiliarius, & Commendator in Heylbronna, Eq. Ord. Teut.

III. *Liborius Chriſtianus L. B. de Sparr, Dynaſta in Greiffenberg*, Ser. & Rev. Electoris Colonienſis Camerarius, Balliviæ Franc. Conſiliarius & Commendator in Kapfenburg, Eq. Ord. Teut.

IV. *Johannes Franciſcus L. B. ab & in Sandizell, Senior in Malzhauſen, Dn. in Schernegg, Rholingen & Munſter*, Conſiliarius Balliviæ Franc. Commendator in Oettinga & Donawerda, Eq. Ord. Teut.

V. *Adamus Maximilianus ab Ovv*, Conſil. Balliv. Francon. & Commendator in Ulma, Eq. Ord. Teut.

VI. *Philippus Benedictus Forſtmeiſter, de Gelnhauſen*, Reverendiſſimi Principis Conſiliarius & Aulæ Mareſcallus, Balliviæ Francon. Conſil. Commendator in Hornegg & Præfectus diſtrictus Scheuerbergici, Eq. Ord. Teut.

VII. *Fridericus ab Aſſenburg in Hindenburg*, Commendator in Blumenthal, Eq. Ord. Teut.

VIII. *Georgius Eitel Rau ab Holzhauſen*, Commendator in Virsberg, Eq. Ord. Teut.

IX. *Carolus Suicardus à Sickingen*, Commendator in Morſtat & Commendator caſtrenſis (Haus-Commenthur) in Mergentheim, Eq. Ord. Teut.

X. *Philippus Heinricus ab Andlau*, Commendator in Francofurto, Eq. Ord. Teut.

XI. *Philippus Adolphus L. B. ab Hohenegg*, Reverendiſſimi Principis Vicegubernator Dynaſtiarum Freudenthal & Eulenberg, Eq. Ord. Teut.

XII. *Damianus Fridericus à Steincallenfels*, Commendator caſtrenſis in Freudenthal; Eq. Ord. Teut.

XIII. *Georgius Eberhardus ab Hedesdorf*, Commendator caſtrenſis in Norimberga, Eq. Ord. Teut.

XIV. *Joh. Wilhelmus in Rhein*, Commendator caſtrenſis in Ellingen, Eq. Ord. Teut.

XV. *Claudius Franciſcus Joſephus L. B. à Reinach*, Ædilis & Archimagirus (Bau- und Kuchelmeiſter) in Ellingen, Eq. Ord. Teut.

XVI. *Johannes Philippus L. B. ab Hohenegg*, Trappiererus, Ædilis & Archimagirus in Mergenthal, Rev. Principis Supremus Hippocomus, Eq. Ord. Teut.

XVII,

XVII. *Franciſcus Ludovicus L. B. de Leibelfing in Rhein*, Eq. Ord. Teut.

XVIII. *Johannes Marquardus Romanus Rennet ab Almandingen*, Eq. Ord. Teut.

19. *Iuncetanam* Balliviam nunc regit *Emundus Godofredus L. B. de Bucholz & Orag, Liber Bandereſius in Diepenbeck, S. Cæſ. Maj. Conſiliarius, Archicommendator Balliviæ Bieſſenſis, Commendator Trajecti ad Moſam, Eq. Ord. Teut.*

20. *Weſtphalicam* tenet *Franciſcus Wilhelmus L. B. de Furſtenberg, Archicommendator Balliviæ Weſtphalicæ, Commendator in Mülheim, & monaſterii ad S. Georgium, intimus Conſiliarius Paderbornenſis Epiſcopi*, fratris ſui germani, *Eq. Ord. Teut.*

21. *Lotharingicæ* præeſt *Lotharius Braun à Schmidtburg, Archicommendator Balliviæ Lotharingicæ, Commendator Bekingenſis & Trevirenſis, Electoris Trevirenſis Conſiliarius & Aulæ Magiſter Provincialis* (Landhoffmeiſter) *S. Cæſ. Maj. Colonellus, E. O. T. Haſſiacam* & ei conjunctam *Saxonicam* obtinet *Johannes Daniel à Priort, Archicommendator Balliviarum Haſſicæ & Saxonicæ, Commendator in Marburg, Luculum & Berg, Eq. Ord. Teut.*

22. *Thuringicæ* denique hodiernus *Adminiſtrator* audit *Mauritius VVilhelmus Dux Saxoniæ*, ad quem morte Parentis Mau-

ritii Postulati Administratoris Episcopatus Naumburgensis delata est,

23. De cætero solet *Magnus Ordinis* hujus *Magister* eligi à *Capitulo*, quod pro re nata sive Mergentheimium, sive in alium quempiam locum ordini subjectum, convocatur, & componitur ex Archicommendatoribus & Consiliariis (denen Rahtsgebietigern) cujusvis Balliviæ. Electus verò ab Equitibus quotquot eorum præsto sunt, in sacellum deducitur, ubi sedili nigro, panno holoserico ornato, flexis genibus accumbens, præmissa à Presbytero Ordinis paræneſi, dictisque precibus, juramentum præstat, atque deinde appensa ei sollemni ritu *Cruce Magisteriali*, traditis porro *annulo*, *clavibus* ac *sigillo*, quibus aliæ preculæ, nec non vota pro salute ac felicitate novi Principis adduntur, inauguratur.

24. Ad ipsum autem Ordinem Teutonicum nemini patet aditus, nisi *nobili genere prognato*, quique fidem suæ prosapiæ tam paternæ, quàm maternæ, *sedecim progenitorum* legitima demonstratione fecerit; atque licet Romanæ religionis ratio potissimùm habeatur, attamen nec Augustanam Confessionem profitentes, imò nec Calvini dogmata sequentes planè excluduntur; sed ad nonnullas in utraque Saxonia, Thuringia & Hassia sitas Commendas admittuntur

29. Qui-

25. Quicunque verò in Equestrem hunc ordinem cooptari gestit, adeat oportet Archicommendatorem illius Balliviæ, in quam recipi cupit, desideriaque sua verbis demissis eidem exponat: ab hoc si voti damnatur atque receptionem impetrat, *duplex* faciendum ipsi est *tyrocinium* (quod vocabulo recepto das *Novitiat* appellant) *prius* apud Archicommendatorem; *posterius* apud Supremum Magistrum, singulo *semestre* temporis spatium præscriptum est, quod tamen quandoque è singulari Superiorum gratia minuitur. Hoc tyrocinio ubi defunctus est Candidatus, ita uti probum atque liberalem Virum decet, suamque virtutem Archicommendatori pariter ac Principi probavit, tum demum sollemni cerimonia sive ab ipso Magistro, sive ab Archicommendatore Ordine equestri insignitur. Scilicet die definita cum *duobus testibus assistentibus*, qui vernacula lingua die Auffschwörer vocantur, neque ex Equitum numero sunt, coram Principe vel Archicommendatore, Equitum choro præsente, comparere, ac denuo flexis genibus voce supplici obsecrare tenetur, ut in ordinem adoptetur, hac quidem formula: *Obsecro per DEUM, & Mariam sanctissimam Matrem DEI, perque animæ meæ salutem. ut in inclytum Teutonicorum ordinem Equitum recipiar.* (Ich bitt umb GOttes/ und Ma-

riæ der heiligsten Mutter GOttes/ auch umb meiner Seelen Heil willen/ mich in den Löbl. Teutschen Ritter-Orden auf- und anzunehmen.) Postea à Brabeuta certior redditus de fratrum assensu & favore, ipse Candidatus binique ejus Assistentes, conceptis verbis *sacramentum* dicunt; exhibitis, prius *literis obligatoriis* versus ordinem membranæ inscriptis, & tum Candidati, tum testium chirographo ac sigillo signatis, unà cùm *schemate prognologico*, nec non particulari tabula, qua Candidatus fidem suam obstringit, se absque venia atque indultu Principis nunquam ordini abdicaturum, neque ulla Papali dispensatione ea in re usurum. Adhæc Candidatus frequenti ac decoro comitatu in templum, indeque in sacrarium, stipatus Assistentibus suis & aliquot Equitibus, deducitur, *panoplia* induitur; indeque egressus *rosarium* manu gestans, sequentibus eum à tergo sæpe dictis testibus, quorum alter *togam candidam equestrem, cum cruce aurea & calcaribus* eodem metallo obductis fert, in loco medio, paucis ab altari majore passibus remoto, sistitur: Assistentes verò ad utrumque altaris cornu pedem figunt. Tum missa inchoatur, hymnusque *Veni Sancte Spiritus*, &c. canitur, durante autem offertorio, clypeus, toga, crux & calcaria à Cerimoniario ex Assistentium manibus accepta altari

ad

ad cornu Evangelii imponuntur, quæ postea ad modulationes peculiarium precum, ut & ipse Candidatus benedicuntur, thurificantur, nec non aqua lustrali asperguntur. Hoc facto, *gladius* cum *vagina ac cingulo* à Cerimoniario cuidam ex Equitibus de altari porrigitur, qui Candidatum eo accingit, dein cantato hymno, *Veni Sancte Spiritus*, &c. quem Brabeuta Equitesque flexis genibus prosequuntur, Magister vel Archicommendator è loco, quem statim sub initium occupare solet, versus Candidatum progreditur, strictoque istius gladio, eum altare versus demisso corpore protendit, dein Candidati galeam *ictu ter repetito* ferit, dicta familiari formula: *In honorem DEI, S. Mariæ & S. Georgij.* (In GOttes / St. Marien und St. Georgen Ehr.) cum additamento: Vertrag diß / und keines mehr; besser Ritter als Knecht. Hoc peracto Brabeuta in locum, à quo secesserat, revertitur; ex Equitibus verò quidam, acceptis à Cerimoniario calcaribus, ea pedibus Candidati adaptat, eumque comitantibus cæteris in sacrarium reducit; ubi panoplia deposita, cumque priore vestimento commutata, consuetum prope altare locum repetit; ac dum Hymnus *Veni S. Spiritus* &c. nec non Litania psallitur, humi pronus brachiis expansis procumbit, finitoque cantu ab Equite proximo manu

porrecta sublatus, ac seculari pallio exutus propius ad altare accedit, & à Sacerdote *togam candidam & crucem equestrem*, vultu & corpore ad humilitatem composito, accipit, hæc illo pronunciante verba: *Ecce, crucem istam damus tibi pro omnibus peccatis tuis, & si servas illa, quæ promisisti, facimus te securum vitæ æternæ.* Inde in priorem se recipit locum novus Eques, actisque demum & transactis omnibus, eodem ordine ac comitatu, quo templum ingressus erat, egreditur, & in Brabeutæ sui ædes revertitur. Ubi edoctus, quid cerimoniæ in templo peractæ sibi velint, quidque significent, gratulantium commilitonum bona verba atque amplexus admittit, & vicissim benignè atque affabiliter refert.

CAP. XIX.

DE MAGISTRO ORDINIS JOHANNITICI PER GERMANIAM.

ORdo Johanniticus, qui ab insula, quam Summus ejus Magister hoc ævo incolit, *Melitensis* vulgò appellatur, *octo* distinguitur *Consiliis nationalibus*, quæ illi *linguas* appellant, quæque iterum in suos dividuntur *Priovatus*. *Germanica lingua* septimum locum occupat, ejusque caput *Magni Ballivi* inani titulo

tulo, nullis reditibus stipato utitur; continet autem quatuor Prioratus, *Germanicum*, *Bohemicum*; *Ungaricum & Danicum*, quibus quinto loco accedit *Bajulagium Brandenburgicum*. Verùm *Ungarico ac Danico* Prioratibus jam pridem Ordo excidit, sola tituli umbra residua. *Bohemicus* Prioratus quamvis bello Hussitico, atque illo, quod hoc seculo flagravit, multas easque graves senserit calamitates, restitutus tamen est Cæsarum opera ac benignitate; ad eum autem non universis promiscuè Germanis aditus patet, sed tantùm *Bohemis*, *Silesiis*, *Austriacis & Tyrolensibus*: eo hodie gaudet *Ferdinandus Ludovicus Liebsteinsky, S. R. I. Comes de Kolovvrath, Dynasta in Borobradeck*.

2. Bajulagium Brandenburgicum, quod *Magisterium Domini* (deß Herrn Meisterthum) vocare amant, complures olim commendas, per Marchiam, Meklenburgum, Pomeraniam. Vandaliam, Saxoniam & Lusatiam dispersas continebat, & Prioris Germaniæ jurisdictionem agnoscebat; qui Baillivos à Commendatoribus electos confirmavit, eisque facultatem Equites recipiendi & Commendas conferendi, impertivit; domicilium verò Baillivorum *Sonnenberga* fuit, quod oppidum in nova Marchia ad *Wartam* situm est. Sed seculo superiore, cùm inter Conventum & Commendatores acre dissidium

dium ortum esset, Electores Brandenburgici suum inde captantes commodum, jus præsentandi Baillivos sibi arrogarunt, & processu temporum plenam potestatem de Commendis pro lubitu disponendi asseruerunt, Bajulagium etiam quibuscunque volebant, contulerunt; quos tamen Ordo sive Conventus nunquam agnovit, sed eos pro usurpatoribus habens; alios elegit, quibus tamen nihil nisi nudum nomen concedere valebat; quod ante annos non ita multos ex indultu Ordinis gessit *Maximilianus Schliderer de Lachen*, dum beneficio Electoris Brandenburgici possessio prædiorum ad Bajulagium pertinentium, ususque fructuum exinde redeuntium penes alium erat, nempe *Johannem Mauritium Principem Nassoviæ, Comitem Catimeliboci, Viandæ ac Diezia, Dn. in Beilstein, Ordinis S. Johannis Hierosolymitani per Marchiam, Saxoniam, Pomeraniam & Vandaliam Magistrum, Ducatus Cliviæ, Principatus Mindensis & Comitatus Marcæ ac Ravensbergæ Gubernatorem*, qui anno 1679. d. 20. dec. vitæ gloriosè actæ finem fecit, neque hactenus, quantum quidem constat, successorem in Magisterio nactus est: rumor quidem percrebuit, sed nescio an certus, eam dignitatem à Sereniſſimo Electore Brandenburgico cuidam è filiis reservari.

3. *Prior Germaniæ*, qui *Ordinis S. Iohannis*

hannis Baptistæ Hierosolymitani Supremus per Germaniam Magister audit, jam pridem inter Imperii Ordines recipi meruit, hodieque in comitiis comparet, suamque de republica sententiam dicit, proximus ab Abbate Fuldensi. Pollet per investituram Cæsaream, Regalibus supremæ ac bassæ jurisdictionis in terris ac latifundiis ad Ordinem spectantibus: Sedem habet *Heidersheimii*, quod castrum cum vico adsito in Brisgoja est, unde etiam inter membra *circuli Rhenani superioris* refertur.

4. Per multum verò detrimenti, non ab uno seculo accepit Prioratus Germaniæ, diversisque bonis & commendis spoliatus est, inprimis in Belgio fœderato; ubi status Generales cunctis prædiis ad Ordinem Melitensem pertinentibus manus injecerunt, omnesque machinas, quas tum Prior, tum ipse Magnus Ordinis Magister ad recuperanda ablata atque erepta adhibuerunt, elusére; de qua injuria non semel conquestus est in comitiis sæpe dictus Prior sive Magister per Germaniam, Cæsarisque ac Procerum Imperii opem atque intercessionem efflagitavit; nec minus obnixè eos rogavit, ut Sueciæ regnum ad restituendas sibi commendas, in Bremensi Ducatu sitas, permoverent; sed ubique exoptato eventu frustratus est.

5. Pa-

5. Patrum nostrorum memoria magnum circà Prioratum Germaniæ dissidium ortum est. Nimirum cum Anno 1636. vergente ætate *Hartmanni* von der *Tanne*, qui tum temporis Magisterium Ordinis Johannitici per Germaniam sustinebat, *Georgius Burchardus à Schaumburg* Prior Ungariæ expectativam in dignitatem illam à Lingua Germanica, nec non à Consilio impetrasset, ipseque Pontifex Romanus Urbanus VIII. eam assensu suo confirmationem reddidisset, factum est, ut non ita multo post citra omnem culpam ea privaretur per Breve ejusdem Pontificis d. 7. Maji An. 1637. datum, quo illa conferebatur *Friderico Hassiæ Landgravio*, qui eo temporum tractu ad Romanæ Ecclesiæ castra transierat. Ægrè id ac permolestè Lingua Germanica initio tulit, tandem tamen in Consilio d. 30. Apr. 1638. habito, Breve Papale agnovit, & prædictum Landgravium *Coadjutorem Prioratûs* ac futurum successorem salutavit; qui etiam *Hartmanno* vivis exempto, dignitatem hanc sibi asseruit, (accipiente & mussitante injuriam *Schaumburgio*) illamque quoad vixit, ornavit. Vixit autem usque ad An. 1682. d. 19. Febr. quo vitam cum morte commutavit. Surrogatus ei fuit *Franciscus à Sonnenberg* Helvetus genere, qui ætate jam provectus mox dignitatem cum vita posuit, locumque vacuum Equi-

Equiti Westphalo è *Baronum Droste de Fischeringen*, stirpe prognato reliquit. Verum huic quoque brevis horum honorum usura contigit: anno enim 1683. extremum vitæ diem morte confecit, electusque est in ejus locum *Eques de Wachtendonck* Nobilis Westphalus, à Viris Summatibus de meliore nota commendatus, qui Serenissimi Principis Palatini Neoburgici filios pronuper in peregrinatione Italica comitatus, eorumque juventam moderatus fuerat.

6. Symbolum *Prioratus Ordinis S. Johannis Hierosolymitani in Germania* exprimitur *cruce argentea in campo coccineo.*

7. *Wachtendonckiorum* autem insignia constant *scuto aureo, lilium rubeum exhibente, quod tegitur* galea unica, *è qua herma æthiopis rubeo amictu emergit:* Telamones *assistunt duo æthiopes veste coccinea ac fascia aurata ornati, & hasta armati,*

CAP. XX.

DE ABBATIBUS.

POst Magistros Sacræ Equestris militiæ *Abbates* recensendi veniunt, atque illi quidem, qui *Principali* dignitate eminent, & *viritim* sententiam in Comitiis dicunt. Horum, posteaquam *Hirschfeldensis* Abbatia, quæ dignitate secunda quondam erat, in *Principatum*

Inſt. Pac. Osnabr. tit. 26.

patum ſecularem, omnium Imperii Ordinum autoritate, pacis conſtituendæ ergo, *Oſnabrugæ* & *Monaſterij* converſa, atque *Landgravio Haſſiæ Caſſelenſi* lege feudi Imperialis conceſſa eſt, nunc *decem numerantur*, nimirum: *Fuldenſis*, *Campidunenſis*, *Elvacenſis*, *Murbacenſis*, *Ludrenſis*, *Berchtelsgadenſis*, *Weiſenburgenſis*, *Prumienſis*, *Stabulenſis*, & denique *Corbejenſis*.

2. PLACIDUS, *Eccleſiæ Fuldenſis confirmatus Abbas*, *S. R. Imp. Princeps*, *Divæ Auguſtæ Archicancellarius*, *per Germaniam & Galliam Primas*, prognatus eſt è nobili apud Weſtphalos familia von Droſt / atque in Sacra illa & Principali dignitate *Prædeceſſorem* habuit *Bernhardum Guſtavum Marchionem Badenſem*, *S. R. E. Cardinalem*; in cujus d. 26. Dec. 1677. demortui locum, ſequentis anni ineuntis quarta luce ſurrogatus eſt.

3. *Scuto* utitur *quadripartito*, cujus 1. & 4. area *argentea crucem nigram*, Fuldenſis Eccleſiæ ſymbolum, *continet*: 2. & 3. *ex minio & auro oblique dextrorſum ſecta eſt*, *ita ut inferior pars coccinea in pinnas protendatur*; *quæ* teſſera *eſt* gentilitia familiæ von Droſt: Galeæ *imponuntur* tres, *ſtipatæ hinc* pedo, *iſthinc* gladio: anterior *coronata tiaram ſuſtinet*, *cum duobus vexillis*: mediam *itidem coronatam premit crux* ſcutaria: extrema *binis plumis ſtruthionicis*

nicis ornata est, quibus interponitur parmula cum Drostensi tessera.

4. Abbatia Fuldensis in sylva Buchovia primam originem *S. Bonifacio* debet, qui An. 744. sumptibus Carolomanni & Pipini Franciæ Regum istis in locis monasterium *Ordinis Benedictini* exstruxit, atque à Zacharia Pontifice Romano impetravit, ut illud nulli Episcopo, sed soli Romanæ sedi subjectum esset; cui in beneficii hujus memoriam singuli Abbates recens electi *quadringentos florenos* pendere tenentur. Inde etiam *Primatæ* inter omnes Abbates non Germaniæ tantùm, sed & Galliæ (quantum nempe ejus olim ad Imperium pertinuit) gaudet, & *Romanæ Imperatricis Archicancellarius* est, *Princeps Imperij*, unusque ex quatuor Imperii aut cathedræ potius Imperialis Abbatibus, sic dictis à Carolo IV. quod ad pedes Cæsaris sedere in publicis Imperii Satuum conventibus deberent. Enim verò aliquot retro seculis tanta ejus fuit existimatio ac potentia, ut proximum à Moguntino locum teneret, pro qua proedria conservanda, quas immanes turbas Heinrico IV. imperitante, Goslariæ in ipsa æde sacra *Wideratus* Abbas, monachique Fuldenses adversus Echilonem Hildesheimensem Episcopum, civerint, *Lambertus Schafneburgensis* ad annum 1063. memoriæ prodidit. Sequenti etiam seculo

Brusch. Chron. Monast. edit. nov. p. 199.

Berthous Schliko, qui anno 1133. in Abbatem electus est, cum Magdeburgensi Archiepiscopo de primatu sedendi contendit, adeo ut lis tanta ipsum Imperatorem judicem postularet; ubi quidem Abbas favore atque ope Imperatricis facilè obtinuit, ut sibi princeps sedendi locus adjudicaretur, quemadmodum *Bruschius* memorat. Pollet de cætero Abbas Fuldensis Ecclesiastica pariter & Politica jurisdictione, tam in civitate Fuldensi, quàm reliquis locis eò pertinentibus, quorum catalogum *Zeilerus* exhibet: Refertur verò ad *circulum Rhenanum superiorem*. Inter *Officiales hæreditarios* Fuldensis Abbatiæ Marescallatum familia nobilis *de Schlicze* tenet, quæ nunc *Görcensis* appellatur, & è qua *Berthous* Abbas, cujus mentio facta est, sanguinem duxit.

Op. cit. p. 215.

Topogr. Hass. p. 36.

5. RUPERTUS *Ecclesiæ Campidunensis Abbas, S. R. Imp. Princeps, Divæ Augustæ Archimarescallus*, ortus est è prænobili prosapia Suevica *Bodmannorum*, parentibus, *Johanne Sigismundo de Bodman in Steislingen, & Helena Barbara de Kotwviz*, atque in dignitate illa successit *Bernhardo Gustavo Badensi*, quem Fuldensem etiam Ecclesiam rexisse, dictum est.

6. *Scuto* tali fortassis utitur, ut *quadripartito* è gentilitiis symbolis, *incumbat in medio parmula* Abbatiæ Campidunensis *tesseram*

con-

continens; nimirum hermam fœminæ nigro indutum, argento velatum & auro coronatum, in campo è minio & cyano transversim secto: Prima *vero* & extrema *scuti* quadra *aurea capricornum erectum nigrum defert;* secunda & tertia *argentea tria folia virentia 2. 1. exhibet, quæ δάγματα sunt familiæ* Bodmanniorum. *Clypeum hunc* tegunt, *præter* tiaram *in medio collocatam*, duæ galeæ, *quarum* anterior *πρότομος capricorni nigri*, posterior *pileum turbinatum nigrum plumis viridibus fastigiatum, ora reducta argentea sustinent:* Adjiciuntur *hinc* pedum, *isthinc* ensis.

7. Campidunense *Ordinis D. Benedicti* monasterium, in *Itergoja*, quæ ad Sueviam refertur, extra civitatem Imperialem ejusdem nōminis, quæ post Treverim, Barderwicum & Augustam omnium Germaniæ vetustissima censetur, fundatum est pro sustentatione nobilium atque illustrium Germaniæ virorum Anno 777. ab *Hildegarde*, Hildebrandi Suevorum Ducis filia, Caroli M. conjuge, in memoriam Divini beneficii, quō ejus innocentia atque intemerata in maritum fides, *Talardi*, qui Caroli M. frater è noverca *Leutburga* erat, falsis delationibus criminationibusque diffamata, tandem detecta & in apricum prolata est: cujus facti historiam prolixè *Bruschius* recensuit. Dotavit autem fundatrix, eodem teste, novum *Op. cit. p. 93.*

cœnobium *Algovia*, id est, Alpibus adjacente terra; *Sægovia* i. e. lacubus, forte Sundtheimensi, Marisellensi & Sulzbergensi (hos enim amplissimos pisculentissimosque lacus hodie adhuc Abbas possidet) confini provincia; *Risgovia* i. e. Rhæticæ vicino agro; *Augustigovia*, Augustanæ nimirum urbi adjacente territorio, *Hilorgovia* i. e. ad Ileram sitis agris cùm oppidis, pagis, castris; præcipuè verò Comitatu ac oppido *Campidunensi* atque arce *Hillermontana*; quæ, defuncto Hildebrando patre ejus Rudelbrechti ac Beronis, Comitum de Brunschvviga sedes fuerat. Primum Abbatem designavit *Andelgarium* Rolandi, omnium Gallorum nobilissimi Ducis, Bertha Caroli M. sorore geniti, filium, qui anno 773. Romæ ab Adriano Pontifice inauguratus est, eodem nempe anno, quo fundamenta cœnobii jacta sunt & pro se suisque successoribus insigne privilegium ab eodem accepit, quo Campidunum *alteram vel secundam Romam* appellans, ab omni Episcopali jugo exemptum & perpetuò liberum esse statuit. Cæterùm superioribus seculis, magnis inter Abbatem atque urbem contentionibus certatum est, donec hæc in libertatem, excusso Abbatis jugo sese vindicaret; quam Fridericus Imp. multis privilegiis auctam confirmavit, Maximilianus ejus filius con-

Brusch. loc. cit. p. 167.

consolidavit; sed cum clausula, ut cives Campidunenses Abbati annuatim die Jacobo sacra *ducentos aureos Rhenenses* solverent. Sed hos etiam civitas An. 1523. cum omnibus Abbatis in eam prætensionibus, à *Sebastiano de Breitenstein*, qui tum cœnobio præerat, duobus & triginta millibus aureorum redemit. Annumeratur Abbatia *circulo Suevico & officiales hæreditarios habet*: Dapiferos, *Duces Bavariæ*; Pincernas, *Duces Saxoniæ*; Marescallos, *Comites de Montfort*; Camerarios, *Landgravios* de Nellenburg; his alii sunt *substituti*, & quidem Ducibus Bavariæ *Equites de Roth*; Ducibus Saxoniæ *Nobiles Renner ab Almandingen*; Comitibus de Montfort, *Equites de Prasberg*; Landgraviis de Nellenburg, *Nobiles de Werdenstein*.

§. Inter *cœnobitas*, in quibus nobilitas generis requiritur, in præsentia potiores partes tenent:

I. *Maurus à Schönberg*, Decanus.
II. *Othmarus à Bodmann*, Custos.
III. *Bonifacius à Danckelschweil*, Senior.
IV. *Columbanus à Libenfels*, Oeconomus.
V. *Æmilianus Hundtbis à Waldrambs*.
VI. *Gerhardus Reich à Reichenstein*.
VII. *Gregorius Vöhlin ab Illerdissen*.
VIII. *Wunibaldus à Kröningen*.
IX. *Meinradus à Freyberg*, Præfectus feudorum.

res sursum protenduntur, & plumis nigris fastigiata sunt, intercapedo autem rete expansum ejusdem metalli continet.

11. Elvacense, aliàs Elephancense, *Ordinis D. Benedicti* monasterium ad *Jagistam* vel *Jaxtum*, Franconiæ amnem in *Virguna* (hodie *Virngrund*) situm, fundatum est Anno 764. ab *Hariolpho* & *Erlolpho* fratribus, & successivè Episcopis Lingonensibus in Gallia; septimo verò abhinc seculo, Anno scilicet 1460. Abbate *Johanne ab Hirnheim* in Præposituram mutatum, Monachique in Canonicos seculares conversi sunt. Eminuit Principali dignitate, nec non jure sessionis & suffragii in comitiis, jam inde ab Heinrici II. Imp. ætate; quod anno 1641. in conventu Ordinum Imperii, Præpositus scripto publicè edito demonstravit, adversus eos, quide antiquitate hujus prærogativæ controversiam ipsi moverant. Comprehenditur sub *circulo Suevico*, & præter oppidum *Elvacense* ac circumjectam regionem, alia quoque haud ignobilia loca castraque è quibus *Lantern*am alten *Remsthal* & *Tanneburg* conspicua sunt, tenet. *Ministros hereditarios* habet Pincernas, *Barones de Rechberg*: Marescallos, *Adelmannos ab Adelmansfelden*: Camerarios, *Barones de Freyberg*: Dapiferos, *Nobiles Blarer de Wartensee*.

12. *Canonici* duodenarium numerum implent, hac serie:

I. *Heinricus Christophorus à Wolframsdorf*, Decanus.

II. *Johannes Franciscus Adalbertus Hundbiß à Waldrambs*, Senior.

III. *Marcus Albertus Baro de Freyberg & Eisenberg.*

IV. *Johannes Christophorus Trestendorfer*, *SS. Th. D. & Protonotarius Apostolicus*, Custos.

V. *Johannes Sigismundus à Bernhausen.*

VI. *Franciscus Adolphus ab Ehingen.*

VII. *Ignatius Desiderius à Peitingen*, *V. J. D.* Scholasticus.

VIII. *Josephus Ignatius Baro de Taxis.*

IX. *Johannes Rudolphus ab Ovv.*

X. *Josephus Rudolphus Christophorus Baro de Rechberg.*

XI. *Franciscus Baro de Bemelberg.*

Denique XII. *Johannes Christophorus Baro de Stein.*

13. FELIX EGO *Antistes cœnobiorum Principalium* (der Fürstl. Stiffter) *Murbacensis & Luderensis*, *Princeps in Fürstenberg*; surrogatus est in locum patrui *Francisci Egonis Episcopi Argentinensis*, atque horum etiam cœnobiorum Administratoris: parentes ei erant, *Hermannus Ego*, *Princeps in Fürstenberg* & *Maria Francisca* eadem gente orta.

14. *Scu-*

14. *Scuto* fortassis utitur *quadripartito;* prima quadra *argentea canē venaticū erectum, nigrum cum millo aureo ac annulo rubeo defert; quod* symbolum *est* Murbacensis Abbatiæ: secunda *tesseram gentilitiam* Fürstenbergiorum *continet;* tertia *quadripartitim δάγμα τῶ* Werdenbergio Heiligenbergica *alio loco delineanda repetit:* quarta *rubea manum carnei coloris, erectis tribus digitis, jurantem, indumento brachij cinereo repræsentat, quod* emblema est Luderensis Abbatiæ. Imponitur *Scuto mitra, qualem* Abbatibus *fetiales tribuunt,* adjicitur que pedum *cum* gladio.

15. *Murbachium* cœnobium *Benedictinæ* professionis in Alsatia superiore ad montana *Vogasi* situm, fundatum legitur Anno 724. ad S. Episcopi Pirminii preces, à Sueviæ atque Alemanniæ Duce quodam *Eberhardo*, habitante in Alsatiæ arce *Egisheim:* olim inter potentissima Germaniæ monasteria numerabatur, subditaque ei erat *Lucerna* Helvetiorum civitas, quam postea Albertus I. Austriæ Dux, postea Imperator, ab Abbate emit. *Luderensis* Abbatia sumptibus *Berchthildis* Reginæ in Burgundiæ & Alsatiæ confiniis ædificata, atque *à Clotario* Rege locupletata, deinceps cum Murbacensi conjuncta est: Utrique verò in pacificatione Monasteriensi, qua Alsatia in Regis *Bruschius op. cit. p. 335.*

Galliæ ditionem concessit, sua servata est immedietas; quæ quidem hôc ævo, quo idem Rex prædictæ pacis formulam violentiùs interpretari amat, in propinquum discrimen adducta est. Cæterum inter Campidunensem, Elvacensem & Murbacensem Præsules de πρεσδρία jam à longo tempore lis est, quæ in comitiis Ratisbonensibus Anni 1654. incaluit, uti apud *Gastelium* videre licet. Sed nec illud silentii sipario involvendum fortassis est, ortam esse ante annos aliquot discordiam circa electionem Antistitis Murbacensis, aliis è Clero *Francisco Egoni Fürstenbergio* faventibus, aliis verò *Joh. Ludovicum ab Andlau*, qui adhuc hodie vitali aura vescitur, suffragiis suis deligentibus; quam dissensionem ita tandem compositam esse accepi, ut hic aliqua redituum parte contentus, dignitatem cum potestate Furstenbergio permiserit.

De Statu noviss. Europ. p. 836.

16. *Berchtolsgadensis* Præpositura hodie administratur à MAXIMILIANO HEINRICO, *Archiepiscopo ac Electore Colonienſi, Duci Bavariæ*, qui, ut in aliis sublimioribus honorum gradibus, ita & in isto successit patruo suo *Ferdinando*.

17. *Symbolum* Berchtolsgadense, quod in scutis Eminentissimi Electoris, superiùs delineatis, non apparet, *constat duabus clavibus argenteis decussatim locatis in campo rubeo.*

18. Fun-

18. Fundatum est hoc monasterium, quod institutæ *Canonicorum Regularium S. Augustini* sequitur, in agro Salisburgensi à *Beringero & Cunone* fratribus, *Comitibus de Sulzbach*, necnon *Irmogarda* eorum matre, in honorem S. Johannis Baptistæ & Petri, multisque prædiis dotatum anno 1108, uti è monumentis & diplomatibus cœnobii adversus Aventinum *Hundius* asseruit; à quo hoc etiam refertur, Præpositos recens electos teneri, ut Archiepiscopo Salisburgensi, nec non Ducibus Austriæ ac Bavariæ, pro uniuscujusque jure, è veteri consuetudine fidelitatem præstent, vigore *Laudi* à Berchtoldo Episcopo Frisingensi anno 1384. pronuntiati. Neque tamen id obstat, quo minus in spiritualibus immediatè Romanæ sedi, in temporalibus verò Imperatori sine medio subsint: *Circulum* cui annumeratur, *Bavaricum* esse, è situ loci facilè est colligere.

Metrop. Salisb. p. 194.

19. De *Weissenburgensi* Præpositura, & *Prumiensi* Abbatia, quarum hæc *Trevirensi* Archiepiscopatui, illa *Spirensi* diœcesi incorporata nunc est, superiùs loco congruo abundè, pro instituti ratione, dictum est; neque opus, ut eandem cramben recoquamus.

V. sup. l. 2. c. 2. & l. 3. c. 6.

20. *Stabulensis* Abbatiæ Antistes nunc est WILHELMUS EGO, *Episcopus Argentinensis, Princeps in Fürstenberg*; qui fra-

fratri suo *Francisco Egoni*, annuo circiter spatio ante ejus obitum, tanquam *Coadjutor* in hac dignitate superadditus fuerat, ac demum fatis functo successit.

21. Fundatum est Stabulense cœnobium, quod *Benedicti* instituta sequitur, atque in diœcesi Leodiensi situm est, anno 657. à *Sigeberto* Austrasiæ Rege, hortante S. *Remaclo*, Episcopo Trajectensi ad Mosam; qui solitudinis amans, Episcopatu relicto, Stabuletum anno 653. secesserat, novique cœnobii Antistes postea constitutus ibidem anno 691. vitam cum morte commutavit, succedente ei *S. Papoleno* sive *Baboleno*, Viro Apostolico, uti *A. Miræus* memorat. Post *Christophorum Manderscheidium*, qui primus & sexagesimus Abbas numeratur, & anno 1576. è vivis excessit, *postulatus* est in Administratorem Abbatiæ Stabulensis *Gerhardus Grosbeckius*, *Episcopus Leodiensis*; à quo illa eosdem habuit Antistites, qui etiam Præsules Leodienses fuere: nisi quod post *Ferdinandum Ducem Bavariæ* Abbatiæ præfuit *Wilhelmus à Bavaria*, *Baro de Hollinghoven*: inde *Maximilianus Heinricus* hodiernus Archiepiscopus Colonienſis & Episcopus Leodiensis, qui Abbatiam *Francisco Egoni* Episcopo Argentinensi cessit, monasteriumque unà cùm *Malmundurienſi* congregationi *Burfeldensi* incorporavit anno 1656. quamvis

Fast. Belg. & Burg. p. 510.

Butel. Germ. Sacr. Tom. p. 284.

vis enim Guilielmus Manderscheidius Abbas sexagesimus jam dum reformaverit utrumque cœnobium secundum statuta Congregationis Bursfeldensis, ei tamen illa non subjecit.

22. CHRISTIANUS, *Ecclesiæ Corbejensis Abbas S R. Imp. Princeps*, oriundus est è nobili, in tractu Rhenano inferiore, familia *de Bellinckhausen*, & postquam *Bernhardus Christophorus a Gahlen* Episcopus Monasterienſis atque hujus Abbatiæ Administrator è medio excessit, ipsi in hac dignitate surrogatus fuit.

23. *Scutum* ejus *quadripartitum* fortasse est, ita ut 1. & 4. area *ex auro & minio transversè secta sit, quod* symbolum *est* Corbejensis Abbatiæ; 2. & 3. *argentea baculum rubeum, situ diagonali locatum, cujus duo extrema anchorata sunt, contineat; ita enim* tesseram familiæ de Bellinckhausen Siebmacherus *exprimit.* Imponi *potest huic scuto* tiara, *& ab utroque latere* galea, *ex* anteriore *tria pedа, qualia Abbatum sunt protendantur pro* Corveja; posterior *sustineat jugum complicitum alarum argenteарum, cui* tessera Bellinckhusana *impressa sit:* adjiciantur *hinc* pedum, *isthinc* gladius.

24. Corbejense monasterium ad *Visurgim* Ludovicus Pius ejusque conjux Juditha, anno 822. suadente *S. Adelardo* fundasse à

Mi-

Digitized by Google

Fast. Belg. & Burg. p. 3

Miræo traditur : fuit autem *Adelardus* ex Caroli M. Imperatoris stirpe prognatus, & primùm Monachus, post Abbas in *Corbeja Gallica*, ad *Corbejæ* & *Suminæ* confluentes in Belgica Secunda Ambianensique pago sita, ubi Bathildis Francorum Regis Clodovei junioris uxor, mater Regum Clotarii, Childerici ac Theodorici, celebre monachorum cœnobium exstruxit, quemadmodum *Hadr. Valesius* refert, cujus verba de hac nostra *Corbeja* hæc sunt : *Est & nobilissimum monasterium in Saxonia, ad ripam Visurgis fluminis* (Weser) *positum in pago Auguensi, quod Adalhardus Abbas Corbejensis exstruxit, principatu ac concessu Ludovici Aug. & nomine cœnobij sui* Corbejam *appellari voluit. Quod ut distinguerent à Corbeja Gallica*, Corbejam Novam *Saxones ac plerique Historici cognominavere.* Mirabile verò est & prodigio simile, quod *Bucelinus* enarrat : habuisse hoc monasterium inter alios à Numine favores, hunc præcipuè, ut quotiescunque aliquis è fratribus moriturus erat, triduo antequam vita excederet, præmoneretur, lilio coronæ cujusdam æreæ in Choro suspensæ, depositò prodigiosè, & in sede, seu stallo, ut vocant, morituri apparente, ita ut certissimus quisque esset, sese triduo post moriturum : id miraculum aliquot seculis durasse, donec juvenis Frater quidam de imminente sibi obi-

Notit. Gall. p. 159.

Tom. II. Germ. Sacr. p. 163.

obitu taliter præmonitus, contempta monitione, lilium in senis Religiosi sede collocaret. Quo quidem signo territus senex ægrotare cœperit, mox tamen convaluerit, & juvenis contemptor tertia die repentina morte extinctus fuerit. Eminet cæteroquin Corbejensis Abbatia multis privilegiis atque immunitatibus, ab Imperatoribus ei concessis: Diœcesis ejus ad *circulum Westphalicum* refertur; sub ea verò *Huxaria* (Höxter) ad Visurgin comprehenditur, quæ civitas tamen non omnimodè subjecta est Abbati, sed libertate certis limitibus definita gaudet, cujus *Advocatia*, sive jus patrocinii clientelaris à multis jamdum seculis penes familiam Guelphicam *Ducum Brunsuicensium* est: de quo litem ei superioribus annis Christophorus Bernhardus Abbatiæ Administrator movit, jamque ad arma res spectabat, cum per arbitros post multas difficultates ita tandem anno 1671. d. 15. Apr. *Bilefildij* restransigeretur, ut præsidium quod Duces Brunsuicenses civitati intulerant, ea excederet, civesque ejus atque incolæ Antistitis gratiæ permitterentur, salvis tamen juribus civitati per pacificationem Westphalicam confirmatis.

CAP.

CAP. XX.

DE PRÆLATIS.

ABbatibus succedunt reliqui *Prælati*, qui Imperii civibus quidem adscripti, non ad Principale tamen fastigium evecti sunt, quique proinde non nisi *curiatim* suffragia ferunt, *nec pauci eorum ita magnis Principibus sunt obstricti, ut onera sibi Imperij nomine indicta non proximè in Imperij, sed in Principum erarium ingerant: ut proinde in conventibus publicis cogantur tantum non omnia dicere gerere q, juxta nutum patronorum*, quemadmodum *Conringius* loqui amat. Jam dudum verò factum est, cùm divisi sunt in duo collegia, quæ *scamna* vocare amant, nempe *Suevicum* & *Rhenanum*; unde etiam in posterioribus comitiis anni 1654. *duplex votum* sibi postliminio vindicarunt, cum alterum jam in desuetudinem abiisset; *proëdriæ* ratione *alternant*, ita ut modò Suevici modo Rhenani priore loco sententiam dicant. Cæterum in his Prælatis nec generis splendor nec prosapiæ nobilitas requiritur, solentq; eò dignitatis obscuro loco nati, atq; imi subsellii homines frequenter pervenire; unde vix erit, quod præter nuda eorum nomina eomemorare atque in medium proferre licebit, quanquam vel ista omnia ac singula rescisscere haud integrum fuit.

Not. ad Lamp. part. 3. c. 6. p. 216.

2. *Sue-*

2. *Suevicum scamnum* XV. Prælati, qui omnes *circulo Suevico* annumerantur, occupant, quos inter primatus tribuitur *Reichenaviensi*, cujus cœnobium *Benedictinæ professionis* in insula amœnissima ac feracissima lacus Cellensis seu Veneti, à Constantia dimidio milliari distante, condidit circa annum Christi 742. *S. Pyrminius* Episcopus Meldensis, auxiliis ac subsidiis *Caroli Martelli*: quamvis verò id in usum tantùm ingenuæ atque illustris juventutis institutum initiò fuerit, nemoque nisi generoso sanguine cretus in id reciperetur, nunc tamen promiscuè omnis generis hominibus aditum pandit. Tantis autem, *Bruschio* teste, opibus quondam valebat, ut ejus Abbas Romam iter faciens, singulis noctibus in suo proprio domicilio, quoad Romam attingeret, pernoctare posset, *annuique* ejus *reditus* ad *sexaginta millia aureorum* ascenderent: unde nomen *Divitis Angiæ* inditum ei est. Inter ditiones præcipuè *Ulmensem* pagum numerabat, quem cum omnibus eò pertinentibus decimis, libertatibus ac possessionibus à Pipino ac Carolo M. ejus filio dono acceperat: sed excussere temporum processu Ulmenses monasticum jugum, atque in libertatem, qua eos adhuc gaudere in propatulo est, sese asseruerunt. Nonus & quinquagesimus à S. Pyrminio Abbas, *Marcus à*

Chron. Monast. pag. 301

Knœringen, post longas cum Episcopatu Constantiensi disceptationes, tandem anno 1540. administrationem Abbatiæ *Johanni à Welza Præsuli Constantiensi* transmisit, à quo, annuente Pontifice Romano, Episcopatui *incorporata* est; hinc Antistites prædicti Episcopatus hodie etiam *Dominorum Reichenoviæ* titulo utuntur, uti *superiùs* dictum. *cap. 7.*

3. Proximo ab isto loco recensendus est *Martalensis* Abbas; quippe qui in præsentia *Directorium* inter Prælatos scamni Suevici obtinet, nomen habet *Nicolai*: ejus monasterium ad dextram Danubii à Suevia descendentis inter *Riedlingam* ac *Ehingam*, præclara Austriacorum oppida in firmissima rupe situm, & magnificis ædificiis conspicuum, primùm *septem Canonici seculares* incolebant, quos *Hermanni Duces Suevia* pater & filius circa initium seculi instituere, sed sequentis seculi anno 71. *Hugo III.* Comes Palatinus Tubingensis, ejusque conjux *Elisabetha* Rudolphi Brigantini C. filia cum ædificium incuria corruptum restauraſſet, Canonicis abolitis, *monachos* introduxit, qui *Norberti* regulam sequerentur. Horum Antistites *Præpositi* dicebantur, usque ad annum 1418. quo *Heinricus Meerstetter* in Concilio Constantiensi *Abbatis* axioma obtinuit. *Brusch. op. cit. p. 294.*

4. Di-

4. Directori subjungam quoque *Condirectorem*, qui hoc tempore *Elchingensis* Abbas est, *Anshelmus* nomine. Erat Elchingen, olim *Aichlingum* à vicino *querceto* dictum, castrum latrociniis infame, infra Ulmam ad sinistram descendentis Danubii ripam, in sublimi monte amœnissimo loco situm, quod in asceterium *Ordinis Benedictini*, convertit anno 1128. *Conradus Saxonum Dux*, ejusque conjux *Lucia* Sueviæ Ducissa, Conradi III. Imp. soror, ac munificè dotavit; postea incendio absumptum *Albertus C. de Ravenstein* & *Irtzenberg* anno 1142. restauravit. *Ibid. p. 164.*

5. *Salmansvveilerensis* Abbas hodiernus *Emanuel* appellatur; ejusque cœnobium, omnium in Germania *Cistertiensis* instituti, *Bruschio* judice, pulcherrimum opulentissimumque uno milliari ab *Uberlinga* civitate Imperiali, ad *Acronium lacum* situm, fundatum primùm est à *Gundramo Barone de Adelsreuter*, circa annum 1134. dein à *Conrado III.* ac *Friderico I. Imp.* inprimis verò à *Burkardo Salisburgensi Archiepiscopo* munificentissimè locupletatum; in cujus beneficii memoriam hodie adhuc *Salisburgense symbolum* insignibus hujus cœnobii inseri solet. De *jure superioritatis* litem ei moverunt *Fürstenbergici* Comites, & monasterium in Comitatu *Heiligenbergensi* situm, atque *Op. cit. p. 382.*

que adeo suæ jurisdictioni subditum esse contenderunt. verùm cœnobiarchæ ex adverso docuere, monasterium à Conrado III. Imp. Sueviæ Duce (Ducum autem Sueviæ Heiligenbergios tanquam Vicarios Vicedominos & temporarios Administratores fuisse) tractui Lentiensium seu *Linzgòvv*, atque omni seculari jurisdictioni exemptum, soliqueque Romano Regi in perpetuam Advocatiam anno 1142. subjectum esse, atque adeo mero & mixto Imperio Abbatem pollere, qui notoriè Status sit Imperii.

Brusch. ot. eis. pag. 508.

6. *VVeingartensis* Abbas *Alphonsus* nunc est, cujus cœnobium *Ordinis Benedictini* dives ac magnificum, Guelphorumque Principum sepultura clarum, in Suevia vix dimidio milliari à civitate *Ravensburgensi* distans, & in perveteri pago *Altorf*, natali Guelphorum solo, situm, primùm à *Pipino* Rege Galliæ in gratiam *S. Altonis*, Ambronum & Vindelicorum Apostoli fundatum ac dotatum, dein à *Guelphone III.* Duce Carinthiæ restauratum est. Hoc, quo agimus, seculo duo insignia prædia titulo emptionis acquisivit, nempe *Commendam Ordinis Johannitici* in oppido *Veldkirchen* ab Ordine Melitensi sexaginta mille florenis, & dynastiam *Blumeneck* à Rudolpho C. de Sulz centum & quinquaginta mille florenis: unde opulentiam hujus cœnobii fructumque ex

ejus

ejus possessionibus redeuntium ubertatem colligere licet.

7. *Ochsenhusanus* Abbas hodiernus *Placidi* nomine gaudet: cœnobium, cui præest, instituta *D. Benedicti* colit, atque in amœnissimo Sueviæ agro, duobus à *Memminga* pariter & *Biberaco* ad *Rodium* fluviolis, quem mox Danubius recipit, milliaribus positū est; habuitque fundatores, vel potius instauratores *Hatovinum*, *Conradum* & *Adalbertum* fratres, *Barones de Wolfhartschwendin*. Suberat initio Abbati S. Blasii in Hercynia, usque dum Martinus V. Papa, ob singularem honorem & cultum sibi exhibitum, cùm Cardinalis adhuc in profectione ad Constantiense concilium illic divertisset, libertate atque immunitate id donaret, nec non *Abbatiæ* axiomate insigniret, quod factum est anno 1420. *Brusch. loc. p. 346.*

8. *Irsingensis* Abbas *Æmiliani* nomen fert: monasterium, quod *Ursinium* olim dicebatur, *Benedictini* itidem Ordinis, infra *Kauffbairam* haud procul ab amne *Wertach*, in mediis densissimisque nemoribus situm, fundatum ac locupletatum est anno 1181. ab *Heinrico M. à Rumsperg*, ejusque filiis *Gedofredo* & *Bertholdo*, nec non *Irmelgarde* filia. Conradus de Ramschvvag, *Advocatus* hujus cœnobii, Ecclesiam *Irgenriedensem*, cum jure *Ib. f. 582.*

Patronatus, & totam illam Advocatiam, cum omnibus eò pertinentibus reditibus, *Hartmanno* Abbati, qui octavus numeratur, in liberam dotem tradidit. Decimus ab hoc Abbas *Heinricus* villam egregiam *Baisvvil*, nobilium hujus nominis olim sedem ac domicilium pretio mercatus est.

9. *Petershusenſis* Abbas *VVunibaldus* in præsentia audit: cœnobium, quod regit, *Benedicti* institutа veneratur, & loco elegantissimo ad Rheni, è lacu Acronio emergentis, alveum, in suburbio *Constantiæ* situm est: fundavit id ac dotavit anno 980. *S. Gebhardus* Episcopus Constantiensis, Comes Brigantinus & Zæringensis, primumque ejus Abbatem *Beringerum* constituit.

Brusch. op. c. p. 356.

10. *Vrspergenſis* Abbas *Maximiliani* nomen habet: monasterium ejus *Præmonſtratenſis Ordinis*, ad *Mindulum* fluviolum in Augustana diœcesi medio itinere inter Augustam & Ulmam situm, fundatum atque exstructum est anno 1125. à *Vvernero C. de Schvvabeck* & *Balzhausen*: ejus Antistites *Præpositi* dicebantur usque ad annum 1349. quo, *Heinrico Quinto* hujus nominis Abbate defuncto, ejus successor *Heinricus de Rayn Abbatis* axioma, Pontifice Romano annuente, assumsit, obiitque anno 1374. quintus ab isto *Guilielmus à Thanhausen* Præsulis etiam ha-

Ib. p. 895. & seq.

habitu, *infula, auratoque pedo* anno circiter 1412. à Papa exornatus est.

11. *Rodensis* monasterii Antistes hodiernus *Martinus* est: dicitur verò id vulgò *Monachorum Rodum* (Münch Rod) ad differentiam alterius cujusdam monialium Rodi apud Ostrofrancos, situmque est in Suevia altero à Memminga lapide, in *Haslachij* & *Rede* medio concursu. *Hemma*, illustris Baronis & Equitis aurati *Heinrici Wildenvvergk* uxor fundatrix ejus audit; vixit ea circa annum 1126. cœnobiumque ad normam regulamque *Norberti* conformavit. Hoc ævo in angustum oppido coactæ sunt monasterii hujus facultates, neque enim bello tantùm tricennali permultum detrimenti calamitatumque sensit; quippe quo insigne prædium *Amendingen*, dictum cum omnibus decimis, absq; ulla reluitionis clausula divendere coactum est; sed & duplici incendio annis 1676. & 1681. correptum conflagravit, & cum templo omnibusque ornamentis tantùm non in cineres redactum est. *Bruſch. op. c. p. 379.*

12. *Roggenburggensis* Abbas *Adalbertus* appellatur: cœnobium, cui præest, Ordinem *Præmonstratensium* à *Norberto* institutum, profitetur, & duobus milliaribus ab Ulma Weisenhornam versus Fuggerorum Comitum oppidum, positum est: fundato- *Ib. p. 377.*

res agnoscit *Bertholdum, Sigridum & Conradum* fratres *Comites de Bibreck* nec non *Demutham* Bertholdi Conjugem; è Comitibus de Zollern prognatam, atque initia sua in annum 1226. refert. Erat primùm *Præpositura*, nec nisi post annum 1440. *Abbatiæ* titulo ornata est, primusque eo usus *Johannes Deuringius* legitur.

13. *VVeissenauensi* Abbati nomen est *Norberto*: cœnobium quod regit, ab aliis *minor Augia* (die Minderau) vocatur, ad differentiam *Weissenauæ* in Nortgoja, situmque est prope Ravenspurgum ad *Schussium* amnem: erat olim Eremitarum habitaculum, postea in monasterium *Ordinis Præmonstratensis* conversum est, autore ac benefactore *Gebyzone à Weysemburg & Hachburg* è familia Habspurg ca & Brisiacæ Landgraviis oriundo, ejusque sorore *Luitgarde*, Heinrici ab Afenhausen conjuge: posteriore verò ævo novis operibus exornatum est à *Christophoro* Abbate, qui, *Bucelino* teste, uligine loci correcta, religiosos suos in Paradiso terrestri collocavit. *Brusch. ob. cit. p. 17.*

14. *Schussenriedensis* Prælatus hodiernus *Vincentij* nomen tenet: ejus monasterium à *Schussio* præfluente amne, qui prope Ereskirchium in lacum Acronium illabitur, dictum est, colitq; institutа *S. Noberti*: fundarunt id, atque è castro in asceterium transmuta-

mutarunt anno 1188. *Beringarius* & *Conradus Barones de Schuſſenried*, quorum ille Monachus converſus, ut vocant, ejusdem cœnobii ſui factus eſſe traditur: initio à *Præpoſitis* regebatur usque ad *Conradum Rauber*, qui anno 1495. è vita diſceſſit, atque in Synodo Baſileenſi, cui interfuit, privilegia *Abbatis* atque ornamenta Pontificalia conſecutus eſt. *Bruſch. loc. c. p. 537.*

15. *VVettenhauſenſis* cœnobii Antiſtes nunc *Dionyſius* audit: inhabitatur illud à *Canonicis Regularibus*, ad normam à S. *Auguſtino* præſcriptam viventibus: conditum verò eſt anno 982. à *Conrado* & *Wernero* fratribus *Comitibus de Rockenſtein*, inſtinctu matris eorum *Gertrudis*, quæ dicitur eſſe vera fundatrix: Petiit enim, referente *Bruſchio*, tantum agri à filiis, ad exſtruendum locum ſacrum, quantum ipſa unius diei ſpatio aratro poſſet circumſcribere; quod cum à filiis facilè impetraſſet, ipſa miræ parvitatis & levitatis aratrum adornans, id ſpatium, quod hodie adhuc iſti cœnobio paret, obequitans, & aratrum in ſinu geſtans circumſcripſit & obtinuit. Situm eſt Auguſtam inter & Ulmam in Marchionatu Burgoviæ, cujus ultimi Marchionis Heinrici, qui exeunte ſeculo tertio & decimo diem obiit, exuviæ in æde monaſterii recubant. *ib. p. 648.*

16. *Gengenbacensi* monasterio qui hodie præest, *Placidus* nuncupatur: situm istud est in Argentinensi diœcesi, ac S. *Benedicti* instituta suspicit: initia ejus ad annum 855. referuntur; conditorem ac benefactorem *Luitfridum C. Habspurgi* agnoscit.

17. Hactenus de Prælatis scamni Suevici, qui sequuntur, *Rhenano* annumerantur, inter quos primo loco recenseri solet

Kaisersheimensis, qui nomen *Eliæ* habet & sub *circulo Bavarico* comprehenditur, cujusque cœnobium *Ordinis Benedictini* sub reformatione *Cistertiensi*, in Ducatu Neoburgico, haud procul ab eo loco, ubi Licus Danubio miscetur, situm, fundatum est anno 1113. ab *Heinrico C. de Lechsmund & Graifsbach*, ejusque conjuge *Loykarda*. De jure *immedietatis* longa huic monasterio disceptatio intercessit cum Comite Palatino Neoburgico, qui præter Advocatiam, superioritatem etiam in illud sibi arrogabat; ante paucos tamen annos huic liti renuntium mittens, cœnobium plena libertate gaudere, jussit.

Bruschius. c. p. 80.

18. *Odenheimensis* Præposito proximum ab isto locum tribuunt: ejus verò vices *Spirensis Episcopus* nunc explet, qua de re superiùs dictum est.

cap. 6.

19. *VVerdensis* Abbas ad *circulum VVestpha-*

phalicum refertur: ejus monasterium intra mœnia oppidi ejusdem nominis ad amnem *Ruram*, in confiniis Comitatus Marcani & Ducatus Montensis siti, comprehenditur, conditumque est à S. *Ludgero* primo Episcopo Monasteriensi anno 790; qui *Helmstadium* à Carolo M. adversus Sorabos Vandalosque exstructum ac munitum, sibique ab eodem Imperatore concessum, monasterio tradidit: post septem demum secula anno scilicet 1489. *Antonius* Abbas oppidum istud *Wilhelmo Duci Brunsvicensi* certa argenti summa vendidit; qua alienatione aliisque incommodis adeo attenuatæ sunt cœnobii hujus opes, ut oneribus Imperii ferendis impar esse haud semel confessum sit: solent tamen hodie adhuc Werdenses Abbates Helmstadiensem titulum usurpare, quemadmodum è subscriptione ultimi Recessus Imperii patet. Nomen hodierni Abbatis incompertum nobis est.

Zeil. Topogr. VVestphal. p. 70.

Id. Topogr. Duc. Brunsvic p. 112.

20. *SS. Vdalrici & Afræ* monasterio, in *Augusta* Vindelicia metropoli sito, qui hac tempestate præest, hoc nomine tituloque cluit: *Romanus liberi & Imperialis cœnobij SS. Vdalrici & Afræ Abbas, S. Cæs. Majest. Consiliarius & Capellanus perpetuus.* Condidisse hoc monasterium fertur S. *Vdalricus* Episc. Augustanus, post restauratam S. Afræ vetu-

Brusch. op. c. p. 493.

vetustissimam ædem, & *Canonicos Regulares* ibi introduxisse, hos postea *Bruno* Episcopus, Heinrici II. Imp. germanus frater ejecit, & in eorum locum Monachos *Ordinis Benedictini* ascivit. *Immedietatem* hujus cœnobii jam à longo tempore Augustani Præsules impugnant, hodieque sub judice Camerali lis pendet, Abbate tamen *in possessione libertatis* constituto, quod in comitiis Ratisbonensibus anni 1641. evicit.

21. *Monasterienſis in valle Gregoriana* Abbas *circulo Rhenano superiori* annumeratur: monasterium mœnibus civitatis ejusdem nominis, quæ decem urbibus Imperialibus Alsatiæ accensetur, includitur, ac fundatum esse perhibetur ab *Hilderico* Galliæ Rege anno circiter 660. in usum ingenuæ juventutis, unde hodie quoque non nisi *nobili genere* sati in id recipiuntur. Nec exiguæ ejus sunt facultates, habetque Abbas divisum cum Senatu urbano imperium tum in ipsa civitate, tum in valle circumjecta. Hodie verò postquam eversa est à Gallis Alsaticarum civitatum libertas, quin Abbatis hujus conditio itidem fuerit immutata, dubitare vix licet.

Zeil. Top. Alſ. p. 28.

22. *S. Georgij* in *Isnia* civitate Imperiali Sueviæ Abbati jam à longo tempore, ob *immunitatem* atque *exemptionem*, litem intenderunt *Truchsessii Comites de Trauchburg*; neque ea, nisi fallimur, diremta hactenus est: in

In postremis tamen comitiis asseruit sibi jus suum Abbas, Recessuique nomine proprio subscripsit. Fundatum verò est hoc cœnobium anno 1096. à *Mangoldo* patre, *Walthero & Wolfrado* filiis, *Comitibus Veringensibus*; quorum masculâ stirpe extincta, non solum oppidum & cœnobium istud Isnense, sed tota pænè eorum ditio ad *Dapiferos Scherenses & Waldpurgenses*, devoluta est; unde hodie adhuc *Advocatiam* hujus monasterii prædicti Dapiferi obtinent. *Brusch. op. p. 374.*

23. *Monasterij S. Cornelij ad Indam* Abbas hodiernus hoc nomine ac titulo gaudet: *Iohannes Dietericus, Abbas & Toparcha liberæ Imperialis Abbatiæ, districtus & proprietatis monasterij S. Cornelij, Dn. in Eylendorf, Grusenich, Costenholz Mordtromi & Cumdicti, Præpositus hæreditarius in Eschlamb.* Vernaculo idiomate ita se habet: Abt und Landherr der Keiserl. Freyen Reichs Abtey/ Land und Eigenthums zu St. Cornelis Münster/ Herr zu Eylendorf &c. Erb-Probst zu Eschlamb. Inhabitatur hoc cœnobium à monachis *Ordinis Benedictini*, distatque cum vico adsito, uno ab Aquisgrano milliari: ejus fundamenta *Carolus M.* jecisse fertur, filiusque *Ludovicus Pius* ultimam ei imposuisse manum. Refertur ad *circulum Westphalicum*, & cingitur districtu dumis & vepribus *Zeil. Topogr. Westphal. p. 9.*

pribus septo & quasi munito, sed ferri, plumbi nec non aliorum metallorum mineraliumque feraci; cui Abbas supremo jure imperat.

24. *S. Haimerani sive Emmerani* in urbe *Reginoburgensi* Abbas agmen Prælatorum claudat; est ei nomen *Cœlestini*, comprehenditurque sub *circulo Bavarico*. Traditur *Emmeranus* primò Episcopus Pictaviensis in Aquitania, postea Reginoburgensis in Boica fuisse, & demum anno 652. à *Lantberto*, Theodonis V. Bojorum Ducis filio, cùm Romam tenderet, *Helfendorfi* inter *Isaram* & *Oenum*, omni cruciatu laceratus & crudelissima morte affectus esse, eò quod soror ejus ac Theodonis filia *Utta*, è Sigebaldo primariæ nobilitatis juvene uterum ferens, stuprum absenti Emmerano imputasset: cadaver tamen, innocentia Viri nempe patefacta, Reginoburgum ad S. Georgii ædem translatum est, quam Theodo Princeps, ut cædis noxam expiaret, adjecto monasterio ampliavit, Petri Apostoli & ipsius Emmerani nomine indito, primumque Abbatem *Apollonium* ei præfecit anno 697. Seculi spatio interjecto *Simbertus* Episcopus Ratisbonensis magnificis operibus S. Emmerani basilicam absolvit *Arnolphus* postea Imperator aliique regia munificentia locupletarunt.

Vels. Hist. Boic. l. 4. pag. 120. 129. & l. 5. p. 169.

CAP.

CAP. XXII.

DE ABBATISSIS.

SUb Prælatorum collegiis comprehenduntur etiam *Abbatissæ*, atque unà cum illis suffragia *curiatim* ferunt: solent autem in comitiis comparere per legatos, neque enim patitur τὸ πρέπον, ut fœminæ illis conventibus, in quibus de summa Reip. deliberatur, intersint. Earum *quindecim* hodie numerantur, si quidem ultimum Imperii Recessum inconsilium adhibemus: primum ibi locum obtinet

Essenses, quæ in præsentia est *Anna Salome Abbatissa Imperialis liberi & secularis monasterij Essensis*, prognata ex illustr ssima stirpe *Comitum Salmæ & Reifferscheidÿ*, patre *Ernesto Friderico C. Salmæ &c.* matre *Ursula Comitissa de Leiningen.*

2. Situm est monasterium Essense vel *Essendiense* in Ducatu Montensi, & fundatum legitur à *S. Altfrido* Episcopo Hildesiensi, postea verò cùm temporum injuria detrimentum esset passum, à Theophania, Ehrenfridi Com. Palatini in Braweiler filia, restauratum. Refertur ad *circulum Westphalicum*, habetque *Advocatos* Duces Bergenses: haud aliat verò, quam illustri sanguine cretas virgines *Zeil. Top. VVestphal. p. 25.*

gines recipit; quæ tamen votum castitatis non nuncupant, sed, tiquando libet, velum abjiciendi ac matrimonium ineundi facultate pollent.

3. Secundo loco *Buchavienſis* Abbatissa enumeratur; quæ in præsentia hoc nomine cluit: *Maria Thereſia Abbatiſſa Imperialis liberi ſecularis cœnobii Buchavienſis, nata Comitiſſa de Sulz.* Parentes habuit *Carolum Ludovicum Erneſtum C. de Sulz*, & *Mariam Eliſabetham C. ab Hohenzollern.*

4. Illustre hoc virginum domicilium non procul à Biberaco ad lacum, quem den Federſee vocant, positum est; solent in id tantùm *Comitiſſæ & Baroniſſæ* assumi, quæ ab omni professione ac voto immunes & prorsus liberæ sunt, conjugiumque contrahere queunt, sola Abbatissa excepta, cui propter acceptam Pontificiam benedictionem id integrum non est. Fundatrix hujus collegii *Adelinda* celebratur, Hildebrandi Sueviæ Ducis filia, Hildegardis Reginæ soror, quæ in memoriam mariti *Ottonis Comitis de Keſſelburg*, haud procul eo loco in prælio adversus Ungaros commisso, cum tribus filiis cæsi, id instituit; quemadmodum uberiùs & singillatim *Bruſchius* memoriæ prodidit.

Chron. Mon. pag. 62. & ſeq.

5. Sequitur *Quedlinburgenſis* Abbatissa, cui quidem vetustiores Imperii Recessus pri-

primum locum tribuere solebant, ea hoc gaudet titulo: *Anna Sophia Comes Palatina Rheni, Ducissa Bavariæ, Imperialis liberi secularis collegij* (des Kaiserl. Freyen Weltl. Stifts) *Quedlinburgensis postulata & confirmata Abbatissa, Comes de Veldenz & Sponheim*; Parentes ei erant *Georgius Wilhelmus, Comes Palatinus,* & *Dorothea Comitissa Solmensis.*

6. Habet *Coadjutricem Annam Sophiam* filiam *Georgij II. Landgravij Hassiæ in Darmstad & Sophiæ Eleonoræ, Ducissæ Saxoniæ.*

7. Annumeratur hæc Abbatia *circulo Saxonico superiori*, nec alias nisi *illustri loco natas virgines* admittit: fundata verò est ab *Heinrico Aucupe* Imp. in honorem S. *Servatii*, & *Mathildis*, ejus filia *prima Abbatissa* constituta. Civitas Quedlinburg ad *Bode* fluvium Halberstadium inter & Ermerslebam sita, potens olim & sui juris atque Hanseatico fœderi addicta anno 1477 libertatem amisit, postquam eam Ernestus Elector Saxoniæ, quod sororis ejus *Hedvvigis* Abbatissæ dictis minus audiens esset, armis in ordinem coëgit; & columnam Rulandicam, qua tanquam tessera libertatis suæ superbiebat, dejecit: atque ab eo tempore Electores Saxoniæ *jus Advocatiæ Quedlinburgi* obtinent, imperioque mero in civitate & territorio ejus

Zeil. Top. Sax. p. 154.

pollent, Abbatissæ basta tantùm jurisdictione, quam das Erb-Gericht vocant, relicta. *Evangelicam religionem*, quæ nunc etiam ibi viget, anno 1539. *Anna* Abbatissa è familia Comitum de Stolberg orta, introduxit.

8. Succedit *Andlavienſis* Abbatissa, quæ in ultimo Imperii Recessu appellabatur *Iohanna Sabina Abbatissa Liberi secularis collegij Andlavienſis, Domina in Huchshoven*; utrum verò hæc superet, aut è medio excedens alii locum fecerit, rescisscere haud fuit integrum.

9. Andlavia oppidum est inferioris Alsatiæ, ad ejusdem nominis amnem, *Equites ab Andlau* Dominos agnoscens, cujus muris hoc collegium virginum nobilium includitur; fundatum est, ac pro 12. Canonissis totidemque Canonicis dotatum anno circiter 880. à *Richarde*, Scotorum Regis filia, Caroli crassi Romanorum Regis conjuge; quæ à marito adulterii falsò insimulata, facto cum eo divortio ac recepta dote, reliquam vitæ partem illic exegit. Id cæterùm singulare habet Abbatissa Andlaviensis, quod *nullam ad ferenda Imperij onera symbolam confert*: unde est, quod nonnulli Scriptores Juris Publici ei locum inter cives Imperii dare dubitaverint; solet nihilominus ad comitia vocari & per legatum comparere, uti ex Imperii Recessibus liquet.

Brusch. chron. monast. p. 24.

10. Hanc

10. Hanc excipit *Lindavienſis*, cujus nunc hæc eſt nomenclatio: *Maria Roſina, liberi ſecularis collegij Lindavienſis Abbatiſſa*: genus ducit ex equeſtri familia Suevica *Brymſin ab Herblingen*, nata Parentibus, *Johanne Joachimo Brymſin ab Herblingen* & *Barbara de Woltfurt*.

11. Lindavienſis Abbatiæ fundatio communiter *Adalberto Comiti de Rorbach*, Sacri Palatii Magiſtro & provinciarum Rhæticarum præfecto tribuitur; quam traditionem è *Diplomate, quod Ludovico Imp. fert acceptum cœnobium Lindavienſe*, contra fidem hiſtoricam ortam eſſe *Dan. Heiderus* & poſt hunc è *primis Conringius* oſtendit in *Cenſura*, qua prædictum Diploma *tanquam ſuppoſititium, fœda impoſturæ fœtum*, notavit ac confodit; è veteſtiſſima autem ipſo capellæ cœnobialis muro inhærente pictura, nec non ſepulcralibus ſaxis antiquiſſimis comprobavit, non *unum* duntaxat, ſed *tres* ad fundationem cœnobii hujus operam contuliſſe, inter quos nemo Adalbertus appellatus aut Comes Palatii fuerit; ſed omnes ſimpliciter Comites audierint, unusque nomen geſſerit Comitis *Eckberti*, alter Comitis *Manegoldi*, tertius Comitis *Woderebici* ſive *Soderebici*: porrò demonſtravit, eo tempore, quo conditum fertur cœnobium Lindavienſe anno ſcilicet *Conr. Cenſ. Dipl. Ludov. cap. 9.*

Ibid. §. 11.

866. non Adalbertum sed *Ansbertum* fuisse Comitem Palatii, neque talem potuisse tum simul præfecturæ alicujus provinciæ vacare; in epitheto autem *Sacri* manifestum falsi crimen hærere, dum scilicet Adalbertum *Sacri Palatii Comitem* traditio nuncupat, isthac verò Francorum Regum ætate nemo eo titulo usus est, quippe qui Justiniani quidem ævo fuit familiaris; sero autem & post Fridericii. Imp. ætatem demum aliquem in usum rediit. Præterea dignitatem ac prærogativam, quam Ludovicum Imp. Abbatissæ concessisse, *Brusschius* tradidit, *ut*, nimirum, *cum aliis S. R. Imp. Ecclesiasticis Prælatis Princeps esset S. R. Imperij, cui in publicis pompis liber deberet præferri*, in fabulæ dulcedinem compositam fuisse memorat, quippe de qua ne χεῦ quidem in Diplomate illo Ludoviciano exstet, neque facilè probari possit, in sollemnibus pompis librum Abbatissæ olim præferri solitum, dignitatemque ac titulum Principis ne hodiè quidem sive Spirense judicium, sive Cæsaris Aula Abbatissæ attribuat, cœperintque Abbatissæ à nonnullis intra hosce ducentos proximos annos demum ita honorari. Decœtero prima cœnobii fundamenta extra insulam *Lindaugiam*, in qua urbs Imperialis Lindavia sita est, prope *Nonnenhormium* jacta fuerunt, nec nisi sæculo decimo Hungarorum irruptionibus cœnobiales ex antiquis sedi-

Chron. Mon. p. 280.

Conr. l. c. cap. 10.

sedibus in Insulam compulsi, à Lindavienſibus benignè recepti, & parte fundi, (cui ducentis demum post annis pars urbis quædam, etiam nunc *jure emphyteutico* vel *censuali* cœnobio obnoxia, superstructa est,) donati sunt: in urbem verò & potissima insulæ aliquid juris nunquam vel exercuerunt Cœnobiales, quod signis omni luce clarioribus *præfatus Vir Celeberrimus* evicit. Virgines, quæ in hoc cœnobium recipiuntur *nobili genere natas* esse oportet; eæ verò ab omni voto immunes sunt, nec ulli peculiari vestimenti generi obnoxiæ, & receptæ ne terunium quidem solvere tenentur; defunctarum etiam hæreditates non collegium, sed agnati propinquique cernunt. Annumerari Lindavienſem Abbatissam *circulo Suevico* in proclivi est colligere. *cap. 13.* *V. Limn T IV. l. P. p. 519.*

12. Post istam *Herfordensis* recensetur, cujus in præsentia hoc est nomen atque axioma: *Elisabetha Albertina Princeps Anhaltina, Comes Ascaniæ, Domina Servesti & Bernenburgi, Imperialis liberi secularis monasterii Herfordensis Abbatissa.* Parentes ei sunt *Johannes Georgius* II, *Princeps Anhaltinus in Dessau*, & *Henrietta Catharina Principissa Arausiacensis.* Successit impetrata à Cæsare venia ætatis (nondum enim quintum & decimum annum impleverat) *Elisabetha*

Comitissæ Palatinæ ad Rhenum, omnium fœminarum præstantissimæ, anno 1680. d. 8. Febr. mortuæ, cùm d. 17. Jan. ejusdem anni in ejus *Coadjutricem* electa fuisset.

13. *Decanissa* hujus collegii hodie est *Sophia Ernestina Hermanni Adolphi C. Lippiæ in Detmold & Ernestinæ C. Isenburgiæ* filia.

14. Herfordia metropolis est Comitatus Ravenspurgensis, murisque suis hoc etiam Illustrium virginum domicilium complectitur: primus ejus fundator, referente *Zeilero*, putatur fuisse *Waltgerus*, qui in monte *Borenberg* habitavit, ex patre *Dedda* & matre *Ecvvi* Christianis natus, possessionibus & facultatibus ditissimus. Habuit avum *Adolphum* qui Secretarius Witekindi Saxonis fuit. Waltgerus itaque ædem Deo sacram Herfordiæ anno 832. erexit, eo loco, quo Capella Waltgeri conspicitur; in cujus superficie reperiuntur hæc verba: *Princeps hujus terræ Waltgerus, primus fundator Ecclesiæ Herfordensis.* Est verò in monte, civitati Herfordensi adsito, aliud quoque Virginum nobilium cœnobium, quod vulgò das Stift auf dem Berg vocant; & in Ecclesiasticis Herfordensi Abbatissæ subest, quæ facultatem habet, bona Ecclesiæ dispensandi & beneficia conferendi. Ejectus est ex utroque cultus Romanus ante secli spatium, & quod excurrit, colunturque nunc ibi dogmata

Topogr. VVestph. p. 82.

Cal-

Calvini. Confert de cætero Abbatissa Herfordensis symbola, quæ Imperio debet, in ærarium *circuli Westphalici.*

15. *Gernrodensis* Abbatissa, cujus nomen incompertum nobis est, ad *circulum Saxonicum superiorem* refertur, sed ab Anhaltino Principe cum onere eximitur, cui à longo jam dum tempore *Vogteja* in hoc cœnobium ex investitura Cæsarea competit. Fundatorem agnoscit *Geronem*, Ducem & Marchionem, qui anno 965. obiit. Purioris religionis exercitium *Elisabetha* Abbatissa, è stirpe Comitum de Wied prognata, anno 1521. introduxit.

16. Jam *bina collegia* Canonissarum, quæ *Ratisbonæ* sunt, ordo tangit, eorum alterum *inferius* (das Nieder-Münster) alterum *superius* (das Ober-Münster) vocatur. *Inferiori* nunc præest *Maria Theresia Abbatissa Imperialis liberi secularis monasterij Inferioris in Ratisbona, nata Baronissa de Muggenthal*: Superiori, *Maria Elisabetha Abbatissa Imperialis liberi secularis monasterij Superioris in Ratisbona, nata Baronissa de Salis.*

17. Fundatores habuerunt diversos: *inferius* enim *Juditha* Arnoldi Mali, Ducis Bavariæ filia, & Heinrici primi è gente Saxo-

num Bavariæ Ducis conjux instituit, sub initium seculi decimi. *Superius* verò *Hemma* Ludovici Bojariorum Regis conjux & Caroli Cratli Imp. mater, facta permutatione cum Baturico Episcopo Ratisbonensi, cui monasterium *Mansee* dedit, instauravit ac locupletavit. Memorat autem *Hundius*, Fridericum II. Imp. hæc duo monasteria Conrado Episcopo Ratisbonensi tradidisse, atque vicissim alia prædia ab eo accepisse; verùm cum conquestæ hac de re essent Abbatissæ in sollemni Principum curia Herbipoli habita, communi Ordinum consensu permutationem hanc infirmatam statutumque esse, non licere Imperatori quidquam ex partibus ac principibus Imperii sine suo ac ministerialium consensu immutare, aut ab Imperio alienare. Comprehenditur utraque Abbatissa sub *circulo Bavarico*.

Metr. Salub. p. 255.

18. *Burscheidensis* Abbatissa, quæ ultimo Imperii Recessui subscripsit, *Franciscæ* nomen habuit; sed in matricula Imperii nulla ejus occurrit mentio. Situm autem est hoc monasterium haud procul ab Aquisgrano, diciturque aliàs *Bortscheid* sive *Porcetanum*: exstructum esse fertur à *S. Gregorio*, filio Nicephori Imp. Constantinopolitani: ac initio quidem à monachis inhabitabatur, quibus anno 1220. virgines Ordinis *Cistertiensis* è vicino S. Salvatoris monte, succes-

serunt

ferunt, quemadmodum *Anh. Mirem* tradit. *Fast. Belg. & Burg. p. 650.*

19. *Gandersheimensis* ex augusta Principum ac Comitum stirpe natarum Collegii *Abbatissa* nunc est *Christina Ducissa Meklinburgensis, Adolphi Friderici Ducis, & Mariæ Catharinæ D. Brunsuicensis* filia electa in locum *Christinæ Sophiæ Ducissæ Brunsuicensis*, postquam ea patrueli nuptiis juncta est,

20. Fundavit hoc monasterium in oppido Gandersheimensi, quod Duces Brunsuicenses lineæ Guelpherbytanæ Dominos agnoscit, circa annum 842. *Leodolphus* vel *Leutholphus Magnus*, Dux Saxoniæ, consecravit postea & dotavit *S. Alfridus*, quartus Hildesheimensium Episcopus. Opulentum olim fuisse & potens, *Bruschius* perhibet, ita ut sub directo suo dominio vasallos haberet non Duces tantum Brunsuicenses, sed & Saxoniæ Principes ac Marchiones Brandenburgenses, aliosque multos circumjacentis terræ Regulos, Comites ac Barones. Hodie accisæ sunt ejus facultates, nec pluribus quàm *quatuor Canonissis* alendis sufficiunt.

21. *Rotenmunster* cœnobium est in *Suevia*, prope Rotwilam civitatem Imperialem & *Nicri* fontes situm, ejus *Abbatissa* hodierna *Mariæ Vrsulæ* nomen tenet: origo verò

monasterii incomperta mihi atque abstrusa est.

22. *Gutenzellensi* cœnobio quatuor milliaribus ab Ulma dissito, quæ hodie præest *Abbatissa Maria Francisca* appellatur: fundatum est primùm à duabus sororibus *Comitissis à Schlosberg*; dotatum verò posteà & locupletatum à Comitibus arcis *Aychaim* ad *Ilerum* amnem sitæ, circa annum 1330. Facultates ejus amplissimæ quondam, ita ut *centum Domicellis*, *totidemque sororibus*, præter ministeriales, decorè atque honestè sustentandis pares fuerint, variis calamitibus à DEO hominibusque illatis, adeo attenuatæ sunt, ut sumptus, qui ad *octo conventuales decemque sorores* alendas requiruntur, hodie vix ac ne vix quidem ferant; unde & in præsentibus comitiis anno demum 1682. mense Jan. moderationem quotæ suæ matricularis Abbatissa majorem in modum petiit.

23. *Heggenbachensis* Abbatissa *Maria Cæcilia* appellatur: monasterium ejus medio ferè itinere inter Ochsenhusium & Biberacum situm, cœptum est annò circiter 1233. à piis duabus monialibus, quarum una è nobili gente Regulorum *de Rosenburg*, altera ex *Laudenburgensi* familia nata fuit; posteà temporum injuria collapsum, auxiliis nobi-

nobilium Regulorum *à Bouſtetten*, *à Freiburg*, *Wiler & Ellerbach*, *Dapiferorum* item *à Walpurg*, aliorumque plurium plæclarè inſtauratum ac reſtitutum eſt.

24. Extremum inter Abbatiſſas locum *Baindtenſis* occupat, quæ *Mariæ Barbaræ* nomine gaudet: monaſterium cui præeſt, Ravenspurgo vicinum eſt, & fundatorem agnoſcit *Conradum Liberum Dynaſtam & Pincernam de Winterſtetten*, à quo ſeculo tertio & decimo conditum memoratur.

Explicit notitia Principum Eccleſiaſticorum.

LIBER IV.

DE PRINCIPIBUS SECULARIBUS.

& quidem ANTIQUIORIBUS.

INTRODUCTIO.

ENumeratis libro superiore *Principibus Ecclesiasticis*, non absque sensu satietatis ac fastidii, quem illud Religiosorum examen scribenti movit, læto nunc animo, atque alacri pede ad *Seculares* progredior; Sunt verò isti, itidem ut illi, diversi ordinis ac dignitatis: neque enim hi tantum eo nomine censentur, qui *Principali axiomate* eminent, quales sunt *Duces*, *Marchiones*, *Landgravij*, nec non *Principes in specie sic dicti*, sed *Comites* etiam & nonnulli è *Liberis Baronibus*. Habent tamen *illi* præter alia multa, hoc etiam eximium, quod *jure sessionis ac suffragij in comitiis singillatim gaudeant*; cum hi, *Comites* nempe & qui eis aggregantur, saltem *curiatim sententiam dicant*. Ac mihi quidem, pro ratione instituti, inprimis commodum videtur, universum Principum collegium *triplici* distinguere *clas-*

re *classe*, ita ut in *primam* referantur illi, qui antiquitate Principalis axiomatis prosapiæque splendore præcellunt; *in secundam* isti, qui proxima hac nostra ætate, præcipue quidem favore Cæsareo, cum collegii tamen etiam Principalis assensu, è prisco Comitum ordine aut aliunde inter Principes cooptati sunt; *tertiam* denique implcant Comites & Barones.

2. Primario Ordini *decem* adscribere solent *familias*, quas inter primatum obtinet *Palatino-Bavarica*; ab hac proximum locum *Saxonica* sibi vendicat, tertium *Brandenburgica* occupat; eam *Brunsuicensis* excipit; succedunt vicibus alternis *Meklenburgensis*, *Würtenbergica*, *Hassiaca* & *Badensis*, sequitur *Holsata*, clauditque chorum *Ascania*.

CAP. I.

DE COMITIBUS PALATINIS.

SErenissima familia Palatino-Bavarica à Comitibus *Schirensibus & Wittelspachiis* derivari amat, quorum origo non satis explicata aut explorata est; nec, quæ Scriptores de ea hucusque literis prodiderunt, dubiis carent & inter se concinunt. Plerique à *Pipino* aut *Carolo M.* eos deducere operosè contenderunt, sed argumentis parum firmamenti

menti parumque virium habentibus, quemadmodum eruditè ac solerter *Blondellus* in *pleniore Genealogiæ Francicæ assertione* demonstravit. Hinc malunt recentiores subsistere in *Luitpoldo*, qui sub Arnolpho ac Ludovico IV. Impp. Bavariam rexisse, & anno 908. ab Ungaris cæsus esse memoratur, quàm altius eundo incerta incomperraque sectari. Huic verò *Luitpoldo* filium assignant *Arnolfum*, ab aliis *Arnoldum*, cognomine *Malum*, dictum, Patris in Ducatu successorem, cujus filii *Eberhardus* & *Arnolfus*, ob patris ferociam & iteratam adversus Conradum & Heinricum Aucupem Impp. rebellionem Ducatu multati sunt, *duarum* tamen *stirpium satores* fuerunt: prior enim *Austriæ veteris Marchiones*, qui seculo tertio & decimo defecerunt, *Arnolfus* autem *Comites Schirenses* profevit, sic appellatos ab arce *Schirn* sive *Scheyrn* prope oppidum *Pfaffenhoven*, quam ipse exstruxit. Filius ei fuit *Bertholdus*, nepos *Wernerus* (Hundius *Babonem* vocat) genitor *Ottonis primi* & *Babonis Abusini* sive *Abensbergij* ob πλουτιδίαν celebratissimi, multarumque illustrium familiarum autoris.

2. *Otto I. Comes Schyrensis* & Palatio Bavarico Præfectus *filium* & *nepotem* habuit *cognomines*, quorum hic castro Schirensi in mo-

nasterium Benedictini Ordinis anno 1124. conversō, *Witelspachiam* arcem, loco haud procul Augusta Vindelicorum sito, condidit & novum familiæ nomen inde dedit, paterque extitit *Ottonis IV.* quo præter alios nati sunt *Ottones* duo, *quintus* nempe & *sextus* sive *minor*: hic *Ottonem VII.* genuit, cui *parricida* cognomen cædes in Philippo Imp. perpetrata indidit, & à quo *Wildgravij in Kirburg & Daun* sanguinem duxerunt. Sed *Otto V.* multis magnisque meritis apud Fridericum Barbarossam Imp. valebat, cujus beneficio, Heinrico Leone proscripto, & vastis ditionibus, quas tenebat, exuto, *Ducatum Bavariæ* anno 1180. nactus est, & quasi postliminiò in familiam reduxit: atque ab hoc orditus est *Cl. Rittershusius* Genealogiam gentis.

3. Reliquit *Otto V.* qui *Magni* etiam cognomen promeruit, cùm anno 1183. fatis concederet, filium *Ludovicum*; hic vel beneficio Friderici II. Imp. vel ob nuptias *Gertrudis* (quam rectiùs *Agnetem* vocari *Frehe-rus* censet) *Heinrici Palatini Rheni* Heinrico Leone geniti filiæ, quas *Ottoni* gnato suo *Illustri* cognominato conciliavit, *Palatinatum* consecutus est, & *Ducatui Bavariæ* insigni accessione *conjunxit*; quo auspicatissimo connubio *Electoralis* simul *dignitas* ad familiam Bavaricam pervenit. In nepotibus Otto- *Orig. Pal. part. I. cap. 12.*

Ottonis Illustris, quos è filio primogenito *Ludovico Severo* habuit, *Rudolpho* nimirum & *Ludovico*, orta est principalis divisio familiæ in duas stirpes, *Palatinam* & *Bavaricam*, de cujus ratione *suprà* explanatiùs actum fuit, *Lib. 2. c. 9.*

4. Commemoranda hoc loco tantùm est *Rudolphina stirps*: hujus conditor Rudolphus, cum in Anglia exorris anno 1319. mortem obiisset, *tres filios* reliquit, qui recepto à patruo Ludovico Imp. *Palatinatu Rhenano* cum ea *Nortgoja* parte, quam *Palatinatum superiorem* nunc vocant, *Heidelbergam* sedem transtulerunt: inter eos major natu *Adolphus Simplex* dictus familiam propagavit, atque avus fuit *Ruperti III.* Electoris Palatini, qui Wenceslao Imp. exauctorato, Procerum suffragiis ad supremum hoc fastigium evectus est, & è duplici conjugio complures procreavit liberos; è quibus primogenitus *Rupertus*, ducta *Elisabetha Johannis Comitis Spanheimensis* filia, primum jus in hunc Comitatum genti suæ intulit; sed improlis ante Parentem decessit. Proximus ab eo nascendi sorte *Ludovicus Barbatus*, Patris in Electoratu successor, *lineam Electoralem priorem* profevit, quæ in ejus abnepote *Ottone Heinrico* anno 1559. fatis functo extincta est. *Johannes*, quartus è Ruperti Augusti

gusti filiis *Sulzbachium* & *Neoburgum* oppidum Superioris Palatinatus ad silvam Bohemicam situm, diversumque ab eo, quod Danubius alluit, & Principatui, qui per transactionem belli Bavarici ad Palatinos translatus est, nomen dedit, tenuit, filiumque reliquit *Christophorum* Daniæ Sueciæque Regem intuitu matris, quæ Erici Regis è Pomeraniæ Ducibus orti soror erat, electum sed ἄπαιδα. *Otto*, Johannis frater minor natu *Mosbacum* inhabitavit, & Electoratus administrationem, quoad *Ludovicus Placidus*, Barbati filius impubes erat, gessit; filios quidem habuit complures, sed nepotes nullos.

5. Perpetua felicitate floruit *Stephani* progenies: hic Ruperti Imp. filius tertiogenitus erat, atque ex hæreditate paterna *Simeram* cum vicino tractu accepit, cui nonnulli *Bipontinum* Comitatum addunt: quippe quem *Freherus* jam dudum per conjugium Palatinæ familiæ insertum fuisse, tradidit, *Sprengerus* autem à Stephano demum 2400. millibus florenorum emtum esse refert. Junxit ille sibi conjugio *Annam* filiam unicam *Friderici ultimi Comitis Veldentij*, quæ ei integrum hunc Comitatum cum magna *Spanheimici* parte attulit, & duorum filiorum *Friderici* & *Ludovici*, à quibus quotquot è Palatina stirpe hodie superant descendunt, parentem fecit. *Fridericus*, dictus *Cynonatus*, vige-

Orig. Palat. l. c. 12. Luc. Imp. p. 325.

vigore paternæ disposítionis *Simerensem* Principatum cum parte *anterioris Comitatus Spanheimici* obtinuit, & *lineam* condidit, quæ primò *Simerensis*, postea cùm ejus pronepos *Fridericus* III. Ottoni Heinrico agnato in Electoratu successisset, *Electoralis* appellata, & ad hanc usq; ætatem propagata est; quemadmodum è suprà recensitis patet.

6. *Ludovicus, Niger* cognominatus, per supremas patris tabulas *Bipontinum* & *Veldentinum* Comitatum cum *mediétate Spanheimici citerioris* nactus, nepotes habuit è filio *Alexandro Ludovicum* & *Rupertum*, duorum ramorum fatores; qui mox in plures alios fuére subdivisi: *Ludovicus* enim, cui *Bipontium, Spanheimici Comitatus citerioris mediétas*, & *Veldentij maxima pars* obtigit, filium habuit *Wolfgangum*; qui ex testamento Ottonis Heinrici Electoris agnati *Neoburgensem Principatum* in Bavaria, nec non *Sulzbachium* in superiore Palatinatu accepit, & *quinque* reliquit *filios*, à quibus *totidem palmites* propullularunt: à *Philippo Ludovico* primogenito Neoburgensis, à *Iohanne* Bipontinus, ab *Ottone Heinrico* Solisbacensis, à *Friderico* Veldentinus, à *Carolo* denique Birkenfeldensis: Sed ex his *Solisbacensis* & *Veldensis* mox defecere. Ista autem ditionum divisio facta est secundum

teno-

tenorem *testamenti*, quod *Wolfgangus*, priusquàm expeditionem in Galliam ad ferendas Protestantibus suppetias susciperet, scripsit, quo etiam *jus primogenitura*, *duasque domos regentes* (zwey regierende Häuser) *Neoburgicam* scilicet & *Bipontinam* instituit, quibus nunc quoque locus ac votum in comitiis competit: his solis jura suprema territorialia attribuit, & ditiones fratrum minorum natu, tanquam appennagiatorum certo respectu subjecit; ita ut Sulzbachium cum vicinis locis Neoburgensem Principatum, Birkenfeldium autem Bipontinum respicerent.

Rupertus Ludovici frater, ex hæreditate paterna *Lautereccium*, quod ad Veldensem Comitatum pertinet, nactus est, filiumque habuit *Georgium Johannem*, qui ex testamento sæpius memorato Heinrici Ottonis Electoris agnati *Luzelsteinensem* Comitatum in confiniis Alsatiæ & Loharingiæ (quem Fridericus Victoriosus, Comitibus ejectis, & postea in exilio absque prole mortuis, anno 1452. Palatinatui vindicavit) obtinuit, & è filiis *Georgio Gustavo* & *Georgio Johanne* duas iterum condidit lineas: verùm *Georgius Johannes* turbato mortalitatis ordine liberos omnes extulit, quorum nomina, quia in *tabula Rittershusiana* non omnia recensentur, hîc dabimus: 1. *Georgius Otto* n. 1614. 23.

Nov. †. *Tubingæ* 1635. 2. *Anna Maria* n. 1616. 20. Jun. †. 13. Sept. e.a. 3. *Joh. Fridericus* n. 5. Sept. 1617. †. 21. Febr. 1618. 4. *Philippus Ludovicus* n. 1619. †. 19. Mart. 1620. De *Georgij Gustavi* propagine posteà sermo erit, si prius cæteras lineas, quæ nativitatis ordine præcedunt, enumeraverimus.

7. Principem locum post Electoralem lineam (de qua alibi actum) obtinet *Neoburgica*; ejus autor *Philippus Ludovicus*, prudentia Oeconomica & Zelo religionis clarus, anno 1614. fato functus *tres* reliquit *filios*, ex *Annæ Wilhelmi Juliacensis Ducis* filia susceptos: *Wolfgangum Wilhelmum*, *Augustum* & *Johannem Fridericum*: in his nova ditionum divisio facta est, ita ut Augusto *Solisbacum* cum locis eò pertinentibus, Johanni Friderico *Hilpoltsteinium* cum præfecturis *Heydeck*, *Allersperg* & *Gözin* obveniret, Wolfgangus Wilhelmus verò tanquam major natu *Neoburgensem Principatum* & *jus Suprematus*, secundum dispositionem avitam à patre confirmatam, sibi servaret: sed *Johan. Fridericus* non nisi brevis ævi liberos è *Sophia Agnete Landgravia Hassiæ*, quæ anno demum 1664. mortalitatem explevit, suscepit; nullosque anno 1644. defunctus reliquit, unde ditiones ejus ad fratrem *Wolfgangum Wilhelmum* devolutæ sunt. Is extincta *Juliacensium Ducum* masculâ stirpe jus sibi in hanc suc-

successionem, materno nomine, ivit quæsitum; nec malè ei cum Electore Brandenburgico, qui eidem prædæ inhiabat, initiò convenit, ita ut arctioribus quoque affinitatis vinculis cum eo conjungi cuperet, filiamque ejus procaretur: verùm orta est inter epulas, quibus futurum generum Brandenburgicus Elector excepit, altercatio, quæ adeo exarsit, ut jurgantium ira ad manus perveniret, & Neoburgicus palmam soceri sentiret, qua indignitate iste exacerbatus, spreta atque ejurata Brandenburgica affinitate, aliam excussit quercum, utque sibi nova adversus illum præsidia pararet, & Cæsaris Pontificiorumque favorem conciliaret, *Magdalenam Maximiliani Bavariæ Ducis* sororem duxit, neque ira multò post *Romana sacra* amplexus est: deinde parente præ mœrore, quem è filii apostasia contraxit, defuncto, in ditionibus subjectis *Pontificiam religionem* introduxit, fratribus etiam eorumque subditis negotium molestiamque eo nomine exhibens. Discessit è vita anno 1653. postquam biennio antè *tertiam uxorem* sibi sociasset, nempe, *Mariam Franciscam Fürstenbergiam*, quæ posteà *Leopoldo Wilhelmo Marchioni Badæ* nupsit, hodieque in vivis est. *Filium* reliquit *unicum è primo thoro* natum, is est

PHILIPPUS WILHELMUS,
Comes Palatinus Rheni, Bavariæ, Juliaci,

Clivia & Montium Dux, Comes Veldentÿ, Spanheimÿ, Marcæ, Ravensperga & Mœsiæ, Dominus Ravensteinÿ.

8. Susceptus est in lucem An. 1615. d. 25. Oct. Princeps magno atque excelso animo, summaque prudentia, magnum religionis suæ ac tranquillitatis publicæ studium præ se ferens; litem adversus Electorem Brandenburgicum, ob *successionem Juliacensem*, hæreditate paterna, acceptam, & ultrò citroque calamis atque armis agitatam *transactione* finivit, qua ille *Ducatus Juliaci & Montium*, quibus postea *dynastia Ravensteinensis* etiam accessit, sortitus est, atque hujus transactionis *confirmationem* an. demũ 1678. d. 16. Nov. à *Consilio Cæsareo Sacratiore* obtinuit; addita tamen est huic conclusio *clausula reservatoria*, ne vel Instrumento pacis Westphalicæ, vel Cæsaris, Imperii, aliorumque Juribus ac prætensionibus quidquam eo derogaretur. Verùm *Elector Saxoniæ* accepto hujus concluſi exemplo, protinus per legatum, quem in comitiis habebat, protestationem solemnem tam suo, quàm totiùs familiæ nomine, coram Domino Commissario Cæsareo, & Directorio Moguntino interposuit ac petiit, ut apud Cæsarem perficerent, quò promulgatio confirmationis illius sufflaminaretur; neque committerent, ut quidquam, quod sibi fami-

milixq; in præjudicium cedere posset, in comitiis perageretur: quin potius id operam darent, quò *transactio* illa inter Brandenburgicum & Palatinum initia, tanquam *injusta & paci Westphalicæ adversa* rescinderetur, atque prætendentes ad viam juris ordinariam, quò prædictæ pacis Instrumentum digitum intenderit, remittentur: postea *libellum* etiam *memorialem* exhibuit, quò jura sua totiusque Saxonicæ domus in Juliacensem Ducatum prolixè deduxit atque exposuit: Huic alium oppositere Brandenburgicus Elector ac Palatinus Neoburgicus, & confirmatione istâ Instrumentum pacis nullatenus lædi, sed cuique prætendentium jura sua per clausulam salvatoriam concluso insertam, reservata esse, dictitarunt.

9. *Prima* Philippi Wilhelmi *consors* erat *Anna Catharina Constantia*, *Sigismundi III. Regis Poloniæ* filia, anno 1642. ducta & anno 1651. d. 7. Oct. nulla edita prole defuncta. *Secundis nuptiis* sibi junxit a. 1653. d. 24. Aug. *Elisabetham Amaliam*, *Georgij Landgravij Hassiæ in Darmstad* & *Sophiæ Eleonoræ Saxonicæ* gnatam, quæ calendis Nov. ejusdem anni Dusseldorpii mariti religionem publicè in templo, Electore Colonienſi sacra faciente, professa est, & *numerosa* ac pulcra *prole* familiam auxit. Ejus hæc est series:

I. *Eleonora Magdalena Theresia*, n. *Dusseldorpij* 6. Jan. 1655. ob animi corporisque eximias dotes LEOPOLDI AUGUSTI nuptias promeruit, ejusque thalamum ingressa est *Passavij* anno 1676. d. 14. Dec. Vivat, perennet, atque inclutissimæ familiæ Austriacæ, imò toti Germaniæ nova parere fulcra feliciter pergat.

II. *Maria Adelheidis Anna*, n. 6. Jan. 1656. *Neoburgi*. †. *Dusseldorpij* d. 21. Dec. ejusd. anni.

III. *Sophia Elisabetha*, n. *Dusseldorpij* 25. Maji 1657. †. *ibid.* Febr. 1658.

IV. *Iohannes Wilhelmus Iosephus*, Hæres Principatus vulgò Dux Juliacensis dictus n. *Dusseldorpij* 19. Apr. 1658. atque anno 1678. d. 25. Oct. *Neostadij* in in Austria nuptiarum solemnia celebravit cum *Maria Anna Josepha*, *Ferdinandi III. Cæsaris* & *Eleonoræ Gonzagæ* filia, quæ nulla hucusque sobole beata, ventrem nunc ferre dicitur.

V. *Wolfgangus Georgius Fridericus Franciscus*, n. *Dusseldorpij* 5. Jun. 1659. Ecclesiastico vitæ generi addictus variis præbendis cumulatus est; namque inter *Canonicos Colonienses* templi cathedralis *Chorepiscopi* munus gessit, *Capituli* verò *S. Gereonis* in eadem civitate *Decanus* fuit, quam

quam dignitatum bigam uno eodemque anno octuagesimo scilicet seculi obtinuit; præterea inter *Canonicos* Ecclesiarum *Argentinensis, Leodiensis, Monasteriensis, Osnabruggensis, Passaviensis, Tridentinæ, Brixiensis & Uratislaviensis* locum habuit, abfuitque non longè, quin Ecclesiæ postremo loco enumeratæ Episcopus proclamaretur, sed ex itinere Italico reducem mors fato propera *Neostadii* prope Viennam d. 3. Jun. 1683. abstulit.

VI. *Ludovicus Antonius*, n. *Dusseldorpii* 9. Jun. 1660. *Equestri militiæ Teutonicæ* nomen dedit, Ordinisque insignia *Mergentheimii* d. 20. Dec. anno 1679. sollemni cerimonia accepit, & sexta post luce *Coadjutor Supremi Ordinis Magistri* electus est. Adhæc *Canonicis* Ecclesiarum cathedralium *Moguntinensis, Coloniensis, Leodiensis & Monasteriensis* ascribi meruit, à Rege Galliæ etiam *Abbatia Fiscamnensi* (Fescamp) in *Caletis* auctus.

VII. *Carolus Philippus* n. *Neoburgi* 4. Nov. 1661. *Ordinem Equestrem Johanniticum* amplexus est, *Canonicus* cæteroquin *Coloniensis & Salisburgensis*.

VIII. *Alexander Sigismundus* n. *Neoburgi* 16. Apr. 1663. electus est anno 1681. in *Coadjutorem Episcopi Augustani, & Præpositum Constantiensis Capituli*, receptus præ-

terea in numerum *Canonicorum Aichſtet-tenſium & Ratisbonenſium.*

IX. *Franciſcus Ludovicus* n. *Neob.* 24. Jul. 1664. *Epiſcopus Vratislavienſis*, electus d. 30. Jun. an. 1683. & *Canonicus Olomucenſis.*

X. *Fridericus VVilhelmus* n. *Duſſeldorpii* 20. Jul. 1665.

XI. *Maria Sophia Eliſabetha* n. in caſtro *Bervvath* 6. Aug. 1666.

XII. *Maria Anna* n. *Duſſeldorpii* 28. Oct. 1667.

XIII. *Philippus VVilhelmus Auguſtus* n. *Neob.* 18. Nov. 1668.

XIV. *Dorothea Sophia* n. *Neob.* 12. Jul. 1670.

XV. *Hedvvigis Eliſabetha Amalia* n. 18. Jul. 1673.

XVI. *Iohannes* n. & †. d. 1. Febr. 1675.

10. E Neoburgico ramo prodiit *Solisbacenſis* palmes; ejus conditor *Auguſtus* aſſiduè varieq; à fratre Wolfgāgo Wilhelmo inquietatꝰ eſt, præcipuè ob religionē Evangelicam, quam ille in ejus ditionibus, jurisdictionem territorialem qua pollebat prætexens, everſum ibat, neque filii, quos anno 1632. moriens reliquit, mitiùs, ſed aſperiùs habiti ſunt; quemadmodum è gravaminibus, in comitiis anno 1641. ipſorum patruique Johan-

hannis Friderici nomine prolatis, apud *Limnæum* videre est. Habuit *Augustus* in conjugio *Hedvvigen*, *Johannis Adolphi Holsatiæ Ducis* filiam, quæ anno 1657. diem obiit, septies mater facta: inter *filias* ejus ad justam ætatem pervenere *Anna Sophia* & *Augusta Sophia*; quarum *prior* mulier facta est ex viro *Joachimo Ernesto Comite Oetingensi*, & d. 25. Maji 1675. naturæ debitum reddidit Posterior *Wenceslao Principi Lobkovvizio*, *Duci Saganensi* in manum convenit, & post mariti fata ob studium Evangelicæ religionis, à qua, inter tot illecebras aulæ Cæsareæ atque ad defectionem irritamenta, animum vera pietate munitum divelli vel saltem labefactari nunquam passa est, *Noribergam* habitatum concessit; ibique anno 1682. nocte, quæ inter 29. & 30. diem April. intercedebat, placida morte animam cœlo reddidit, magno sui desiderio relicto. *Tom. II. l. 5. c. 4. p. 725.*

11. E filiis *Augusti* duo hodiedum superant; major natu est

CHRISTIANUS AUGUSTUS, *Comes Palatinus Rheni, Bavariæ, Iuliaci, Cliviæ ac Montium Dux*, &c. editus in lucem d. 16. Jul. an. 1622. Princeps tot tantarumque virtutum, quot & quantas natura mortalium recipit, vel industria percipit. Is ditionibus suis *proprio & supremo jure* imperat, neque à patruele Neoburgico obturbatur; unde

sessio-

sessionem quoque ac votum in comitiis Imperii postulavit, non tamen hactenus impetravit. E conjuge *Amalia, Johannis Nassoviæ Comitis* & *Margarethæ Holsatæ* filia, *Hermanni Vrangelij* Suecici Architistrategi vidua, anno 1649. ducta, & an. 1669. d. 24. Aug. mortua, utriusque sexus liberos suscepit, hac serie:

I. *Hedvvigis Augusta*, n. 15. Apr. 1650. desponsata fuit an. 1665. *Sigismundo Francisco Austriæ Archiduci*, quo antequam matrimonium consummaret, vivis exempro, nupsit anno 1667. *Julio Francisco, Duci Saxoniæ Inferioris*, & an. 1681. d. 23. Nov. fatis concessit.

II. *Amalia Sophia*, n. 31. Maji 1651. Coloniæ in cœnobio virginum *S. Theresiæ*, monasticam professa est d. 19. Mart. anno 1683.

III. *Iulianus Augustus Hiel*, n. 1. Dec. 1654. †. 1657.

IV. *Christianus Ferdinandus Alexander* n. 1656. †. 1658.

V. *Theodorus*, n. 14. Febr. 1659. superstes.

12. PHILIPPUS, *Comes Palatinus Rheni* &c. Augusti filius minor natu, aspexit lucem vitalem d. 19. Jan. an. 1630. in bello atq; in re militari virtutis ac prudentiæ multa illustria per universam penè Europam documenta dedit, vitamque vivit cœlibem.

13. *Sen-*

13. *Scutum*, quo *linea Palatino-Neoburgica* uti solet, ter ad perpendiculum, semel transversim sectum est, atque adeo *octo areolas continet*: 1. *rhombos* Bavaricos, 2. *leonem* Juliacensem, 3. *sceptra liliata* Clivensia, 4. *leonem* Bergensem *exhibent*: 5. *qua* secundum ordinem *inchoat*, *argentea est*, *leonem cæruleum*, *lingua & falculis aureis deferens*, Comitatus Veldentini *δάγμα*. 6. *fasciam tessellatam* Marcanam, 7. *cantherios* Ravenspergenses *continent*, extrema *denique aurea fasciam nigram*, *qua* Mœrlensis Comitatus *denotatur*, *refert*. *Toti incumbit* parmula, *leonem* Palatinum *exhibens*. *Tegitur hic clypeus* quinque galeis, *primæ est* Bavarica, *secunda* Juliacensis, *tertia eaque media* Palatina, *quarta* Clivensis, *quinta* Marcana. Telamones *addi solent* duo leones, *per cassides prospectantes*. *Spen. Op. Harad. Sp. l. 1. c. 27. §. 18. & seqq.*

14. Proximus à Neoburgico ramus *Bipontinus* est; hujus autor *Iohannes* I. uxorem habuit *Magdalenam Juliacensem*, unde etiam filii ejus partem hæreditatis Juliacensis prætenderunt; sed in capienda possessione à Brandenburgico & patrueli Neoburgensi præventi, titulo tantùm aucti sunt. Fuêre autem ipsi *tres* præcipuè filii: *Iohannes II.*, *Fridericus Casimirus* & *Iohannes Casimirus*, à quibus totidem profati sunt palmites.

15. Io-

15. *Iohannes* II. vigore *primogenituræ* à Wolfgango avo introductæ, *Bipontium* cum jure superioritatis territorialis, nec non sessione & voto in comitiis obtinuit, & è secunda conjuge *Luisa Juliana Palatina* ex Electorali domo filium genuit *Fridericum*, qui patri anno 1635. mortuo successit, & per *Instrumentum pacis* restitutus est in *quartam partem vectigalis Vilzbacensis* & *cœnobium Hornbach*. Vitam lineamque finivit d. 9. Jul. anno 1661. relictis ex *Anna Juli[illegible] Nassovio-Saræpontana* multoties matre, nonnisi *tribus filiabus*, è quibus *Elisabetha* nata d. 22. Mart. 1642. *Viktori Amadeo Principi Anhaltino in Bernburg* anno 1667. nupsit, & 17. Apr. 1677. naturæ concessit: reliquæ *duæ* verò *superstites* sunt:

Art. 4.

Sophia Amalia n. 15. Dec. 1646. *Sigfrido Comiti Hohenloico* è Neosteinensi linea anno 1678. matrimonio sociata est.

Carola Friderica n. 22. Nov. 1653. *Wilhelmo Ludovico consanguineo* elocata fuit, nuncque viduam agit vitam.

16. *Fridericus Casimirus*, alter Johannis I. filius, appennagii loco *Landsbergam*, unde palmiti, quem condidit, nomen, accepit, & *Amaliam Wilhelmi Principis Arausionensis* filiam connubio sibi junxit, quo ditionem *Montfortiam* in Burgundiæ Ducatu nactus est. Obiit anno 1645. relicto filio ac succes-

cessore *Friderico Ludovico*, qui à Rege Galliæ, ob dictam Montfortensem ditionem, *jus naturalitatis* in Gallia obtinuit, & Friderico patrueli atque affini absque prole masculâ defuncto in regimine Bipontini Ducatus successit. Uxorem duxit anno 1645. *Julianam Magdalenam patruelem*, quæ anno 1672. d. 15. Mart. defuncta, fœminam ignobilem ex illius gynæceo in thorum alcivit, eo pacto, ut qui ex ea nascerentur liberi, nobilium tantùm loco haberentur; neque etiam sterile fuisse hoc conjugium ferunt: eodem tempore otium quietemque petens regimen destituit, idque filio *Wilhelmo Ludovico* tradidit, qui *Meisenheimii* sedem habebat, patre *Landsbergæ* commorante: verùm antevertit ille parentis fata, neque ita multò post anno scilicet 1675. d. 31. Aug. vivis excessit, cùm è conjuge *Carola Friderica*, sobrina sua & simul matrueli, triplicem tantùm sobolem, eamque brevissimi ævi sustulisset; nempe I. *Carolum Ludovicum* n. 18. Aug. 1673. †. 11. Nov. 1674. II. *Wilhelmum Christianum* n. 5. Jul. †. 28. Nov. 1674. III. *Wilhelminam Sophiam* n. 27. Jul. †. 5. Nov. 1675. Extincto itaque immaturâ morte filio, Fridericus Ludovicus ditionum regimen denuo susceipere coactus est; quod quidem eò graviùs ei accidit, quò vehementiùs tum temporis tempestas bellica in Rhenanis

nanis oris intumescebat, qua Bipontinus etiam Ducatus correptus, & à Gallis oppressus est; adeò ut ne quidem sacris Principum tumbis atque exuviis parcitum fuerit: neque res ejus per sanctionem pacis Neomagensis in meliorem statum sunt conversæ, sed potius in deteriorem, Gallis prædictæ pacis formulam ex sua libidine interpretantibus, & recens natis dependentiarum titulis omnia jura divina atque humana permiscentibus.

17. Decessit tandem de vita *Fridericus Ludovicus* calendis Aprilis anni 1681. relictis *duabus* tantùm *filiabus*, reliqua ejus sobole præmortua; nam præter illam, cujus fata *tabula Rittershusiana* notavit, filiumque majorem natu, de quo mentio facta est, amisit etiam *Carolum Casimirum*, anno 1659. natum, & *Heidelbergæ* anno 1673. d. 14. Sept. immatura morte extinctum; præterea sexus infirmioris *Luisam Magdalenam* & *Mariam Sophiam*, quarum illa diem 11. Febr. anni 1672. vitæ supremum habuit. *Superstitum* hæc sunt nomina:

Carola Amalia n. 14. Maj. St. V. 1653. & *Johanni Philippo Comiti ab Ysenburg* an. 1678. nuptui data.

Elisabetha Christina n. 17. Octob. 1656. & *Emiconi Comiti Leiningio in Hartenburg* anno 1678. in matrimonium collocata.

18. Ter-

18. Tertius palmes è Bipontino ramo exortus *Iohannem Casimirum* satorem habuit, & primò *Kleebergensis*, posteà cùm ille per matrimonium *Catharinæ*, *Caroli IX. Sueciæ Regis* filiæ & *Gustavi Adolphi*, qui virtute & rebus gestis *Magni* cognomen implevit, sororis, fortunarum sedem in Suecia fixisset, *Suecicus* dictus est. Ejus filius *Carolus Gustavus* in aula Gustavi Magni & Christinæ educatus, magnisque virtutum exemplis eruditus, postquam in pacis cum Imperio à Suecis factæ executione, singularis prudentiæ, promptitudinis ac diligentiæ egregia edidisset documenta, dignus successione regni judicatus, atque anno 1649. *Princeps hereditarius regni Sueciæ* in publicis comitiis ab Ordinibus regni designatus fuit, quæ designatio anno sequenti in Reginæ Christinæ publica inauguratione confirmatior reddita, ipseq; tandē quum quarto pòst anno Christina regendi onus deponeret, & in ejus humeros transferret, Upsaliæ, sollemnibus adhibitis, publicè coronatus est. Abstulit eum mors fato propera in comitiis Gothoburgensibus anno 1660. d. 13. Febr. post res domi militiæque præclarè gestas, quas immortalitati scriptis suis *Loccenius* tradidit. *Hist. Sues. l. 9.*

19. Filii, quem unicum eumque impuberem reliquit, ex *Hedvvige Eleonora Holsatia Ducissa* etiam nunc superstite susceptum,

educationem & tutelam Reginæ conjugi ac Proceribus regni supremis tabulis sedulò commendavit, jam antè ejus studiis præfecto Secretario *Emundo Griepenhielm.* Illum regni Ordines in dictis comitiis Gothoburgensibus, & posteà Stokholmensibus, secundum unionem hæreditariam anni 1650. & 1654. atque de masculorum Regis hæredum successione in regnum jura & pacta hic repetita, pro legitimo suo Rege, regnique successore agnoverunt, acceptarunt & confirmarunt: Is nomine hoc cluit

CAROLUS XI. *Suecorum, Gothorum & Vandalorum Rex, Princeps Finlandiæ, Dux Scaniæ, Esthoniæ, Livoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini-Pomeraniæ, Cassubiæ & Vendis, Princeps Rugiæ, Dn. Ingriæ & Wismariæ, ut & Comes Palatinus Rheni, in Bavaria, Juliæ, Cliviæ & Montium Dux,* &c.

20. Natalem habuit diem 24. Nov. anni 1655. & posteaquam inter gymnasmata togata ac militaria, vero Rege digna adolevit, atque ad justam ætatem pervenit, regimen suscepit, cujus quidem duro admodum initio usus est; quippe cùm bello, quod Galli Germanis superioribus annis intulerunt, sese involvi passus esset, & partium Gallicarum adjutor fuisset, omnes ferme ditiones in Germania per pacificationem Osnabruggensem

regno

regno Sueciæ concessas amisit; quas Rex Daniæ, Elector Brandenburgic⁹ nec non Duces Brunsuicenses & Lunæburgenses, societate armorum inita, occupaverunt; recuperavit tamen omn a, pauciſſimis exceptis, per pacem Neomagensem. In comitiis regni, quas sub finem anni 1680. Holmiæ habuit, *Suprematu*, auspiciis Nobilitatis, auctus est; Senatorum verò Regni auctoritas certis limitibus ac cancellis circumscripta, sancitumque, ut Rex inposterum *libera infinitaque potestate* polleat, præterea, si contingeret eum in prolem in lethalem incidere morbum, facultatem habeat designandi sibi successorem, quemcunque velit; nec amplius teneatur Senatum aut quinque Supremos Regni Ministros in consilium vocare aut eorum assensum requirere. Connubio sibi junxit *Ulricam Eleonoram*, *Friderici III. Daniæ Regis* & *Sophiæ Æmyliæ Ducissæ Lunæburgensis* filiam, cum qua *Johanni Baroni Güldensternio* Legato suo Hafniam eum in finem misso, dicta ac pacta, posteaque in Sueciam splendidiſſimo officio deducta, solemne nuptiarum celebravit *Skatrupii*, nocte, quæ lucem 16. Maji anno 1680. excepit: triplicis sobolis regiæ parens ex ea hactenus factus; nempe:

I. *Hedewigis Sophiæ* n. 26. Jun. 1681.

II. *Caroli* n. 24. Jun. 1682.

III. *Gustavi* n. 4. Jun. 1683.

21. ADOLPHUS JOHANNES, *Comes Palatinus Rheni*, &c. *Johannis Casimiri* filius natu minor, Regis Sueciæ patruus; prodiit in lucem d. 11. Oct. anno 1629. *Appennagii* loco in Germania medietatem prætecturæ *Gutenbergicæ* accepit, in Suecia etiam nonnullis possessionibus, via matrimonii acquisitis, ditatus est; post mortem verò *Friderici Ludovici* patruelis spem successionis in *Ducatu Bipontino* tanquam proximior agnatus affectans, è Suecia eò profectus est, & mense Octobri anni 1681. subditos prædicti Ducatus in verba sua adegit: utque hanc successionem sibi asserat atque stabiliat, & Regis Galliæ gratiam ac patrocinium demereatur, omnem nunc movet lapidem; & nuperadmodum, pro obtinendo jure naturalitatis, in Gallia libellum supplicem Cancellario Regio offerri curavit, petitique damnatus est; siquidem vera *Novellæ* prædicarunt. Conjugium *bis* contraxit, prius cum *Elisabetha Beata Petri Brahe Comitis de Wisingsburg* Regni Sueciæ Drozeti & *Christina Catharina Steenbockia* filia anno 1649. quæ quadriennio abhinc decessit unius tantùm masculæ prolis, cui *Gustavi Adolphi* nomen inditum, sed brevissima vitæ usura contigit, mater facta. Secundam conjugem ex eadem gente duxit d. 8.

d. 8. Febr. anni 1661. nempe *Elisabetham Nicolai Brahe*, qui in prœlio *Luzensi* honestissima morte occubuit, & *Margaritæ Bielkiæ* filiam, *Erici Oxenstiernii*, Regni Sueciæ Cancellarii, viduam, atque ex hoc matrimonio provenere:

I. *Catharina* n. 30. Nov. 1661.
II. *Maria Elisabetha* n. 13. Sept. 1663.
III. *Carolus Iohannes* n. & †. 1664.
IV. *Iohannes Casimirus* n. 1665. †. 1666.
V. *Adolphus Iohannes* n. 13. Aug. 1666.
VI. *Gustavus Casimirus* n. 29. Dec. 1667. †. 21. Aug. 1669.
VII. *Christina Magdalena* n. 25. Mart. 1669. †. 11. Jun. 1670.
VIII. *Gustavus Samuel* n. 2. Apr. 1670.

22. Ex *amitis* Regis Sueciæ in vivis sunt:

Maria Euphrosyna n. 4. Febr. 1625. consors *Magni Gabrielis Comitis de la Gardie*, Regni Suecici quondam Cancellarii, nunc Drozeti.

Et *Eleonora Catharina* n. 17. Maji 1626. vidua *Friderici Landgravii Hassiæ* in *Eschvveger*.

23. *Scutum*, quo linea *Palatino-Bipontina* uti solet *omnes & singulos laterculos in Neoburgico clypeo enumeratos continet, sed alio ordine dispositos; ita nimirum, ut in duas æquales partes divisum, prior quadrifida* symbola Palatina

Spen. Op. Her. l. 3. c. 27. §. 29.

latina & Bavarica *bis repetat, imposita medio loco* parmula Veldentiana: *posterior pars* sex areolas *complectatur*, *quarum superiores sunt* Juliacensis, Clivensis & Bergensis; *inferiores* Marcana, Ravenspergia & Mœrsensis. Galeæ, *quæ scuto huic incumbunt, cum Neoburgicis ex asse congruunt.*

24. Bipontinum ramum excipit *Birkenfeldensis*, sive *Spanheimius*, quem *Carolus*, Wolfgangi filius, natu minimus, protevit. Huic parens *appennagii* titulo mediet atem *Comitatus Spanheimici ulterioris* assignavit, frater verò *Johannes jura territorialia* concessit, uti *Sprengerus* refert. Altera medietas hujus Comitatus ad *Badenses Marchiones* pertinet; imperio inter utramque familiam ita diviso, ut *Birkenfeldensis* præfectura solos *Palatinos*, *Castellaunensis* solos *Badenses* Dominos agnoscat; reliquas verò præfecturas nempe *Traerbacensem*, *Allenbacensem* & *Winterbergensem* utrique communiter possideant. Suscepit *Carolus* è *Dorothea Lunaburgensi* filiam *Sophiam*, *Cratoni Comiti Hohenloico* elocatam, atque anno 1676. d. 6. Nov. defunctam; filiosque duos, *Georgium Wilhelmum* & *Christianum*, à quibus duo orti sunt palmites: *Birkenfeldensis* in specie sic dictus, & *Bischweileranus*. Ille quoad mares iterum defecit anno 1672. morte *Caroli Ottonis*, qui Georgii Wilhelmi præcipite

Luc. Imp. t. 2. p. 186.

anno

anno 1669. defuncti, filius erat è *Dorothea Comitissa de Solms* in *Sonnenvvald* susceptus; quique è *Margarita Hedvvige amitina sua, Cratonis Comitis Hohenloici filia* anno 1676. d. 24 Dec. mortua masculam quidem prolem sustulit, nempe *Carolum Wilhelmum*, sed intra primum ætatis annum, qui seculi sexagesimus erat, die 8. Apr. extinctum, infirmioris autem sexus duplicem sobolem reliquit; hodie superstitem:

Carolam Sophiam Elisabetham n. 1661. & *Hedvvigen Eleonoram Dorotheam* n. 1663.

Inter *sorores*, quas *Carolus Otto* habuit, duæ superant:

Anna Sophia n. anno 1619. d. 2. Apr. *Abbatissa Quedlinburgia*:

& *Maria Magdalena* n. 1622. d. 29. Jul. vidua *Antonij Guntheri Comitis Schvvarzburgici* in *Sondershausen*.

25. *Christianus* Georgii Wilhelmi frater *Bischvveiler anum* palmitem condidit, sic dictum ab oppido *Bischvveiler*, tribus ab Argentorato milliaribus dissito; quod ille ab affine Friderico Bipontino hypothecario nomine (si *Sprengero* credimus) acceptum incoluit atque arce ornavit. E priore conjugio *Magdalenæ Catharinæ Palatinæ* (cujus mater *Rohanea* multa in Gallia bona habuit) aliquot liberos sustulit; è posteriore verò con-

Lus. Imp. c. 5. p. 817.

juge *Maria Johanna Helfenſteinia, Maximiliani Adami ultimi Landgravij Leuchtenbergæ* vidua, quæ demum anno 1665. d. 10. Aug. vita conceſſit, nullam vidit ſobolem, obiitque anno 1654. d. 27. Aug. Superſunt ex ejus liberis:

CHRISTIANUS *Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ, Comes Veldentij, Spanheimij, Rappolſteinij & Hohenaccij* &c. Hauſit auram vitalem anno 1637. d. 22. Jan. Nuptiis ſibi adjunxit anno 1667. *Catharinam Agatham Johannis Jacobi ultimi Comitis Rappolſteinij & Annæ Claudiæ Rhingraviæ* filiam, defunctam pronuper an. 1683. d. 6. Jul. Succeſſit anno 1672. Carolo Ottoni patrueli in ditionibus *Spanheimicis*, atque anno ſequenti, cum ſocer ejus fatorum legem impleviſſet, *Comitatum Rappolſteinenſem*, cæterasque ejus ditiones, quæ in *Alſatia* & *Vogaſo* ſitæ ſunt, & partim in Lotharingiam protenduntur, beneficio Regis Galliæ, cujus caſtra ſequitur, obtinuit: incaſſum calamo ſcriptisque obnitente *Chriſtiano Ludovico Comite Waldeccio*, qui ob ductam filiam unicam *Georgij Friderici Comitis Rappolſteinij* (frater hic erat major natu Johannis Jacobi & prædefunctus) ſimultaneam ſucceſſionem in allodialibus & quibusdam feudis, circa oppidum *Reichenvveiler* in terris Imperii ac territorio Mumpelgardenſi ſitis, in quæ expectativam

tivam ab Episcopo Bambergensi directo eorum domino impetraverat, prætendit. *Berkheimense* præter eà dominium Rupisvillano territorio contiguum, quod olim sub Austriaca ditione, postmodum beneficio regio *Duci Montausierio* donatum est, ab hoc Palatinus pretio acquisivit, uti Celeb. *Spenerus* memorat. Prolem è conjuge Rappolsteinia multam sustulit, cujus hunc habemus syllabum: *Op. Her. l. 3. c. 27. §. 11.*

I. *Magdalena Claudia* n. 1668. d. 16. Sept. Superstes.

II. *Ludovicus* n. 1669. d. 26. Dec. †.

III. *Elisabetha Sophia Augusta* } gemellæ n.
IV. *Christina Catharina* } 7. August. 1671. †.

V. *Carola Wilhelmina* n. 18. Oct. 1672. †.

VI. *Christianus* n. 1674. d. 7. Nov. Superstes.

JOHANNES CAROLUS, *Comes Palatinus Rheni* &c. natus anno 1638. d. 17. Oct. ἄγαμος est, bellicis artibus fratre Christiano haud inferior; diversis autem sub signis, Ordinum scilicet Fœderati Belgii, militat, inter primarios eorum Tribunos locum habens.

Dorothea Catharina, germana illorum soror, nata 3. Jul. 1634. vivit in conjugio *Johannis Ludovici Comitis Nassovij in Ottweiler*, cui anno 1649. elocata fuit.

Ludovica Sophia n. 1635. d. 15. Aug. innupta est.

Anna Magdalena n. 1640. *Johannis Reinhardi Comitis Hanoici* matrimonium tenuit.

Spen. Op. Her. l. 3. c. 27. §. 29. & 30.

26. *Scutum*, quo linea *Spanheimia* communiter utitur, *quadripartitum est*, ita ut 1. & 4. area *leonem* Palatinum, 2. *rhombos* Bavaricos, 3. *tessellas ex argento & minio, quæ* ulteriorem Comitatum Spanheimium *designant, contineant: medio verò ejus loco* parmula Veldentina *incumbat*: galeis *duabus* Palatina & Bavarica *superimpositis*. Verùm Christianus novis areolis scutum hoc auxit, atque hoc modo disposuit, ut *bipertitum* sit, & *dextro latere quadrifido symbola* Palatina & Bavarica *repetita exhibeat*: *Sinistrum latus iterum in quadras secetur, quarum* prima *leonem* Veldentinum, secunda *tessellas* Spanheimicas; tertia *argentea tria scutula coccinea, quibus* Rappolsteinensis Comitatus *notatur, referant*, quarta *denique itidem argentea tria capita aquilina nigra avulsa, auro coronata, quæ* Hohenacciam dynastiam *designant, contineat*. Galeæ sex *clypeum premunt, quarum prima* Rappolsteinia *hermam virilem argenteo amictu, pectore scutula tria deferentem sustinet*: *è secunda* Veldentina *exsurgit caput molossi aureum, cum lingua & millo rubris*: *tertia* Palatina *est*: *quarta* Bavarica: *quinta* Spanheimia *pileum rubeum argento reductum canda pavonina*

nina fastigiatum: sexta denique Hohenaccia *jugum alarũ nigrarum sustinet, ante quas conspiciuntur tres baculi nodosi, auro vel argento tincti.*

29. *Superest* **Lautereccensis** linea, quam nunc *Veldentinam* vocant, orta, quemadmodum dictum est, à *Ruperto* Alexandri filio minore natu: hic gnatum habuit *Georgium Johannem*, cui Wolfgangus patruelis *jura territorialia* concessit, atque intercessione sua effecit, ut sub titulo Pfaltz Lautereck *ad votum & sessionem* in Imperii comitiis admitteretur: ejus filius *Georgius Gustavus*, cùm *Fridericus* agnatus in *Veldenz* nulla relicta prole decessisset, castrum *Veldentinum* ad *Mosellam*, cum præfectura & metalli fodinis ei annexis, obtinuit; atque anno 1634. moriens filium unicum reliquit è *Maria Elisabetha agnata* genitum, is est *Sprengl. Luc. Imp. c. 2. p. 186.*

LEOPOLDUS LUDOVICUS, *Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ, Comes Veldentiæ*, natus calendis Febr. anno 1625. Successit patruo *Georgio Johanni* in appennagio *Luzelsteinensi*, & per *instrumentum pacis* Westphalicæ restitutus est *in Comitatum Veldenzam in Ecclesiasticis, quàm Politicis*; nupero autem bello universis ditionibus à Gallis, quod in eorum verba jurare Princeps Germana virtute ac fide obstinatissimè recusaret, exutus, aliquot annorum spatio *Argentorati* extor-

extorris parùm commodè victitavit; nec, quæ in præsentia ejus sit fortuna ac conditio, numque tandem *necessitatem*, quam, *Livij* verbo, *ne Dii quidem superant*, in rationem verterit, dicere integrum est. E conjuge *Agatha Christina*, *Philippi Wolfgangi Comitis Hanoici* & *Johannæ Comitissæ Oetingensis* filia, ducta d. 4. Jul. 1648. complures sustulit liberos, hac serie:

I. *Anna Sophia* n. 20. Maji 1650.

II. *Gustavus Philippus* n. 17. Jul. 1651. post peragratas Gallias, Daniam, Sueciam, Germaniam, mira pravitate animi atque ingenii in præcipitia conversus, patris atque omnium bonorum animum alienavit sibi; moxque crescentibus indies vitiis ac flagitiis, jussu parentis comprehensus & Lautereccii custoditus, præcipite anno 1679. dignum furore suo exitum habuit, ut *Velleji* de *Agrippa juniore* verba huc transferam,

Hist. l. 2. c. 112.

III. *Elisabetha Iohanna* n. 22. Febr. 1652. nupsit anno 1669. *Johanni Rhingravio in Morchingen*, nec tamen ejus consuetudine frui dicitur.

IV. *Christina* n. 29. Mart. 1654. †. 18. Febr. 1655.

V. *Christina Ludovica* n. 1. Nov. 1655. †. 14. Apr. 1656.

VI. *Chri-*

VI. *Christianus Ludovicus* n. 5. Oct. 1656. † 15. Apr. 1658.

VII. *Dorothea* n. 16. Jan. 1658.

VIII. *Leopoldus Ludovicus* n. 14. Mart. 1659. †. 7. Mart. 1660.

IX. *Carolus Georgius* n. 27. Maji 1660.

X. *Agatha Eleonora* n. 29. Jun. 1662. †. 1. Jan. 1664.

XI. *Augustus Leopoldus* n. 22. Dec. 1663.

28. E *sororibus* Leopoldi Ludovici superat *Magdalena Sophia* n. 24. Nov. 1622. innupta.

Maria Elisabetha dies *natalis*, in *tabula Rittershusiana* omissa, fuit 24. Jun. anni 1616. *emortualis* autem 12. Sept. anni 1649. *Anna Magdalena Ducissa Münsterbergensis* lucem vidit d. 19. Mart. 1602. & ea caruit d. 20. Aug. 1630. *Johannes Fridericus* illarum frater vivere cœpit d. 12. Jan. 1604. desiit 20. Nov. 1632.

29. *Scutum* hujus lineæ *quadripartitum est* e Palatinis & Bavaricis *symbolis*, *medio ejus loco incubante* parmula Veldentina, galeisque *duabus* Palatina *nempe* & Bavarica *impositis*.

30. Notasse denique convenit, Comites Palatinos hoc capite enumeratos non sub uno *circulo* comprehendi, sed Neoburgenses & Solisbacenses ad *Bavaricum*, reliquos omnes ad *Rhenanum Superiorem* referri.

CAP.

CAP. II.

DE DUCIBUS SAXONIÆ.

SAxoniæ Duces hodiernos à *Missniæ Marchionibus* genus ducere extra controversiæ aleam positum est: hos porro communis traditio à *Witekindo* derivare amat, qui bello adversus Carolum M. Francorum Regem gesto clarum sibi nomen peperit, & vulgò *Saxonum Rex* indigitatur; *abusivè* tamen: neque enim antiquiore illo ævo Saxones Principis nedum Regis, qui universis pace & bello imperaverit, patientes fuére, sed singulæ tribus (in tres autem, *Ostphalos*, *Angarios* ac *Westphalos* tum divisi erant) Satrapas plurimos suæ genti præpositos habuerunt, qui bello ingruente per sortilegium eligebant, cui omnes obtemperarent; confecto autem bello, pace que restituta, æquo jure ac propria potestate utebantur; quo loco & *Witekindus* erat, atque inter primores tantùm Westphalorum eminebat, quemadmodum è priscis Historicorum monumentis, præcipuè *Witekindi Corbejensis monachi Annalibus*, celeberrimus *Conringius*, & post ipsum *Schurzfleischius* dilucidè id expediverunt. Sed ipsam quoque hodiernorum Saxoniæ Ducum à *Witekindo* deductionem in dubium vocat

Conr. ad Lamp. p. 3. c. 5. §. 18. Sch. anim. in Alb. III. Sax. D. vitam.

vocat prælaudatus *Conringius*, quam tamen alter tuetur, & ſchema genealogicum à *Sighardo* Witekindi proavo, usque ad *Fridericum Bellicoſum* non interrupta ſerie concinnatum ſub finem *diſſertationis* ſuæ *de Witekindo* exhibet.

2. Nos originem gentis in medio relinquentes, id potius diſpiciemus, qua via Misniæ Marchionibus *Thuringia* & *Saxonia* cum *Electorali dignitate* aliæque ditiones accreverint. *Miſniam* quidem, quæ hodie vocatur, atque inter *Salam* & *Albim* extenditur, per varias familiæ lineas vagatam tandem *Conradus*, *Thimonis* filius, *Theodorici* Comitis de *Wettin* nepos, ſuæ ſtirpi intulerat atque in poſteros, nulla alia intercedente translatione, propagaverat. Ejus nepos *Theodoricus*, ducta in matrimonium *Jutha*, *Hermanni Haſſiæ ac Thuringiæ Landgravii* filia, *Heinrico* gnato ex ea ſuſcepto, *Thuringiam* occupandi jus præbuit: cum enim Juthæ frater *Heinricus* Landgravius in Regem Romanorum adverſus Fridericum II. Cæſarem electus, è vulnere in obſidione Ulmæ anno 1247. accepto, improlis deceſſiſſet, orta eſt de ejus ſucceſſione controverſia, quæ in bellum erupit; hinc *Heinrico Miſniæ Marchione*, qui *Illuſtris* cognominatus eſt, illinc *Sophia*, *Ludovici* (qui *Heinrici* Anti-Cæſaris & *Juthæ* frater erat) filia *Heinrico Duci Brabantiæ*

tiæ nupta, illam succeſſionem ſibi arrogantibus. Compoſita tandem eſt hæc diſceptatio anno 1263. facta provinciarum diviſione, ita ut *Haſſia Sophiæ* ejusque filio *Heinrico*, quem *Puerum* appellarunt, *Thuringia* vero *Miſniæ Marchionibus* ceſſerit; atque eadem occaſione jactum eſt *fundamentum fœderis hæreditarii*, è quo poſtea confraternitas (die Erbverbrüderung) anno 1323. inter utramque familiam inita, defluxit.

Fabr. Orig. Sax. l. 6. p. 384.

3. *Heinrici Illuſtris*, qui etiam *Munificus* dictus eſt filio degeneri *Alberto Margarita Friderici II. Imp.* filia, infauſto connubio in manum convenit, ampla tamen cum dote *Pleiſnenſis* ſcilicet terræ, & *Aldenburgici* Comitatus in *Oſterlandia* quæ certus eſt tractus inter *Muldam* & *Salam*. His natus *Fridericus Admorſus* trigam civitatum Imperialium *Aldenburgum*, *Cygneam* & *Chemnitium* anno 1308. ditioni ſuæ adjecit. *Fridericus Gravis* Comitatum *Orlamundenſem* in Thuringia, *Hermanno* ejus Comite, à quo Erfordiæ anno 1342. immodeſtis dicteriis publicè laceſſitus fuerat, armis ſubacto, acquiſivit. *Friderico Strenuo* uxor *Catharina Hennebergenſis* Principatum *Coburgicum* attulit.

Hoc genitus *Fridericus Bellicoſus*, Ducatum *Saxoniæ* cum *Electorali dignitate* familiæ intulit, auſpice *Sigismundo Imp.* qui *Alberto* Aſcaniæ lineæ directæ Electore Saxoniæ ultimo,

timo, anno 1422. defuncto, utrumque axiomatei virtute ac meritis eximio contulit, uti superiùs dictum est. Præterea eadem investitura *Palatinatum Saxoniæ* ei contulit, qui distinctus antehac à Ducatu erat, &, *Schurzfleischio* judice, ea occasione institutus, quod, quum Saxones in Francorum civitatem adscripti, servassent titulum Saxonici juris, nec Franci à Francico recessissent, duos adsciri oportuerit Palatinos, alterum in Orientali Francia, alterum in Saxonia juri dicundo præfuturum. Conferri cum his possunt, quæ habet ὁ θαυμάσιος *Spenerus* in *Proleg. Operis Haraldici specialis.*

Lib. 2. c. 7.
Dissert. de VVitek. th. 6.
C. 1. §. 14. & 15.

4. *Fridericus Placidus*, Bellicosi filius, Elector secundus, *communis* omnium ex hac familia hodie viventium *Parens* extitit è filiis *Ernesto* atque *Alberto*, duarum *linearum capitalium* conditoribus. *Ernestus* patri in Electoratu successit, & paulò ante obitum provinciarum partitionem, eò quo suprà recensui modo, cum fratre instituit. Ex ejus filiis duo, *Fridericus Sapiens* dictus, qui cœlibatum matrimonio prætulit, & *Johannes Constans* Electorali dignitate fulserunt, quam ultimus ex hac linea gessit *Johannes Fridericus Magnanimus*, Constantis filius. Hic cùm Caroli V. Cæsaris nec non Ferdinandi ejus fratris odium sibi contraxisset, non solum publica contradictione, qua electioni Ferdinan-

dinandi in Regem Romanorum, tanquam contra legem Aureæ Bullæ nulla urgente necessitate factæ, nomine parentis adversatus est; sed & fœdere Smalcaldico, cujus ipse primarius autor ferebatur, mox etiam arma Imperatoris in se concitavit; quibus in prælio *Mülbergensi* a. 1547. d. 24. Apr. superatus atque in Cæsaris potestatem delapsus, Electoratu & magna ditionum parte multatus est; quæ omnia in *Mauritium* ex Albertina linea translata sunt.

5. *Mauritio* absque prole mortuo, omnem quidē lapidem *Joh. Fridericus* movit, ut amissa recuperaret; tandem verò cum *Augusto*, Mauritii fratre, interpositione inprimis Regis Daniæ, anno 1554. transegit, his inter alias conditionibus, ut ipse retento quoad viveret Electoris nomine, *Electoratui* tamen, *Misniæ* atque *oppidis Metallicis* renuntiaret, Augusto autem sine masculæ sobole extincto omnia reciperet. Huic transactioni cùm Johannes Fridericus in ultimo vitæ articulo subscripsisset, anno sequenti 1555. ab ejus filiis, in conventu *Naumburgi* instituto, omnia sunt corroborata, & simul *confraternitas hæreditaria* mutuæ successionis & defensionis, inter *Saxonicam*, *Brandenburgicam* & *Hassiacam* familiam dudum inita, sed bello Smalcaldico multis modis violata, renovata est; addita quoque Augustanæ

Sleid. comment. l. 25. & 26.

Con-

Confessionis, in singulorum provinciis confirmandæ, lege. *Chytr. Chron. Sax. p. 514.*

6. Habuit *Iohannes Fridericus* Elector in matrimonio *Sibyllam, Wilhelmi Ducis Juliacensis & Clivensis* sororem, *Johannis* filiam, atque inter *pacta dotalitia* hanc quoque tulit conditionem, ut si *Wilhelmum* absque masculo prole diem obire contingeret, ipse ejusve hæredes in provinciis illis succederent: cujus pacti ratio hæc potissimum fuit, quod, cùm à Friderico III. & Maximiliano Impp. *Alberto* atque *Ernesto* fratribus Ducibus Saxoniæ, eorumque liberis *investitura futuræ successionis in Ducatibus Juliacensi & Bergensi*, quando quidem Princeps eorum sine hæredibus masculis moriturus esset, collata fuisset, postea tamen Wilhelmo Juliacensi Duce anno 1511. sine maribus defuncto, *Johannes Clivia Dux*, qui filiam Wilhelmi connubio sibi sociaverat, utrumque Ducatum occupaverit; & licet Saxonici apud Maximilianum Imp. graviter de eo questi, ac super injusta à Clivensi detentione protestati sint, eum tamen possessione exturbare haud potuerint. Processu verò temporum cùm non quidem Wilhelmus, sed ejus filius *Johannes Wilhelmus*, sine hærede masculo anno 1609. mortuus familiam clausisset, Saxonici non tantùm confestim juribus suis invigilarunt, provinciarumque illarum possessionem in-

stantissimè flagitarunt; sed & à Rudolpho II. Imp. investituræ diploma anno sequenti obtinuerunt; ver... in provinciarum occupatione ab *Electore Brandenburgico* & *Comite Palatino Neoburgico* præventi sunt, ita ut licet à sequentibus etiam Imperatoribus eandem investituram impetraverint, aliud tamen compendii exinde non ceperunt, quàm quod *titulo insignibusque Ducum Juliaci, Cliviæ & Montium* &c. aucta ampliicarunt.

7. Reliquit *Johannes Fridericus I.* tres filios: *Johannem Fridericum II. Johannem Wilhelmum* & *Johannem Fridericum III.* Hic postquam anno 1565. ἄγαμος è medio excessit, facta est inter duos superstites, arbitro Friderico III. Electore Palatino, utriusque socero, ditionum divisio; cujus vigore *Iohannes Fridericus Gothæ* in castro *Grimmenstein*, *Iohannes Wilhelmus Vinariæ* sedem domiciliumque fixit.

8. Cæterùm *Iohannes Fridericus II.* ingentem calamitatem suo sibi jumento accersivit: cum enim *Wilhelmum Grumbachium* cum gregalibus, ob parricidium in Episcopo Herbipolitano perpetratum, turbasque in Imperio datas, aqua & igni prohibitum, in clientelam suam, ne quicquam dehortantibus consanguineis, suscepisset, ipse quoque à Maximiliano II. Imp. proscriptus, atque executio Augusto Electori demandata

est;

est; à quo in Castro Grimmensteinensi oppugnatus, omnique commeatu intercluſus deditionem facere coactus fuit: Viennam verò abductus, priùs è vita migravit, quàm è custodia, in qua post annum octavum ac decimum, qui superioris seculi quintus & nongentesimus erat, spiritum posuit. *Grimmensteinium* evertere ac solo æquare jussit Imperator, provincias verò proscripti *Johanni Wilhelmo* ejus fratri, qui cum Augusto arma exequendo Cæsareo mandato sociaverat, contulit; postea tamen, intercessione Electorum Palatini & Saxonis, permotus, illius filiis *Johanni Casimiro* & *Johanni Ernesto* restituit.

9. Incidit in illa tempora periodus fatalis familiæ *Hennenbergicæ*, quam *Georgius Ernestus* cum vita anno 1583. finivit; ejus successio non ad *Hassiacos* tantùm, sed & ad *Saxones*, ex *pacto hereditario* inter Johannis Friderici I. filios & Hennenbergicos Principes anno 1554. sancito, atque à Carolo V. confirmato, spectabat. Quamvis verò *Albertinæ lineæ* pacto illo non comprehenderetur, nihilo tamen secius *Augustus Elector* pro impensis in bellum Gothanum factis, partem redituum, eam scilicet, quæ ad filios *Johannis Friderici* proscripti pertinebat, prætendit atque obtinuit; ita ut illa Principatus Hennenbergici portio, quæ ad Saxones devenit,

Conr. ad Lamp. part. 3. c. 1. §. 13.

non *Vinarienſi* ſolùm *lineæ*, ſed & *Electorali* ſubdita eſſet, *Auguſto* ejusque poſteris *quincuncem* ſive $\frac{5}{12}$, *Vinarienſibus* & *Altenburgicis ſeptuncem* ſive *ſeptem duodecimas partes* è reditibus percipientibus. Duravit hæc communio usque ad annum circiter 1658. quo poſteaquàm *Johannes Georgius* I. Elector per ſupremas tabulas ſuam ex Hennenbergicis ditionibus portionem, filio *Mauritio* aſſignavit, quadrifariam illæ, partitione inſtituta, diſtractæ, & tum *Mauritio*, tum *Altenburgenſi*, *Vinarienſi* & *Gothano* ramo ſingillatim ſuæ portiones attributæ ſunt.

10. Poſtquam *Johannes Caſimirus* & *Johannes Erneſtus*, *Johannis Friderici II.* filii, extrema ætate confecti naturæ conceſſiſſent, nulla prole relicta, ſucceſſere in eorum ditionem ſobrini Altenburgici & Vinarienſes, *Johannis Wilhelmi* nepotes. Huic enim duo fuére gnati, *Fridericus Wilhelmus* & *Johannes*: quorum hic *Vinariam* & alia in diviſione ditionum paternarum nactus *Vinarienſem ramum*, qui nunc quoque viret ac floret, proſevit: ille *Altenburgicam* ditionem ſortitus ramo, quem condidit, nomen exinde dedit, qui noſtra ætate exaruit: Quamvis enim *Fridericus Wilhelmus* I. plures reliquerit filios, qui ad juſtam ætatem pervenere, & matrimonia contraxere, ſolus tamen *Fridericus Wilhelmus* II. maſculos è ſecunda conjuge

Magda-

Magdalena Sibylla agnata ex Electorali domo, genuit, quorum quidem majorem natu *Christianum*, d. 5. Jun. anno 1663. acerbo funere mersum ipsemet extulit, alterum verò *Fridericum Wilhelmum III.* anno 1669. d. 22. April. moriens superstitem reliquit, verùm hunc etiam, magnæ spei multarumque virtutum adolescentem, triennio nondum elapso, nempe d. 14. Apr. anni 1672. mors fato propera abstulit, cernente ejus hæreditatem *Ernesto Gothano*, uti mox dicetur. Sororem habuit unicam, quæ nunc etiam aura vitali vescitur, nempe

Iohannam Magdalenam, natam d. 14. Jan. anni 1656. atque anno 1671. d. 25. Oct. *Johanni Adolpho* agnato Querfurdensi nuptui collocatam.

11. *Amita* ejus *Dorothea*, quæ marito *Alberto* patrueli *Isenacensi* triginta & amplius annos superfuit, emortualem habuit diem 10. Aprilis anni 1675.

12. *Iohannes*, quem *ramum Vinarienſem* condidisse dictum est, præter complures alios utriusque sexus liberos, quatuor præcipuè habuit filios: *Wilhelmum*, *Albertum*, *Ernestum* & *Bernhardum*. Ex his *Albertus Isenaci* habitavit, *Dorotheam* patruelem modò memoratam in conjugio habuit, & d. 20. Dec. anno 1644. ἄπαις decessit. *Bernhardus* fama nominis sui omnem terrarum or-

bem implevit, & belli gloria ac virtute priscorum Heroas longè post se reliquit; cujus vitæ curriculum resque gestas brevi stylo, sed eleganti, ut omnia, recensuit Vir in studiis doctrinarum omnium præcellens *Spenerus* in *Sylloge Genealogico-Historica*. Verùm enim verò cùm dignus esset, qui longissimè viveret, in medio flore ætatis, virtutis ac felicitatis seu fatalem, seu conflatam insidiis, quarum infamiam autorum potentia oppressit, ut aliqui suspicantur, mortem obiit $\frac{8}{18}$ Julii anni 1639. Laudes ejus nemo ornatiùs expressisse, consiliorumque rationes sagaciùs investigasse mihi videtur *Johanne le Laboureur*, Regis Galliæ, dum viveret, Historiographo, in eleganti *de vita ac rebus gestis Marescalli de Guebriant commentario*; qui liber, cum paucorum fortassis Germanorum manibus teratur, placet ea apponere: *Ainsi mourut (de peste le 18. Juill. à six heures du matin) Bernard de Saxe Duc de Weimar, Prince sans contredit des plus illustres & des plus excellens, que l'Alemagne ait vû naistre de puis plusieurs siecles, comparable aux plus grands hmomes de l'Antiquité pour sa valeur & pour l'experience des armes, & pour tout dire le veritable exemplaire d'un Heros par fait. Il estoit sage, moderé, chaste, temperant, constant, patient, debonnaire, clement, genereux, bienfaisant & reconnoissant. Il estoit docte, bien verse-*

pag. 368, & seqq.

Histoire du Mareschal de Guebr p. 127.

verse dans l' Histoire, & avoit l'intelligence de plusieurs Langues. Il avoit en grande recommendation le service de sa patrie, & la dignité de l' Empire, c'est pour sa liberté, qu' il a combattu d' abord, plutost que pour sa propre querelle, ny pour la juste aversion, qu il avoit pour la maison d' Austriche, qui avoit privé la branche aisnée de la maison de Saxe, dont il estoit, du Duché & de l' Electorat. Cette destitution fut moins la cause de la guerre qu' il luy a faite, que le desir de voir le retablissement de l' Alemagne dans ses premieres loix & en ses anciennes franchises, & les suffrages des Electeurs libres pour empecher que l' Empire ne fust converti en un estat Monarchique hereditaire. Il est vray, que la conqueste de Brisac luy eleva un peu le cœur, & qu' il fut tenté de se servir de sa bonne fortune, pour un etablissement digne de sa reputation & de sa naissance. C'est pour quoy il avoit de la peine à se dessaisir de cette place, & comme il pensoit quelque fois aux moyens de s'y maintenir, il ne rejetta pas tout à fait celuy de faire un tiers party en Alemagne, pour en chasser les Etrangers; parce que pour cela il falloit rompre avec la France & qu' il n'estoit pas en grande intelligence avec les Svedois, qui avoient jalousie du traitté, qu' il avoit fait avec nous. Banier découvrit en fin, qu' il pensoit à se rendre chef d' un party independant en Alemagne, s'il ne s' accomodoit avec nous, & que la mort du

Landgrave de Hesse luy avoit fait jetter les yeux sur l' occasion, qui se presentoit de faire un mariage avec sa veufve, lors Regente de son Estat, & qui estoit entrée en traitte de neutralité avec l'Empire. Les propositions en estoient bien avancées, & le contract de cette alliance tout militaire: car elle luy apportoit en dot vingt mille hommes, qu' elle avoit sur pied, tant en armes, qu' en garnison. Luy de sa part faisoit de grandes levées & se devoit servir de l' argent de France à méme fin; mais on pretendoit les joindre avec le corps Francois, & que le Comte de Guebriant le commanderoit. Ainsi il esperoit estre un autre Roy de Suede en Alemagne, & peut estre plus considéré que luy, en faveur de la nation, n'ayant pour pretexte, que la liberté de l'Empire, a laquelle il paroistroit plus interessé. Il songea à s' etablir premierement en Thuringe pour estre sa Patrie & pour estre plus prez de l'assistance de Hesse, & pour faire éclorre son projet au milieu de l'Alemagne. Ce fut le sujet qui le porta à deputer un des siens vers Banier, & luy écrivit des lettres fort civiles pour gagner son amitié, & ne se soucia guéres de commettre la France, pour s'excuser du peu de diversion, qu'il avoit fait. Il ne feignit pas méme d'en paroistre mal content & de dire qu' à l' advenir il ne feroit fondement que sur les forces Alemandes, qu' il vouloit lever dans le pais de Franconie & de la haute Hesse, afin de se renoüer avec

avec la Suede. Pour cela il luy demandoit les quartiers de Thuringe & la Ville d' Erfort, mais Banier respondit à cela fort froidement. Le Sieur de Beauregard lors Resident pour le Roy en l' Armée du Maréchal Banier donna advis à la Cour de France de toutte cette intrigue de la conduite & des desseins du Duc de Weimar, dont on penſera comme on voudra, mais l' entrepriſe estoit grande & assez bien projettée pour reüssir, ſi la mort ne l' eut ſurpris; ou ſi la France ne l' eut enfin gagné, il y avoit encor apparence, veu que l' on estoit reſolu de luy tout accorder pour le conſerver.

13. Sed ut coredam, unde me Clariſſimi atque Eminentiſſimi Herois mentio abduxit, à *VVilhelmo* ac *Erneſto* ejus fratribus *duo rami* orti ſunt, *Vinarienſis* & *Gothanus*; illum *VVilhelmus* condidit, Princeps non belli minùs quàm pacis artibus ornatiſſimus, qui fratre majore natu *Johanne Erneſto* præmatura morte extincto, voluntate reliquorum fratrum, inter quos convenerat, ut regimen ſemper penes illum, qui cæteros ætate antecederet, nulla prærogativæ linearum ratione habita, eſſet, gubernacula ſuſcepit, atqua anno 1662. vitam cum morte commutavit, poſtquam è conjuge *Eleonora Dorothea Anhaltina* anno 1664. defuncta plures procreaſſet liberos; è quibus *Wilhelmus*, *Johannes Wilhelmus*, *Wilhelmina Eleonora* & *Fride-*

ricus

vicus patris fata præverterunt, *Dorothea Maria Mauritio* Agnato & Administratori Naumburgensi anno 1656. nupsit, & d. 11. Jul. anni 1675. vitæ sortem dereliquit: *Adolphus Wilhelmus* apud Suecos stipendia meruit, postea *Isenacum* habitationi suæ fortitus ad conjugium animum applicuit, & nuptiis sibi anno 1663. d. 18. Januar. junxit *Mariam Elisabetham Augusti Ducis Brunsuicensis* filiam, verùm post sexennium, anno nempe 1668. d. 21. Nov. præmaturè vitâ caruit, cum aliquot quidem liberos, sed βραχυβίους procreasset, hoc ordine: I. *Carolum Augustum* n. 31. Jan. 1664. †. 14. Febr. 1665. II. *Fridericum Wilhelmum* n. 2. Febr. †. 5. Maji 1665. III. *Adolphum Wilhelmum* n. & †. 1666. IV. *Ernestum Augustum Erdmannum* n. 1667. †. 1668. V. *Wilhelmum Augustum* posthumum n. 22. Nov. 1668. †. 1671. A reliquis tribus Wilhelmi filiis totidem prognati sunt palmites, qui hodiè quoque virent ac germinant, à *Iohanne Ernesto* natu majore Vinariensis in specie sic dictus, à *Iohanne Georgio* Isenacensis & à *Bernhardo* Jenensis.

14. JOHANNES ERNESTUS *Dux Saxoniæ, Iuliaci, Cliviæ & Montium, Landgravius Thuringiæ, Marchio Misniæ, Comes Marcæ & Ravensbergæ, Dominus Ra-*

ven-

wenſteinÿ, lucem vitalem aſpexit d. 11. Sept. anno 1627. Sedem habet *Vinariæ*, in arce *Hornſtein* quondam dicta, poſtquam verò ab ejus Parente *Wilhelmo* reſtaurata atque exornata eſt, *Wilhelmsburg* appellata. Ex *Altenburgenſi hæreditate* ipſe & fratres quartam, per amicam transactionem cum patruo *Erneſto* Altenburgi d. 16. Maji, anno 1672. initam, obtinuit; ſpeciatim quinque præfecturas ad Altenburgenſem Principatum pertinentes: *Dornburg*, *Allſtett*, *Roslau*, *Burgel* & *Heusdorf*, cum omnibus ſuis juribus atque appertinentiis; quibus acceſſit præfectura *Freyenberg*, quæ pars Principatus Iſenacenſis eſt, quamque Erneſtus ex hæreditate *Alberti* fratris ad ſe delapſam in ſupplementum quartæ illius, unà cum integro voto Iſenacenſi, cujus antehac particeps erat, Vinarienſibus conceſſit; nec non alia plura in *Receſſu* comprehenſa, quem apud *Gaſtelium* videre eſt. Poſt hæc, eodem adhuc anno *Johannes Erneſtus* cum fratribus quoque ſuis transegit, & ſingulis ſuas ditiones, ſupremumque in iis regimen, communione, qua hactenus uſi fuerant, ſublata, attribuit. Contraxit matrimonium an. 1656. d. 14. Aug. cum *Chriſtina Eliſabetha*, *Joh. Chriſtiani Ducis Holſato-Sunderburgici* & *Annæ Oldenburgicæ* filia, quæ anno 1679. d. 7. Jun. vivere deſiit, poſtquam liberos quinque marito peperiſſet, hoc ordine: I. *An-*

Tract. de St. Europ. p. 598.

I. *Annam Dorotheam* n. 12. Nov. 1657.
II. *VVilhelminam Christinam* n. 26. Nov. 1658.
III. *Eleonoram Sophiam* n. 22. Mart. 1660.
IV. *VVilhelmum Ernestum* n. 19. Octobr. 1661.
V. *Ioh. Ernestum* n. 22. Jun. 1664.

25. JOHANNES GEORGIUS *Dux Saxoniæ* &c. *Marcsulensi* sede gaudet, quamvis post fratris *Adolphi Wilhelmi* mortem etiam *Isenacum* (quo nomine nunc dignosci solet) acceperit; natus est anno 1634. d. 11. Jul. atque anno 1661. nuptias celebravit cum *Johannetta*, *Ernesti Comitis Sayna* ac *Ludovicæ Julianæ Erpacensis* filia, *Johannis Landgravij Hassiæ* vidua; quæ unà cum sorore *Manderscheidia* hæreditati Comitatus *Saynæ*, gravi patruorum detrimento, manus injecit, & pro sua portione *Altenkirchen* cum annexa præfectura aliisque prædiis sortita est. Prolis, qua familiam auxit, nomina hæc sunt:

I. *Eleonora Erdmuthis Luisa*, maximè formæ venustate nota, quæ anno 1662. d. 13. April. in lucem suscepta, d. 4. Nov. 1681. mulier facta est ex viro *Johanne Friderico Marchione Brandenburgico in Onolzbach.*
II. *Fridericus Augustus* n. 29. Oct. 1663. †
III. *Iohannes Georgius* n. 24. Jul. 1665.

IV.

IV. *Maximilianus Heinricus & Iohannes Wilhelmus* gemelli n. 17. Oct. 1666. è quibus *prior* d. 22. Jul. 1668. extinctus est, *alter* superat.

V. *Luisa* n. 18. Apr. 1668. †. 1669.

VI. *Friderica Elisabetha* n. 5. Maji 1669.

VII. *Ernestus Gustavus* n. & †. 1672.

16. BERNHARDUS in divisione ditionum *Jenam* nactus, palmiti quem profevit nomen inde dedit, & anno 1678. d. 3. Maji vitâ excessit, postquam è conjuge *Maria Tremollia, Heinrici Ducis Thuarsii* in Gallis & *Mariæ Turriæ* filia, quæ anno 1662. d. 18. Jul. ipsi in manum convenit, & quadriennio tantùm superfuit, (obiit enim d. 24. Aug. 1682.) quatuor procreasset liberos, tres mares filiamque unicam; è quibus ætate priores, nempe *Wilhelmum* n. 24. Jul. 1664. & *Bernhardum* n. 18. Nov. 1667. fatum præcepit illum anno 1666. hunc anno 1668. superstitibus filio cum filia; illius nomen est

JOHANNES WILHELMUS *Dux Saxoniæ* &c. n. d. 28. Mart. 1675. qui sub patruorum tutela in spem familiæ adolescit.

Charlotta Maria, ejus soror, natalem diem habuit 15. Dec. anni 1669.

17. *Scutum* Ducum Saxoniæ Vinariensis lineæ, quinquies transversim & bis perpendiculariter secatur, atque octodecim areolis com-

componitur: 1. *leonem* Thuringicum, 2. *sceptra* Clivensia, 3. *leonem* Misnicum *continent*: 4. eademque prima secundi ordinis *leonem* Juliacensem *defert*: 5. *peltæ figuram habens & per tertium ordinem protensa, quarti etiam mediam regionem cuspide sua attingens*, tesseram gentilitiam Saxonicam *tanias scilicet cum serto rutaceo repræsentat*: 6. *leonem* Bergensem *exhibet*: 7. & tertii ordinis prima *aquilam* Palatinatus Saxoniæ *indicem refert*: 8. parma gentilitia *impletur*; 9. *aquilam* Palatinatus Thuringiæ symbolum *continet*: 10. quartam strigam orditur, & *leonem* Orlamundensem *exhibet*: 11. *palos* Landtbergenses, 12. *leonem* Pleisensem *repræsentant*. 13. quintum ordinem inchoat, & *rosam* Altenburgensem *defert*: 14. *fascias* Eisenbergias, 15. Brenense δᾶγμα *continent*: 16. ultimi ordinis prima *fasciam tessellatam* Murcanam *exhibet*: 17. *tota rubet*, regalibus *notandis*, 18. *cantherios* Ravenspergios *defert*. *Cuspis scuti bipertita priore sectione rubea columnam* Römhildensem, *posteriore aurea gallinam* Hennenbergicam *continet*. *Cassides* hunc clypeum *sex* premunt: *prima* Clivensis, *secunda* Thuringica, *tertia* Saxonica, *quarta* Misnica, *quinta* Juliacensis, *sexta denique* Bergensis, *quas singulas suprà delineavimus*. Notandum verò *Johannem Georgium* Ducem scutum avitum *quatuor lateculis* auxisse, qui-

quibus insignia *Sayno-Witgensteinia* repræsentantur; ea quoniam alio loco descripturi sumus, hic recensere supersedemus.

18. *Gothani rami*, ad quem nunc sermo deflectit, sator *Ernestus* extitit; hic omnibus quotquot unquam vixere Principibus, vera laude probitatis, religionis, prudentiæ politicæ atque industriæ Oeconomicæ palmam rapuit, & locum fecit veritati promissi Divini: *quærentibus ante omnia regnum DEI ac ejus justitiam reliqua cuncta adjectum iri*; cùm enim pietatis studium antiquissimum haberet, affluentiam etiam cœlestis benedictionis largiter expertus est; quæ, ut alia multa transeam, in eo potissimùm se prodidit, quod ævi longioris vitam Supremi Numinis beneficio sortitus, *Friderico Wilhelmo*, Altenburgensis rami postremo surculo, patruelis sui filio superstes fuit; quo factum, ut ipse, exclusis fratris sui *Wilhelmi* filiis, utpote agnationis uno gradu se remotioribus, opulentam illam hæreditatem, quæ duos Principatus *Altenburgensem* & *Coburgensem* complectebatur, ex asse creverit; etiamsi, quod liberalem & concordiæ studiosum Principem, qualis planè erat, decebat, de jure suo nonnihil decederet, atque suis è fratre nepotibus, aliquam ex ista hæreditate partem, quartam nempe assignaret, sicut paulò ante dictum est. Reddidit animam cœ-

lestem cœlo d. 26. Mart. anno 1675. relicta vidua *Elisabetha Sophia*, quæ *Joh. Philippi* patruelis sui ex *Altenburgensi* linea filia unica erat; & demum anno 1680. d. 25. Dec. Seculo exivit. *Sobolem* ex eo numerosam genuit, *octo* enim *& decem* omnino fuere utriusque sexus liberi, quorum tamen medietatem ad superos præmisit; hos inter in *tabula Rittershusiana* deficiunt *Johannes Philippus* n. 16. Nov. 1661. †. 13. Mart. 1662. & *Sophia Elisabetha* n. 19. †. 23. Maji 1663. *Johanna Elisabetha* natalem diem habuit secundam Septembris anni ejusdem, quo extincta est nempe 1660. Superstites summa cura à Pio Parente educatos, optimisque artibus, quæ Viris Principibus præsidio atque ornamento esse possunt imbutos, præsens ætas miratur, familiam inter eos ducit:

19. FRIDERICUS *Dux Saxoniæ, Juliaci, Cliviæ & Montium, Landgravius Thuringiæ, Marchio Misniæ, Princeps Comes Hennenbergæ, Comes Marcæ & Ravensbergæ, Dominus in Ravenstein & Thonna*, prodiit in lucem d. 15. Jul. anno 1646. Sedem habet in arce Gothana *Friedenstein*, quam Pius parens eo loco, quo Grimmensteinensis olim posita erat, exstruxit. Dynastiam *Thonna* à *Christiano Ludovico Comite Waldeccio* pretio acquisivit. A fratribus ad divi-

divisionem ditionum, supremæ parentis dispositioni adversam, perduci sese est passus, quæ posteà contentionibus materiem præbuit, nondum sopitis, sed potius, uti rumor fert, recrudescentibus. Nuptias bis celebravit, primas anno 1669. die 19. Augusti cum *Magdalena Sibylla, Augusti Ducis Saxoniæ & Administratoris Hallensis* filia; quæ postquàm egregia prole parentem eum fecisset d. 20. Jan. anno 1681. præmaturè vitâ excessit: itaque ut sobolis educationi consuleret, eodem adhuc anno ad secunda vota transiit cum *Christina, Friderici Marchionis Badensis* filia, *Alberti Marchionis Brandenburgo-Onoldini* vidua, eamque d. 14. Aug. prævia Sacerdotali benedictione, in civitate Onoldinensi sibi copulavit. *Liberorum*, qui è *priore thalamo* provenere, hæc est series:

I. *Anna Sophia* n. 22. Dec. 1670.
II. *Magdalena Sibylla* n. 30. Sept. 1671. †. 2. Mart. 1673.
III. *Dorothea Maria* n. 22. Jan. 1674.
IV. *Friderica* n. 24. Mart. 1675.
V. *Fridericus* n. 28. Jul. 1676.
VI. *Ioh. Wilhelmus* n. 4. Oct. 1677.
VII. *Elisabetha* n. 7. Febr. 1679. †. 22. Jun. 1680.
VIII. *Iohanna* n. 1. Oct. 1680.

20. ALBERTUS *Dux Saxoniæ* &c. proximus

ximus à Friderico nascendi ordine *Coburgum* incolit, vitæ humanæ scenam ingressus d. 24. Maj. anno 1648. Habet in conjugio *Mariam Elisabetham Brunsvicensem*, viduam *Adolphi Wilhelmi* patruelis, ductam d. 18. Jul. anno 1676. quæ ei filium peperit *Ernestum Augustum* n. 1. Sept. 1677. sed anni sequentis die 17. Aug. iterum denatum.

21. BERNHARDUS *Dux Saxoniæ &c. Mainungen* ad *Werram* in Comitatu Hennenbergico sortitus est, ibique domicilium fixit; auram vitalem hausit d. 15. Sept. anno 1649. atque anno 1671. d. 20. Nov. primo matrimonio sibi sociavit *Mariam Hedvvigen, Georgii II. Landgravii Hassiæ in Darmstad & Sophiæ Eleonoræ Saxonicæ* filiam, quæ post enixos aliquot liberos anno 1680. d. 19. April. naturæ modum explevit. Sequenti anno ineunte *Gvelpherbyti* secundùm duxit *Elisabetham Eleonoram*, *Antonii Ulrici Ducis Brunsvic.* ex *Elisabetha Juliana Holsata* filiam, *Johannis Georgii Ducis Meklenburgensis* viduam. E *priore thoro* prodierunt:

I. *Ernestus Ludovicus* n. 7. Oct. 1672.

II. *Bernhardus* n. 28. Oct. 1673.

III. *Iohannes Ernestus* n. 29. Dec. 1674. †. 8. Febr. 1675.

IV. *Maria Elisabetha* n. 11. Aug. †. 22. Dec. 1676.

V. *Jo-*

V. *Iohannes Georgius* n. 3. Oct. 1677. †. 10. Oct. 1678.

VI. *Fridericus Wilhelmus* n. 16. Februar. 1679.

E posteriore thalamo provenit

Elisabetha Ernesta Antonia a. 1681. d. 3. Dec. nata.

22. HEINRICUS *Dux Saxoniæ* &c. *Rombildium* Comitatus Hennebergici oppidum incolit; natus est d. 19. Nov. anno 1650. atque anno 1676. Calendis Martii thori sociam ascivit *Mariam Elisabetham Ludovici Landgravii Hassiæ in Darmstad* & *Mariæ Elisabethæ Holsatæ* filiam; prole verò destituitur.

23. CHRISTIANUS *Dux Saxoniæ* &c. *Eisenbergæ* (quod oppidum est haud procul Jenâ dissitum, suosque olim Comites habuit) habitat; lucem vitalem aspexit d. 6. Jan. anno 1653. Primis nuptiis duxit anno 1677. d. 13. Febr. *Christinam, Christiani Ducis Saxoniæ* & *Administratoris Morsehurgensis* filiam; quæ, post enixam filiolam, morbo oppressa vitam amisit d. 13. Mart. 1679. Secundis nuptiis sibi junxit d. 8. Febr. anno 1681. *Sophiam Mariam, Ludovici Landgravii Hasso-Darmstadiensis* filiam. *Prioris thori* filia nomen habet

Christiana, nataque est d. 4. Mart. 1679.

24. ERNESTUS *Dux Saxoniæ* &c. *Eisfeldiam* in confiniis Thuringiæ & Franconiæ sitam nactus est; vivere cœpit anno 1655. d. 12. Jul. Uxorem habet *Henriettam Sophiam, Georgij Friderici, Comitis Waldeccensis* filiam, *Elisabetha Carola Nassovia* natam; quam in castro Waldeccensi *Arolsen* sollemni nuptu d. 10. Febr. 1680. duxit, & prole hactenus auctus est, videlicet

I. *Ernesto Friderico* n. 21. Aug. 1681.

II. *Sophia Carola* n. 23. Dec. 1682.

25. JOHANNES ERNESTUS *Dux Saxoniæ* &c. postremo è Friderici fratribus, *Salfeldiam* incolit, natus an. 1658. d. 22. Aug. consors ei est *Sophia Hedvvigis, Christiani Ducis Saxo-Morseburgensis* & *Christinæ Holsatæ* filia; quam d. 10. Febr. anno 1680. sibi copulavit, & ex ea suscepit

I. *Christinam Sophiam* n. 14. Jul. 1681.

II. *Anonymam* 5. Maji 1682.

III. *Christianum Ernestum* n. 18. August. 1683.

26. Sorores Principum modò enumeratorum, duæ superstant:

Elisabetha Dorothea, n. d. 3. Januar. anno 1640. quæ *Ludovico Landgravio Hassiæ in Darmstad*, priore uxore orbato, in manum anno 1666. d. 5. Dec. convenit, nunc-que vidua est.

Doro-

Dorothea Maria n. d. 12. Febr. 1654, innupta vivit.

27. *Scutum*, quo Duces Saxoniæ lineæ Gothanæ uti solent, simile est illi, quod Vinarienses gestant; nisi quod Fridericus *novum laterculum* Thonnensem, *cæruleum* nempe, *cui leo argenteus impressus*, inseruit.

28. Cæterum gaudet tota linea Ernestina *quintuplici voto* in Comitiis Imperii, *Vinarienses* quidem *duo* obtinent respectu *Vinariæ* atque *Isenaci*; *Gothani* autem *tria*, ob *Gothanum*, *Altenburgicum* & *Coburgicum* Principatum. Comprehenduntur primariò sub *circulo Saxonico superiore*, ob *Hennebergicas* tamen ditiones *Franconici* etiam circuli Ordinibus accensentur.

CAP. III.

DE MARCHIONIBUS BRANDENBURGICIS.

COmitum Zolleranorum, à quibus familiam Marchionum Brandenburgicorum descendere in confesso est, incunabula multi acris ingenii Viri hactenus sedulò investigarunt; nemo tamen è tenebris, quibus occultata & circumfusa sunt, in lucem extraxit. Alii ea in Germania, alii in Italia quæsiverunt. Hi à *Columnis*, Romanis Prin-

cipibus gentem deducere amant, quos ridiculi erroris palam postulavit *Bucelinus*; illos ipsos verò *Columnios* à Germanica *Guelphorum* stirpe nonnulli majore conatu quàm veritate arcesserunt, quorum in numero *Reinerus Reineccius* extitit. *Bucelinus*, quem dixi, ad *Comites Altorfenses* originem familiæ refert, atque *Isenbardo Principi Alemanniæ*, *Comiti Altorfensi & Ravenspergensi*, præter *Guelphum*, stirpis Guelphicæ autorem, alium etiam tribuit filium *Thassilonem*, quem *Comitem Hachinganum* vocat & *Zolleranorum conditorem* fuisse statuit. Verum nec id satis liquidò compertum esse *Rentschius* in *commentario de familia Brandenburgica* pronuper lingua vernacula evulgato ostendit. Fuerunt insuper, qui Thassilonem à *Guntramo* nescio quo Francorum Rege prognatum esse tradiderunt, cujus sententiæ autor *Basilius Heroldus*, Historiographus Cæsareus, à præfato Rentschio memoratur ac refellitur. Undecunq; autem ortus fuerit *Thassilo*, eum stirpis Zolleranæ fatorem cum plerisque ipse *Rentschius* agnoscit: vixisse ille perhibetur Caroli M. ævo, repertaque est ejus memoria in Calendario Inferiali cœnobii *Murath*, ubi verbis expressis *Comes Zolleranus & Hachinganus* vocitatur. Ei surrogare solent *Danckonem*, Comitem Zolleranum, *Margaritæ Comitissæ de Silli* maritum; huic

Germ. not. Geneal. p. 57.

Orig. Brand. p. 24. & seq.

Brandenb. Cederhain p. 31. & seq.

P. 37. & seq.

Ibid. p. 270.

huic *Rudolphum*, Heinrici I. Imp. in expeditione Ungarica anno 933. comitem, qui uxorem habuit è familia Comitum Rineccia. Post eum *Ottonis* mentio occurrit, *Ottiliæ Comitissæ de Vehringen* consortis: sequitur *Wolfgangus*, cui conjux tribuitur *Meza C. Nassovia*. Hunc *duo Friderici* excipiunt, quorum prior *Ursulam Comitissam ab Hohenberg*, alter *Sophiam Palatinam Tubingensem* in matrimonio habuisse fertur. Eis succenturiantur *Burcardus*, *Anastasiæ Comitissæ de Rheinfelden* maritus, & *Wezil* fratres; quorum fata *Hermannus Contractus* in Chronico ad annum 1061. his verbis notavit: *Burcardus & Wezil de Zolorin occiduntur*. Succedit *Fridericus*, *Mauto* cognominatus, cui *Adelheidis Comitissa à Kiburg* thori socia fuit. Post hunc ordo tangit *Rudolphum*, à quo *tabulam Genealogicam*, quam publici juris feci orditus sum, quemque sæpe memorati *Rentschii* vestigiis insistens, duorum filiorum ex *Agnete Baronissa de Gundelfingen* parentem constitui, nempe *Friderici* Zolleranorum Comitum, nunc Principum, soceris, & *Conradi*.

2. *Conradum primum* suæ gentis *Burggravium Noribergensem* fuisse è priscis familiæ documentis atque Historicorum scriptis colligere licet; habuit is conjugem è stirpe Comitum de *Vohburg*, penes quos Burggraviatus ille aliquandiu fuit, & fortasse hoc

connubio ad Zolleranos devenit. Filium ei tribuunt *cognominem*, nepotes duos *Conradum* ac *Fridericum*; horum memoria extat in autographo privilegiorum, quibus Hailbrunnense cœnobium exornarunt, hac, *Rentschio* teste, sigillis, quibus munitum est, epigraphe impressa: *S. Conradi Burggravij de Nurnberg & Comitis in Solze, & S. Burggravij Friderici de Nurnberg & de Abinberg.* Conradus affinitate cum Rudolpho I. Imp. junctus fuisse, ejusque sororem *Clementiam* in matrimonio habuisse traditur, è qua *Fridericum* sustulit; cui Imperator avunculus Burggraviatum Noribergensem *nova investitura* anno 1273. confirmatiorem reddidit. Diploma hujus investiturae *Limnæus* exhibuit, è quo, quæ Burggraviatus fuerit conditio, quid cum eo Imperator Friderico concesserit, quid minus, utrum mero Imperio ac territoriali jurisdictione stipatus fuerit, an secus, quisquis, cui à partibus liber animus est, facilè intelliget. Accepit de cætero *Fridericus* ab uxore *Elisabetha Merania*, postquam *Otto* ejus frater anno 1248. vitam genusque finivit, *Beruthum* & *Cadelsburgum* cum aliis ad *Salam* & *Mœnum* tractibus, nec non jus in *Burgundiam*, quod posteà *Hugoni Comiti Burgundico* vendidit. *Friderico IV.* ejus filio Ludovicus Imp. anno 1323. oppidum *Hof* in Voitlan-

Op. cit. p. 284.

V. Limn. I. P. l. 5. c. 7. §. 3.

Addit. ad I. P. T. IV. p. 745.

Hund. Bayr. Stamb. p. 38. & 84.

landia, ad sacrum pertinens Imperium, cum jure patronatus & cæteris jurisdictionibus in feudum perpetuum contulit: ipse verò ab *Oetingensibus*, *Castellanis*, *Hohenloicis* & *Heideccius* plurima emit, inprimis ab Oetingensibus *Onoldsbacum*. *Johannes* ejus filius *Culmbacum*, *Blassenburgum* ab *Orlamundanis Comitibus* pretio acquisivit, aliaque plura; quorum nec non omnium ditionum, quibus processu temporum variis titulis Burggravii aucti sunt, & Principatus, quem nunc Brandenburgici Marchiones in Franconia tenent, conflatus fuit, catalogum prolixum *Limnæus* recensuit. *I. P. l. 5. c. 7.*

3. *Johannis* è filio *Friderico V.* nepos *Fridericus VI.* ad altiorem fortunam familiam perduxit, eique *Marchiam Brandenburgicam* atque *Electoralé axioma* intulit, de qua re *superius* actum est: quoniam verò non *Lib. 2. c. 8.* mediocri pecuniæ summa ad id opus habebat, *vendidit* Senatui Populoque Noribergensi anno 1427. *Burggraviatum, cum omnibus juribus atque appertinentiis*, ita tamen ut sibi posterisque reservaret *titulum, feuda tam Ecclesiastica quàm Politica, jus venandi & conducendi extra civitatem* (den Titul/die Lehen/ den Wildpahn und das Glait) quibus perperam alia Regalia *Limnæum* aggregasse Noribergenses asseverant; quippe quæ nulla unquam

quam Burggravii, *qua tales*, habuerint, sed quæ omnia curiæ ac castro Imperiali, cujus illi tantùm *Ministeriales & portæ unius custodes* existebant, annexa, atque ab Advocatis Provincialibus, qui tanquam Imperatorum Vicarii illic degebant, nomine Cæsareo exercita fuerint, & demum post Caroli IV. tempora cùm Imperatores curiam Noribergensem frequentare & sollemne hoc Imperii castrum incolere, aut saltem Advocatos constituere desiissent, cum ipso castro civitati, Cæsarum beneficio, tradita atque incorporata sint.

4. Reliquit *Fridericus primus Elector*, postquam anno 1440. mortalitatem exuit, quatuor præcipuè filios, è quibus primus atque ultimus, nimirum *Johannes Alchymista* dictus, & *Fridericus Pinguis* cognominatus, absque masculâ prole decesserunt, pari modo ac *Fridericus* secundo genitus, quem parens *hæredem Electoratus*, bona primogenitui pace, constituit: quare, eo anno 1471. mortuo, *Albertus* tertius nascendi sorte Marchiam cum avitis ditionibus iterum conjunxit: quod antequam contingeret, Franconicas provincias à patre sibi assignatas rexit, bellicosus cæteroquin Princeps, & manu strenuus & bonus consilio; unde illi cognomentum *Achilles Germanicus* fuit. Gravis autem vicinis civitatibus extitit, ac præcipuè

cipuè Noribergæ; quam licet aliarum urbium Germaniæ superioris fœdere subnixam, acri bello, tractis in partes suas septendecim Principibus, graviter afflixit. Postea Electoratu per fratris fata auctus bellum ab isto cum *Bogislao X. Pomeraniæ Duce* ob *Stetinensem Ducatum* (cujus, tanquam feudi morte Ottonis Ducis vacuefacti, investituram, agnatis quidem Pomeranicis contradicentibus, à Friderico Imperatore obtinuerat) cœptum continuavit, tandemque transactione finivit, qua *titulum atque insignia Ducum Pomeraniæ*, nec non *futuram successionem*, quandocunque mares familiæ Pomeranicæ defecturi essent, sibi posterisque stabilivit. Præterea *confraternitatis cum Saxonica & Hassiaca domo* prima anno 1473. jecit fundamenta, quæ posteà anno 1537. iterum anno 1555. porro anno 1587. ac denique anno 1614. redintegrata & corroborata est: ea verò non tantùm inter hanc inclutarum familiarum trigam *perpetua amicitia ac concordia* jurata, *mutuæque defensionis* leges sancitæ sunt, sed & *mutuæ successionis* pacta constituta, ita ut si quando Hassiacam familiam deficere contingeret, Saxones duas trientes, tertiam Brandenburgici ex ejus hæreditate perciperent; pari modo si Saxones extingui acciderent, duas vicissim trientes cum Electorali dignitate Hassi, residuam partem Bran-

Brandenburgici occuparent; quodsi verò Brandenburgicorum stirps exaresceret, Saxones atque Hassi ejus hæreditatem æquis partibus cernerent.

5. *Albertus Achilles* cum anno 1486. è mortali statione decederet, tres post se reliquit filios, inter quos natu minimus *Sigismundus* anno 1495. ἄχμῳ & supremum diem obiit; unde superstites duo *Iohannes & Fridericus* provincias avitas ita inter se dispertiti sunt, ut ille *Marchiam* cum *Electoratu*, hic *Franconicas* ditiones obtineret. Sed *Friderici* posteritas non ultra tertiam generationem duravit, licet tres ex ejus filiis masculis, uxoribus ductis, sobolem procrearint. Ex his nativitatis ordine priores *Casimirus* ac *Georgius*, cui studium introducendæ & promovendæ Evangelicæ religionis *Pij* cognomen peperit, ditionibus divisis, ille *Culmbaci*, hic *Onoldini* sedem fixit; conjunctim autem multum molestiæ Noribergensibus exhibuerunt, tandemque grandem illis dicam in *Camera Imperiali*, quæ tum *Esslingæ* erat, anno 1526. impegerunt, & eos *turbatæ possessionis meri Imperij*, quod ex capite prætensi Principatus Burggravialis in magnam subditorum Noribergensium partem sibi arrogabant, postularunt: licet verò Noribergenses non tantum actus possessorios antiquio-

quiores, sed & titulos possessionis haud tralatitios, nimirum *investitura Cæsarea, præscriptionis* & *transactionis*, opposuerint, præterea in destruendo Principatu Burggraviali, quem inprimis Brandenburgici extollebant, contraque demonstrando, Burggravios, qua tales, nullum unquam territorium, nedum jurisdictionem territorialem habuisse, plurimùm industriæ posuerint, succubuerunt tamen; lataque est anno 1583. à *Spirensi* judicio sententia pro Marchionibus, eademque in *Revisorio* anno 1587. confirmata, adjecta tamen fuit *clausula salvatoria*, ne id privilegiis civitatis ac petitorio præjudicio ac detrimento esset. Versa igitur vice jam Brandenburgici à Noribergensibus libello *petitorij* anno 1591. in Camera Spirensi oblato, in jus vocati, & hanc litem contestari causamque orare per *sententiam interlocutoriam* anno 1597. compulsi sunt, à quo quidem tempore lis hæc sub judice pendet.

6. Casimiro filius fuit *Albertus*, dictus *Alcibiades Germanicus*, fortassis, quia ad instar Græci illius, *nihil eo fuit excellentius vel in vitiis vel in virtutibus.* Fortitudinis insigne documentum dedit in pugna cum Gallis ad *Pontamussum* anno 1552. commissa, qua solo equitatu stipatus, peditibus ob non soluta stipendia certamen detrectantibus, Gallorum

Corn. Nepos vit. Alcib. c. 1. Sleid. Comment. l. 24. p. 789.

rum numero longè superiorem aciem perrupit, ac in fugam magna strage edita conjecit, ipso eorum Duce Aumalio capto. Verùm cædibus atque incendiis, quibus magnam Germaniæ partem perpopulatus est, famam nominis contaminavit: *Franconiæ* præcipuè *everriculum* fuit, ejusque Episcopos & civitates cum colonis crudelissimè afflixit, Noribergam acri obsidione pressit; pagos oppidaque exussit, vastavit, rapuit, nullum vexationis genus reliqui faciens: unde proscriptus tandem est à Cæsare, & sollemni banno notatus; neque ita multò post omnibus ditionibus exutus, *Pforzheimij* apud Carolum Marchionem Badæ sororium suum, domo, patria, fortunisque carens, exul atque extorris anno 1557. fato perfunctus est. Hæredem ditionum habuit patruelem *Georgium Fridericum*, *Georgij Pij* filium, qui eas ab Episcopis Bambergensi & Herbipolitano nec non Noribergensibus, vi executionis à Cæsare ipsis demandatæ occupatas, interpositione agnatorum & hæreditario fœdere junctorum, recepit; magnamque insuper pecuniæ vim, ob arces destructas, eis extorsit, cujus rei incommodum in Noribergenses maximè recidit, prout fieri solet, quando cum potentioribus tenuiores societatem ineunt. Solvit *Georgius Fridericus* naturæ debitum anno 1603. nulla relicta

licta prole, unde Franconicæ provinciæ Electoralibus denuò conjunctæ sunt: quamvis enim è Friderici posteris supereſſet *Albertus Fridericus*, *Alberti*, (qui *Casimiri* ac *Georgij* frater erat, atque è Supremo Ordinis Teutonici Magistro *Dux Prussiæ hæreditarius*, eo, quo *supra* narratum fuit, modo factus est) filius, attamen quoniam iste Prussiæ Ducatu gaudebat, præterea mentis ægritudine laborabat, & masculâ prole destituebatur, nulla ejus habita est ratio; cumque anno 1618. vivendi finem feciſſet, Prussiæ etiam Ducatus ad Electoralē lineam devenit. *Lib. 2. c. 8.*

7. Hujus autorem *Iohannem* dixi, *Alberti Achillis* filium natu majorem: Is duos habuit filios *Ioachimum* atque *Albertum*, quorum hic, cùm *Archiepiscopus Magdeburgensis* jamdum esset, exemplo inaudito, ut unus duobus Metropolitanis præficeretur, à Leone X. etiam ad *Archiepiscopatum Moguntinum* provectus, atque anno 1518. galero *Cardinalitio* ornatus est. *Joachimus* patris in Electoratu & universis provinciis successor, è filio cognomine avus extitit *Iohannis Georgij*, qui omnium è gente Brandenburgica hodie susterstitum *communis* est *parens*, & superiore seculo ad finem vergente vitam finivit; postquàm è triplici conjugio numerosissimam protreasset sobolem, è qua tres præcipuè mares nobis notandi sunt, *Ioachimus Fridericus*, *Christianus* & *Ioachimus*

chimus Ernestus: horum primus Magdeburgensem Archi-Episcoratum rexit atque in Electoratu patri successit, postea *Georgio Friderico* agnato mortuo, cum fratribus prænominatis ob ditiones Franconicas & Ducatum Jegerndorfensem in Silesia ita transegit, ut illis fratribus concessis, hanc sibi servaret. Inter filios, quos a. 1608. fato suo functus reliquit, tres eximii fuere, *Joh. Sigismundus*, *Joh. Georgius* & *Christianus Wilhelmus*. Hic post patrem Administrator Archiepiscopatus Magdeburgensis factus, deinde ob arma, cum Rege Daniæ adversus Cæsarem sociata, proscriptus, tandemque in expugnatione Magdeburgi captus, ad Pontificiam religionem seductus est, explevitque naturæ modum *Zinnæ*, quod cœnobium est Archidiœceseos Magdeburgensis, ipsis Calendis Januarii, anni 1665. postquam duabus uxoribus *in tabula Rittershusiana* notatis tertiam superinduxisset, *Maximilianam Comitissam Salmæ & Neoburgi ad Oenum*, *Maximiliani Comitis Waldsteini* viduam. *Johannes Georgius* in *Episcopum Argentinensem* à Canonicis Evangelicis lectus, cum bellum inde ortum esset, Episcopatu certis conditionibus cessit, & à patre Ducatum Jegerndorfensem accepit; quo, cùm bello Bohemico se immiscuisset, à Ferdinando II. Cæsare privatus est, obiitque anno 1624. relicto filio *Ernesto*, qui

qui anno 1642. cœlebs decessit. *Johannes Sigismundus* parenti in Electoratu successit, & *Calvinianorum* dogmata anno 1614. amplectens, in doctrina & cerimoniis reformationem instituit, avusque fuit hodierni Sereniſſimi Electoris, de cujus familia superiùs abundè actum est.

8. Hocloco *Franconica linea* recensenda, quæper *Christianum* & *Ioachimum Ernestum*, *Johannis Georgii* Electoris filios natu minores, quibus ditiones illas obtigisse dixi, in duos divisa est ramos: namque *Christianus* cùm *Principatum superiorem* (das Fürſtenthum oberhalb Gebürgs) sortitus esset *Culmbacensem* sive *Beruthinum ramum* profevit: *Joachimus* verò *Ernestus inferiorem Principatum* (das Fürſtenthum unterhalb Gebürgs) nactus *Onoldsbacensem* condidit. *Superior Principatus* ab Egra Bohemiæque limitibus Rotenburgum ad Tubarum usque extenditur, & quinque Capitaneatus (Hauptmanſchafften) complectitur; nempe *Beruthinum*, *Culmbacensem*, *Curiensem sive Hofensem Wonsidliensem* & *Neustatensem ad Ayssum*. Christianus itaque *Beruthi* aulam domiciliumque instituit, atque anno 1655 exacta ætate mortem obiit, relictis duobus filiis, totidemque filiabus; ex his altera *Anna Maria*, *Johanni Antonio*

Principi Eggenbergico elocata fuit, atque anno 1680. d. 8. Maji *Semproniy* sive *Oedinburgi* in Hungaria supremum diem explevit; altera *Magdalena Sibylla* nata d. 27. Oct. anno 1612. & à *Johanne Georgio II. Electore Saxoniæ* anno 1638. in thorum asceita, aura vitali adhuc vescitur.

9. A filiis Christiani *Erdmanno Augusto* & *Georgio Alberto* duo propullularunt palmites, ab illo *Bernthinus*, ab hoc *Culmbacenses*: qui etiam nunc virent. Priorem in præsentia sustinet

CHRISTIANUS ERNESTUS, *Marchio Brandenburgensis, Dux Magdeburgi, Prussiæ, Stetini, Pomeraniæ, Cassubiæ & Vandaliæ, nec non in Silesia Crosnæ & Iegerndorfi, Burggravius Noribergensis, Princeps Halberstadij, Mindæ & Camini*: filius unicus *Erdmanni Augusti*, anno 1651. d. 27. Januarii *Curiæ* in Voitlandia præmaturo fato extincti, & *Sophiæ patruelis* ex *Onoldina* domo anno 1646. d. 23. Nov. defunctæ. Prodiit in dias luminis auras d. 27. Jul. anno 1644. Cùm post peractam longam peregrinationem, ab Electore agnato è tutela emissus ac d. 29. Oct. anni 1661. domum reversus esset, regiminis habenas capessivit: Princeps egregius ac præsenti magnitudine & animi & consilii, multisque fortibus factis in nu-

in nupero adversus Gallos bello, cui inter primos manum operamque commodavit, editis, inclutus. Anno 1664. cum Franconici circuli Ordines Bambergæ ob ingruens bellum Turcicum convenissent, unanimi suffragio *Dux circularis* (Kraiß-Obrister) electus fuit, eodemque adhuc anno illustre *Gymnasium* Beruthi instituit, *Christian-Ernestinum* appellatum. Anno 1668. in Daniam excurrens à Friderico Rege insignibus *Ordinis Regij Elephantiaci* decoratus est: anno 1673. in exercitu Cæsaris *Generalis Excubiarum Præfectus* declaratus, eodem axiomate anno sequenti, etiam ab universo Imperio cohonestari meruit.

10. Matrimonium firmandæ domui bis contraxit, prius statim post susceptum regimen anno scilicet 1661. d. 29. Dec. cujus tamen sollemne sequentis demum anni d. 20. Oct. *Dresdæ* consummavit, cum *Erdmuthi Sophia*, amitina sua, quæ filia erat *Johannis Georgij II. Electoris Saxoniæ è Magdalena Sibylla Brandenburgica* nata, quam nulla ex ea suscepta prole d. 12. Jun. anno 1670. amisit: itaque ad secunda vota transiens d. 29. Jan. anni sequentis splendidissimo officio Beruthum deduxit, ac sacro nuptiarum fœdere sibi copulavit *Sophiam Luisam Eberhardi Ducis Württenbergici & Annæ Catharinæ Rhingraviæ* filiam, quæ pulchra hactenus sobole familiam auxit, hoc ordine:

I. *Christina Eberhardina* n. 19. Dec. 1671.

II. *Eleonora Magdalena* n. 14. Jan. 1673.

III. *Claudia Eleonora Sophia* n. 24. Jun. 1675. †. 1. Febr. 1676.

IV. *Carola Æmilia* n. 25. Maji 1677. †. 5. Febr. 1678.

V. *Georgius Wilhelmus* n. 16. Nov. 1678.

VI. *Carolus Ludovicus* n. 11. Nov. 1679. †. 28. Martii anni 1680.

11. *Culmbacensis* palmes triplici germine nunc floret, enitet inter ea

CHRISTIANUS HEINRICUS *Marchio Brandenburgi Dux Magdeburgi* &c. natus 19. Jul. 1661. patre *Georgio Alberto*, qui d. 16. Sept. 1666. in castro *Schrez* repentina morte oppressus est; matre *Elisabetha Holsata* d. 27. Maji anno 1661. defuncta.

Carolus Augustus, *Marchio Brandenburgi* &c. illius germanus frater natalem diem habuit 18. Mart. anni 1663.

Georgius Albertus, *Marchio Brandenburgi* &c. eorum frater consanguineus, susceptus est in lucem decima hebdomade post Parentis fata, nimirum d. 27. Nov. 1666. à *Sophia Maria Comitissa Solmensi*, quam viduam *Georgij Ernesti L. B. à Schönburg*, Georgius Albertus Marchio Calendis Nov. anni 1665. duxit, quæque adhuc superstes est.

12. Hüic

12. Huic verò Principum trigæ frater erat major natu *Erdmannus Philippus* anno 1659. Calendis Maji genitus, qui bello Gallico militiæ tyrocinium magna fortitudinis laude fecit, atque anno 1677. cum exercitus Cæsareus Galliæ limites Campaniamque invaderet, legionem patruelis, Legati titulo ductavit; postea militiâ solutus, cum peregrinationem in exteras oras animo volveret, ipes amplas, gloriamque illustrem cum ipsa vita posuit: dum enim d. 26. Aug. anni 1678. Beruthi ab Hippodromo equo vectus redit, & arcis Principalis atrium ingreditur, media in aula cum equo prostratus est improviso lapsu, sed adeo gravi, ut post duarum horarum intervallum expiraret, licet, quasi nihil mali è casu contraxisset, scalas adhuc præsenti animo & vultu minimè perturbato ascenderit: ajunt omen fatum Principis antecessisse, visamque esse fœminam albam, ceu vocant, sedili ejus insidentem.

13. Progrediendum nunc est ad *lineam Onoldinam*, cui *inferior Principatus* paret, quatuor præcipuè præfecturas (Oberämpter) complectens; nempe *Onolsbacensem, Schwabacensem, Creilsheimensem & Uffenheimensem*: quibus accensenda est *Kizinga* civitas ad Mœnum sita; ob quam longa atque acris controversia Marchionibus cum Episcopatu Herbipolitano adhuc intercedit, quemadmodum ap. *Limnæum* videre est. *Add. ad I. P. Lib. V. c. 7. §. 72. Tom. IV. p. 821. & Tom. V. p. 380.*

14. *Ioachimus Ernestus*, qui hanc lineam condidit, atque Onoldsbaci, quod oppidum *Regnesis* alluit, aulam sedemque fixit, exercitus ab *Unione Evangelica* ano 1610. conscripti Dux fuit, rem verò non satis ex voto & sententia fœderatorum gessit. Obiit anno 1625. relictis tribus filiis, inter quos *Albertus* ad maturam ætatem pervenit, avitarumque ditionum regimen prudenter ac moderatè administravit, & vita concessit d. 22. Oct. 1667. postquam duabus uxoribus in *tabula Rittershusiana* notatis, tertiam anno 1665. d. 28. Jul. superinduxisset *Christinam*, *Friderici Marchionis Badæ in Durlach* filiam, quæ nunc vivit in conjugio *Friderici Ducis Saxo-Gothani*.

15. Successit Alberto filius natu major, è secunda conjuge *Margarita Sophia Comitissa Oetingensi* anno 1664. d. 26. Jul. mortua natus, is est:

JOHANNES FRIDERICUS, *Marchio Brandenburgi, Dux Magdeburgi, Prussiæ, Stetini, Pomeraniæ, Cassubiæ & Vandaliæ, nec non in Silesia Crosnæ & Iegerndorfi, Burggravius Noribergensis, Princeps Halberstadij, Mindæ & Camini*, editus in lucem d. 8. Oct. anni 1654. Princeps præclara virtute ac forma & mira humanitate præditus, ut ipso aspectu cuivis in-

injiciat venerationem sui, Titi Imperatoris encomio propterea honestatus, atque *amor ac delicia generis humani* meritò dictus. Regimen ditionum anno 1672. (postquam è tutela, quam Serenissimus Elector agnatus gessit, egressus est) suscepit, & anni sequentis d. 26. Januar. primas nuptias *Cadolzburgi* celebravit cum *Johanna Elisabetha Friderici Marchionis Badensis & Christinæ Magdalenæ Palatinæ* filia, novercæ suæ sorore, quæ anno 1680. d. 28. Sept. longo morbo consumpta animam efflavit, postquam pulcra prole parentem eum feciſſet. Secundis nuptiis anni 1681. d. 4. Nov. sibi junxit *Eleonoram Erdmuthin Ludovicam*, *Johannis Georgij Ducis Saxo-Isenacensis*, è *Johanna Sainensi*, filiam. E *priore thoro* prodiere:

I. *Leopoldus Fridericus* n. 19. Maji 1674. †. 12. Aug. 1676.

II. *Christianus Albertus* n. 8. Sept. 1675.

III. *Dorothea Friderica* n. 12. Aug. 1676.

IV. *Georgius Fridericus* n. 23. April. 1678.

V. *Carola Sophia* n. 19. Jun. 1679. †. 14. Jan. 1680.

16. E *posteriore thoro* Johannis Friderici superant:

Dorothea Carola n. 19. Nov. 1661.

& *Eleonora Iuliana* n. 13. Oct. 1663. quæ anno 1682. *Friderico Carolo*, *Duci Wirtenbergico* in manum convenit.

Luisa Sophia verò, quæ illas nascendi sorte antecessit, anno 1668. d. 5. Jul. saro suo functa est, ut & frater unicus *Albertus Ernestus*, qui anno 1659. d. 10. Oct. vitam hanc ingressus, eâ iterum excessit anno 1674. d. 20. Oct. Sed *Albertina Luisa*, horum soror consanguinea, atque è prima Alberti conjuge *Luisa Heinrica Wirtenbergica*, anno 1646. nata, anno 1670. d. 20. Jan. mortalitatem exuit.

17. *Scutum*, quo Marchiones Brandenburgici lineæ Franconicæ uti solent, *bis ad perpendiculum & quater transversim secatur, & quindecim omninò laterculos continet*; qui quoniam in Electorali etiam scuto, superiùs delineato, conspiciuntur, hic eorum saltem δείγματα notasse sufficiat. *Primus itaque laterculus* Magdeburgensem Ducatum *refert*, *secundus* Marchionatum Brandenburgicum, *tertius* Prussiam, *quartus* Pomeraniam, *quintus* Stetinensem Ducatum, *sextus* Cassubiam, *septimus* Crosnensem Ducatum, *octavus* Vandaliam, *nonus* Jegerndorfensem Ducatum, *decimus* Halberstadensem Principatum, *undecimus* Burggraviatum Noribergensem, *duodecimus* Mindensem Principatum, *decimus tertius* Zolleranum, *decimus quartus* Caminensem Principatum, *cujus quidem figura in hoc scuto literæ Pythagoricæ quam cruci similior est: extremus denique totus rubeus* Regaliam *indicat.*

18. Ga-

18. *Galea* huic clypeo *septem* incumbunt: *è prima* Halberstadiensi *brachium prominet armatum, tres palmæ ramos manu tenens: secunda* Pomeranica *est; superiùs descripta: tertia* Magdeburgensis: *quarta, eaque media* Brandenburgica: *quinta* Prussica: *sexta* Burggravialis: *septima demum* Mindensis *sustinens τὸ ἐγχειρίδιον leonis cum duplici cauda, ungue dextro duas claves decussatim locatas tenentem.*

19. Quod superest, gaudent Marchiones Brandenburgici lineæ Franconicæ *duplici suffragio* in comitiis tum Imperii, tum *Circuli Franconici*; quorum prius *Beruthina* domus, alterum *Onoldina* ferre solet: inter Ordines verò prædicti Circuli hac prærogativa eminent, quod *Directorium* ac jus convocandi Status unà cum Episcopo Bambergensi, alter ex illis, & nunc quidem *Christianus Ernestus*, obtinet.

CAP. IV.

DE DUCIBUS BRUNSVICI AC LUNEBURGI.

SEreniſſima Ducum Brunſuicenſium ac Lunæburgenſium familia, concordi ſcriptorum ſuffragio, ad *Azonem Ateſtinum*, ſive *Eſtenſem*, illuſtri in Italia ſtirpe (quam *Joh. Baptiſta Pigna* peculiari commentario excoluit, atq; à *Cajo Actio* Ateſtinæ civitatis Decurio-

rione, postea occasione belli Gothici scelere atq; infidelitate Stiliconis Imperatori Honorio conflati, à civibus accolisq; in Principem cooptato, derivavit) oriundum refertur. Hic ducta *Cunigundi Welphi II. Carinthiæ & Bavariæ Ducis* filia, nomen *Guelphicum*, omnium ferme Historicorum monumentis celebratum, & fabulis quoque decantatum, genti suæ intulit, filiumque ex hoc matrimonio suscepit *Welphum IV. Robustum* cognominatum; in quem avunculo ejus *Welpho III.* absque liberis mortuo, avia materna *Irmengardis* Guelphicam hæreditatem transtulit. Ei successere filii *Welphus V.* qui è *Mathilde* potentissima per Italiam fœmina, nulla prole suscepta an. 1119. decessit, & *Heinricus Niger* (à quo *tabulam Genealogicam stirpis Guelphicæ* inchoavimus) pater *Heinrici Superbi*, qui præter *Bavariam* paterna hæreditate ad se delatam, etiam *Saxoniæ Ducatum*, ab Imperatore *Lothario*, cum ejus filiam *Gertrudin* uxorem acciperet, doti sibi promissum, posteaque sollemni ritu anno 1137. collatum, tenuit: utrumque verò, socero eodem adhuc anno mortuo, imperium adversus *Conradum Suevum* affectans, amisit; quos tamen, Conrado Cæsare vivis exempto, *Heinricus Leo, Superbi* filius, recuperavit, aliaque insuperadjecit, ita ut, *Aventino* teste, *imperium*

Maibom. Hist. Bavdav. p. 135.

Annal. Boic. lib. 6.

rium à sinu panè Adriatico ad Codanum usque & Germanicum Oceanum extenderit. Sed conflata ipsi processu temporum invidia apud *Fridericum Barbarossam Imp.* in comitiis Herbipolensibus anno 1180 proscriptus, & Ducatu Saxoniæ pariter ac Bavariæ multatus est, relictis ipsi solùm terris *Brunsuicensibus* ac *Lunæburgensibus;* iis scilicet possessionibus, quæ *Schurzfleischij* verbis, *ad liberum ac nulli obnoxium Guelphorum patrimonium pertinebant.* Dissert. de Heinr. Leonen. 6.

2. Reliquit *Heinricus Leo*, cum an. 1195. vitam varia fortuna exercitam finiisset, tres filios, *Heinricum, Ottonem & Wilhelmum;* ex his *Heinricus* per uxorem *Clementiam*, uti quidem *Aventinus* eam vocat, *Meibomius* vero *Agnetem* appellat, *Conradi Suevi Comitis Palatini* filiam, Palatinatum ad Rhenum nactus, in divisione patrimonii *Stadam*, & quæ Bremam versus sita erant, sortitus est; & Palatinatum quidem per filiam, in cujus nomine iterum Scriptores variant, aliis eam *Gertrudin*, aliis *Agnetem* appellantibus, ad *Ottonem Wittelspachium Ducem Bavariæ* transmisit, *Stada* autem, cum vicinis terris, ex pacto ad Archiepiscopatum Bremensem, à quo eam Lotharius Cæsar & Heinricus Leo decerpserant, rediit, neque ampliùs ab eo avulsa est. *Otto* alter *Heinrici Leonis* filius postea ad *Imperiale fastigium* evectus *Brunsvvigam* obtinuit, Cranz. Sax. l. 7. c. 40.

nuit, *Wilhelmo* autem *Lunæburgum* obtigit: Sed *Heinricus Palatinus*, quum Otto Cæsar ejus frater improlis rebus humanis excessisset, Brunsuicensem etiam ditionem gubernandam occupavit; hinc eo defuncto generi ejus, *Otto Dux Bavariæ*, quem dixi, & *Hermannus Badensis*, jus in territorium se habere rati, illud Friderico II. Imp. pro exigua pecuniæ summa vendiderunt; qui ejus possessionem sine mora arripuit, præsidiumque urbi imposuit, ægrè id ferente *Ottone*, *Wilhelmi Lunæburgici* filio, & se suaque familia indignum ducente, si majorum suorum bona optimo jure ad se devoluta, ab extraneis pateretur occupari detinerique. Itaque cognatis in consilium auxiliumque vocatis, militem coëgit, & urbi Brunsuicensi admovit, factoque derepentè impetu, cum cives de compacto quiescerent, muros transcendit & Cæsaris præsidiarios partim trucidavit, partim fugâ salutem quærere coëgit, urbem verò cum castro *Tanquarderoda* & toto territorio suæ potestati subjecit. Contigit id anno 1227., à quo tempore Brunsuiga liberalitate Ottonis multis privilegiis eminere cœpit, libertate tamen nondum gaudebat; qua caruit usque ad tempora *Ottonis Strenui*, qui primùm anno 1314. cives è servitute, quæ tum temporis in hisce regionibus nondum obsoleverat, emancipatos, liberos scripsit, quem-

quemadmodum *Meibomius in Historia erectionis Ducatus Brunsuicensis* loquitur. pag. 500.

3. Ab occupata Brunswiga *Otto*, qui *Puer* cognominatus est, & tum annorum circiter vigenti trium erat, nominavit se *Dominum Brunswvigæ*, cùm anteà semper dictus fuisset *Otto de Lunæburg*. Ejus ausũ quamvis Imperator Fridericus animo iniquo oppidò tulerit, graviterque adversus eum exarserit; tamen cùm ille posteà singularis erga Cæsarem fidei documentum dedisset, neque Heinrico, qui à Pontifice Romano excommunicato parente Imperator designatus, Ottonem in suas partes trahere contendebat, aures præbuisset; factum est tandem in comitiis, Moguntiæ anno 1239. habitis ut multorum Principum Ottoni bene cupientium intercessione Fridericus permoveri se sit passus, quò eumad ipsius pedes supplicantem atque offensam deprecantem, omnesque suas possessiones ipsi atque Imperio resignantem, in gratiam reciperet; prætereàque omnia, quæ isto tempore tenebat; in unum coagmentata, novo *Ducatus* titulo insigniret, ipsumque *Ottonem* postquam fidelitatem Cæsari atque Imperio conceptis verbis jurasset, in subsellia Principum collocatum, *Ducem Brunsuicensem* deinceps appellari, literasque feudales desuper confici mandaret; quas *Meibomius*, cujus verbis pleraque hæc enatravimus, *Hist. Erect. Duc. Brunsuic. p. 505.*

mus, publici juris fecit: atque hac ipsa investitura Brunsuicenses & Lunæburgenses terras primùm factas esse Imperio beneficiarias, cùm anteà sui juris & liberæ ac expertes omnis clientelaris nexus fuissent, *Schurzfleischius* censet.

Diss. de Heinr. Leon. sub fin.

4. Otto novo axiomate ornatus ac firmatus, cùm è comitiis domum reversus esset, jus avitum in Stadensem Comitatum prosequi cœpit, Bremamque obsedit; sequenti autem anno, qui seculi sui septimus & trigesimus erat, cum Archiepiscopo Gerhardo II. transegit, & dirutis ex communi utrinque consensu arcibus *Horneburg* & *Ottersberg*, è quibus mutuæ incursiones fiebant, aliqua ab Ecclesia Bremensi feuda accepit. Anno eodem *Lunæburgo* jus civitatis concessit, annoque 1246. *Mundam* oppidum ad confluentes *Werræ* & *Fuldæ*, quo loco *Visurgis* enascitur, situm, feudi nomine ab Imperio obtinuit. A duobus filiis, quos præter alios in tabula enumeratos post se reliquit, nempe *Alberto* & *Johanne*, duæ ortæ sunt lineæ: ab illo *Brunsuicenses*; ab hoc *Lunæburgenses*: verùm posterior in *Johannis* nepotibus iterum defecit, postquàm eorum parens *Otto IV. Strenuus* cognominatus Lunæburgensem Principatũ arce *Dañenbergensi* & Comitatu *Lichauviensi* auxisset; & illam quidem cum tractu eò pertinẽte *Nicolaus ultimus Comes Dannenbergensis*, accepta

Cranz. Sax. l. 8. c. 5.

cepta annua 40. Marcarum pensione, cum omni jure ei cessit; hunc verò à *Gunthero Everburgensi Comite* anno 1320. emit, cui extincta familia Lichauviensium Comitum Waldemarus Marchio & Elector Brandenburgicus eum contulerat.

5. *Albertus* major natu, *Ottonis Pueri* filius (à quo *Rittershusiana tabula* incipit) *Magni* cognomen promeruit, ac familiam ad hæc usque tempora propagavit: in provinciarum divisione cum fratre, Brunsuicensem Principatum sortitus, arcem *Wolfenbuttel*, quæ suos habuit Toparchas, quorum Genealogiam ex diplomatis & literis antiquis *Meibomius* recensuit, expugnatam, solo æquavit. *Chron. Riddagshus. p. 20.* Nobiles *Assenburgios* insolentiùs sibi insultantes, neque à contumelia abstinentes (quippe scuto gentilitio, quo lupum præferebant, etiam leonem, Brunsuicensium Ducum tesseram, inseruerunt, ita ut ejus tergum lupus premeret, auresque unguibus fodicaret) oppugnavit & ditionibus ejecit; *Assenburgum* verò egregium castrum suæ potestatis fecit. *Cranz. Saxon. l. 8. c. 21.* Præterea *Hamelam*, quam *Visurgis* alluit, ab *Heinrico Abbate Fuldensi* cui aliquandiu paruerat, *Wittekindo Episcopo Mindano*, invitis incolis & Comite Ebersteinio ejus Advocato, anno 1259. venditam, in clientelam suscepit, adversus Episcopum strenuè defendit, pristina verò eorum privilegia cor- *VVinkelmannus Braunschweig. Regentenbaum p. 88.*

roboravit, quod etiam successores ejus facere consueverunt. An. 1260 ascito in armorum societatem Johanne Episcopo Hildesiensi, *Ludolphum* ultimum *Comitem de Peyna* in castro suo obsessum ad extrema redegit; sed is, cùm sobole careret, quasi subita cum religio incessisset Episcopo nuntiavit, se Comitatum omnem B. Mariæ & Ecclesiæ Hildesiensi devoviſſe; hinc iſte Alberto hujus rei ignaro persuasit, ut obsidionem solveret. Postquàm verò hic à versuto Præsule se circumventum intellexisset, bellum ei indixit; sed Episcopo anno sequenti è vivorum numero sublato, Capitulum, ut Albertum placaret, *Ottonem* ejus fratrem in Episcopum cooptavit, qui precibus ab Alberto obtinuit, ut ad tempora vitæ suæ Comitatum Ecclesiæ permitteret; cumque superstes fuisset Otto fratri, Comitatus in Episcoporum ditione permansit. *Einbeccam* civitatem, clientelam suam adversus Comites *Dasselenses*, à quibus se nimium quantum gravari conquerebatur, implorantem, suscepit ac in fidem suam adegit. Denique *Gunzelinum*, *Svverini Comitem*, latrocinia in nemore paludoso Lubecam inter atque Hamburgum facientem, omni possessione, quam eis Albim habuit, exuit, eamque suis ditionibus adjecit.

Cranz. Saxon. l. 8. c. 28.

6. Explevit *Albertus M.* naturæ modum anno 1279. relictis tribus præcipuè filiis, è secunda conjuge (quam *Rittershusius* cum ple-

plerisque Genealogis *Alexinam*, *Alobrandi M. Estensis* filiam, nominavit, *Meibomius* verò & *Winkelmannus Adelheiden*, *Ottonis M. Montisferrati* gnatam, appellant) susceptis, *Heinrico*, *Alberto* & *Wilhelmo*, inter quos ipse adhuc vegetus ita provincias dispertitus est, ut Heinrico majori natu regionem *Trans-* *lib. 8. c. 32.*
sylvanam, ceu *Cranzius* loquitur, (das Land vor dem Wald) assignaret, ea *Grubenhagen*, *Einbecca*, *Osteroda*, *Herzberga*, *Duderstadium cum vicinis locis & metalli fodinis in* Clausthal *atque aliis Hercinia locis* comprehendebantur, quibus postea universim, ab arce, quam aliquandiu Principes hujus lineæ incoluerunt, quamque communem antehac plurium familiarum nobilium castrum (ein Ganerbenhaus) Albertus M. occupaverat, Ducatus sive Principatus *Grubenhagensis* nomen inditum est. Albertus *Gœttingense* oppidum cum ditione, præterea Comitatum *Nordheimensem*, & *quæ ad Visurgin sunt sita*, *tractumque* qui vocatur das Land zwischen Düster und Leine / unà *cum dimidia parte fodinarum* in Zellerfeld / aliisque accepit. Wilhelmo verò *urbs Brunsuicensis* & ejus tractus, *præfectura* item *Wolfenbuttel*, *Gandersheim*, *Seesen*, *Assenburg*, *Schoningen*, cum circumjacentibus terris, nec non *altera medietas fodinarum Zellerfeldensium* obtigit. Cæterum è reditibus decimarum in monte *Rammels-*

berg, nec non Ecclesiasticis juribus in urbe Brunsuicensi singulis tertia pars fuit attributa; unde hodie adhuc in collegio *S. Blasii*, præbendarum conferendarum jus inter Principes est divisum. Ista autem Ducatus Brunsuicensis divisio, quam modò commemoravimus, *fundamentum* extitit *trium Principatuum*, quibus nunc etiam distingui solet; nempe *Wolfenbutelani*, *Grubenhagii & Calenbergici*. E memorata autem fratrum triga natu minimus *Wilhelmus* patri haud diu superfuit, occupavitque ejus ditiones *Heinricus*; qui eas vivente etiam *Wilhelmo* administraverat, & Wolfenbuttelanam arcem restauraverat, à fratre autem *Alberto*, Senatus populiq; Brunsuicensis ope inde expulsus est.

7. *Heinricus* itaque, cui cognomentum *Mirabilis* inditum fuit, *Grubenhagensem* lineam condidit, duravitque ejus posteritas in sextam usque generationem, & in *Philippo*, *Philippi* filio, *Ernesti* & *Wolfgangi* fratre anno 1569. defecit. Variis autem ditionum accessionibus hæc linea aucta est: namq; *Albertus*, Heinrici Mirabilis nepos, arcem *Salz* prope Einbeccam, quæ Nobilium der Helden fuit, postquàm eorum familia extincta est, acquisivit; unde hodieque illa arx, cum adjecto vico, Salz der Helden appellatur. *Wolfgangus* Alberti abnepos, qui fratre Ernesto absq; prole mascula mortuo regimen adeptus est,

arcem

arcem & præfecturam *Radolfshausen* cùm *Theodoricus Plessensis* anno 1571. familiam, ad quam ea pertinebat, clausisset, ditioni suæ adjecit, deinde anno 1593. *Ernesto ultimo Comite Honsteinensi* defuncto, ex ejus possessionibus Comitatum *Lutterberg* cum oppido & metalli fodinis in *Andreasberg*, nec non arcem & præfecturam *Scharzfels* obtinuit; reliquis horum Comitum Dynastiis maxima ex parte ad Heinricum Julium Ducem Brunsuicensem è Guelpherbytana linea delapsis.

8. Hanc *Albertus*, qui *Pinguis* cognominatus, & Heinrici Mirabilis frater, prout dictum est, fuit, profecit. Ex ejus filiis *Otto Largus*, *Ernestus* & *Magnus Pius* ita ditiones inter se sunt partiti, ut primus *Brunsuicenses* terras, secundus *Gottingenses* sortiretur, tertius *Sangerhusium* in Thuringia appennagii loco acciperet: sed *Ottone Largo* absque mascula sobole mortuo, superstites duo novam dictionum divisionem inierunt, cujus instrumentum apud *Hortlederum* videre est. Postquàm autem *Ernesti* etiam stirps in *Ottone Coclite*, ejus nepote, anno 1463. (non 1483. quemadmodum in *tabula Rittershusiana* legitur) defuncto, defecissent, omnes illæ provinciæ *Magni Pij* posteris accreverunt. Hic præter alios filios habuit *Ludovicum* & *Magnum* quorum ille, ducta *Mechtilde*, *Wilhelmi Ducis Lunæburgensis* filia, à socero, mascula prole

De causis belli Germ. l. 4. c. 10.

Luisa Sophia verò, quæ illas nascendi sorte antecessit, anno 1668. d. 5. Jul. fato suo functa est, ut & frater unicus *Albertus Ernestus*, qui anno 1659. d. 10. Oct. vitam hanc ingressus, eâ iterum excessit anno 1674. d. 20. Oct. Sed *Albertina Luisa*, horum soror consanguinea, atque è prima Alberti conjuge *Luisa Heinrica Wirtenbergica*, anno 1646. nata, anno 1670. d. 20. Jan. mortalitatem exuit.

17. *Scutum*, quo Marchiones Brandenburgici lineæ Franconicæ uti solent, *bis ad perpendiculum & quater transversim secatur, & quindecim omninò latercules continet*; qui quoniam in Electorali etiam scuto, superiùs delineato, conspiciuntur, hîc eorum saltem δείγματα notasse sufficiat. *Primus itaque laterculus* Magdeburgensem Ducatum *refert*, *secundus* Marchionatum Brandenburgicum, *tertius* Prussiam, *quartus* Pomeraniam, *quintus* Stetinensem Ducatum, *sextus* Cassubiam, *septimus* Crosnensem Ducatum, *octavus* Vandaliam, *nonus* Jegerndorfensem Ducatum, *decimus* Halberstadensem Principatum, *undecimus* Burggraviatum Noribergensem, *duodecimus* Mindensem Principatum, *decimus tertius* Zolleranum, *decimus quartus* Caminensem Principatum, *cujus quidem figura in hoc scuto literæ Pythagoricæ quam cruci similior est: extremus denique totus rubeus* Regalia *indicat*.

18. Ga-

18. *Galeæ* huic clypeo *septem* incumbunt: *è prima* Halberstadiensi *brachium prominet armatum, tres palmæ ramos manu tenens: secunda* Pomeranica *est; superiùs descripta: tertia* Magdeburgensis: *quarta, eaque media* Brandenburgica: *quinta* Prussica: *sexta* Burggravialis: *septima demum* Mindensis *sustinens* τὸ τοῦλο *leonis cum duplici cauda, ungue dextro duas claves decussatim locatas tenentem.*

19. Quod superest, gaudent Marchiones Brandenburgici lineæ Franconicæ *duplici suffragio* in comitiis tum Imperii, tum *Circuli Franconici;* quorum prius *Beruthina* domus, alterum *Onoldina* ferre solet: inter Ordines verò prædicti Circuli hac prærogativa eminent, quod *Directorium* ac jus convocandi Status unà cum Episcopo Bambergensi, alter ex illis, & nunc quidem *Christianus Ernestus*, obtinet.

CAP. IV.

DE DUCIBUS BRUNSVICI AC LUNEBURGI.

SEreniſſima Ducum Brunſuicenſium ac Lunæburgenſium familia, concordi ſcriptorum ſuffragio, ad *Azonem Ateſtinum*, ſive *Eſtenſem*, illuſtri in Italia ſtirpe (quam *Joh. Baptiſta Pigna* peculiari commentario excoluit, atq; à *Cajo Actio* Ateſtinæ civitatis Decurio-

rione, postea occasione belli Gothici scelere atq; infidelitate Stiliconis Imperatori Honorio conflati, à civibus accolisq, in Principem cooptato, derivavit) oriundum refertur. Hic ducta *Cunigundi Welphi II. Carinthiæ & Bavariæ Ducis* filia, nomen *Guelphicum*, omnium ferme Historicorum monumentis celebratum, & fabulis quoque decantatum, genti suæ intulit, filiumque ex hoc matrimonio suscepit *Welphum IV. Robustum* cognominatum; in quem avunculo ejus *Welpho III.* absque liberis mortuo, avia materna *Irmengardis* Guelphicam hæreditatem transtulit. Ei succesſere filii *Welphus V.* qui è *Mathilde* potentissima per Italiam fœmina, nulla prole susceptaan. 1119. decessit, & *Heinricus Niger* (à quo *tabulam Genealogicam stirpis Guelphicæ* inchoavimus) pater *Heinrici Superbi*, qui præter *Bavariam* paterna hæreditate ad se delatam, etiam *Saxoniæ Ducatum*, ab Imperatore *Lothario*, cum ejus filiam *Gertrudin* uxorem acciperet, doti sibi promissum, posteaque sollemni ritu anno 1137. collatum, tenuit: utrumque verò, socero eodem adhuc año mortuo, imperium adversus *Conradum Suevum* affectans, amisit; quos tamen, Conrado Cæsare vivis exempto, *Heinricus Leo, Superbi* filius, recuperavit, aliaque insuperadjecit, ita ut, *Aventino* teste, *imperium*

Meibom. Hist. Bardev. p. 135.

Annal. Boic. lib. 6.

rium à sinu pænè Adriatico ad Codanum usque & Germanicum Oceanum extenderit. Sed conflata ipsi processu temporum invidia apud *Fridericum Barbarossam Imp.* in comitiis Herbipolensibus anno 1180 proscriptus, & Ducatu Saxoniæ pariter ac Bavariæ multatus est, relictis ipsi solùm terris *Brunsuicensibus* ac *Lunæburgensibus;* iis scilicet possessionibus, quæ *Schwarzfleischij* verbis, *ad liberum ac nulli obnoxium Guelphorum patrimonium pertinebant.* *Dissert. de Heinr. Leonem. 6.*

2. Reliquit *Heinricus Leo*, cum an. 1195. vitam varia fortuna exercitam finiisset, tres filios, *Heinricum, Ottonem & Wilhelmum;* ex his *Heinricus* per uxorem *Clementiam*, uti quidem *Aventinus* eam vocat, *Meibomius* vero *Agnetem* appellat, *Conradi Suevi Comitis Palatini* filiam, Palatinatum ad Rhenum nactus, in divisione patrimonii *Stadam*, & quæ Bremam versus sita erant, sortitus est; & Palatinatum quidem per filiam, in cujus nomine iterum Scriptores variant, aliis eam *Gertrudin*, aliis *Agnetem* appellantibus, ad *Ottonem Wittelspachium Ducem Bavariæ* transmisit, *Stada* autem, cum vicinis terris, ex pacto ad Archiepiscopatum Bremensem, à quo eam Lotharius Cæsar & Heinricus Leo decerpserant, rediit, neque ampliùs ab eo avulsa est. *Otto* alter *Heinrici Leonis* filius postea ad *Imperiale fastigium* evectus *Brunsuigam* obtinuit, *Crant. Sax. l. 7. c. 40.*

nuit, *Wilhelmo* autem *Lunaburgum* obtigit: Sed *Heinricus Palatinus*, quum Otto Cæsar ejus frater improlis rebus humanis excessisset, Brunsuicensem etiam ditionem gubernandam occupavit; hinc eo defuncto generi ejus, *Otto Duci Bavariæ*, quem dixi, & *Hermannus Badensis*, jus in territorium se habere rati, illud Friderico II. Imp. pro exigua pecuniæ summa vendiderunt; qui ejus possessionem sine mora arripuit, præsidiumque urbi imposuit, ægrè id ferente *Ottone*, *Wilhelmi Lunaburgici* filio, & se suaque familia indignum ducente, si majorum suorum bona optimo jure ad se devoluta, ab extraneis pateretur occupari detinerique. Itaque cognatis in consilium auxiliumque vocatis, militem coëgit, & urbi Brunsuicensi admovit, factoque derepentè impetu, cum cives de compacto quiescerent, muros transcendit & Cæsaris præsidiarios partim trucidavit, partim fugâ salutem quærere coëgit, urbem verò cum castro *Tanquarderoda* & toto territorio suæ potestati subjecit. Contigit id anno 1227., à quo tempore Brunsuiga liberalitate Ottonis multis privilegiis eminere cœpit, libertate tamen nondum gaudebat; qua caruit usque ad tempora *Ottonis Strenui*, qui primùm anno 1314. cives è servitute, quæ tum temporis in hisce regionibus nondum obsoleverat, emancipatos, liberos scripsit, quem-

quemadmodum *Meibomius in Historiâ ere-* pag. 500.
ctionis Ducatus Brunsuicensis loquitur.

3. Ab occupata Brunswiga *Otto*, qui *Puer* cognominatus est, & tum annorum circiter vigenti trium erat, nominavit se *Dominum Brunsuvigæ*, cùm anteà semper dictus fuisset *Otto de Lunæburg*. Ejus ausũ quamvis Imperator Fridericus animo iniquo oppidò tulerit, graviterque adversus eum exarserit; tamen cùm ille posteà singularis erga Cæsarem fidei documentum dedisset, neque Heinrico, qui à Pontifice Romano excommunicato parente Imperator designatus, Ottonem in suas partes trahere contendebat, aures præbuisset; factum est tandem in comitiis, Moguntiæ anno 1239. habitis ut multorum Principum Ottoni bene cupientium intercessione Fridericus permoveri se sit passus, quò eum ad ipsius pedes supplicantem atque offensam deprecantem, omnesque suas possessiones ipsi atque Imperio resignantem, in gratiam reciperet; prætereàque omnia, quæ isto tempore tenebat; in unum coagmentata, novo *Ducatus* titulo insigniret, ipsumque *Ottonem* postquam fidelitatem Cæsari atque Imperio conceptis verbis jurasset, in subsellia Principum collocatum, *Ducem Brunsuicensem* deinceps appellari, literasque feudales desuper confici mandaret; quas *Meibomius*, cujus verbis pleraque hæc enarravimus, *Hist. Erect. Dus. Brunsuic. p. 508.*

mus, publici juris fecit: atque hac ipsa investitura Brunsuicenses & Lunæburgenses terras primùm factas esse Imperio beneficiarias, cùm anteà sui juris & liberæ ac expertes omnis clientelaris nexus fuissent, *Schurzfleischius* censet.

Diss. de Heinr. Leon. sub fin.

4. Otto novo axiomate ornatus ac firmatus, cùm è comitiis domum reversus ellet, jus avitum in Stadensem Comitatum prosequi cœpit, Bremamque obsedit; sequenti autem anno, qui seculi sui septimus & trigesimus erat, cum Archiepiscopo Gerhardo II. transegit, & diruris ex communi utrinque consensu arcibus *Horneburg* & *Ottersberg*, è quibus mutuæ incursiones fiebant, aliqua ab Ecclesia Bremensi feuda accepit. Anno eodem *Lunæburgo* jus civitatis concessit, annoque 1246. *Mundam* oppidum ad confluentes *Werræ* & *Fuldæ*, quo loco *Visurgis* enascitur, situm, feudi nomine ab Imperio obtinuit. A duobus filiis, quos præter alios in tabula enumeratos post se reliquit, nempe *Alberto* & *Johanne*, duæ ortæ sunt lineæ: ab illo *Brunsuicenses*; ab hoc *Lunæburgenses*: verùm posterior in *Johannis* nepotibus iterum defecit, postquàm eorum parens *Otto IV. Strenuus* cognominatus Lunæburgensem Principatũ arce *Dañenbergensi* & Comitatu *Lichauviensi* auxisset; & illam quidem cum tractu eò pertinente *Nicolaus ultimus Comes Dannenbergensis*, acceptа

Cranz. Sax. l. 8. c. 5.

cepta annua 40. Marcarum pensione, cum omni jure ei cessit; hunc verò à *Gunthero Everburgensi Comite* anno 1320. emit, cui extincta familia Lichauviensium Comitum Waldemarus Marchio & Elector Brandenburgicus eum contulerat.

5. *Albertus* major natu, *Ottonis Pueri* filius (à quo *Rittershusiana tabula* incipit) *Magni* cognomen promeruit, ac familiam ad hæc usque tempora propagavit: in provinciarum divisione cum fratre, Brunsuicensem Principatum sortitus, arcem *Wolfenbuttel*, quæ suos habuit Toparchas, quorum Genealogiam ex diplomatis & literis antiquis *Meibomius* recensuit, expugnatam, solo æquavit. *Chron. Riddagshus. p. 26.* Nobiles *Assenburgios* insolentiùs sibi insultantes, neque à contumelia abstinentes (quippe scuto gentilitio, quo lupum præferebant, etiam leonem, Brunsuicensium Ducum tesseram, inseruerunt, ita ut ejus tergum lupus premeret, auresque unguibus fodicaret) oppugnavit & ditionibus ejecit; *Assenburgum* verò egregium castrum suæ potestatis fecit. *Cranz. Saxon. l. 8. c. 21.* Præterea *Hamelam*, quam *Visurgis* alluit, ab *Heinrico Abbate Fuldensi* cui aliquandiu parucrat, *Wittekindo Episcopo Mindano*, invitis incolis & Comite Ebersteinio ejus Advocato, anno 1259. venditam, in clientelam suscepit, adversus Episcopum strenuè defendit, pristina verò eorum privilegia cor- *VVinckelmannus Braunschweig. Regentenbaum p. 88.*

roboravit, quod etiam successores ejus facere consueverunt. An. 1260 ascito in armorum societatem Johanne Episcopo Hildesiensi, *Ludolphum* ultimum *Comitem de Peyna* in castro suo obsessum ad extrema redegit; sed is, cùm sobole careret, quasi subita eum religio incessisset Episcopo nuntiavit, se Comitatum omnem B. Mariæ & Ecclesiæ Hildesiensi devoviſſe; hinc iste Alberto hujus rei ignaro persuasit, ut obsidionem solveret. Postquàm verò hic à versuto Præsule se circumventum intellexisset, bellum ei indixit; sed Episcopo anno sequenti è vivorum numero sublato, Capitulum, ut Albertum placaret, *Ottonem* ejus fratrem in Episcopum cooptavit, qui precibus ab Alberto obtinuit, ut ad tempora vitæ suæ Comitatum Ecclesiæ permitteret; cumque superstes fuisset Otto fratri, Comitatus in Episcoporum ditione permansit. *Einbeccam* civitatem, clientelam suam adversus Comites *Dasselenses*, à quibus se nimium quantum gravari conquerebatur, implorantem, suscepit ac in fidem suam adegit. Denique *Gunzelinum*, *Svverini Comitem*, latrocinia in nemore paludoso Lubecam inter atque Hamburgum facientem, omni possessione, quam eis Albim habuit, exuit, eamque suis ditionibus adjecit.

Cranz. Saxon. l. 8. c. 28.

6. Explevit *Albertus M.* naturæ modum anno 1279. relictis tribus præcipuè filiis, è secunda conjuge (quam *Rittershusius* com-

ple-

plerisque Genealogis *Alexinam*, *Alobrandi M. Estensis* filiam, nominavit, *Meibomius* verò & *Winkelmannus Adelheiden*, *Ottonis M. Montisferrati* gnatam, appellant) susceptis, *Heinrico*, *Alberto* & *Wilhelmo*, inter quos ipse adhuc vegetus ita provincias dispertitus est, ut Heinrico majori natu regionem *Transsylvanam*, ceu *Cranzius* loquitur, (das Land vor dem Wald) assignaret, ea *Grubenhagen*, *Einbecca*, *Osteroda*, *Herzberga*, *Duderstadium cum vicinis locis & metalli fodinis in* Clausthal *atque aliis Hercinia locis* comprehendebantur, quibus postea universim, ab arce, quam aliquandiu Principes hujus lineæ incoluerunt, quamque communem antehac plurium familiarum nobilium castrum (ein Ganerbenhaus) Albertus M. occupaverat, Ducatus sive Principatus *Grubenhagensis* nomen inditum est. Albertus *Gœttingense* oppidum cum ditione, prætereà Comitatum *Nordheimensem*, & *quæ ad Visurgin sunt sita*, *tractumque* qui vocatur das Land zwischen Düster und Leine / unà *cum dimidia parte fodinarum* in Zellerfeld / aliisque accepit. Wilhelmo verò *urbs Brunsuicensis* & ejus tractus, *præfectura* item *Wolfenbuttel*, *Gandersheim*, *Seesen*, *Assenburg*, *Schoningen*, cum circumjacentibus terris, nec non *altera medietas fodinarum Zellerfeldensium* obtigit. Cæterum è reditibus decimarum in monte *Rammels-* lib. 8. c. 32.

berg, nec non Ecclesiasticis juribus in urbe Brunsuicensi singulis tertia pars fuit attributa; unde hodie adhuc in collegio *S. Blasii* præbendarum conferendarum jus inter Principes est divisum. Ista autem Ducatus Brunsuicensis divisio, quam modò commemoravimus, *fundamentum* extitit *trium Principatuum*, quibus nunc etiam distingui solet; nempe *Wolfenbutelani*, *Grubenhagii & Calenbergici*. E memorata autem fratrum triga natu minimus *Wilhelmus* patri haud diu superfuit, occupavitque ejus ditiones *Heinricus*; qui eas vivente etiam *Wilhelmo* administraverat, & Wolfenbuttelanam arcem restauraverat, à fratre autem *Alberto*, Senatus populiq; Brunsuicensis ope inde expulsus est.

7. *Heinricus* itaque, cui cognomentum *Mirabilis* inditum fuit, *Grubenhagensem* lineam condidit, duravitque ejus posteritas in sextam usque generationem, & in *Philippo*, *Philippi* filio, *Ernesti* & *Wolfgangi* fratre anno 1569. defecit. Variis autem ditionum accessionibus hæc linea aucta est: namq; *Albertus*, Heinrici Mirabilis nepos, arcem *Salz* prope Einbeceam, quæ Nobilium der Helden fuit, postquàm eorum familia extincta est, acquisivit; unde hodieque illa arx, cum adjecto vico, Salz der Helden appellatur. *Wolfgangus* Alberti abnepos, qui fratre Ernesto absq; prole masculà mortuo regimen adeptus est,

arcem

arcem & præfecturam *Radolfshausen* cùm *Theodoricus Plessensis* anno 1571. familiam, ad quam ea pertinebat, clausisset, ditioni suæ adjecit, deinde anno 1593. *Ernesto ultimo Comite Honsteinensi* defuncto, ex ejus possessionibus Comitatum *Lutterberg* cum oppido & metalli fodinis in *Andreasberg*, nec non arcem & præfecturam *Scharzfels* obtinuit; reliquis horum Comitum Dynastiis maxima ex parte ad Heinricum Julium Ducem Brunsuicensem è Guelpherbytana linea delapsis.

8. Hanc *Albertus*, qui *Pinguis* cognominatus, & Heinrici Mirabilis frater, prout dictum est, fuit, profevit. Ex ejus filiis *Otto Largus*, *Ernestus* & *Magnus Pius* ita ditiones inter se sunt partiti, ut primus *Brunsuicenses* terras, secundus *Göttingenses* sortiretur, tertius *Sangerhusium* in Thuringia appennagii loco acciperet: sed *Ottone Largo* absque mascula sobole mortuo, superstites duo novam ditionum divisionem inierunt, cujus instrumentum apud *Hortlederum* videre est. Postquàm autem *Ernesti* etiam stirps in *Ottone Coclite*, ejus nepote, anno 1463. (non 1483. quemadmodum in *tabula Rittershusiana* legitur) defuncto, defecisset, omnes illæ provinciæ *Magni Pij* posteris accreverunt. Hic præter alios filios habuit *Ludovicum* & *Magnum* quorum ille, ducta *Mechtilde*, *Wilhelmi Ducis Luneburgensis* filia, à socero, mascula prole

De causis belli Germ. l. 4. c. 10.

destituto, successor Principatus constitutus est; cùm verò & ipse sterili omnino uteretur conjuge, hæreditatem hanc in fratrem *Magnum* transtulit. Hic, à torque argenteo, quem in parentis ludibrium collo gestabat, *Torquatus* dictus, spirante adhuc genitore, bellum Hildesheimensi Episcopo, magis ex libidine quam ex ratione, intulit, quô superatus & captus, ut lytrum conflaret, *Sangerhusam* & *Landsbergam* vendidit, patrem ex ægritudine inde contracta infirmum mors consecuta est; cui cùm *Magnus Torquatus* jamdum Dux Lunæburgensis in Brunsuicensi etiam ditione successisset, novo statim bello implicitus est adversus *Albertum* V. *Saxoniæ inferioris Ducem*, qui materno jure (natus enim erat *Elisabetha*, *Wilhelmi Lunæburgici filia*, *Mechtildis* sorore) successionem *Lunæburgicam* sibi arrogabat; quod, multorum annorum spatio acerrimè gestum, non nisi post *Torquati* fata finem accepit, novâ affinitate sancitâ, dum *Albertus Saxo Catharinam Brandenburgicam*, *Torquati* viduam, hujus autem filii *Fridericus* & *Bernhardus*, filias *Wenceslai Electoris Saxoniæ*, qui *Alberti* patruus fuerat, matrimonio sibi junxerunt.

V. Cranz. Sax. l. 9. c. 36.

Cranz. ibid. l. 10. c. 8. & 10.

9. Reliquit *Magnus Torquatus*, anno 1373. in duello adversus *Ottonem Comitem Schaumburgensem* obtruncatus, præter *Fridericum* & *Bern-*

Bernhardum, jam memoratos, alios duos filios, *Heinricum* nempe atque *Ottonem*, è quibus postremus Ecclesiasticam vitam sectatus Bremensem & Verdensẽ Ecclesias rexit: reliqui tres solemni pacto *jus primogenituræ* instituerunt, regimenq; *Friderico* concesserunt. Is ob virtutem fortjaque facta, in locum Wenceslai exauctorati, ineunte seculo quinto & decimo, Francofurti ab Electoribus ad Imperiale fastigium fuit evectus, sed in reditu prope *Frizlariam* interemptus est, sceleris instinctore *Johanne Archiepiscopo Moguntino*, executore *Heinrico C. Waldeccio*; cumque filios non haberet, fratres ejus *Bernhardus* & *Heinricus*, pacto priore abolito, universas provincias ita inter se diviserunt, ut ille *Brunsuicensem* Ducatum acciperet, hic *Lunæburgensem*, cum vicina ditione *Calenbergensi*. *Heinricus* è duplici matrimonio duos sustulit gnatos, *Wilhelmum Victoriosum* & *Heinricum Pacificum*; totidem etiam filios *Bernhardus*, sed ex una conjuge, genuit, nempe *Ottonem Claudum*, & *Fridericũ Religiosum*.

V. Meibom. dissert. de Friderico B. Brunsv. an. 1682. edita. Th. 28. & seqq.

Io. Heinrico anno 1416. fatis functo successit *Wilhelmus Victoriosus*; qui cùm in bello Danico, quo Hanseaticis civitatibus suppetias tulit, detineretur, *Otto Claudus*, ejus patruelis, Calenbergensem ditionem invasit ac prædas egit; eo cognito Wilhelmus, pace Regem inter & civitates conciliata, sine mo-

ra cum copiis domum advolavit, & Brunſuicenſibus terris talionem retulit; tandem Ordinum provincialium interceſſione hunc in modum anno 1428. res compoſita eſt, ut nova diviſione vel potius permutatione facta, *Wilhelmus* cum fratre *Brunſuicenſem Ducatum*, retenta etiam, è priore poſſeſſione, *Calenbergica* ditione, *Bernhardi* verò *filij Lunæbrugenſem* obtinerent. Atque ab eo tempore per 200. & ampliùs annos duo illi Ducatus inter *Heinrici* atque *Bernhardi* poſteros diviſi manſere, donec annô hujus ſeculi quarto & triceſimô, extinctâ Heinrici ſtirpe, Brunſuicenſes & Calenbergenſes provinciæ ad Bernhardi propaginem redirent, quemadmodum paulò pòſt dicetur.

11. Enimvero *Wilhelmo Victorioſo* externis bellis diſtricto, domi turbas concivit frater *Heinricus*, & *Wolfenbuttelium* occupavit, idque cum annexis ditionibus ſibi per tranſactionem aſſeruit, relicta Wilhelmo *Hannovera* cum *Calenbergenſi* provincia (das Land zwiſchen der Düſter und Laine) quæ hoc pactô in *peculiarem Principatum* erecta eſt, quem *Wilhelmus* Comitatibus *Hallerminde*, *Wohnsdorf*, *Eberſtein*, *Homburg* & *Wolpe* variis titulis acquiſitis inſigniter auxit; & denique *Heinrico* fratre abſque maſcula ſobole rebus humanis exempto, ejus ditiones recepit: tandem anno 1482. nonagenarius, uti *Cranzius*

Saxon. Lib. c. 31.

zius testatur, vitâ excessit, relictis tribus filiis, *Friderico*, *Wilhelmo* & *Ottone*, qui avitis provinciis *Gottingenses* etiam terras, Ottonis Coclitis agnati improlis morte ad eos delapsas, conjunxerunt. Ex his verò solus *Wilhelmus*, *Junior* ad differentiam parentis dictus, sobolem procreavit, filiam unam, gnatos duos *Heinricum* atque *Ericum*; inter quos ipse pater ita Provincias dispertitus est, ut Heinrico *Brunsuicensem* sive *Wolfenbuttelensem* Principatum, Erico *Calenbergicum*, cui *Gottingenses* etiam terras incorporavit, assignaret. *Heinrico*, quem *Malum* cognominarunt, in Frisia Orientali anno 1514. occiso, successit filius *cognominis*, *Junior* proinde appellatus: hic cum patruo *Erico* & fratre *Francisco Episcopo Mindensi* non mediocris belli molem, ciente *Johanne*, Antistite Hildesheimensis Ecclesiæ, qui *Heinricum Ducem Lunæburgensem* in societatem armorum pertraxerat, expertus est; quo per complures annos multo mutuoque ita certatum est sanguine, ut inclinatis initiò Brunsuicensium rebus, Ericoque ab Heinrico Lunæburgico capto, posteà versâ Martis aleâ Episcopus tota fermè Diœcesi exueretur, & tantùm non ad incitas redigeretur; sicuti suò locò narratum est.

12. *Ericus* anno 1540. è viventium numero exiens, filium post se reliquit ejus-

Thuan. Hist. lib. 76. V. Spen. Op. Har Sp. l. 2. c. 9. §. 6. & 7.

dem nominis, cujus ævo illustrissima Comitum *Hojensium* gens, quæ annos 450. à Lotharii Cæsaris Saxonis tempore ad Visurgim floruerat, extincta est, *Ottone*, ultimo ex septem fratribus *Jodoci II.* filiis, vivis exempto: ex eius ditionibus Landgravii Hassiæ duas præfecturas, quas iterum Comitibus Tecklenburgicis in feudum contulerunt, nacti sunt; reliquas omnes jure beneficii ad se reversas *Ericus II.* quem dixi & *Wilhelmus Lunæburgicus* occuparunt; & illi quidem *superior Comitatus* obtigit, qui præfecturas *Stolzenau*, *Erenburg*, *Sieck*, *Steigerberg*, *Stedenburg*, *Depenau* & *Barenburg* complectitur. Obiit Ericus II. supremum diem *Ticini* in Insubria anno 1584. postquam *Derdonæ* sesquiannum ferè, cum uxore secunda *Dorothea Lotharingica*, (cujus matris Christinæ alimentis hæc civitas à priore marito Francisco Sfortia Duce Mediolanensi assignata fuerat) commoratus erat: cùm liberos è legitimo thoro susceptos non haberet, coaluit iterum Calenbergicus Principatus cum Guelpherbytano, cernente ejus hæreditatem ex asse *Iulio*, *Heinrici Junioris* filio. Hic in juvenili ætate multa inquiete jactatus, & paternis odiis exagitatus (quorum causas atque effectus singillatim & disertè *Christ. Schraderus in Oratione Seculari Academiæ Julie* recensuit, quæque typis exscripta legi

Chytr. Chron. Sax. sub init. lib. 27.

omni-

omninò meretur) fratribus natu majoribus *Carolo Victore* & *Philippo Magno* in prælio Sivershusano anno 1573. occisis, ad ditionum regimen, defuncto patre, vocatus est; jam anteà verò ad religionem *Evangelicam*, indignante oppidò genitore, animum adjecerat, hinc simul ac rerum potitus est prima ei curarum fuit, ut Romanam ἐθελοθρησκείαν in ditionibus suis aboleret, & genuinum DEI cultum introduceret; quem in finem *Corpus doctrinæ*, *Juliū* dictum, promulgavit, & *Gandersheimi Gymnasium* condidit, quod posteà *Helmstadium* transtulit, atque anno 1576. impetratis ab Imperatore Maximiliano II. amplissimis privilegiis sollemni pompa in Academiam erexit. Erat *Helmstadium* quondam subjectum *Abbati Werdensi*, sed *Antonius Grymhold* Abbas ob insolentiam civium, monachorum imperium fastidientium, id anno 1491. *Wilhelmo Juniori Duci Brunsuicensi*, Julii proavo vendidit, atque in feudum masculinum contulit.

13. Cum *civitate Brunsuicensi* Julius novam iniit conventionem, ejusque privilegia diplomate edito confirmavit; reservatis tamen, quæ jam pridem inter Principes, atque inprimis parentem ejus ac civitatem controversa fuerant, & ad decisionem juris vel aliam compositionem sepositis; deinde urbem cum conjuge & filio ingressus, ritu sol- *V. Act. Brunsv. p. 103. & seq.*

sollemni homagium in singulis civitatis regionibus, quas Weichbilde vocant, accepit. Vicum castro Wolffenbuttelano adsitum exornavit, jure & insignibus civitatis donavit, atque in patris memoriam *Heinricopolin* (Heinrichs Stadt) appellavit. Cùm anno 1589. mortalitatem exuisset, *Heinricus Iulius* filiorum ejus nascendi sorte primus, provinciarum gubernacula suscepit, & fidei sacramentum à subditis exegit, quod soli Brunsuicenses præstare detrectarunt; non tulit id & graviter exarsit, erupitque multis modis lacessiti Principis ira non una vice in bellum. *Ernesto ultimo Comite Honsteinij* anno 1593. extincto, *Lohram & Klettenbergam*, quas Dynastias, in Thuringia sitas, Julius prò seatque hæredibus masculis eventuali investitura ab Episcopatu Halberstadiensi acceperat, occupavit; sed eâ deficiente Julii propagine ad prædictum Episcopatum relapsæ, posteà per *instrumentum pacis Westphalicæ* cum tota Diœcesi in Electorem Brandenburgicum translatæ sunt. Quoniam verò ad eosdem Comites Honsteinenses etiam *Advocatia Cœnobij Walckenriedensis* pertinebat, hoc quoque juris sibi vindicavit Heinricus Julius, obtinuitque ut à conventualibus, in locum Erneſti Comitis, etiam Administrator monasterii eligeretur; quæ dignitas in ejus filio continuata, ad agnatos

Art. 11. §. 2.

Lunæ-

Lunæburgicos cum omni Brunſuicenſi hæreditate tranſiit, per *pacificationem* demum *Osnabruggenſem* ipſum monaſterium unà cum prædio *Schavven* perpetuo feudi jure Ducibus Brunſuicenſibus & Lunæburgenſibus, à Cæſare atque Imperio, cum omnibus pertinentiis juribusque, collatum eſt, annullato jure advocatiæ, aliisque Epiſcopatus Halberſtadienſis & Comitatus Honſteinenſis prætenſionibus, quemadmodum verba *Inſtrumenti* ſeſe habent. *Art. 13.*

14. Exaruit *Heinrici Iulij* ætate ſtirps *Grubenhagenſis*, cujus ditiones ille, magnâ celeritate adhibitâ occupavit, atque agnatos Lunæburgicos prævertit; verùm in jus propterea vocatus ab eis cauſa cecidit. Comitatum *Reinſteinenſem & Blanckenburgicum*, ultimo Comitum *Johanne Georgio* anno 1599. immatura morte oppreſſo, tanquam feudi Dominus ſibi aſſeruit, & *Blanckenburgenſis* quidem Comitatus, cujus directos Dominos Duces Brunſuicenſes ab omni memoria fuiſſe, nemo unquam in dubium vocavit, hodie adhuc in eorum poteſtate eſt: de *Reinſteinenſi* verò controverſiam eis proceſſu temporum moverunt Halberſtadienſes Epiſcopi, dictitantes, illum peculiarem extitiſſe Comitatum, ſeparatis limitibus circumſcriptum, atque à Capitulo Halberſtadienſi, Comitum ſtirpe ad interitum vergente, *Heinri-*

co Ju-

co *Julio*, Duci Brunſuicenſi & Eccleſiæ hujus poſtulato Epiſcopo, in feudum eventualiter collatum, poſteà *Friderici Ulrici*, ejus filii, improlis morte ad Epiſcopatum ex lege beneficii reverſum; quam controverſiam ſuam etiam fecit Elector Brandenburgicus, poſtquam per pacificationem Weſtphalicam Diœceſis Halberſtadienſis ejus poteſtati permiſſa fuit. Sed opponunt Brunſuicenſes Duces: Reinſteinium nudum fuiſſe Caſtrum, cujus ruderaadhuc oſtenduntur, à Comitibus Blanckenburgicis, Heinrico Aucupe imperitante, extructum, atque auctâ familiâ à quodam eorum inhabitatum, cujus poſteri ad differentiam Blanckenburgicæ lineæ, ſeſe *Comites Reinſteinenſes* dixerint; cum autem illa ante Reinſteinenſem anno 1343. interiiſſet, hos Reinſteinia arce derelicta Blanckenburgum ſedem transtuliſſe, & titulo *Comitum Blanckenburgi & Reinſteinij* uſos eſſe. Porro expectativam illam in feuda Reinſteinenſia, ab Halberſtadienſi Capitulo *Heinrico Julio* anno 1583. collatam, magnis laboraſſe erroribus, dum literis inveſtitoriis varia prædia inſertafuerunt, quæ non Halberſtadienſem Epiſcopatum, ſed alios, diverſosque Dominos, atque inter hos etiam Brunſuicenſes Duces, clientelari lege reſpiciebant: hanc verò confuſionem ortam eſſe ex incendio, quo anno 1546. caſtrum

strum Blanckenburgicum conflagravit, omniaque familiæ documenta in cineres redacta sunt; post quam calamitatem cùm Præsul Halberstadiensis à Comite *Ulrico* designationem feudorum, quæ ab Ecclesia teneret, sub comminatione privationis petiisset, ipse verò multifaria feuda, quibus ditiones ejus constabant, tabulario flammis consumpto, discernere nequivisset; maluisse eum in excessu impingere, quàm in defectu, atque adeò quæcunque in calamum venerint, in catalogum retulisse; clausulâ tamen subnexâ, ne sibi præjudicio aut detrimento esset, si quæ hoc syllabo comprehenderentur, quorum dominium directum ad alios Principes spectet; hanc ipsam verò clausulam reservatoriam in Diplomate expectativæ Heinrico Julio, prout sæpe dictum est, concessæ, haud fuisse neglectam, sed expressis verbis ei insertam. Tandem extincta planè Reinsteinensium Comitum gente, singulos feudorum caducorum Dominos, sua prædia jure consolidationis recepisse, eodemque titulo etiam Duces Brunsuicenses Comitatum Blanckenburgicum, cum bonis eò pertinentibus, quorum quidem pars in sæpe citata tabula expectativæ pro feudo Halberstadiensi venditata fuerat, sibi vendicasse; neque minus ea, quæ ad Ecclesiam Halberstadiensem ὁμολογημένως pertinebant, tan-

tanquam ejus Antistitem occupâsse: quæ etiam sola post *Friderici Ulrici* Ducis fata, ad prædictum Episcopatum ex lege beneficii relapsa fuerint. Itaque Ducibus Brunsuicensibus fraudi & damno esse neutiquam posse, quod *Leopoldus Wilhelmus Archidux*, cùm memorato Episcopatui præficeretur, *Wilhelmum Comitem de Tattenbach*, Reinsteinensi Comitatu anno 1643. investiverit; neque ad æmulationem factum esse, quod Duces nonnulla prædia, quæ ad Blanckenburgicum Comitatum olim pertinuerant, atque literis investitoriis Halberstadiensibus per errorem inserta fuerant, eidem Comiti Tattenbachio feudi titulo concesserint, sed ejus precibus id datum esse, jure optimo, Ducibus in possessione investiendi longè antiquiore constitutis: istis autem prædiis controversis (quorum hæc est nomenclatio: *Westerhausen*, *Warmstedt*, *Wedersleben*, *Niensted*, *mediet as Westerburgi*, *cum appertinentiis & decimis*) alias sese adjecisse possessiones, variasque sylvas, in pacto cum dicto Comite anno 1644. inito enumeratas, quarum tamen in Halberstadiensibus tabulis mentio non occurrat: inde quoque
Art. 13. n. 8. factum esse, quod in *instrumento pacis Osnabruggensis* unà cum Monasterio Græningensi (quod antehac à Ducibus acquisitum posteà Episcopo Halberstadiensi cesserat, nunc verò

verò illis restitutum est) reservata iisdem fuerint jura in castrum *Westerburg*, nec minus sancitum, ut infeudatio Comiti à Tattenbach ab eis facta, eoque nomine initæ leges sartæ tectæ servarentur. Cæterum recruduit hæc Reinsteinensis controversia, inter Electorem Brandenburgicum ac Duces Brunsuicenses, maximeque ferbuit, postquam anno 1670. *Johannes Erasmus Comes de Tattenbach*, quem Wilhelmus patruus hæredem scripserat, perduellionis à Cæsare damnatus, illis etiam feudis excidit; & quanquam conventu, ejusdem anni mense Julio, *Werningerodæ* instituto, & mediatione Electoris Saxoniæ adhibita, transactio tentata est, eam tamen optato successu caruisse, scripta ab utraque parte juri suo tuendo, postea etiam in Comitiis prolata, (è quibus illa quæ enarravimus decerpta sunt) arguere videntur.

15. Persolvit *Heinricus Julius* naturæ debitum anno 1613. relictis, præter complures alios utriusque sexus liberos, inprimis *Christiano*, Episcopo Halberstadiensi, (qui superioris ætatis motibus famam sibi nomenque paravit) & *Friderico Ulrico*: hic parentis in regimine successor bellum ab ipso cum Brunsuicensibus cœptum iteratumque continuavit, & tandem imperata facere eos coëgit; privilegia tamen, quæ à majoribus ipsius acceperant, confirmavit. Principatum *Gru-*

benhagenſem, à patre præoccupatum, ſed per ſententiam Cæſaream, anno 1617. publicatam, Ducibus Lunæburgicis ejus agnatis adjudicatum, reſtituit; & denique cum anno 1634. ἄπαις de ſeculo exiret, univerſas ditiones ſuas ad illos transmiſit.

16. Enimverò ad *Lunæburgicam lineam* ut venirem, ſuperior longiùs, quàm volui, fluxit oratio: Sator ejus *Bernhardus* dictus eſt, qui ultimâ cum filiis fratris ſui *Heinrici* tranſactione Lunæburgenſem Principatum obtinuit, eumque, anno 1434. fato concedens, *Ottoni* filio ſuo primogenito, quem vivus adhuc in regiminis partem aſſumſerat, tradidit: hôc anno 1445. ſine liberis mortuo *Fridericus Pius*, ejus germanus frater, gubernacula capeſſivit; ſed duos quos habuit filios *Bernhardum* & *Ottonem Magnanimum*, turbato mortalitatis ordine, extulit: hinc cum anno 1478. è vita diſcederet, hæredem reliquit nepotem, è filio Ottone, *Heinricum*, *Juniorem* ſive *Medium* dictum, decimum ætatis annum nondum ſupergreſſum. Poſtquam is ſub tutela matris *Annæ Naſſoviæ* adolevit, eô præcipuè innotuit, quod Epiſcopi Hildeſienſis partes, adverſus agnatos Duces Brunſuicenſes, ſuſcepit, eosque ad Soltaviam ingenti pugna ſuperavit, capto Erico Seniore; quem tamen honorificè habitum, lytro perſoluto, dimiſit: jam antea verò ob Gœtin-

tingensem Principatum cum agnatis Brunsuicensibus conventione Mindensi anno 1520. transegerat, medietate, quam cum civitate Hanovera in eo habebat, illis concessa; alia vicissim ab ipsis recipiens, reservatis iis, quæ in Brunsuicensi urbe ad Lunæburgenses spectabant. *Fridericum Comitem Diepholtinum*, à Francisco Episcopo Mindano vexatum, in clientelam suscepit, & beneficii nexu familiæ adstrinxit. Inter ejus filios natu minimus *Franciscus Gisbornensem* præfecturam, cum cœnobio *Ifenhagen*, appennagii loco, accepit, & sobole mascula caruit. *Otto* primogenitus administrationem Principatus aliquot annorum spatio gestam, quietis amans, fratri pro annua pensione resignavit, & *Harburgi* ad *Albim* domicilium fixit: è *Mechtilde à Campen*, Nobili apud Lunæburgenses loco nata, atque uxoris loco ab ipso habita, suscepit *Ottonem Iuniorem*, qui, etiamsi patrueles de statu ei controversiam movissent, in Principali conditione sub Cæsaris umbone se tuitus est, & è duplici conjugio complures procreavit filios, qui tamen omnes improles mortem obierunt; clausitque lineam *Wilhelmus* primogenitus, cui ex hæreditate Brunsuicensi *superior Comitatus Hojensis* obtigit, quem, anno 1642. fato suo functus, unà cum præfecturis *Harburg* & *Moisburg* ad agnatos transmisit.

17. *Ernestus, Heinrici Junioris* filius secundogenitus, omnium, qui hodiè è familia superstunt, *communis parens* extitit, Princeps in tantùm laudandus, in quantum intelligi virtus ac pietas potest. Postquàm regiminis habenas ab *Ottone* fratre accepit, in purificanda religione, subditisque Evangelicâ doctrinâ imbuendis, potiorem curam atque industriam collocavit & in comitiis anno 1530, unà cum *Francisco* fratre, Augustanæ Confessioni subscripsit. Supremum diem anno 1546. explevit, quatuor filiis relictis: è quibus, nascendi sorte secundus, *Fridericus* è vulnere, in Sivershusano prælio anno 1553. accepto, spiritum reddidit: *Franciscus Otto*, primus, gubernacula susceptit, sed tertio mense post nuptias, cum *Elisabetha Magdalena Brandenburgica* celebratas, fatorum malignitate raptus est: à reliquis duobus, *Heinrico* & *Wilhelmo*, duo orti sunt rami, quibus hodie adhuc familia distinguitur, *Dannenbergicus*, nunc *Wolfenbuttelanus*; & *Cellensis*, nunc *Lunæburgicus* dictus. Isti verò fratres cùm initiò communibus auspiciis per duo lustra Ducatum rexissent, tandem divisionem inierunt, qua *Heinricus* cœlibatum animo præsumens, *Dannenbergicis* ditionibus contentus, Ducatum *Wilhelmo* concessit, mutatâ nihilominus posteà mente ad nuptias conversus *Ursulam*, *Francisci*

Ducis

Ducis Saxo-Lauenburgici filiam, uxorem duxit, atque utriusque sexus liberos ex ea sustulit, è quibus natu maximum *Julium Ernestum*, anno 1598. è vivis excedens, successorem habuit, à quo filiis destituto, atque anno 1636. mortuo, ditiones ad fratrem superstitem natu minimum *Augustum* delatæ sunt.

18. Is primùm *Hizgeræ*, quo loco *Jezza Albi* miscetur, domicilium habuit; posteà cùm ex hæreditate agnati *Friderici Ulrici* Ducis Brunsuicensis etiam Principatū *Wolfenbuttelanum* sortitus esset, *Wolfenbuttelum* sedem transtulit, Princeps sanctissimis moribus & inviolabili mentis rectitudine præditus, omnibusque belli ac togæ dotibus seculi sui eminentissimus, qui nihil in vita nisi laudandum aut fecit, aut dixit, aut sensit; Principatum difficillimis temporibus acceptum consideranter, mansuetè ac feliciter gubernavit; leges saluberrimas & statuta laudatissima, quæ subditis Cynosura, ad quam vitam actionesque dirigerent, essent, condidit; jamque in eo terrenæ felicitatis fastigio collocatus, quo altiùs ascendere virtus Principis & gloria non potest, tandem satur vitæ, satur honoris, satur affluentiæ, mortalitatis pertæsus, æviternam in cœlo requiem anhelans d. 17. Sept. anni 1666. ad DEUM excessit, septem & octuaginta annorum

norum Nestor. E prima conjuge *Clara Maria, Bogislai Ducis Pomeraniæ* filia quam, sponso *Sigismundo Augusto Duce Meklenburgico* fatorum iniquitate orbatam, anno 1609. duxit, duplicem sobolem, quam in ipso limine vita destituit, procreavit. E secunda *Dorothea, Rudolphi Principis Anhaltini* filia, quam anno 1623. in thalamum ascivit pulcerrima prole in subsidium simul & solatium auctus est, tribus nempe filiis & duabus filiabus: ex illis primogenitus *Heinricus Augustus* intra infantiæ annos extinctus est, filiarum autem altera *Sibylla Ursula, Christiano Duci Holsatiæ in Gluksburg* anno 1663. elocata, vivendi finem anno 1671. mens. Octobri fecit. E tertia conjuge *Sophia Elisabetha, Johannis Alberti Ducis Meklenburgici* filia, quam, licet esset in domo par nobile natorum, quo pluribus munimentis insisteret, anno 1635. connubio sibi junxit; quæque d. 12. Aug. anni 1676. ad superos emigravit, triplicem sustulit sobolem, mares duos, filiam unam, verùm ex illis posterior *Christianus Franciscus* in paucos menses duravit.

19. Caput familiæ in præsentia est RUDOLPHUS AUGUSTUS *Dux Brunsuicensis & Lunæburgensis, Augusti & Dorotheæ Anhaltinæ* filius, editus in lucem d. 16. Maji anni 1627. Eo ipso tempore, quo divinus parentis spiritus mortali discernebatur à cor-

corpore, regiminis habenas capessivit, eandemque illam pietatis & justitiæ paternæ vestigiis signatam atque impressam viam, toto pectore omnique animi contentione pressit, atque etiamnunc sequitur. *Brunsuicenses* toties majoribus suis repugnantes, libertatemque ac privilegia insolentiùs jactantes, agnatis in consilium auxiliumque adhibitis anno 1671. armis aggressus est, &, post obsidionem non longam sed acrem, ad certam subjectionis confessionem redactos sub jugum misit, urbem verò suæ lineæ asseruit, & jura, quæ agnatis in eam competebant, ut & Abbatiam *Walkenried* præfecturis *Dannenbergicis*, quas eis tradidit, redemit. Per *pacificationem Neomagensem* præfecturam *Tedinghausen*, Diœcesi Bremensi decerptam, familiæ vindicavit. Uxorem habuit *Christinam Elisabetham, Alberti Friderici, Comitis de Barby & Mulingen*, ex *Sophia Ursula Oldenburgica* filiam, ductam d. 10. Novembr. anni 1650. atque anno 1681. mortuam, postquam trium tantùm filiarum mater esset facta, nempe:

I. *Dorotheæ Sophiæ*, n. 18. Jan. 1653. & *Johanni Adolpho, Duci Holsatiæ in Ploen*, anno 1673. nuptum collocatæ.

II. *Christinæ Sophiæ*, n. 2. April 1654. quam anno 1678. *Abbatissam Gandersheimensem* electam, Serenissimus parens triennio post,

Augusto Wilhelmo, fratris sui filio, in matrimonium dedit.

III. *Eleonoræ Sophiæ*, n. 5. Aug. 1655. & sequentis anni d. 7. Jan. iterum extinctæ.

20. ANTONIUS ULRICUS *Dux Brunsvicensis & Lunæburgensis, Rudolphi Augusti* germanus frater, scenam hujus mundi, qua personam suam decenter sustineret, ingressus est anno 1633. d. 4. Oct. Princeps non hujus tantum seculi, sed omnis ævi optimus, vitâ innocentissimus, ingenio florentissimus, proposito sanctissimus, arte regnandi maximus, comitate atque oris suavitate præstantissimus, tantis denique adornatus virtutibus, quantas perfecta & natura & industria, & morralis conditio recipit. Cum in *Coadjutorem Episcopatus Halberstadiensis* esset cooptatus, in hujus dignitatis compensationem, per *Instrumentum Pacis Osnabrugg.* præ- *Art. 13.* bendam in *Capitulo Argentoratensi* accepit; nuncque fratris auspiciis regiminis curam *Wolfenbuttelij* gerit. Nuptias anno 1656. d. d. 17. Aug. celebravit cum *Elisabetha Juliana, Friderici Ducis Holsato-Norburgici & Eleonoræ Anhaltinæ* filia, omni fœmineo decore clarissima, sibique ab ineunte ætate destinata, è qua illustrissimam sobolem suscepit.

I. *Fridericum Augustum*, natum d. 24. Augusti. anni 1657. ingentibus ingenii atque animi

animi dotibus præditum, quas postquàm exteri stupuere, ipse eas miratus Cæsar *Chiliarcham* tuendæ patriæ constituit, amplexus Serenissimus agnatus *Georgius Wilhelmus* generum in una, quam habet, filia *Sophia Dorothea* delegit; sed magnificas spes, quas parentibus, familiæ, patriæ tam admirabilis indoles præbebat, fatorum malignitas præscidit: dum enim in oppugnatione *Philipsburgensi*, ex officio militaris Tribuni, inter strenuissimos obsessores excubias agit, glande plumbea in occipitio d. 9. Aug. anni 1676. ictus, tertio & decimo abhinc die vitam, quam glorioßissimè degere poterat, præmaturâ morte *Spiræ Nemetum* finivit.

II. *Elisabetham Eleonoram*, n. d. 31. Sept. 1658. quæ primis nuptiis anni 1675. d. 2. Febr. *Johanni Georgio Duci Meklenburgico* è *Svverinensi* linea: secundis anno 1681. *Bernhardo Duci Saxoniæ in Meiningen*, in manum convenit.

III. *Annam Sophiam*, n. 29. Oct. 1659. atque anno 1677. *Carolo Gustavo Marchioni Badæ* nuptam collocatam.

IV. *Leopoldum Augustum*, n. 27. Febr. 1661. & sequentis anni die 5. Martii repentina morte extinctum.

V. *Augustum VVilhelmum*, in quo nunc magni stat spes & cura parentis, natum

d. 8. Martii anni 1662. cum è peregrinatione Gallica & Belgica reducem patruus adoptavit, & generum delegit, locando ei in matrimonium filiam secundogenitam, *Christinam Sophiam*; cum qua nuptiarum sollemnia peregit d. 24. Junii anni 1681.

VI. *Augustum Heinricum*, n. 14. Aug. 1663. †. 24. Febr. 1664.

VII. *Augustum Carolum*, n. 4. Aug. †. 21. Dec. 1664.

VIII. *Augustam Franciscum*, n. 7. Oct. 1665. †. 14. Dec. 1666.

IX. *Augustam Dorotheam*, n. 16. Dec. 1666.

X. *Amaliam Antoniam*, n. 7. Junii †. 1. Nov. 1668.

XI. *Heinriettam Christinam*, n. 19. Sept. 1669.

XII. *Ludovicum Rudolphum*, qui d. 22. Julii 1671. natus, amor est Sereniſſimorum parentum & deliciæ. Denique

XIII. *Sibyllam Vrsulam*, n. 3. Sept. 1672. †. 1. April. 1673.

21. E sororibus germanis Ducum una superstes est *Clara Augusta*, quæ anno 1632. d. 25. Jun. in lucem prodiit, atque anno 1653. *Friderico Duci Würtenbergico* in *Neustad* nupsit, quo anno 1682. vitâ functo, nunc in viduitate ætatem agit.

22. FER-

22. FERDINANDUS ALBERTUS *Dux Brunſuicenſis & Lunæburgenſis, Auguſti* è tertia conjuge *Sophia Eliſabetha Meklenburgica* filia, hauſit auram vitalem d. 22. Maji anni 1636. ei itidem præbenda in Epiſcopatu Argentinenſi pace Weſtphalica aſſignata eſt: antiquitatis aliarumque rerum admirandarum ſingulare ſtudium præ ſe fert. Poſt longas peregrinationes, *Beveræ*, quod caſtrum eſt ad ſylvam Sollingerenſem propè oppidum *Holzminden* ſitum, domicilium inſtituit, & jugali fœdere anni 1667. d. 25. Nov. ſibi ſociavit *Chriſtinam, Friderici Landgravij Haſſiæ, & Eleonoræ Catharinæ Palatinæ* filiam; è qua hactenus ſuſtulit

I. *Leopoldum Carolum*, n. 30. Jan. †. 4. Martii 1670.

II. *Fridericum Albertum*, n. 5. Jan. 1672. †. 27. Jan. 1673.

III. *Sophiam Eleonoram*, n. 5. Mart. 1674.

IV. *Claudiam Eleonoram*, n. 29. Nov. 1675. †. 30. Jul. 1676.

V. *Auguſtum Ferdinandum*, n. 29. Dec. 1677.

VI. *Ferdinandum Albertum*, n. 29. Maji 1680.

VII. *Ferdinandum Chriſtianum*, } gemel-
VIII. *Erneſtum Ferdinandum*, } los natos 4. Mart. 1682.

23. *Ma-*

23. *Maria Elisabetha*, Ferdinandi Alberti soror germana anni 1638. d. 6. Jan. nata, matrimonium nunc tenet *Alberti Ducis Saxo-Coburgici*, cui, post prioris mariti *Adolphi Wilhelmi Ducis Saxo-Isenacensis* obitum, anno 1678. nupsit.

24. Ad alterum jam ramum, *Cellensem* nimirum, accedamus; eum *Wilhelmus*, cui *Henricus Dannenbergicus* frater Ducatum, prout dictum est, concessit, profevit. Is ipse ex hæreditate Comitum Hojensium *inferiorem Comitatum*, qui præfecturas *Hoja*, *Meinburg*, *Libenau*, *vetus & novum Bruchhausen* continet, accepit. *Diepholtinum* autem Comitatum, familiâ cum Comite *Friderico* anno 1585. extinctâ, ex lege feudali integrum obtinuit. Ejus filii, quos septem anno 1592. moriens reliquit, communi consensu constituerunt, ut uno solo uxorem ducente, quæ sors *Georgio* obtigit, reliqui in cœlibatu ætatem peragerent. *Ernestus* primogenitus patri successit, ipsi verò, anno 1611 fatis functo, *Christianus Senior*, qui etiam *Episcopus Mindanus* fuit, & Grubenhagensis Principatus, per sententiam Cæsaream sibi adjudicati, possessionem arripuit, mortemque obiit anno 1633. excipiente eum in regimine *Augusto*, *Administratore Episcopatus Razenburgensis*: hic ex hæreditate

tate Friderici Ulrici, Ducis Brunſuicenſis, *Calenbergicum Principatum* ſibi vendicavit, quem tamen (aſſentientibus cæteris fratribus) *Georgio* tradidit; neque ita multò pòſt, aliquot ex *Ilſa Schmidichen*, præfecti Ebsdorfenſis filia, nothis genitis, vita conceſſit; regimenque fratri *Friderico* transmiſit: is *Coadjutor Epiſcopatus Razenburgenſis* & *Præpoſitus Capituli Bremenſis* Harburgenſem ditionem, linea illa extincta, recepit; atque anno eodem, quo alma pax Germaniæ, tricennali bello exhauſtæ, reddita eſt, terras reliquit, cùm aliquot liberos ex uxore non legitima, *Eliſabetha Stendichia*, procreaſſet.

25. Ad reliquos fratres, quos ſupremus ante illum dies occupavit, ordo ſucceſſionis non devenit; inter eos tamen *Georgius* clarum ſibi nomen peperit, *cumque ab ineunte ætate* (liceat mihi verba *Epitaphij*, quod ad majorum tumbas ejus memoriæ *Cellæ* erectum eſt, huc transferre) *militiam exercuiſſet, fatalibus Germaniæ bellis implicitus, labantem panè libertatem ac religionem avitam invicto animo ac armis ſuſtinuit, multis adoreis inclytus, veræque pietatis, fortitudinis, fidei, ac prudentiæ laude poſteritati memorandus, vitâ deceſſit d. 11. Apr. anni 1641.* Ex uxore *Anna Eleonora, Landgravia Haſſiæ*, quæ anno 1649 in dotalitio *Herzbergenſi* animam efflavit, pulcra prole parens factus eſt; quatuor omni-

omninò filii cũ unica filia vitæ ejus sospites ac superstes superfuerunt: ex illis major natu *Christianus Ludovicus* initiò *Hanoveram* incoluit, & Hildesiensem controversiã transactione anno 1643 finivit; posteà *Friderico* patruo in *Cellensi* Principatu succedens, per pactum cum fratribus initum, *Ducatum Lunæburgensem, Principatum Grubenhagensem, & Comitatus Hojensem & Diepholtinum* obtinuit; porro per *pacificationem Westphalicam* cœnobium *Walkenried* cum pertinentiis, feudi perpetui titulo, accepit, denique anno 1665. d. 15. Martii vitam cum morte commutavit, nullis è conjuge *Dorothea Holsata*, quæ nunc in Electorali Brandenburgico thalamo recubat, anno 1653. ductâ liberis susceptis.

26. Proximus ab eo inter fratres nascendi sorte vitâ adhuc fruitur, is est

GEORGIUS WILHELMUS *Dux Brunsuicensis & Lunæburgensis*, natus d. 16. Jan. anni 1624. Princeps egregius & inprimis omnium Germaniæ Procerum & manu fortis & consilii plenus. Post parentis patruique *Friderici* fata *Calenbergicum Principatum* è formula paterni testamenti obtinuit, fratre autem defuncto eum cum *Cellensi* commutavit, quod quidem haud absque contentione peregit; cum enim id temporis, quo *Christianus Ludovicus* animam age-

bat,

bat, extra domum esset, atque aliis in oris à potentiore affectu detineretur, convertit ejus absentiam in suam utilitatem *Johannes Fridericus* frater natu minor, qui expiranti præsens fuit, atque illicò in possessionem vacuam arcis & civitatis Cellensis, aliquotque præfecturarum eò pertinentium, involavit, & subditos in suam fidem adegit; contra fas, ac normam paternæ dispositionis à fratribus juramento confirmatæ, qua cautum erat, ut si contingeret primogeniti lineam deficere, proximo nativitatis ordine arbitrium relinqueretur, vel anteà possessum Principatum retinendi, vel vacuefactum deligendi; hinc *Georgius Wilhelmus* occupationem à fratre factam turbationem interpretabatur; jamque crescente simultate ad bellum res spectabat; multis verò Principibus partes suas interponentibus ita tandem transactum est, ut supremæ parentis tabulæ intemeratæ colerentur, & Johannes Fridericus de *Cellensi Principatu* decederet, cum cum integris *Comitatibus Hojensi & Diepholtino* fratri natu majori restitueret, ipse verò *Principatum Calenbergensem* una cum *Grubenhagensi* obtineret.

27. Asciv*it Georgius Wilhelmus* in thorum viraginem imparis quidem conditionis, sed omnibus animi corporisque dotibus, fulgentissimam, neque nullius prosapiæ,

piæ, quippe è vetusta Pictavien sium in Gallia nobilitate ortam, *Eleonoram Desmiers*, *Alexandri Domini ab Obreuze & Jacobinæ Poussard de Vaudre* gnatam, *Alexandri I.* qui Subizii Ducis in bello Hugenotico Legatus fuit, atque in Medulensi pago cum filio primogenito *Johanne* cæsus est, neptem. Ea *Domina de Harburg* initiò dicta fuit, nunc verò Principibus fœminis æquiparata est, peperitque Serenissimo consorti quatuor filias, quarum tres in ipso vitæ introitu mors intercepit, quarta superat, nimirum

Sophia Dorothea, nata mense Septembri anni 1666. & desponsata anno 1675. agnato, è Wolfenbuttelensi linea, *Augusto Friderico*; hoc autem acerbo funere mersо, in manum anno proximè elapso 1682. d. 21. Nov. convenit *Georgio Ludovico* patrueli.

28. *Iohannes Fridericus* Dux Brunsuicensis & Lunæburgensis, postquàm per transactionē cum fratre, paulò antè memoratam, *Calenbergicum Principatum* obtinuit, *Hanoveræ* aulam domiciliumque instituit; jam antèa verò (nempe anno 1651) Pontificiæ religioni accesserat, neque tamen propterea subditorum conscientiis gravis extitit: Princeps ferebatur acutus & multùm providens, splendidus quoque & magnificus. Cùm præcipiti anno 1679. iter in Italiam, quam frequentare solebat, adornaret, Augustæ Vindeli-

delicorum repentino morbo correptus est; ita ut quintam intra diem, quæ octava & vicesima Decembris fuit, exanimaretur, relicta non nisi infirmioris sexus sobole, quam è conjuge *Benedicta, Eduardi Comitis Palatini* atque *Annæ Gonzagæ* filia, anno 1668. ducta, suscepit; quatuor omnino erant gnatæ, è quibus primogenita *Anna Sophia*, nata anno 1670. d. 10. Febr. altero abhinc anno d. 24. Mart. iterum decessit, reliquæ tres in vivis adhuc sunt:

I. *Charlotta Felicitas*, n. 8, Mart. 1671.

II. *Heinrietta Maria Iosepha*, n. 9. Mart. 1672. † 1678 Parisijs.

III. *Wilhelmina Amalia*, n. 26. Apr. 1673.

29. ERNESTUS AUGUSTUS, *Episcopus Osnabruggensis, Dux Brunsuicensis & Lunaburgensis*, Georgii filius natu minimus, lucem vitalem aspexit anno 1629. d. 10. Nov. Princeps tam in sago quàm in toga præstantissimus. Episcopatus Osnabruggensis gubernacula anno 1661. secundùm sanctionem Westphalicæ pacis, quemadmodum superiùs dictum est, capessivit; neque hæc dignitas obstitit, quò minùs *Johanni Friderico* fratri suo in *Principatu Calenbergico* succederet, cujus regimen auspicato suscepit, atque anno 1680. d. 22. & 23. Oct. provinciarum Ordines subditosque sollemni jurejurando

sibi obstrinxit. Uxor ei est *Sophia, Friderici V. Electoris Palatini & Elisabethæ Stuartæ* è Britanniæ Regibus ortæ filia, quam an. 1658. sibi copulavit atque septemplicem prolem ex ea sustulit:

I. *Georgium Ludovicum*, natum d. 28. Maji, 1660. Principem præclara indole, qui in nupero adversus Gallos bello, inprimis in expugnatione *Augustæ Trevirorum* & prœlio ad *Conserbrukam* commisso, quo *Crequi* acies fugata castrisque exuta est, pari se, ac parens, virtute præbuit; meruitque ut eum *Georgius Wilhelmus* patruus generum deligeret, in unitæ filia *Sophiæ Dorotheæ*, cum quad. 21. Nov. anni 1682. sollemnia nuptiarum peregit.

II. *Fridericum Augustum*, n. 3. Oct. 1661.

III. *Maximilianum Wilhelmum*, n. 14. Dec. 1666.

IV. *Sophiam Carolam*, n. 20. Oct. 1668.

V. *Carolum Philippum*, n. 13. Oct. 1669.

VI. *Christianum*, n. 29. Sept. 1671.

VII. *Ernestum Augustum*, n. 17. Septem. 1674.

30. *Sophia Amalia*, Ducum Lunæburgensium germana soror anno 1628. nata, à *Friderico III. Daniæ ac Norvvegiæ Rege* in matrimonium adscita est; nunc vero viduam vitam agit.

31. *Scu-*

§ 1. *Scutum*, quo Duces Brunſuicenſes uti communiter ſolent, *tres lineæ transverſales & duæ perpendiculares in duodecim areolas dividunt*, quarum 1. *aurea, corculis ſanguineis ſparſa, & leonem cœruleum linguâ & falculis coccineis deferens, deſignat* Ducatum Lunæburgenſem: 2. *coccinea, leopardos duos gradientes aureos, linguâ & falculis cœruleis, exhibens*, Ducatum Brunſuicenſem: 3. *cœrulea, leonem argenteum, linguâ coccineâ, referens* Comitatum Eberſteinium: 4. eademque ſecundi ordinis prima, *rubeâ, limbo, ex argenteis & cœruleis ſegmentis compoſito, cincta continet leonem aureum, linguâ & falculis cyaneis*, & Comitatum Homburgicum *indicat*: 5. *cœrulea, leonem ſalientem argenteum*, & quæ ei ſubſtrata eſt, octavâ *argentea, aquilam cœruleam repræſentant, & conjunctim* Diepholtenſem Comitatum *denotant*: 6. *transverſim ſecta, inferiore regione, ternas aureas & rubeas faſcias, ſuperiore rubea leonem aureum defert*, Comitatum Lauterburg *innuit*: 7. *quadripartita, prima & quartâ quadra aureos binos urſinos pedes, averſo ſitu locatos, exhibet*, & Comitatum Hojenſem *deſignat*; *ſecunda verò & tertia ſupernè binis rubeis atque argenteis faſciis diſtinguitur, inferiùs cyano & argento in crucem & decuſſim ſecatur, quod δᾶγμα eſt* Comitatus Bruchhuſani: 8. jam dicta eſt: 9. *teſſellis argenteis & rubeis impletur* Honſteinio Comitatui *notando*: 10. *argen-*

Spon. Op. Har. Sp. l. 2 c. 9.

argentea, cornu cervinum rubeum deferens, Reinſteinenſem Comitatum *deſignat*: 11. *argentea, cervum nigrum* Clettenbergicum *exhibet*: 12. *denique itidem argentea, cornu cervinum nigrum refert*, & Blankenbergicum Comitatum *denotat*.

32. *Huic ſcuto* quinque *incumbunt* galeæ coronatæ: Media Brunſuicenſis *eſt, ſuſtinens columnam coccineam, auro coronatam, & pennis pavoninis faſtigiatam; ante quam equus currens candidus conſpicitur, inter binas falces meſſorias argenteas, adverſis cuſpidibus ſibi oppoſitas, capulis rubeis, carchebis aureis, acie falcium in externo circuitu pavoninis orbiculis ambita. Huic galeæ* proxima à dextris Hojenſis *eſt, duos pedes urſinos protendens*; à ſiniſtris Bruchhuſana, *quæ inter duo cornua, ex argento & cocco ſectione media diſtincta, duodecim vexilla, minio atque argento picta, & è lanceis auratis ſuſpenſa, ſuſtinet.* Anterior galea Honſteinio-Lauterburgica *inter duo cornua cervina, quorum alterum rubeum, alterum argenteum, caudam pavoninam protendit.* Extrema Reinſteinio-Blankenburgia *duobus cervinis cornibus, nigro & rubeo, ſuperbit.* Telamones *ab utroque latere clypeum ſtipant* duo leones *per galearum extremas proſpectantes.*

33. Cæterum comprehenduntur Duces Brunſuici & Lunæburgi *ſub Circulo Saxonico inferiore*, gaudentq;, in eo, jure *Directorij*: accen-

censentur tamen etiam membris *Circuli Westphalici* ob Comitatus *Hojæ* & *Diepholtij*, ut & *Saxonici Superioris* ob Abbatiam *Walkenried*. In comitiis Imperii inter Principes *quatuor suffragia* ferunt, ob quatuor Principatus, quibus Ducatum Brunsuici & Lunæburgi distingui dictum est; nempe *Wolfenbuttelanum*, *Zellensem*, *Grubenhagensem* & *Calenbergicum*: in *Prælatorum* item *stamno* itidem jus sessionis & voti habent, ratione prædictæ Abbatiæ *Walkenried*, quod quidem *Rudolphus Augustus* in præsentia tenet: denique in *Comitum* etiam *collegio* triplici suffragio eminent, respectu Comitatuum *Blankenburgi*, *Hoja*, & *Diepholtij*.

CAP. V.

DE DUCIBUS MECKLENBURGICIS.

SEreniſſima Ducum Mecklenburgenſium familia originem ſuam à priſcis *Obotritorum Venedorumque* Regibus derivat, quorum ultimus *Pribislaus*, *Nicoloti II.* filius, poſtquam à *Waldemaro*, Canuti Dani (cui Lotharius II. Imp. *Obotritorum Regnum* in prædjudicium legitimorum hæredum conceſſerat) filio, nec non *Heinrico Leone Guelpho* multis bellis attritus, & magna regionis parte multatus eſt; ut pacem impetraret, è gen-

V. Conr. de Fin. Imp. Germ. l. 3. c. 16.

tis suæ more in mansuetudinem Christianam se convertit, atque sacro baptismatis fonte, ab Abbate monasterii S. Michaelis, in monte Lunæburgi ablutus, totum illum tractum, qui inter Albim & maris Balthici littoris oram jacet, quemque tanquam avitum patrimonium, excepto solo *Svverino*, paulò antè in Comitatum erecto, & *Gunzelino*, qui ex equestri familia de *Bartensleben* prognatus erat, collato, ab Heinrico Guelpho, recepit, Saxonicis ritibus imbuit, & templis ædificiisque ornavit: inprimis autem *Mecklenburgum*, pristinum Obotritorum Principum domicilium, à patre, ne in adversarii potestatem veniret, exustum ac dirutum restauravit, atque ab eo appellationem sollemniore auspicio trahens, novum nomen ad posteros transmisit. *Rostochium* etiã è *Kissini*, à Leone Guelpho diruti, ruinis exstruxit, quod processu temporum ejus posteri immunitatibus beneficiisque auxere, nec non forum ejus ad præscriptum *juris Lubecensis* ordinarunt.

Cranz. Vandal. l. 4. c. 36.

2. Ejus è filio *Heinrico Burvvino* nepos *Heinricus II.* (à quo Stemmatographiam familiæ orditi sumus) aliquot habuit gnatos, è quibus tres, *Iohannes*, *Nicolotus*, & *Burvvinus*, tres ramos condiderunt, *Mecklenburgensem*, *Vandalicum*, & *Rostochiensem*: sed postremus in *Burvvini* nepote *Nicolote*, quem

quem *Puerum* cognominarunt, quique ab Alberto Marchione Brandenburgico sibi timens, se cum omni ditione Erico IX. Daniæ Regi permisit, exaruit. *Nicoloti*, qui *Vandaliam* (*Wendiam* rectiùs vocari *Schurzfleischium* censet) sortitus est, posteritas per duo secula duravit, atque anno demum 1430 in *Wilhelmo* defecit: hinc Venedorum Principatus ad Duces Megapolenses delatus est, *non tam successione hereditaria, quàm placito inter se Principum, antecedente procul dubio Imperiali confirmatione*; quæ *Cranzii* verba de successione feudali modò citatus Vir eruditissimus interpretatur.

Diss. de vet. Mecklenb. Th. 16.

Ibid.

3. *Iohannes*, cui pietatis & sacrarum literarum studium *Theologi* cognomen peperit, stirpem propagavit, filiumque præter alios habuit *Heinricum*, qui ob navatam operam in expeditione sacra, qua à Saracenis captus non nisi post sextum & vicesimum annum libertatem recepit, *Hierosolymitanus* dictus est, & *Wismariam*, à Gunzelino II. Comite Suerinensi vel conditam vel restauratam sui juris fecit; nec non jure Lubecensi, multisque & magnis privilegiis donavit. Eo natus *Heinricus*, pro magnitudine animi, & rerum omnium dexteritate *Leo* cognominatus, ducta, *Alberti Marchionis Brandenburgici* filia, *Beatrice*, partim emptionis titulo, partim jure belli tractum *Stargardensem*, qui

Cranz. Vandal. l. 7. c. 11. Chytr. Chron. Sax. l. 10. p. 286.

anteà in ditione Marchionum fuerat, obtinuit: prætereà à *Christophoro*, *Daniæ Rege*, *Rostochium*, aliquandiu Danis obnoxium, pleno jure recepit. Ejus filios, *Albertum* & *Johannem*, Imperator Carolus IV. *expensis graviter & diligenter* (iterum cum *Schurzfleischio* loquor) *mutatæ olim in hac gente dignitatis causis, in Ducum fastigium evexit, & palàm comprobavit, hoc Regiæ stirpi se tribuisse, quod ad Bucephali caput, quo insignia eorum constant, Coronam adjunxisset.* Inaugurationis solemnia peracta sunt *Pragæ*, anno suprà millesimum trecentesimum nono & quadragesimo: Ab his verò *duæ* ortæ sunt *lineæ*, & *Johannis* quidem, cui *Stargardia* obvenit, prosapia floruit usque ad ejus pronepotem *Ulricum*, qui anno 1471 rebus humanis exemptus propaginem suam terminavit; quo casu accidit, ut Stargardia, cum Ducatu Megapolensi, iterum conjungeretur.

Lib. cit. Th. 10.

4. *Albertus, Johannis* frater, *Megapolitanos* reliquos continuavit: ex ejus filiis primogenitus *Albertus Richardin*, *Ottonis Rosæ Comitis Suerinensis* filiam unicam, uxorem duxit, quæ maritum luculenta possessione auxit, *Comitatu* nimirum *Suerinensi*, nec non *Dæmizio*, quod castrum est situ operibusque validum, vectigalique Albis præditum; à quo, sæpe laudato *Schurzfleischio* teste, *nervi quasi artusque potentiæ Ducis Suerinensis* ducum-

Ibid. Th. 16.

cuntur. Idem *Albertus* ob matrem *Euphemiam*, quæ *Magni Regis Suecie* filia erat, ab Ordinibus *Rex Suecie* vocatus est, sed à *Margarita* Daniæ Regina captus, regni spe excidit; ejus progenies in filio *cognomine* defecit, neque diutius posteritas *Heinrici* ejus fratris, quem, ob justitiæ zelum ac severitatem, in Nobiles latrocinia exercentes, *Suspensorem* cognominarunt, duravit; quippe, quæ itidem in filio ejus *Alberto III.* extincta est: Sed *Magnus*, tertius *Alberti I.* filius, stirpem propagavit per unicum, quem habuit gnatum *Johannem*: is unà cum patrueli *Alberto III.* Rostochii *Academiam* instituit, auspiciis anno 1419 factis, privilegiisque à Martino Pontifice acceptis; cumque etiam destinatus esset Regno Sueciæ anno 1422. sequenti anno è vita discessit, duobus relictis filiis *Johanne*, qui prole caruit, atque *Heinrico*. Hic *Pinguis* cognominatus, extinctis agnatis *Vandalica* & *Stargardica* lineæ, utrumque Principatum cum Mecklenburgensi denuò conjunxit, atque ad filios transmisit; inter quos *Magnus*, animi magnitudine ac rerum gerendarum prudentia clarus, è duobus filiis duplicem ramum profevit: quorum alter in *Heinrico Pacifico* majore natu, qui *Evangelicam Religionem* amplexus eam in ditione introduxit, ortus, in ejus nepotibus iterum exaruit.

Cranz. Vandal. l. 9. c. 8.

5. Felicioreae perenni propagine floruit *Albertus*, *Heinrici* frater, *Formosus* cognominatus; is enim complures procreavit mares, quorum tres in coniugio vixere, nempe *Joh. Albertus*, *Ulricus*, & *Christophorus*: hic *Raceburgiam* Diœcesin octo & triginta annorum spatio administravit, genuinumque DEI cultum, abolitis ritibus Romanis, instauravit; à *Rigensi* Præsule in *Coadjutorem* ascitus, eo mortuo, Archiepiscopatum, opera Erici Sueciæ Regis, occupavit; verùm mox à Gotthardo Curlandiæ Duce & Ern. Weihero, Sigismundi Regis Poloniæ Legatis, in arce *Dalema* captus, sedeque deturbatus, atq; in Poloniam missus, totos ibi quinq; annos sub custodia fuit; tandem autem libertati redditus reliquum ætatis domi, Chymicis & Musicis studiis sese oblectando, transegit, donec anno 1592. repentina morte opprimeretur. Uxores duas habuit, utramque Regibus editam, primam *Dorotheam*, *Friderici R. Daniæ filiam*, eamque sterilem: secundam *Elisabetham*, *Gustavi R. Sueciæ* gnatam, è qua non nisi filiam, ejus pronepoti è fratre posteà nuptam, suscepit. *Ulricus Episcopus Suerinensis* fuit, fratrique primogenito in stabilienda Evangelica religione, constituendis judiciis, omnibusque quæ dilapsa jam diffluxerant, severis legibus vinciendis, strenuam operam navavit; eique

Thuan. Hist. l. 31. p. 646.

que tricennio ferme superfuit, decessit enim septuagenario major anno 1603. Sobolem è duplici matrimonio unicam tantum infirmioris sexus sustulit, è priore conjuge *Elisabetha, Dana, natam Sophiam*, quæ *Friderico II. Daniæ Regi* matrueli suo in manum an. 1572 convenit, atque anno 1631 obiit: quod quidem in *tabula Rittershus.* notandum, sphalmaque typothetæ, quasi anno 1572. vivere desiisset, corrigendum.

6. *Johannes Albertus*, potior inter fratres nascendi sorte, disciplinæ tam sacræ quàm civili reducendæ ac reformandæ unà cum fratre *Ulrico*, ceu dictum est, summo studio ac consensu incubuit: orta tamen posteà inter ipsos est discordia, occasione dissidii, quod inter *Senatum Populumq; Rostochiensem* exarserat; cui componendo cùm Senatus *Johannem Albertum* accivisset, & Cæsareo etiam mandato instructum in urbem armatum intromisisset, ipse, populo in ordinem coacto, Senatum etiam duris tractavit modis, atque imperata facere coëgit: *Ulricus*, re percepta, perindignè id tulit, ei quippe non minus ac fratri civitas juramento devincta erat; jamque ad motum res spectabat, quem tamen Imperatoris auctoritas maturè compressit. Reducti ad pristinam concordiam fratres, consociatis viribus Rostochienses vexarunt atque afflixerunt, diruti-

v. Chytr. Chron. Sax. lib. 21. p. 625. 629. lib 23. p. 685.

que

que ad portam urbis meridionalem mœnibus, arcis munitæ ædificationem inchoarunt; tandem verò Nobilitate partes suas interponente, præter Rostochiensium opinionem res composita est, ita, ut (*Thuani* verbis) *summi Imperij umbra penes Principes remaneret, Rostochienses jus ipsum, privilegia antiqua & libertatem retinerent, & arx illa formidabilis à fundamentis diueretur:* id actum XI. Kal. Octobr. anno 1573. qui dies annis vertentibus deinceps, festo nolarum sonitu & cantico B. B. Ambrosii & Augustini, sollemnis celebratur: *additum fuerat transactioni, ad placandos honorifica satisfactione Principes, ut Senatus & Cives sub dio extra oppidum ab Alberto & Ulrico præteritorum veniam peterent, & novo sacramento illis fidem obligarent:* quod sollemni ritu Februario proximo peractum est, tumque arx ab illis tradita, & à Rostochiensibus solo æquata fuit.

Hist. l. 57.

7. Decessit *Johannes Albertus* anno 1576. duobus post se filiis relictis: *Iohanne*, & *Sigismundo Augusto*, quorum hic fratrem quidem vivendo vicit, sed prole caruit; ille *communis* hodiè viventium *parens*, virtute ætateque florens immatura morte an. 1592. extinctus est. Ab ejus filiis, quos duos è *Sophia Holsata* suscepit, *Adolpho Friderico* & *Iohanne Alberto* duæ ortæ sunt lineæ; *Suerinensis* nempe & *Gustravienſis*; quibus

bus hodienum familia distinguitur. Varia istorum Principum fortuna, qua bello tricennali jactati sunt; qua ratione avitis ditionibus universis Cæsaris jussu ab *Alberto Waldsteinio* exuti fuerint, quo modo à Suecia Rege in eas restituti, quôq; pacto Cæsari reconciliati, notiora sunt, quàm ut stylo egeant.

8. Id autem memorandum, quæ per *pacificationem Westphalicam* bonorum Ecclesiasticorum accessiones ad Ducatum Mecklenburgicum factæ, quaque patrimonii sui parte Principes multati fuerint: nimirum cum civitatem portumque *Wismarienſem* Sueci mordicùs tenerent, atque nisi ejus plenaria cessio sibi fieret, in pacem se consensuros pernegarent; necesse habuere Mecklenburgici Duces, ne publicæ tranquillitati obessent, Imperatoris atque Imperii voluntati concedere, & tam opulentæ patrimonii parti, *qua* (liceat mihi *Schurzfleischii* verba denuò huc transferre) *in tota Germania nec aptior, nec utilior est ad rem maritimam*, renuntiare: in hujus verò abalienationis, detrimentique exinde accepti, compensationem, traditi eis sunt ac pleno jure attributi duo *Episcopatus*, *Suerinensis* ac *Raceburgensis*; quorum ille regnante Heinrico IV. anno 1062. in urbe *Megapoli* constitutus, posteà à Slavis ad superiorem superstitionem relapsis,

Art. 12.

Dissert. cit. Th. 18.

pfis, deletus, ab Heinrico Leone Guelpho anno 1170. instauratus, atque in oppidum *Svverin* translatus fuit; hic verò itidem sub Heinrici IV. imperio cœptus, deinceps à Venedis officium & sacra deferentibus, iterum eversus, ab eodem Heinrico Leone Guelpho restauratus, reditibusque locupletatus; uterque verò prædicta pacificatione ad jus seculi redactus est; ita ut nunc haud aliter, quàm alius secularis Principatus, cum annexa sessionis & suffragii dignitate, à Ducibus Mecklenburgicis, jure perpetuo, quoad mares è familia superfuerint, possideantur atque administrentur. Porrò ne quid valori satisfactionis deesset, duæ præfecturæ sacræ, id est, *Commendæ Hierosolymitani Ordinis* in Ducatu Megapolitano sitæ, Ducibus assignabantur; ita ut altera earum *Mirovv* Suerinensi, altera *Nemerovv* Gustravienſi in perpetuum attributa esset, maneretque; reditus etiam pro certa portione, ex prætensis duobus Ecclesiæ Argentoratensis Canonicatibus obventuri, illis addicebantur. Cæterum ob *vectigal Warnemundanum* contentionis funem adhuc ducunt Sueci, dictitantes, ejus exigendi jus potestatemque verbis *Instrumenti Pacis Osnabrugg. §. præterea &c.* Art. 10. sibi tributum esse, cui prætensioni non modò Cæsar, Imperiique Principes contradixerunt, sed Duces etiam hanc pro jure suo atque salute

lute suæ ditionis commerciorum causam susceperunt, & in comitiis crebris libellis exposuerunt, eamque hodienum omnio studio persequuntur. Argumenta, quibus talem servitutem vectigalis abs se deberi negant, summatim sæpe laudatus *Schurzfleischius* recensuit. *Dissert. cit. Th. 21.*

In *Suerinensi linea* familiam nunc ducit CHRISTIANUS LUDOVICUS, *Dux Mecklenburgi, Princeps Vandaliæ, Suerini & Raceburgi, Comes Suerinensis, Dominus terrarum Rostochij & Stargardiæ*, filius *Adolphi Friderici*, qui d. 24. Febr. an. 1658. diem obiit, ac *Annæ Mariæ, Comitissæ Frisiæ Orientalis*, d. 5. Sept. anno 1634. defunctæ, natus Cal. Dec. anno 1623. Matrimonio sibi sociavit d. 6. Jul. anno 1650. patruelem suam *Christinam Margaritam*, viduam *Francisci Alberti Ducis Saxo-Lauenburgici*: verùm orto inter ipsos, post aliquot annorum consuetudinem, ratione pactorum dotalitiorum, bonorumque paraphernalium dissidio, tandem malis divulsos querimoniis, suprema citius solvit amor die. Itaque cum ille in Galliis frequens ageret, captus amore *Isabellæ Angelicæ Montmorantiæ, Francisco Comite de Bouteville* natæ, maritoque, qui *Caspar Colinius Castilionæi Dux* fuerat, orbatæ, quod ea aliis sacris, aliique thoro

thoro implicito nubere dubitaret, ad Pontificiam religionem animum adjecit, eamque Lutetiæ Parisiorum coram *Antonio Barbarino* Cardinali, & Commissario Papali d. 29. Oct. anno 1663. sollemni ritu professus est, postridieque Sacramento Confirmationis initiatus, *Ludovici* nomen priori junxit, deinceps d. 2. Nov. posteaquàm à prædicto Cardinali, nomine Pontificis Romani à priore conjugio, quasi illegitimum id esset, eò quod Juri Canonico adversaretur, absolutus est, facultatemque aliud matrimonium ineundi obtinuit, illam, quam deperibat, duxit, & priorem conjugem repudii nota affecit; biduo abhinc *Equitibus S. Spiritus* adscriptus fuit, Ordinisque insignia ab ipso Rege sollemni ceremonia accepit, omnibusque honoribus, quos Supremis Principibus exhibere solet, mactatus est. Verum enim verò nec magis concorditer ac amanter cum hac secunda conjuge hactenus ætatem egit, sæpiusque iræ inter eos intercesserunt, quæ non una vice apertè eruperunt; nuncque adeò exarserunt, ut sese mutuò litibus coram summis Galliæ Germaniæque tribunalibus differre, ac desertionis postulare cœperint. Sobolem Christianus ex utroque conjugio nullam vidit.

10. *Fratres* ejus *germani*, (quos *tres* habuit) omnes ad plures abierunt: *Carolus* qui mili-

militiam secutus Suecis stipendia fecit, *Miraviæ*, ubi postremos vitæ annos exegit, d. 21. Aug. a. 1670. vitam cum morte commutavit.

11. *Johannes Georgius*, qui *Miraviam* post fratris obitum incoluit, matrimonium an. 1675. d. 2. Febr. contraxit cum *Elisabetha Eleonora*, *Antonii Ulrici Ducis Brunsuic.* filia, sed sexto abhinc mense, die nimirum 9. Jul. fatorum malignitate raptus est.

12. *Gustavus Rudolphus*, anno 1632. (non 1631.) natus, *Canonicus Argentinensis* fuit, atque an. 1670. d. 14. Maji vita concessit, nullis ex *Erdmuthi Sophiæ*, *Francisci Heinrici D. Sax. Infer.* filia, quam anno 1667. duxerat, liberis susceptis.

13. Inter eorum *sorores germanas* unica superat *Sophia Agnes*, desponsata d. 28. Jul. a. 1650. *Erdmanno Augusto March. Brandenb.* sed ante consummationem nuptiarum è vivis sublato. Habitare eam ajunt in arce *Rüen.*

14. Altera *Anna Maria*, quæ *Augusto Duci Saxoniæ Administratori Magdeburgico* in manum convenit, emortualem diem habuit 11. Dec. anni 1669.

15. Intertia *Juliana* notam meretur Iphalma *tabulæ Rittershusianæ*; nata quippe ea fuit anno 1633. d. 8. Nov. denata verò an. 1634. d. 3. Febr.

16. E Christiani *fratribus consanguineis*, secundâ *Adolphi Friderici* uxore, *Mariâ Ca-*

tharinâ Brunſuicenſi, quæ in dotalitio *Krabban* Calendis Julii an. 1665. obiit, genitis, duo ſuperſunt:

FRIDERICUS *Dux Mecklenburgi, &c.* natus d. 13. Febr. an. 1638, in caſtris Electoris Brandenburgici Ductor legionis meruit, nunc *Krabbovij* habitat, atque an 1681. cum fratre regente de alimentatione, transegiſſe fertur; ita ut ſingulis annis ſex mille thaleros acciperet, & loco hypothecæ Præfecturas *Neuſtad & Gnadebuſch* teneret. Habet is in conjugio *Chriſtianam Wilhelminam, Wilhelmi Chriſtophori Landgravij Haſſiæ in Bingenheim* filiam, anno 1671. ductam, è qua duos ſuſcepit gnatos:

I. *Fridericum Wilhelmum*, n. 13. Mart. 1675.

II. *Carolum*, n. 1679.

ADOLPHUS FRIDERICUS *Dux Mecklenb. &c.* poſt parentis cognominis fata in lucem editus anno 1658. d. 19. Oct. cum è peregrinatione redux factus eſſet, aliquandiu apud patruelem Guſtravienſem commoratus eſt, nunc autem in caſtro *Feldburgenſi* degere perhibetur.

17. *Philippus Ludovicus & Heinricus Guilielmus*, iſtorum fratres, brevis ævi fuerunt: hic enim d. 2. Dec. ejusdem anni, quo natus eſt, nempe 1653. deceſſit; ille verò d. 30. Maji 1652. genitus, d. 20. Oct. 1655. obiit. Hos

na-

nascendi ordine antecessit *Adolphus Ernestus*, à *Rittershusio* omissus, natus d. 22. Novembr. 1650. denatus d. 13. Jan. 1651.

18. Inter filias *Adolphi Friderici* è posteriore thoro, atque adeò eorum, quos ultimo loco recensuimus, *germanas sorores*, quatuor superstites sunt:

I. *Iuliana Sibylla*, n. 16. Febr. 1636. quæ *Krabbovij* agere fertur.

II. *Christina*, n. 8. August. 1639. *Abbatissa Gandersheimensis*, cujus superiùs mentio facta est.

III. *Maria Elisabetha*, n. 24. Mart. 1646. quæ itidem *Krabbovij* vivit.

IV. *Anna Sophia*, n. 24. Nov. 1647. nupsit d. 25. Mart. 1677. *Julio Sigismundo, Duci Würtenbergico & Silesiæ in Oels.*

19. *Augusta* harum soror, natalem diem habuit 24. Sept. 1643. emortualem 5. Maji 1644.

20. *Gustravienſem* ramum in præsentia sustinet

GUSTAVUS ADOLPHUS, *Dux Mecklenburgi, Princeps Vandaliæ, Suerini & Raceburgi, Comes Suerinensis, Dominus terrarum Rostochij & Stargardiæ*, filius *Johannis Alberti*, qui *Reformatorum* sacris accessit, atque anno 1636. supremum diem explevit, è tertia ejus conjuge *Eleonora Maria Anhaltina*, anno 1657. mortua, natus

tus d. 26. Febr. anno 1633. Eum tutor patruus, matri invitæ abductum, *Augustanæ Confessionis* dogmatibus imbui curavit. Cùm *Episcopatûs Raceburgensis Administrator* designatus esset, eoque jure in pacis commodum se abdicasset, duo beneficia Ecclesiastica sive Canonicatus, si tales *Magdeburgi* & *Halberstadii* vacare contingeret, ei imperiendi in
d. Art. 12. *Instrumento Pacis* promissi sunt. Patruele *Rostochium* ingrediente, ut jurejurando civitatem obstringeret, ipse quoque, ut suis invigilaret juribus, eò se contulit: res verò citra majores motus peracta est: videri potest
Ennead. 2. lib. 1. p. 18. *Thuldeni Historia Europæa.* Connubio sibi junxit d. 28. Nov. an. 1654 *Magdalenam Sibyllam*, *Friderici Ducis Holsatiæ & Slesvvici*, ac *Mariæ Elisabethæ D. Saxoniæ* filiam, è qua procreavit:

I. *Iohannem*, n. 2. Dec. 1655. †. 6. Febr. 1660.

II. *Eleonoram*, n. 1. Jun. 1657. †. 24. Febr. 1672.

III. *Mariam*, n. 9. Jul. 1659.

IV. *Magdalenam*, n. 4. Jul. 1660.

V. *Sophiam*, n. 21. Jun. 1662.

VI. *Christinam*, n. 14. Aug. 1663.

VII. *Carolum*, n. 18. Nov. 1664.

VIII. *Hedvvigen*, n. 12. Jan. 1666.

IX. *Ludovicam*, n. 28. Aug. 1667.

X. *Eli-*

X. *Elisabetham*, n. 13. Sept. 1668.

XI. *Augustam*, n. 27. Dec. 1674.

21. Fratrem *Gustavus Adolphus* nullum habet, sorores etiam omnes amisit; has inter *Anna Sophia* ejus germana, quæ in conjugio *Ludovici D. Lignicensis* vixit, anno 1669. d. 19. Febr. è vita discessit; reliquæ duæ, quæ è primo *Johannis Alberti* matrimonio provenerunt, nempe *Sophia Elisabetha*, *Augusti D. Brunsuicensis* tertia conjux, & *Christina Margarita*, quæ post *Franciscum Albertum Ducem Saxo-Lauenburgicum*, *Christiano Patrueli* inauspicatò, ceu narratum est, nupsit, vivendi finem fecerunt: hæc d. 16. Aug. an. 1666; illa d. 12. Jul. an. 1676.

22. *Scutum* Ducum Mecklenburgicorum, *duabus lineis transversis & una perpendiculari in* sex *dividitur* latercules: primus *aureus nigrum bubuli caput aversò situ locatum, argenteo annulo per nares trajecto, & cornibus argentatis, quæ è corona rubea prominent, ornatum, quo* Mecklenburgensis Ducatus *designatur*: secundus *cæruleus gryphum aureum repræsentat*, Rostochii *symbolum*: tertius *transversim bipertitus, superiore parte cæruleus est impresso grypho aureo, inferiore incerti coloris, ac* Suerinensem Episcopatum *denotat*: quarrus *coccineus crucem pedatam argenteam, latera tamen areæ non attingentem exhibet; quod emblema est* Raceburgensis Episcopatûs: quin- *Spen. Op. Har. sp. l. 1. c. 61.*

tus *rubeus brachium è nube protensum, argento vestitum, atque annulum gemma insignem manu ostentans, continet*, Suerinensis Comitatûs δᾶγμα: sextus *denique aureus bubalinum caput nigrum corona rubea redimitum & cornibus argentatis armatum exhibet; sed obliquo situ locatum, & linguam rubeam exserens, quo* Principatus Vandaliæ sive Wendiæ *connotatur. Incumbit Scuto* parmula, *quæ superiore parte rubet, inferiore auro fulget; qua* Stargardiæ Dominium *indicatur*: Cassides *imponuntur* quinque, *omnes coronatæ;* prima *exorientem gryphum* Suerinensem, secunda Stargardensis *duo cornua superiore parte rubentia, inferiore aurata sustinent:* media *impositum habet post sepimentum, palis acuminatis cœruleis, aureis, coccineis, argenteis & furvis constans, caput bubali* Mecklenburgici, *transversè tamen locatum; & post illud caudam pavoninam:* quarta *galea* Rostochiensis *ostentat jugum alarum cyano & auro pictarum*, extrema *verò* Raceburgensis *septem vexilla sustinet.* Laciniæ *circumfluunt a dextris aureæ, rubeæ & cœruleæ, à sinistris nigræ, cœruleæ, aureæ, rubeæ atque argenteæ:* Telamones *clypeum stipant, hinc* bubalus, *isthinc* gryphus.

23. Comprehenduntur Duces Mecklenburgici sub *Circulo Saxonico inferiore*, atque in Senatu Principum Imperii *quatuor suffragiis* eminent; quorum tria Suerinensis, Dux fert:

fert: primum quidem qua talis, secundum qua Episcopus Suerinensis, tertium qua Episcopus & Princeps Raceburgensis: Gustraviensis Dux unum tantùm votum obtinet. De ordine sessionis ac suffragii dicendi consuli potest *Limnæus* in *additionibus ad J. P.* L. 3. c. 12.

CAP. VI.

DE DUCIBUS WIRTENBERGENSIBUS.

SEreniſſimorum Ducum Wirtenbergenſium ſtemma, qui ultra *Conradum*, illiusque Parentem *Albertum*, quorum nomen ſeculo undecimo inclaruit, continuâ graduum ſerie deducere, ejusque originem vel ex Italia, vel è Gallia arceſſere conantur, eos incerta atque abstruſa rimari, Hiſtoriarum Scriptores experiendo jam dudum obſervarunt: contenti proinde ſimus (ut diligentiſſimi *Annalium Sueviorum* auctoris, *Martini Cruſii*, verba mea faciam) noviſſe Wirtembergenſes initiô fuiſſe *Beutelſpachenſes Dynaſtas* & eorum ſedem *Beutelſpachium*. Ille verò, quem dixi, *Conradus*, magna, ob inſignem corporis animique fortitudinem, exiſtimatione atq; auctoritate valuiſſe, & Imperatori Heinrico IV. adverſus ejus hoſtes, quos plurimos habuit, Part. 3. l. 2. c. 10.

inprimis Rudolphum Suevum, Anti-Cæsarem, strenuam operam navasse, propterea-que primus è familia *Comitis Wirtenbergensis* axiomate ab ipso auctus, hocque feudo donatus fuisse memoratur. Ejus filii posteriqué aliquot graduum diversimodè recensentur; notavitque variationes istas Celeb. *Spenerus* in *Sylloge*, quas hic loci repetere haud immeritò supersedemus. Pag. 553.

2. Certior familiæ deductio, graduumque series ab *Eberhardo* I. qui anno 1253. fatis concessit, texitur; is avitas ditiones insigni accessione Comitatûs *Uracensis* auxit: cùm enim Cuno ac Berchtoldus, Comites Uracenses, Egonis filii, à Berchtoldo Duce Zeringensi iplorum avunculo, ob electionem sui ad Imperium adversus Philippum Suevum, Principibus Electoribus, pro certa pecuniæ summa eis promissa, oppignorati, illo promissa non præstante, in custodia detinerentur, votum pro liberatione susceperunt; cujus damnati, id exsolverunt, vitamque monasticam amplexi sunt. Unde Berchtoldus posteà in Abbatem cœnobii Salmanswilerani electus, suam Comitatûs Uracensis partem vitrico, Eberhardo scil. Wirtembergico, cui eorum mater, Berchtoldi Zeringensis soror, nupserat, pro certâ pecuniæ summâ vendidit; Cuno autem Eslingense asceterium ingressus, suam portionem

nem sodalibus reliquit, quam deinceps *Eberhardus*, permutatione ejus cum quibusdam ex *Ulbacho* reditibus facta, recepit, atque adeò integrum Comitatum Uracensem Wirtenbergico incorporavit; à titulo tamen ejus ipse posteriqueabstinuerunt, atque insignibus tantùm utrumque Comitatum complexi sunt; ita ut Wirtenbergensem tesseram in clypeo, Uracensem galeæ impositam, gestare consuescerent.

3. *Eberhardus* II. illius è filio *Ulrico cum magno pollice* nepos, *Illustris* cognominatus, fortunæ vicissitudines expertus est; cùm enim interregni tempore opibus ac potentia crevisset, atque à Rudolpho Albertoque Impp. variis beneficiis cumulatus esset, posteà ab Heinrico VII, quod ei obsequium detrectaret, universis ferè ditionibus exutus, sed à Ludovico Bavaro in integrum restitutus est. Is ipse dimidiam partem *Calvensis* Comitatus, qui suos quondam Comites, eadem cum Wirtenbergicis stirpe oriundos, habuit, atque iis extinctis ad Tubingenses hæreditate pervenit, ab his emptionis titulo acquisivit. Quanquam enim *Crusius* ejus nepotibus *Eberhardo III.* & *Ulrico* ascribat, quod *Calvæ* oppidum & arcem à *Wilhelmo, Comite Tubingensi*, pretio comparaverint; Id de tamen reliqua parte tantùm accipiendum est, *Neiffen* autem oppidum ac burgum *Part. 3. l. 4. c. 14.* *Paralip. p. 99.*

gum cum annexis juribus ac bonis à *Conrado de Weinſperg* ejusque filiis, *Eberhardum II.* an. 1301. 7000 libris obolorum emiſſe rectè memorat. *Ulricus IV. Grœningenſem* Comitatum, quem jam anteà Albertus Imp. Comiti ſuo ab Adolphi Naſſovii partibus ſtanti ademptum, *Eberhardo II.* ejus parenti jure antichretico conceſſerat, Fridericus Pulcher Imp. autem an. 1316 reluerat, tandemq; Ludovicus Imp. *Agneti Schluſſelburgiæ* donaverat, à *Conrado Comite Schluſſelburgio* an. 1336, 6000 libris obolorum emit, Ludovico Cæſare contractum confirmante, ac *Vexillum Imperii* ſimul Ulrico conferente. Poſtea idem cum fratre Eberhardo Contentioſo a. 1342. à *Gœzone, Godefrido,* & *Wilhelmo,* fratribus, *Comitibus Palatinis Tubingenſibus,* eodem titulo civitatem *Tubingenſem,* cum caſtro & omnibus ſuis annexis, acquiſivit.

Id. part. 3. l. 4. c. 13.

4. *Ulrico* IV. ſucceſſit *Eberhardus* III. dictus *Contentioſus,* der Greiner / is à Carolo IV. Imp. *Advocatus* XXIV. civitatum Imperialium in Suevia conſtitutus, iis, non una vice bello afflictis, pro defenſione ingentem pecuniæ ſummam impoſuit. A *Friderico Teccia Duce,* dimidiam partem arcis *Teccia* & *Kirchheimia,* nec non *Owen* & *Gutenberg,* ejusdem ditionis, an. 1376. & 1385. ære ſuo acquiſivit, cedente etiam deinceps reliquo Ducatu Teccenſi Domui Wirtembergicæ.

Cruſius part. 3. l. 8. c. 13.

Præ-

Præterea *Achalmensem* Comitatum, *Alberto* ultimo *Comite Achalmensi & Pfullingensi* victo atque extincto, suis ditionibus adjecit; dum eodem penè tempore ejus filius *Ulricus* VI, qui patris fata prævertit, atque in cruenta ad *Wilam* pugna an. 1388. occubuit, arcem *Hohenstauffen* à Nobilibus *de Rietheim*, quibus ea ab Austriacis Principibus an. 1370. pignori opposita, pretio persoluto emit, contractum *Carolo* IV. Imp. an. 1378. confirmante. Successit deinceps Avo Eberhardo nepos *Eberhardus Mitis*, suis virtutibus, suaque authoritate, & Aulæ magnificentia insignis.

5. Eximium autem illud fuit incrementum, quod *Heinrietta Montispelicardensis*, *Eberhardi V*, *Mitis* filii, *Eberhardi Junioris* uxor, Wirtenbergensi domui intulit; ea prognata erat patre *Heinrico de Montfaucon*, *de Montbelgard*, *Domino d' Orbes*, matre *Maria de Castillon*; avo *Stephano de Montfaucon*, *Comite Montipelicardensi*, *Margarita de Cabillone* marito: post cujus mortem *Heinrietta*, ceu major natu, *Comitatum Montipelicardensem* erexit, & *Eberhardo Wirtenbergico*, thori socio, attulit; quem etiam triplicis sobolis parentem fecit: maresduo erant, *Ludovicus* II. & *Ulricus* VII, à quibus *nova stirpis divisio* orta est.

6. Lu-

6. *Ludovicus*, partem Principatus *superiorem* cum *Monpelicardo* fortitus est, atque *Uraci* aulam, domicilium que instituit; à Conrado Comite Helfensteinio anno 1447. arces *Gerhausen*, *Ruck* & *Blavvenstein*, item oppidum *Blaubeuram* & pagos quosdam 40000. florenis emit; propaginem verò haud diuturnam habuit, quippe quæ in ejus filio *Eberhardo* VI. terminata est. Is *Barbatus* cognominatus *Tubingensem Academiam* an. 1477. fundavit, Princeps virtutis nobilissimæ, atque inviolabili mentis rectitudine præditus, eaque propter Maximiliano Imp. percharus; à quo novo etiam axiomate decoratus, & in Comitiis Wormatiensibus an. 1495. *Dux Wirtenbergensis & Teccensis* creatus est. Prolem è *Barbara Gonzaga*, uxore legitima suscepit quidem, sed βραχύβιον, cumque an. 1496. fatorum legem implevisset, non nisi filium naturalem, *Ludovicum à Greiffenstein* dictum, J. U. Doctorem, reliquit.

Cruf. paralip. p. 99.

7. *Ulricus VII*, cui mira humanitas, qua pollebat, *Adamati* cognomen peperit, in divisione cum fratre *Ludovico* partem Principatus *inferiorem* obtinuit, & *Stutgardiæ*, quam insigniter exornavit, sedem fixit; bellis, quæ cum Suevicis civitatibus & Friderico Victorioso Palatino gessit, famam nomen-

nomènque sibi paravit ; Discessit è vita an. 1480. inter ejus filios *Eberhardus VII, Junior* dictus, *Eberhardo seniori* sive *Barbato* patruelì in Ducatu successit : cujus tamen administratione postmodùm se abdicavit, atque in Palatinatum secessit. cùm prole careret, successorem habuit nepotem ex fratre *Heinrico*. Hic, *Heinricus* nempè, è duplici conjugio duos genuit filios, *Vlricum* ac *Georgium*; in quibus nova rursus stirpis divisio contigit.

8. *Vlricus*, successor *Eberhardo* patruo ab Imperatore Maximiliano I. immatura adhuc ætate constitutus, cum sextum & decimum annum impleviſſet, ejusdem Augusti beneficio è tutela emissus & suæ potestatis factus est ; quod Cæsar præclaræ indoli, quæ in juvene elucebat, dedit. In *bello Bavarico* ipse etiam arma, jubente Imperatore, adversus Palatinum corripuit, & plurima loca cũ *Lövvensteinensi Comitatu* occupavit; quorum maximam partem, speciatim *Weinspergam*, *Maulbronnam*, *Neostadium*, ac *Meckmuhlam*, per pacificationem, qua bello finis impositus fuit, sibi asseruit ; *Lövvensteinensem* verò Comitatum restituit, ea quidem lege, ut deinceps *beneficii titulo* à Wirtenbergensibus teneretur : præterea Dynastiam *Heidenheim* & arcem *Hallenstein* (quam Ludovicus Bavarus *Vlrico Adamato* venditam,

postea

postea, quod iste Friderici Austriaci partibus faveret, iterum armis ei extorserat) recepit. Porrò à *Ferdinando Novocastrensi*, nec non *Claudio* ac *Marco de Cusance*, jura sua, quæ habebant in dominiis *Blamontii*, *Hericuriæ*, *Clermontii*, *Chastelotii*, & *Insularum*, *Clervalli*, ac *Passavantii*, ex capite fideicommissi, quod *Theobaldus Novocastrensis*, Maresc allus Burgundiæ, *Ferdinandi* patruus, per tabulas supremas d. 28. Octobr. an. 1463. Dolæ scriptas, instituit, contractu emptionis-venditionis an. 1505. acquisivit, & contra *Bonnam* atque *Elisabetham*, *Claudii Novocastrensis*, qui *Theobaldi* filius erat, gnatas, earumque maritos, *Wilhelmum Furstenbergium* & *Felicem Werdenbergium*, qui *Guilielmo*, *Claudii* fratre ultimo, defuncto, loca illa occupaverant, sibi asseruit; quare isti jura sua transtulerunt in Ferdinandum Archiducem, hic porrò in Gabrielem Salamancam, Comitem Ortenburgicum; unde lis orta, quæ hodienum in Camera Spirensi indecisa pendet. Sed & *Anna*, *Ferdinandi Novocastrensis* filia, bona Novocastrensia sibi vendicatum ivit, transmisitque prætensiones suas ad tres filias, quas *Christophoro Lonviano*, (*de Longuy*) *Domino de Longepierre*, marito suo peperit, quæque totidem fratribus, è *Ryensium* apud *Sequanos* familia, nupserunt; quorum posteri deinceps, atque hac etiam nostra ætate Wir-

te Wirtenbergensibus ex eo capite molestiam exhibuerunt. *Hohentwielense* denique castrum, summitati rupis inaccessæ impositum, idem Ulricus à vidua *Clingenbergia* pretio comparatum, ditionibus suis adjecit.

9. Verùm enim verò ingens mox tempestas in *Ulricum* ingruit: cum enim arma, à civicis motibus contra Reutlingenses, vertisset, Principes ac civitates fœdere Suevico conjunctæ, ut sociorum injurias ulciscerentur, communes copias in eum duxerunt, & omnibus trans Rhenum ditionibus exutum, Montpelicardum se recipere coëgerunt: posteà Ducatum Carolo V. Cæsari, ut sumptus bellicos reciperent, anno 1520. d. 6. Febr. vendiderunt, à quo in divisione provinciarum Ferdinando fratri traditus est; in cujus potestate permansit, usque ad annum 1534. quo, exolescente fœdere Suevico, & Ferdinando in belli Turcici apparatibus in Pannonia occupato, *Ulricus* opera Philippi Hassiæ Landgravii, prospera ad *Laufenam* commissa pugna, avitum Ducatum recuperavit, secutâ deinceps *transactione Cadamicâ*. *Thuan. Hist. lib. 1.*

10. Restitutus in patrimonium *Ulricus*, *Evangelicam religionem* in ditionibus introduxit, postea fœderi *Smalcaldico* nomen dedit; quo ipso, inclinantibus fœderatorum

rum rebus in propinquum iterum discrimen perductus est; quod tamen, Cæsari in tempore supplex factus, avertit. Ferdinandus autem, quasi priora pacta violasset, de tota provincia litem ei impegit, cui ille anno 1550 immortuus est, succedente ei filio *Christophoro*. Hic, varia fortuna à puero ad virilem usque ætatem exercitus, Ducatum summa cum laude, famâque posthuma administravit, legum saluberrimarum atque utilissimarum sanctionibus munivit, & ædificiis ornavit firmavitque; de cætero confessionis Augustanæ acerrimus propugnator, quam & Tridenti tuendam susceperat: parta Imperio pace, pacis studia coluit, domique quietum se continuit, sacrorum librorum lectione senectutem oblectans: persolvit naturæ debitum *Stutgardiæ* extremo anno 1568, relicto filio unico (cæteri enim ante patrem fato functi sunt) *Ludovico*, nondum ex ephebis egresso. Hic, posteaquam matura ætate Ducatus regimen suscepit, quod Formulæ Concordiæ promovendæ incubuit, *Pii* cognomentum meruit; & cum liberis destitutus esset, ut memoriam nominis ab interitu vindicaret, *Collegium illustre Tubingæ*, primo 1589 lapide posito, ingenti sumptu condidit: finivit vitam lineámque an. 1593. d. 8. Aug. haud multum 40 ætatis annum supergres-

Thuan. Hist. l. 41.

greſſus, Ducatúsque hæreditatem agnato proximo *Friderico* transmiſit.

8. Hic *Georgium*, Ulrici fratrem conſanguineum, cui primò *Richovillana* ditio, poſteà benignitate *Chriſtophori* Ducis, *Principatus Monpelicardenſis* integer obvenit, genitorem habuit, omniúmq e, qui è familia hodiè ſuperant, *communis parens* extitit. Simúlac agnati *Ludovici* hæreditatem cievit, potior ei curarum fuit, ut Ducatum Wirtenbergicum in priſtinum habitum reduceret; ſubſcripſerunt etiam voto fortuna, Imperatorisque Rudolphi gratia: apud quem tantùm perfecit, ut is, cœteris Auſtriacis conſentientibus, atque interveniente haud mediocri pecuniæ ſumma, an. 1599. d. 24. Jan. *inveſtituram Ducatuum duorum ad primam & immediatam formam*, abolita feudali obligatione verſus Auſtriacos, *reduxerit; reſervata tamen Auſtriacis ſucceſſione, in caſum deficientis maſculæ ſobolis.* Neque verò dilatandi etiam ditiones occaſionem ullam præterlabi facilè paſſus eſt *Fridericus*; hinc varia loca, partim emptionis, partim permutationis titulo comparata, eis adjecit; ea fuere: *Altenſteig, Liebenzell, Falckenſtein, Eſelburg, Besſigheim*, aliaque: hypothecario autem nomine Ducatum *Alenſonium* in Gallia, atque *Oberkirchum* Epiſcopatus Argentinenſis oppidum, tenuit, *Freudenſtadium*, amœniſſi-

V. Limn. T. IV ad l. 5. c. 16. §. 7.

mo loco in sylva Martiana situm, recipiendis exulibus ob religionem è Styria pulsis extruxit; alia insuper castra oppidaque instauravit atque exornavit. E sobole, quam conjux *Sibylla Anhaltina* numerosam ei peperit, *tres* inprimis *filij* mentionem postulant, à quibus familia iterum in totidem ramos, hodienum florentes, divisa est; namque à *Johanne Friderico*, primogenito, ramus Stutgardianus; à *Ludovico Friderico* Montpelicardensis; à *Julio Friderico* Brentianus prodierunt.

12. *Iohannes Fridericus* post patris obitum, qui in annum hujus seculi octavum incidit, regiminis habenas capessivit, easque 20 annorum spatio *prudenter & constanter* moderatus est; ex uxore *Barbara Sophia Brandenburgica* complures procreavit liberos, inter quos sex, tres nempè gnati, totidemque filiæ, ei superfuerunt: harum duæ, *Antonia* & *Anna Johanna*, cœlibatum matrimonio prætulerunt, pietatis, artium, literarumque studiis ultra sexum deditæ, & tandem ingravescente ætate, uno eodemque anno, qui seculi nonus & septuagesimus erat, è vita migrarunt, hæc d. 5. Mart. illa d. 1. Oct. Tertia *Sibylla*, *Leopoldi Friderici* patruelis *Monpelgardensis* vidua, in vivis adhuc est. Filii, *Eberhardus* nempè, *Fridericus*, & *Vlricus*, è medio omnes excesserunt. *Vlricus*,

Va-

varius in omni genere vitæ, cùm maximam ætatis partem in castris consumsisset, tandè, variis morbis, maximè ophthalmia tentatus, ita ut oculorum usum penitus amitteret, Stutgardiæ post duorum annorum infirmitatem, inter convulsiones Epilepticas, in vera invocatione Divini nominis, d. 4. Dec. an. 1671 animam exhalavit; bis maritus, primò *Sophiæ Dorotheæ, Comitissæ Solmensis è Greiffensteinensi* linea, ductæ *Stutgardiæ* d. 10 Oct. an. 1647, & d. 12. Sept. anni sequentis, post enixam filiolam *Mariam Catharinam Charlottam*, quæ triduum saltem matri supervixit, extinctæ: secundò *Isabellæ, Arnbergicæ, Alberti Francisci Com. Hochstratani* viduæ, cum qua *Bruxellis* d. 14. Maji 1651 nuptias celebravit, gnatæ unicæ parens ex ea factus; diducto posteà hoc matrimonio *illa* reliquam vitæ partem *Lutetiæ Parisiorum* exegit, ibidemque d. 17. Oct. 1678 naturæ debitum reddidit.

13. *Eberhardus* duro initio usus est adolescentiæ, quam afflictissimis Germaniæ temporibus, quibus permista & Marti ἀλοωσοσύνῳ permissa erant omnia, Argentinæ, avitis ditionibus extorris, peregit; in quarum partem non nisi an. 1638. Cæsari reconciliatus, restitutus est: integras demum, post pacificationem Westphalicam, ex formula *Instrumenti pacis Osnabruggensis* recepit. *Art. 4.*

14. Rexit *Eberhardus* Principatum summo cum prudentiæ, justitiæ, & magnificentiæ elogio, magnamque sibi etiam apud exteros existimationem conciliavit: matrimonium bis contraxit: prius an. 1636. cum *Anna Catharina Rhingravia*, quæ an. 1655. d. 27. Jun. mortem obiit; posterius an. 1656. d. 20. Jul. cum *Maria Dorothea Sophia, Joachimi Ernesti C. Oetingensis* & *Annæ Dorotheæ C. ab Hohenloe* filia, hodiè adhuc superstite, atque *Kircheim* degente. Ex utróque conjugio numerosam suscepit sobolem, *quatuor* nimirum *& viginti* liberos. E priore *quatuordecim* provenere, è quibus *octo superstites* parens, a. 1674. d. 2. Jul ad superos excedens, reliquit: tres mares, octo sequioris sexus. Verùm *Christina Friderica*, an. 1644. d. 28. Febr. in lucem edita, atque *Alberto Ernesto Comiti*, posteà *Principi, Oetingensi* an. 1665. nuptui data, patris fata eodem adhuc a. d. 30. Oct. secuta est: filium etiam natu majorem, atque in regimine successorem, *VVilhelmum Ludovicum*, post triennale tantum, breve id, si annos spectes, at longius, si famam, imperium, fatorum iniquitas abstulit: posuit námque quod mortale fuit an. 1677. d. 23. Jun. in cœnobio *Hirsoviensi* (quo ipso loco parens Eberhardus initia mortis habuit) cita eáque placidissima morte; *neque enim aliter* (liceat mihi

mihi *publicum elogium*, quo desideratissimus Princeps mactatus fuit, hic repetere) *sine sensu ferè morbi, ipse placidissimus, & nulli dolorem, quam moriens, causatus Princeps, obire debuit.* Sociaverat sibi jugali fœdere, spirante adhuc genitore, anno 1673. d. 6. Nov. fœminam probatissimam *Magdalenam Sibyllam, Ludovici Landgr. Hasso-Darmstadiensis*, è prima uxore *Maria Elisabetha Holsata*, filiam, quæ quaterna sobole familiam auxit, in primis filio in spem paterni regiminis unicè nato, & sub tutela Optimæ matris, & Sereniſſimi patrui adolescente; is est

EBERHARDUS LUDOVICUS, *Dux VVirtenbergiæ & Teccia, Comes Montispelicardi, Dynastia Heidenheimii*: prodiit in lucem an. 1676. d. 18. Sept.

15. Trigæ *sororum*, quas habet, hæc est nomenclatio:

1. *Eleonora Dorothea*, n. 14. Aug. 1674. †.
2. *Eberhardina Luisa*, n. 11. Oct. 1675.
3. *Magdalena VVilhelmina*, posthuma, n. 7. Nov. 1677.

16. FRIDERICUS CAROLUS, *Dux VVirtenbergiæ ac Teccia* &c. *Eberhardi Ludovici* patruus, ejusdemque *Tutor* & *Ducatus Administrator* à Cæsare, per sententiam d. 24. Nov. an. 1677. latam, confirmatus, *Eberhardi* è priore thoro filius, hausit auram vitalem

d. 12. Sept. 1652. duxitque in matrimonium haud ita pridem, nempè d. 29. Octobr. anni 1682, *Eleonoram Julianam, Alberti March. Brandenb. Onoldinensis*, è secunda conjuge *Sophia Margarita C. Oetingensi*, gnatam.

17. *Carolus Maximilianus*, *Dux VVirtenbergensis* &c. illius *germanus frater*, natus est 28. Sept. 1654.

18. Eorum *sorores germanæ*, superstites, hæ sunt:

Sophia Ludovica, n. 18. Febr. 1642, atque an. 1671. *Christiano Ernesto, March. Brandenburgico Beruthino*, nupta.

Christina Charlotta, n. 21. Oct. 1645, vidua *Georgii Christiani, Principis Frisiæ Orientalis.*

Anna Catharina, n. 27. Nov. 1648. innupta.

Denique *Eberhardina Catharina*, nat. 12. Apr. 1651. quam *Albertus Ernestus, Princeps Oetingensis*, ejus *sororius*, secundis nuptiis an. 1682. d. 30. Apr. in thorum adscivit; sed haud ita multò pòst præmaturo fato functus viduam post se reliquit.

19. Succedit *Eberhardi* Ducis soboles è *secundâ conjuge* suscepta, ejus integer syllabus sic se habet:

I. *Georgius Eridericus*, n. 24. Sept. 1657.

II. *Albertus Christianus*, n. 23. Jun. 1660. † 20. Jan. 1663.

III. *Lu-*

III. *Ludovicus*, n. 13. Aug. 1661.

IV. *Ioachimus Ernestus*, n. 28. Aug. 1662. †. 16. Febr. 1663.

V. *Philippus Sigismundus*, n. 6. Oct. 1663. †. 23. Jul. 1669.

VI. *Carolus Ferdinandus*, n. 15. Oct. 1667. †. 23. Jun. 1668.

VII. *Iohannes Fridericus*, n. 10. Jun. 1669.

VIII. *Sophia Carola*, n. 22. Febr. 1671.

IX. *Eberhardus*, n. 1. Jul. †. 27. Nov. 1672.

Denique X. *Emanuel Eberhardus*, posthumus, n. 11. Oct. 1674. †. 1. Jul. 1675.

20. *Fridericus*, eorum, quos jam recensuimus, patruus, *Eberhardi* & *Ulrici* frater, domicilium *Neostadij ad Cocharum* fixit; quod unà cum *Weinsberga* & *Meckmühl* à fratre primogenito obtinuit. Princeps omnibus belli ac togæ dotibus, ingeniique, ac studiorum, eminentissimus hujus seculi, Eques *Ordinis Elephantiaci* à Friderico III. Rege Daniæ an. 1656. creari, & superioribus annis ab Imperio, defensioni suæ invigilante, Peditatûs & rei tormentariæ supremus Præfectus constitui meruit; & nuper demum, anno scilicet 1682. d. 26. Mart. functus longa statione mortali, fato concessit. Habuit in conjugio præstantissimam omnium fœminarum *Claram Augustam*, *Augusti D. Brunsuic. & Dorotheæ Anhaltinæ* filiam, an. 1653.

d 7. Jun. ductam, quæ pulcra cum prole fecit parentem; è qua potior nascendi sorte est FRIDERICUS AUGUSTUS, *Dux VVirtenbergiæ & Teccia, Comes Montispelicardi, Dynasta Heidenheimii*, natus d. 12. Mart. an. 1654. Sociavit sibi pacto matrimonii an. 1679. d. 9. Febr. *Albertinam Sophiam Estherem*, filiam unicam ac hæredem *Casimiri Com. Eberstenii* & *Mariæ Eleonoræ Nassoviæ*, è qua hactenus filios quidem duos *Fridericum Casimirum* an. 1680, & *Ludovicum Fridericum* an. 1681. suscepit, sed brevissima vitæ usura gavisos.

21. *Fratrum* ejus ac *sororum*, tàm superstitum, quàm defunctorum, sylloge hæc est:

Vlricus, n. 23. Febr. 1655. †. eod. anno.

Eberhardus, n. 24. Jan. †. 2. Febr. 1656.

Albertus, n. 23. Jan. 1657. †. 21. Nov. 1670.

Sophia Dorothea, n. 26. Sept. 1658, elocata an. 1680. *Ludovico Christiano C. Stolbergensi*, & post primum partum extincta.

Ferdinandus Wilhelmus, n. 12. Sept. 1659.

Antonius Vlricus, n. 6. Oct. 1661. †. 1681.

Barbara Augusta, n. 24. Mart. 1663. †. 16. Apr. 1664.

Eleonora Carola, n. 3. Jun. 1664. †. 16. Oct. 1666.

Christophorus, n. 25. Apr. †. 8. Oct. 1666.

Carolus Rudolphus, n. 25. Apr. 1667.

Anna

Anna Eleonora, n. 6. Febr. 1669. †. 10. Maji 1670.

22. *Maria Anna Ignatia, Ulrici* Ducis Wirtenbergici & *Isabellæ Atembergicæ* filia unica, susceptа in lucem d. 27. Dec. st. vet. an. 1652, atque à matre *Lutetiæ Parisiorum*, ubi etiamnunc innupta agit, ingenuè institutа atque educata est.

23. *Monpelicardensem* ramum nunc sustinet

GEORGIUS, *Dux VVirtenbergiæ & Teccіæ, Comes Montispelicardi, Dynastа Heidenheimÿ, Ludovici Friderici* ex *Anna Eleonora Nassovia*, secunda uxore, filius, narus d. 5. Oct. a 1626; successit in regimine fratri natu majori, sed consanguineo, *Leopoldo Friderico*; qui an. 1662. d. 15. Jun. fatis concessit, nullis è conjuge *Sibylla* patrueli susceptis liberis: habitavit antea *Harburgi*, duxitque uxorem an. 1648 *Annam Coliniam, Casparis Ducis de Chastillon*, Marescalli Galliæ, & *Anna de Polignac* gnatam, quæ haud exiguas in Gallia possessiones ei attulit; quibus tamen nec non magna avitarum ditionum parte, superiore bello à Gallis, quod eorum dictis audiens esse nollet, exutus, atque in tenuem conditionem redactus est; quæ quidem post sancitam *Neomagi* pacem haud lætior evasit.

24. Amisit Dux *Georgius* uxorem, quam paulò antè nominavimus, anno 1680. d. 23. Jan. postquàm liberos octo ex ea suscepisset, nempè

I. *Ottonem Fridericum*, n. 17. Aug. 1650. †. 9. Jan. 1653.

II. *Heinricam*, n. 8. Jan. 1654, quæ non ita multo post matrem, ex ægritudine ob ejus mortem contracta, vita caruit.

III. *Eleonoram Carolam*, n. 20. Nov. 1656, atque anno 1672 agnato *Silvio Friderico*, *Duci Oelsnensi in Silesia*, nuptui datam.

IV. *Conradum Ludovicum*, n. 23. Maji 1658. †. 1659.

V. *Annam*, n. 30. Dec. 1660.

VI. *Elisabetham*, n. 17. Mart. 1665.

VII. *Hedvvigen*, n. 22. Mart. 1667.

VIII. *Leopoldum Eberhardum*, n. 21. Maji 1670.

25. *Brenzianus* ramus, cujus conditorem *Iulium Fridericum* dixi, à duobus ejus filiis, *Silvio Nimrode* & *Manfredo*, in duos iterum abiit palmites, *Silesiacum* & *VVeildingensem*. Ille nomen traxit ab *Oelsnensi* Ducatu, in *Silesia* sito, (quo Cæsar *Silvium Nimrodem*, ob ductam *Elisabetham Mariam*, *Caroli Friderici D. Munsterbergici & Oelsnensis* filiam unicam & hæredem, investivit) & *triplici* nunc *germine* floret:

SIL-

SILVIUS FRIDERICUS, *Dux VVirtenbergiæ, Tecciæ, & Oelsnæ in Silesia, Comes Montispelicardi, Dynasta Heidenheimij, Silvii Nimrodis*, qui an. 1664. d. 16. Apr. è vivis excessit, & *Elisabethæ Mariæ Munsterbergicæ* filius, natus est d. 21. Febr. an. 1651: sedem habet *Oelsnæ*, atque an. 1672. d. 23. Maji nuptiis sibi adjunxit agnatam *Eleonoram Carolam*, *Georgii Montpelicardensis Principis* filiam, è qua nullam hactenus vidit sobolem.

CHRISTIANUS ULRICUS, *Dux VVirtenbergiæ, Tecciæ, & Oelsnæ in Silesia* &c. iisdem, quo ille, parentibus editus an. 1652. d. 19. Apr. *Bernstadium*, Oelsnensis Ducatus oppidum, incolit, atque in matrimonio habuit *Annam Elisabetham Anhaltinam*, *Christiani Bernburgici* & *Eleonoræ Sophiæ Holsatæ* filiam, anno 1672. d. 13. Mart. ductam, atque an. 1680. d. 3. Sept. defunctam, postquàm sex liberorum, sed maximam partem βραχυβίων, mater facta esset, nempè

I. *Luisa Elisabethæ*, quæ an. 1673. d. 22. Febr. nata, supersit.

II. *Christiani Ulrici*, n. 11. Febr. †. 3. Jul. 1674.

III. *Leopoldi Victoris*, n. 12. Maji 1675. †. 20. Apr. 1676.

IV. *Fri-*

IV. *Fridericæ Christinæ*, n. 11. Maji †. 3. Jun. 1676.

V. *Sophiæ Angelicæ*, n. 20. Maji 1677.

VI. *Eleonoræ Amœnæ*, n. 26. Oct. 1678. †. 2. Apr. 1679.

JULIUS SIGISMUNDUS, *Dux VVirtenbergiæ, Teccii, & Oelsnæ in Silesia* &c. illorum germanus frater, hausit auram vitalem d. 1. Aug. an. 1653; habitat in arce *Juliusburg*, atque an. 1677. d. 25. Mart. sibi copulavit *Annam Sophiam*, *Adolphi Friderici D. Mecklenburgici & Mariæ Catharinæ Brunsuicensis* gnatam; quæ an. 1678. d. 5. Mart. filiam enixa est *Mariam Sophiam*; sed sexto abhinc mense, die scilicet 8. Sept, iterum extinctam.

26. Istam fratrum trigam, modò enumeratam, nativitatis ordine antecesserunt *Anna Sophia* & *Ferdinandus Carolus*, quarum illa d. 13. Apr. an. 1661, hic d. 23. Dec. an. 1668. vivendi finem fecerunt.

27. *Manfredus*, illorum patruus, *Weildingæ* in Suevia (unde palmiti appellatio) domicilium instituit, atque anno 1662, d. 15. Maji ex hac vita discessit, tribus filiis relictis, è conjuge *Juliana Oldenburgica* adhuc superstite susceptis; eorum hæc est nomenclatio:

FRIDERICUS FERDINANDUS, *Dux VVir-*

Wirtenbergiæ & Teccia, *Comes Montispelicardi*, *Dynasta Heidenheimii*, editus in lucem d. 6. Aug. an 1654.

Augustus, *Dux Wirtenbergiæ* &c. n. 5. Nov. 1656.

Mandfredus, *Dux Wirtenbergiæ* etc. n. 18. Sept. 1658.

28. Notari denique convenit emortuales *Floriana Ernesta & Faustina Mariæ*, quæ *Julii Friderici* filiæ erant: illa, *Friderico Cratoni Comiti ab Hohenloe* elocata, diem 6. Dec. an. 1672. vitæ supremum habuit; hæc d. 15. Apr. an. 1679, innupta, ætatem explevit.

29. *Scutum* Ducum Wirtenbergensium *quadripartitum est*: primus laterculus *aureus tria cornua cervina nigra continet*, & Ducatum Wirtenbergensem *denotat*: secundus *rhombis nigris & aureis obliquè dextrorsum positis exaratur*, Teccensi Ducatui *designando*: tertius *cæruleus vexillum aureum obliquè dextrorsum positum*, *cui aquila nigra expansis alis impressa*, *continet*, *quod* S. R. Imp. labarum *est*: quartus *rubeus duas trutas aureas aversas defert*, *quod* Monpelicardensis Comitatus *symbolum habetur*. *Cordi hujus Scuti* Duces Oelsnenses parmulam, *aquilam* Silesiacam *continentem*, *imponere solent*. Cassides tres *incumbunt*: prima Wirtenbergensis, *secundus* Vracensis, *coronata*, *cornu venatorium rubrum aureo ligamento ornatum*, *prominentibus*

tibus ex orificio plumis albis, cœruleis, & rubeis, sustinet: secunda Montpelicardensis, *itidem coronata, hermam fœminæ coccineo amictu, aurea corona decoratæ, cui loco brachiorum trutæ aureæ duæ utrúmque latus mordent, repræsentat:* è tertia Teccensi *molossus exsurgit, rhombis aureis & nigris variegatus.* Laciniæ, *quæ extremas galeas circumfluunt*, aureæ *sunt* & nigræ; *quæ* mediam, aureæ & rubeæ.

32. Comprehenduntur Duces Wirtenbergici sub *Circulo Suevico*, in quo ipsi cum Constantiensi Præsule conventus indicunt, in indictis conventibus autem soli *Directorium* gerunt: in Comitiis *duplex suffragium* dicunt; alterum ob *Ducatum Wirtenbergicum*, alterum ob *Comitatum Monpelicardensem.*

CAP. VII.

DE LANDGRAVIIS HASSIÆ.

SEreniſſimorum Haſſiæ Landgraviorum familia omnis à connubio *Heinrici Magnanimi Ducis Brabantiæ* & *Sophiæ Landgraviæ Thuringiæ* defluxit: ille enim, poſtquàm priorem conjugem *Mariam*, *Philippi Suevi Imperatoris*, ex *Irene Angela Conſtantinopolitana*, filiam, cum qua filium, & in Ducatu Brabantiæ ſucceſſorem, *Heinricum*, *Manſuetum* cognominatum, genuerat, amiſiſſet, ad ſecunda vota tranſiit, atque anno 1242. in thalamum

mum adscivit *Sophiam*, *Ludovici Landgravii Thuringiæ ex Elisabetha Ungarica*, in Sanctorum censum relata, gnatam unicam. Hæc, cùm gentis suæ vetustissimæ mares in *Heinrico Raspone* patruo ejus (qui, adversus Fridericum II. Imp. in Regem Germanorum an. 1247. electus, eodem adhuc anno ante Ulmam mortem oppetiisse communiter fertur, ab autore verò *Historiæ Erphesphordensis*, quam *Pistorius* edidit, sequenti anno in *Warburg* è profluvio ventris obiisse traditur) defecissent, jus in *successionem Thuringicam* sibi vindicavit; sed competitorem reperit *Heinricum Illustrem Misniæ Marchionem*, qui *Jutha*, *Heinrici Rasponis* sorore, prognatus erat. Hinc disceptatio orta est, quæ in bellum per novennium varia fortuna gestum exarsit; compositum id tandem est per transactionem, ita, ut, confraternitatis & mutuæ successionis pacto inter utramque domum inito, *Orientalis Thuringiæ* pars, quæ propriè *Thuringia* dicitur, in *Heinrici Misnensis* jus potestatemque concederet; *Occidentalem* verò, quæ *Hassiam* complectebatur, *Sophia* obtineret, atque ad filium *Heinricum*, quem marito peperit, ejusque posteros transmitteret. Vid. sup. cap. 2.

2. Is itaque *Heinricus*, quem *Infantem Hassiæ* nominabant, post matris fata provinciæ regimen suscepit, *primusque Hassiæ Landgra-*

gravius dictus est, *Cassellanam* arcem condidit, Hassiamque à prædonibus, eversis eorum receptaculis, purgavit. Uxores tres habuit: *Adelheidin Brunsuicensem*, *Mechtildin Cliviam*, & *Annam Palatinam*; è prioribus duabus liberos sustulit, in quibus recensendis ab *Henningio*, *Rittershusio*, aliisque, discrepat Celeb. *Spenerus* in *Sylloge*, traditque è prima natos esse *Heinricum*, ab aliis omissum, & *Ottonem*; è secunda *Johannē*, & *Ludovicum*, quem cæteri primæ conjugi tribuunt. *Heinricus*, primogenitus, patri immorigerus ac rebellis, ad Acheruntem præpropere decurrisse memoratur; hinc ad *Ottonem*, genitore anno 1308 fato functo, gubernacula delata sunt. Hic anno 1311 jus *primogenituræ* instituit, atque ut prior nativitatis ordine solus *Imperans Dominus*, (Landgraf und Gnädiger Herr) reliqui tantùm Landgrafen und Gnädige Junckern vocitarentur, introduxit: cùm itaque supremum diem an. 1323 expleviſſet, filium natu majorem *Heinricum*, *Ferreum* cognominatum, successorem habuit, qui, gnatos *Heinricum* atque *Ottonem* turbato mortalitatis ordine efferri conspicatus, fratris sui *Ludovici* filium *Hermannum* hæredem scripsit. pag. 658.

3. Hic, cui literarum studia, quibus sacris antehac destinatus, Pragæ & Parisiis gnaviter incubuit, *Docti* cognomentum pepererunt, suc-

ſucceſſionem iſtam armis ſibi aſſerere, adverſus *Ottonem Largum Ducem Brunſuicenſem*, *Heinrici Ferrei* generum, acerrimè eam concupiſcentem, neceſſe habuit, *pactum hæreditarium* cum Miſnenſibus renovavit, & tum ſuos illis, tum Thuringos ſibi ſacramento obſtringi fecit. Ejus filius *Ludovicus Pacificus* fœderi hæreditario Saxo-Brandenburgico acceſſit, & Comitatum *Ziegenhainium* & *Niddanum* acquiſivit, poſtquàm *Johannes* Comes ultimus ſuæ ſtirpis, proliſexpers, an. 1453 naturæ conceſſit; contradicebant *Hohenloici* ſucceſſioni, quibus ab *Eliſabethæ Ziegenhainenſis* & *Ulrici Com. Hanoviæ* filia *Eliſabetha*, *Alberto Comiti Hohenloico* nupta, jus erat; finis huic controverſiæ nepotum demum ætate in Comitiis Wormatienſibus factus eſt, Haſſorum, in quorum poteſtate Comitatus manebat, commodo. A filiis *Ludovici Pacifici*, nempe *Ludovico Pio*, & *Heinrico III* prima familiæ diviſio orta eſt. *Heinricus*, cum fratri, contra majorum inſtituta, Principatum ad *Lanum* extorſiſſet, *Marpurgenſem* lineam condidit, in ejus filio *Wilhelmo Juniore* iterum terminaram; cumque *Annam*, *Philippi Senioris Comitis Catimelibocenſis & Diezenſis* filiam, in matrimonio haberet, ſocero vitam ſtirpemque an. 1479 finiente, ſucceſſionem utriusque Comitatûs adiit, atque à Cæſare, aliisque Dominis be-

neficiariis investituram obtinuit; sed post triennium, anno scilicet 1482 è vivis excessit, relictis post se *Wilhelmo*, *Elisabetha*, & *Mechtilde*; ista, vivente adhuc avo materno, *Johanni Comiti Nassovio* an. 1478 nuptui data fuit; *Mechtildis* verò post mortem avi an. 1481 *Johanni Duci Clivensi*, pactisque dotalibus cautum est, ut ambæ dote contentæ renuntiarent hæreditati paternæ & maternæ; nisi forte contingeret, ut *Heinricus* pater, ejusque gnatus *Wilhelmus*, sine masculis decederent. *Wilhelmus* itaque patri in in Principatu ad Lanum & Comitatibus solus, exclusis sororibus successit, posteà an. 1487 *Erphurdiæ*, instinctu patruelium *Wilhelmi Senioris* & *Wilhelmi Medii*, nec non Ducum Saxoniæ, præfatis sororibus loco paternæ, maternæ, & fraternæ hæreditatis, præter dotem, centum aureorum millia assignavit: verùm *Elisabetha*, ejusque maritus *Johannes Nassovius*, adversus conventionem istam sollenniter pro se, suisque hæredibus, protestati sunt, oblatamque pecuniam protinus repudiarunt.

4. Enimverò *Ludovicus Pius*, *Cassellensis* lineæ autor, cum an. 1471 fatorum legem expleviſſet, duos reliquit filios, qui ambo *Wilhelmi* nomen gerebant, & *Senioris*, *Medii*que cognomentis distinguebantur: eorum, quod *minorennes* (ut vulgari vocabulo utar) essent, tute-

tutelam *Heinricus* patruus suscepit, sed haud bona fide administrasse culpabatur; quapropter inter *Wilhelmum Medium*, (qui, ob imminutam fratris natu grandioris mentem, à philtro Romæ accepto, Principatus regimen susceperat, atque à patruo tutelæ rationem nequicquam exegerat) & *Wilhelmum Juniorem Heinrici*, ceu dictum est, filium acris contentio exarsit; quæ haud dubiè in bellum erupisset, nisi cura atque opera *Hermanni*, qui utriusque patruus erat, & Colonien-sem Archiepiscopatum, cum Hildesiensi ac Paderbornensi Ecclesiis, regebat, nec non Eberhardi Wirtenbergici an. 1495 composita fuisset his conditionibus, ut *Wilhelmus Medius* actioni tutelæ renuntiaret, *Wilhelmus* autem *Junior* consentiret & operam daret, ut alter de omnibus ac singulis feudis Catimelibocensibus aliisve simul cum ipso investiretur: quam ob causam post triduum dicti patrueles in Comitiis Wormatiæ in præsentia omnium Ordinum Imperii *investituram simultaneam Principatûs Hassiæ, & Comitatuum, Cazenelnbogen, Diez, Ziegenhain, & Nidda*, sub uno eodemque vexillo à Maximiliano I. Imp. acceperunt.

5. Postquam *Wilhelmus Junior*, ineunte seculo superiore, ἄπαιδ ex hac vita discessit, *Wilhelmus Medius* omnes & singulas ejus ditiones crevit, *Elisabetha* verò civitates, castra,

& villas Comitatûs *Catimelibocenſis*, quaſi fratris hæres, poſtulavit, & ſummam Erphordienſis conventionis, à *Wilhelmo* iterum oblatam, aſpernata, *tres libellos* novem Haſſiæ conſiliariis an. 1506 exhibuit; quorum duo priores de hæreditate paterna ac materna à judicibus rejecti, tertius autem de hæreditate fraterna admiſſus fuit. Poſteà, cum jurisdictio horum conſiliariorum lapſu temporis præfiniti expiraſſet, remiſſa fuit hæc cauſa ad Cameram Imperialem an. 1508, ibique ſpatio 12 annorum agitata, donec Cæſar interpellatione *Heinrici Naſſovii*, qui ei à cubiculis erat, permotus, eam ad ſe avocaret. Perſolverat intereà temporis naturæ debitum *Wilhelmus Medius*, quod an. 1509 contigit, ſuperſtite adhuc fratre ejus *Wilhelmo Seniore*, cujus uxor *Anna Brunſuicenſis* regimen pro marito affectavit, ſed auſis excidit; adjudicavitque Cæſar ex Imperii ſententia ditiones *Philippo*, *Wilhelmi Medii* filio unico, è ſecunda ejus conjuge *Anna Mecklenburgica* an. 1504 ſuſcepto, (quod quidem in *tabula Rittershuſiana* notandum, ubi per typothetæ παρόραμα *Philippus*, ejusque ſoror, *Wilhelmo III. ſive Juniori* aſcripti ſunt) hocque tantùm injunxit, ut patruum in aulam receptum honeſtè aleret; qui quidem an. 1515, non niſi infirmioris ſexus prole relicta, ad plures ſe penetravit.

9. Age-

6. Agebat *Philippus* annum ætatis octavum ac decimum, & quatuor jamdum annis, venia ætatis à Cæsare impetrata, ad gubernacula sedebat, cùm Catimelibocensem causam ad se avocaret Imperator; id licet obnixe deprecaretur, autoritatem tamen Cæsaris reveritus, in Episcopos Augustanum, Argentinensem, & Constantiensem an. 1521. compromisit. Eodem anno *Johannes Dux Clivensis, Mechtildis Hassiacæ* filius, jus suum *Heinrico C. Nassovio* 50. aureorum millibus vendidit: nec ita multò pòst, nimirum 9. Maji. an. 1523, præfati Episcopi *Elisabetham*, jam defunctam, *hæredem fratris prosemisse*, exceptis feudis masculinis & bonis, quorum fœminæ non sunt capaces, pronuntiarunt. Mox Nassovienses catalogum omnium bonorum, quæ vel in Superiore Hassia, vel in Comitatibus, sita essent, produxerunt, atque in his omnibus executionem petierunt: Landgravii exceptiones incapacitatis fœmineæ oppossuerunt, sed eæ à Comissariis rejectæ sunt. Quare hic, nec non Principes Saxonici, pro eo quod sui interesset, ab hac rejectione appellarunt, Landgravius verò libellum etiam recusationis obtulit, in quo judices illos omnes suspectos postulavit; eáque propter illi ipsi decreverunt, arbitros esse eligendos, qui causas suspicionum cognoscerent. Nassovien-

vienſes à Landgravio de arbitris eligendis interpellati, illud facere neglexerunt, litémque Judicibus defunctis quindecim annis deſeruerunt. Tandem cùm *Philippus* Landgravius à Carolo V. in cuſtodia detineretur, Naſſovienſes id in ſuum verterunt commodum, & Landgravio ex carcere diem dici ſupplicarunt; qui, etſi ſciret, ſe non teneri ex carcere litigare, procuratores tamen, ne Cæſaris indignationem exacerbaret, conſtituit: quo factum, ut ille in his non ſolùm condemnaretur, in quibus per ſententiam definitivam abſolutus fuerat, ſed & ſemiſſem Clivenſem, qui judicialiter nunquam petitus fuit, ad executionem pertinere pronunciaretur. Poſt multas autem Landgravii ſupplicationes, in pacificatione Paſſavienſi an. 1552 inter cætera illud quoque conſtitutum fuit, ut ſententiæ hucusque latæ, ab Electoribus & Principibus, quos utraque pars denominatura eſſet, recognitæ, ad æquitatis normam redigerentur. Hoc tandem modo *Francofurti ad Mœnum* d. 30. Jun. anno 1557. per *Ottonem Heinricum Palatinum*, *Auguſtum Saxoniæ*, *Electores*; *Wilhelmum Juliaci*, & *Chriſtophorum Wirtenbergiæ*, *Duces*, omnis hæc controverſia amicè compoſita eſt, ita ut abolitis omnibus jam memoratis definitivis & executorialibus, *Philippus Landgravius omnia Comitibus Naſſoviis*

V. Thuan. Hiſt. l. 19.

soviis adjudicata oppida, castra, prædia, (solo Comitatu Diezense excepto) *reliquaq; tàm mobilia quàm immobilia, retineret, & Nassoviis, certis terminis, sexies centena millia aureorum exsolveret, tituli verò & insignia utrisque communia essent.* Hic finis fuit controsiæ, qua nulla in Germania superiore seculo illustrior, gravior, & diuturnior fuit, quamque uberiùs exequi, atque ex *Oldendorpio* Hassiaco Consiliario decerpere, operæ pretium duxi. *edit. Offenbac. p. 390.* *Consil. 5. vol. 2.*

7. Cæterùm *Philippus communis* eorum, qui è familia hodiè supersunt, *parens* extitit, & mentis inconcussa firmitudine, æqualique vitæ ac continuo tenore *Magnanimi* cognomentum implevit: quantas res gesserit, non potest satis, nisi justo opere, explicari. Illud meritò palmarium reputandum, quod ad rem Divinam instaurandam, eamque ad genuinam sinceritatem revocandam, omnem curam atque operam adhibuit, neque defugit ingens ea propter certamen exudare; in ditionibus Evangelicam religionem Pontificia abolita introduxit, monasteria in scholas & xenodochia convertit, *Marpurgensis Academiæ* fundamenta jecit, atque inter *Principes Protestantes*, qui *Augustanam Confessionem* Cæsari obtulerunt, nomen professus est: quæ legatus strenuè egerit adversus *Franciscum Sickengensem*, pro restitutione

Vlrici Ducis Wirtenbergici, denique pro aris ac focis in *bello Smalcaldico*, quantique ei sua *generosa credulitas* steterit, & *quale naufragium ad infames insulas* Einig ac Ewig *fecerit*, (ut *Baudii* quidē verba mea faciam) *Johañes Sleidanus* in *Comentario de Statu religionis ac reip.* diligentissimè memoriæ prodidit.

Indue. bel. Belg. l. 1. f. 82.

8. Exuit *Philippus Magnanimus* mortalitatem d. 31. Mart. a. 1567, è *Margarita de Sala*, quam legitimæ conjugi, ejus tamē consensu, & re cum Theologis communicatā, (causam *Thuanus* refert) superinduxit, septem liberos genuit. Mares sex, *Mauritium*, *Christophorum*, *Franciscum*, *Philippum*, *Volrathum* & *Fridericum*; quibus per supremas tabulas arces ac præfecturas aliquot, cum omnimoda jurisdictione, donavit, atque ut honesto aliquo titulo ac nomine frueren-tur, *natos è domo Hassiaca*, *Comites de Diez*, *Dynastas in Lisberg & Bickenbach*, appellari voluit; verùm isti omnes ἄγαμοι decesserunt, & cum Landgraviis perpetuas controversias habuerunt, quos superiores agnoscere recusabant, atque in censu Comitum Imperii censeri contendebant: soror eorum germana unica *Margarita*, prioribus nuptiis *Johanni Bernhardo C. Ebersteinio in Nigra Silva*; posterioribus *Stephano Heinrico C. Ebersteinio in Neugarten & Massau*, in manum convenit.

Hist. lib. 39. f. 815.

9. E

9. E legitima conjuge, *Christina Saxonica*, *Philippus*, præter complures sequioris sexus liberos, quatuor filios suscepit, *Wilhelmum*, *Ludovicum*, *Philippum*, & *Georgium*: inter hos per testamentum, *Cassellis* anno 1562. d. 6. Apr. compositum, ita provincias dispertivit, ut primogenito *Wilhelmo semissem* tribueret, nempè totum *inferiorem Principatum*, *potiora Comitatûs Ziegenhainensis*, *Dynastiam Itter*, (quam *Heinricus Ferreus*, Dominô ejus loci ob commissum parricidium ejecto, an. 1361 occupaverat) denique ea, quæ in *Smalcaldiam* ei competebant, & vi pacti hæreditarii, Hennebergicis extinctis, ad Hassos delapsura essent: *Ludovico* secundogenito assignavit *quadrantem*, nempè *Principatum ad Lanum*, cum *Comitatu Niddano*: *Philippo* & *Georgio* residuum *quadrantem* attribuit, Comitatum scilicet *Catimelibocensem*; illi partem ejus *inferiorem*, *huic superiorẽ*: de successione v. mutua ita constituit, ut uno alteróve sine prole moriente, superstites ejus hæreditatem æquabiliter cernerent: quare cùm *Philippus*, qui *Rheinfelsam* incoluit, an. 1583 improlis naturæ concessisset, fratres æquis partibus in ejus ditiones successerunt. Postquàm autem *Ludovicus* etiam, qui *Marpurgi* habitavit an. 1604. supremum diem obiisset,

nullósque liberos reliquisset, acris ac diuturna de ejus hæreditate controversia orta est.

10. Nimirum is omnium suorum fratrum superstes extitit, & testamento scripto in duas partes ditiones suas divisit, in *Marpurgicam*, & *Giesensem*: atque illam lineæ *Cassellensi*, hanc *Darmstadiensi* assignavit. Religioni etiam cavit, diras isti imprecatus, qui aliquid in ea mutasset, utque talis juribus suis excideret sanciens. Agnovit hoc testamentum *Mauritius Cassellensis*, *Wilhelmi* F; rejecerunt verò *Darmstadienses*, & quod eorum tres essent, *Georgio* nati, in capita, non in stirpes, Ludovici hæreditatē partiendam esse, idque avitæ constitutioni magis respondere, contenderunt. Regessit *Mauritius*, eos omni in hæreditatem jure multandos, quod supremam defuncti voluntatem impugnare sustinuerint, atque ex hoc capite universas ditiones sibi arrogare cœpit; cùm verò religionem secundum *Calvini* dogmata reformaret, atque è Marpurgensi Academia Theologos Evangelicos pelleret, *Darmstadienses* eum violati testamenti Ludoviciani palàm postularunt, & quod eo ipso omne jus suum amiserit, vicissim dictitarunt, atque ad Cæsarem provocarunt; qui, licet *Cassellensis* rem coram Austregis expediendam esse accerrimè disceptaret, sententiam

tentiam an. 1623 pronuntiavit, omnémque hæreditatem *Darmstadiensibus* addixit. Flagrante ea tempestate in Germania bello, *Darmstadienses* Cæsaris, *Cassellenses* adversariorum partibus sese applicabant; donec an. 1627. transactio, ipsius Imperatoris assensu corroborata, inter utramque domum inita est, qua *Marpurgum Darmstadiensibus* concessum fuit. Ad exiguum verò tempus hæc concordia duravit, neque longum intervallum interceſſit, cùm utraque domus rursum in contraria studia scinderetur, & *Cassellenses* Gallis, Suecisque; *Darmstadienses* Cæsari adhærerent, ingenti provinciarum suarum calamitate, quæ vastatæ, exhaustæ, atque exinanitæ sunt; tandem an. 1648. d. 14. Apr. arbitro *Ernesto Pio Duce Saxo-Gothano* res omnis *plenaria transactione*, quam *Instrumentum Pacis Westphalicæ* confirmatiorem effecit, composita est; ita ut *inferior Comitatus Catimelibocensis*, qui per pactum anni 1627. à Cassellensibus ad Darmstadienses delatus erat. *Cassellensibus* restitueretur, hique ex *superiore Principatu Hassiæ quadrantem, cum Marpurgo*, acciperent; reliquum *dodrantem Darmstadienses* obtinerent, atque in compensationem *Marpurgi* 60000. florenos acciperent, quæ etiam omnia ad effectum perducta sunt.

11. Cæterùm *duabus* illis *lineis*, quarum toties

toties mentio facta est, *Cassellensi* nempe & *Darmstadiensi*, Hassiaca familia nunc principaliter distinguitur: priorem *VVilhelmus, Sapiens* cognominatus, *Philippi Magnanimi* filius primogenitus, condidit, cui Dynastia *Plesse*, gente illa an. 1571. extincta, tum ex *Hojensium* Comitum successione, *Auberg*, *Vecht*, & *Freudenberg*, denique 1583. medietas urbis & præfecturæ *Smalcaldicæ* ex *Hennebergica* hæreditate obvenerunt. Moriens anno 1592 filium unicum *Muritium*, non sui tantùm sed omnis ævi Principem literarum bonarúmque artium studiis exculti ssimum, reliquit: hic *Reformatis* accessit, jus *primogenituræ* in linea anno 1627. instituit, atque è duplici conjugio numerosam sobolem procreavit, decem filios, octo filias; harum quidem nulla superat, ex illis quinque matrimonia contraxerunt, *Otto*, & *VVilhelmus*, è priore thoro; *Hermannus*, *Fridericus*, atque *Ernestus*, è posteriore thoro nati. *Otto* Administrator *Hirschfeldiæ* Abbatiæ, licet bis maritus, nullam tamen prolem vidit, & vivo adhuc patre an. 1617. tristi fato occidit: cùm enim sub initium mensis Augusti *Hirschfeldiæ* morbillis infestaretur & die septima ejusdem mensis paulò post horam quartam matutinam, diro ululatu obscœni canis irritaretur, atque ad

eum

eum feriendum, arrepto sclopeto sibi non satis provideret, ejus subita & inopinata displosione trajectus expiravit. *Hermannus* habitavit *Rotenburgi* ad *Fuldam*, atque an. 1658. nullis è duabus conjugibus, quas habuit, liberis relictis, è medio excessit. *Fridericus Eschvvegam*, quam *Werra* alluit, tenuit; cùmque *Eleonoram Catharinam Palatinam*, *Caroli Gustavi Suecia Regis* sororem, duxisset, Suecis militavit, & anno 1655 in bello adversus Polonos, dum ad *Cosliniam* in *Borussia*, quam, à Polonis paulò antè recuperatam, ipse à Suecis adhuc teneri credebat, incautiùs approperat, glande plumbea ictus occubuit, non nisi sexus infirmioris prole relicta. *Loccen. Hist. Suec. lib. 9.* *Ernestus* in vivis adhuc est, *Rheinfelsis* palmitis fator, posteà dicendus.

12. *VVilhelmus* patri in regimine successit, & anno 1637 moriturus tutelam filioli cognominis, nec non administrationem Principatus, per tabulas supremas uxori suæ, prudentissimæ omnium fœminarum, *Amaliæ Elisabethæ Hanovicæ*, & Regibus Galliæ, atq; Angliæ concredidit: quam etiam vidua adversus *Georgium II. Darmstadiensem*, qui eam jure agnationis postulaverat, sibi asseruit, bellumque à marito contra Cæsareos cœptum continuavit, cum Darmstadiensibus circa hæreditatem Marpurgensem, eo quo dictum est modo, transegit, & per pacificationem

tionem Westphalicam obtinuit, ut Abbatia
V. Instr. Pac. Tit, 15. *Hirschfeldia*, cum omnibus appertinentiis secularibus & Ecclesiasticis, præterea jus directi & utilis dominii in præfecturas *Schaumburg*, *Buckenburg*, *Saxenhagen*, & *Statthagen* Landgraviis Hassiæ lineæ Cassellensis in perpetuum concederentur; insuper indemnitatis nomine *sexies centum mille thaleri*, è Diœcesibus Moguntinensi, Coloniensi, Paderbornēsi, Monasterienſi, & Fuldensi, sibi, filio, ejusq; successoribus, intra spatium novē mensium persolvendi, assignarentur. Patta pace filius à matre administrationem anno 1650 suscepit, cùm paulò antè, nempe d. 9. Jul. an. 1649. conjugio sibi sociasset *Hedvvigen Sophiam*, *Georgii Wilhelmi Electoris Brandenburgici* ex *Elisabetha Carola Palatina* gnatam, è qua amoris conjugalis pignora septem, cùm anno 1663. d. 16 Jul. *Hainæ Hassorum*, vix post unius diei valetudinem catarrho apopletico subitò correptus, animam efflasset, post se reliquit, filios quatuor, filias duas; ex illis *Vvilhelmus* primogenitus, hæres ac successor, spes de se factas in itinere Gallia *Lutetiæ* an. 1670. d. 21. Nov. variolis extinctus destituit, cui simile fatum frater ejus natu minimus *Georgius* (qui an. 1658, d. 20. Mart. in lucem susceptus erat) *Genevæ* an. 1674 expertus est: reliqui duo superant.

13. Ma-

13. Major natu & *Princeps imperans* nunc est CAROLUS, *Landgravius Hassiæ, Princeps Hirschfeldiæ, Comes Catimelliboci, Diezia, Ziegenhainæ, Niddæ, & Schaumburgi, Dn. in Eppstein, Pleß, Itter & Frankenstein:* hausit auram vitalem d. 3. Aug. an. 1654. fratrique *Wilhelmo* in regimine successit, & sponsam ei destinatam sibi jugali fœdere copulavit anno 1673. d. 21. Maji, nimirum *Mariam Amaliam*, *Jacobi Ducis Curlandiæ* & *Luisæ Carolæ Brandenburgicæ*, materteræ suæ, filiam, è qua hactenus sustulit:

I. *Wilhelmum*, natum d. 29. Mart. 1674. iterumque extinctum.

II. *Carolum*, nat. 24. Febr. 1675. †. 7. Dec. 1677.

III. *Fridericum*, n. 28. Apr. 1676. superstitem.

IV. *Christianum*, n. 2. Jul. 1677. iterumque defunctum.

V. *Sophiam Carolam*, n. 16. Jul. 1678.

VI. *Carolum*, n. 12. Jun. 1680.

VII. *Wilhelmum*, n. 10. Mart. 1682.

14. PHILIPPUS, *Landgravius Hassiæ, Princeps Hirschfeldiæ* &c. *Caroli* germanus, lucem vitalem aspexit d. 14. Dec. a. 1655; sedem habet *Hirschfeldiæ*, atq; a. 1679. matrimonium cum *Amalia Catharina, Caroli Ottonis C. Solmensis* in *Laubach* & *Amœna Elisabetha*

thæ Bentheimiæ filia consummavit; è qua prolem primò fœmineam, posteà masculam genuisse fertur, nomina earum explorare haud fuit integrum.

15. *Sororum* Caroli ac Philippi nascendi sorte prior

Carola Amalia, anno 1650. d. 27. A[illegible]. nata, *Christiano V. Daniæ ac Norvvegiæ Regi* faustissimo Hymenæo in manum a[illegible]. 1668 convenit.

Altera *Elisabetha Heinrica* an. 1661 in lucem edita, *Fridericum, Principem Electoralem Brandenburgicum*, thori socium anno 1679. nacta est.

16. *Amitas* tres habent superstites:

Æmiliam, n. 11. Febr. 1626, nunc viduam *Heinrici Caroli de la Tremoille, Principis de Tarente*, cui an. 1648 nupserat.

Carolam, natam 20. Nov. 1627. atque anno 1650 *Carolo Ludovico Electori Palatino* elocatam, nunc que itidem viduam.

Elisabetham, n. 22. Jul. 1634; quæ innupta ætatem agit.

17. *Christina, Friderici Landgravii Hassiæ in Eschvvege*, & *Eleonoræ Catharinæ Palatinæ* superstitis filia primogenita, lucem vidit an. 1648. d. 30. Oct. & anno 1667. mulier facta est ex Viro *Ferdinando Alberto, Duce Brunsuicensi in Bevern.*

18. *So-*

18. *Sorores* ei sunt,

Iuliana, n. an. 1652, in *Suecia* innupta agens;

& *Carola*, n. a. 1653, quæ primò an. 1673. *Augusto Juniori, Duci Saxo-Querfurdensi*; secundò an. 1679. *Johanni Adolpho, Comiti Tecklenburgico*, nupsit.

19. ERNESTUS, *Landgravius Hassiæ, Princeps Hirschfeldiæ, Comes Catimeliboci* &c. *Mauritii*, ceu dictum est, filius, *inferiorem Cattorum Comitatum* tenet, & *Rheinfelsam* incolit; natus est d. 8. Dec. an. 1623, atque an. 1647. d. 1. Jul. uxorem duxit *Mariam Eleonoram*, *Philippi Rheinhardi Com. Solmensis* & *Elisabethæ Wiedanæ* filiam, cum qua ad *Pontificiam* religionem *Coloniæ* anno 1654 transiit, duorum filiorum pater factus.

20. Prior, WILHELMUS, anno 1648 natus, in conjugio habet *Mariam Annam*, *Ferdinandi Caroli C. de Lövvenstein & Wertheim* ex *Annâ Maria Furstenbergia* gnatam, an. 1669 ductam; è quâ suscepit filiolam *Mariam Eleonoram*, quam iterum decessisse credo, nunc enim liberis carere dicitur.

21. CAROLUS, alter *Ernesti* filius, prodiit in lucem anno 1650, & priore matrimonio sibi junxit an. 1667 *Sophiam Magdalenam*, *Erici Adolphi Comitis Salmo-Reifferscheidii* & *Magdalenæ Hassiacæ*, amitæ suæ, filiam, quæ an. 1675 *Venetiis*, quo eam deduxerat, præpropero fato abrepta est: posteriore con-

jugio sibi sociavit *Alexandrinam Julianam*, *Emiconis C. Leiningensis & Dorotheæ Waldeccie* filiam, *Georgii Landgravii Hassiæ*, è *Darmstadiensi* linea, viduam; quæ mariti religioni paulò pòst accessit: ex utróque thoro sobolem suscepit, è *priore* tres filios natos esse comperi: 1. *Vilhelmum* an. 1671, *Fridericum*, an. 1673, *Canonicis Colonienſibus* ascriptos, & *Philippum* an. 1674.

22. *Darmstadiensis* lineæ autor *Georgius*, *Philippi Magnanimi* filius natu minimus, tres mares anno 1596 è vivis excedens reliquit: *Ludovicum*, *Philippum*, *& Fridericum*. Quos inter *Fridericus* palmiten *Homburgicum* protevit, posteà recensendum; *Philippus*, qui *Buzbaci* habitavit, prole caruit; *Ludovicus*, patris successor, fide in Cæsarem *Fidelis* cognomentum sibi peperit, & fratrum consensu pactum *primogenituræ* in lineam hanc introduxit, quod ab Imperatoribus & pacis Osnabruggensis Instrumento confirmatum est; *Giesensem Academiam* instituit, atque an. 1626 supremum diem obiit. Filios quatuor vitæ suæ superstites habuit: *Georgium II*, *Iohannem*, *Heinricum*, *& Fridericum*. *Hic*, ad *Pontificiorum* castra in peregrinatione Italica an. 1636 transgressus, *Equestri Ordini D. Johannis* in *Melitensi* insula nomen dedit, ibique, triremium

mium præfectus constitutus, aliquot expeditionibus magna fortitudinis laude perfunctus est; posteà, galero *Cardinalitio* ab Innocentio X. Pontifice an. 1652. decoratus, quamvis *Magnum* etiam *Prioratum Ordinis Johannitici, per Germaniam* obtinuisset, ut plurimùm Romæ agebat, *Protector Nationis Germanicæ* in Hieronymi Columnæ Cardinalis locum, à Cæsare declaratus, à quo etiam collatus ei est an. 1670. *Episcopatus Vratislaviensis*; cui nova posteà dignitas *Supremi per Silesiam utramque Capitanei* accessit, qua accepta Romæ valedixit, atque Vratislaviam se contulit; ubi d. 25. Febr. an. 1682 vitam cum morte commutavit. *Henricus* Senis in Etruria anno 1629 morte oppressus est. *Iohannes*, egregius militaris famæ, *Breubacum* incoluit, sed improlis an. 1651 obiit. Conjugem habuit *Johannam*, *Ernesti C. Sainensis* filiam, & ex parte hæredem, quæ nunc in conjugio *Johannis Georgii Ducis Saxo-Isenacensis* vivit.

23. *Georgius II.* parenti in regimine successit, quod per sex & triginta annorum spatium laudabiliter moderatus est, ab Imperatore Ferdinando II. Comitatûs *Isenburgici*, (qui ad fiscum, ex occasione bellicorum motuum, recidisse dicebatur) investituram an. 1635 impetravit, sed per transactionem Ratisbonensem an. 1642 eundem Comitibus

reddidit, tribus & dimidio exceptis pagis, & reservatâ Hassis, primariò Darmstattinis, *expectativâ* seu *successione*, in casum deficientium masculorum, & *tituli* jure. Inde licet Comites Isenburgici in pacificatione Westphalica transactionem illam, tanquam necessitatis telo sibi extortam, rescindi peterent, jus tamen Hassis suum expressis verbis servatum est, quemadmodum alio loco pluribus dicetur. Excessit *Georgius II.* ad Superos anno 1661. d. 11. Jun. postquàm complures è *Sophia Eleonora Saxonicâ*, anno 1671 demùm mortua, liberos procreasset: superfuere ei mares duo, fœmellæ septem; has inter quatuor vivere desierunt, nempe: *Sophia Eleonora*, *Wilhelmi Christophori* agnati in *Bingenheim* uxor, anno 1663. d. 7. Oct. mortua; *Heinrica Dorothea*, *Johanni C. Waldeccio* an. 1667 elocata, obiit d. 22. Dec. an. 1672; *Augusta Philippina*, *Canonissa Gandersheimensis* d. 4. Febr. ejusd. anni vitæ supremum habuit; *Maria Hedvvigis*, *Bernhardo Duci Saxoniæ* in *Meiningen* an. 1671. nupta, d. 19. Apr. an. 1680 fatorum legem implevit. E filiis, minor natu, *Georgius III.* in castro *Lauterbach*, haud procul *Vohla* in Dynastia *Itterensi* dissito, habitavit, atque an. 1676. d. 19. Jul. naturæ debitum persolvit, bis maritus: primò *Dorotheæ Augustæ*, *Johannis Christiani Ducis Holsato-Sunderburgici*

V. Instrum. P. Osnabr. artic. 4. §. Comites de Isenburg.

gici filiæ an. 1661 ductæ, & sequenti statim anno defunctæ; secundò *Alexandrinæ Julianæ, Comitissæ Leiningensis è Daxburgensibus*, cum qua an. 1667. d. 21. Jul. nuptias celebravit, & tres fœmellas genuit; è quibus primogenitam *Sophiam Julianam* in ipso limine vita destituit, reliquæ superstites duæ posteà recensendæ erunt: mater vidua facta *Carolo Landgravio è Rheinfelsensi* ramo, ceu dictum est, nupsit.

24. *Ludovicus II.* post patris *Georgii II.* fata ditionũ regimen capessivit, atq; a. 1678. d. 24. Apr. vitam, magna probitatis, justitiæ, & moderationis laude peractam, finivit. Uxores duas habuit, priorem *Mariam Elisabetham, Friderici Ducis Holsato Gottorpiensis* filiam, an. 1650. d. 24. Nov. ductam, & an. 1665 defunctam; posteriorem *Elisabetham Dorotheam, Ernesti Pii Ducis Saxo-Gothani* gnatam, quam an. 1666. d. 5. Dec. sibi copulavit, quæque etiam nunc superstes est. E *priore thoro* liberi octo prodierunt, mares tres, fœminæ quinque; ex his duæ patris fata anteverterunt, nempè *Sophia Eleonora* eodem anno, quo nata est, mortua, scilicet 1653; & *Augusta Magdalena* nata d. 6. Maji anno 1657, & d. 1. Sept. an. 1674 defuncta: mares omnes mors fato propera abstulit, *Georgius* primogenitus an. 1654 in lucem editus, ejus usura haud integri anni

ſpatio gaviſus eſt; *Ludovicus*, an. 1658. d. 22. Jun. natus, patri quidem ſuperfuit, ſed paucis menſibus, in ipſo enim nuptiarum cum *Erdmuthi Dorothea*, *Mauritii Ducis Saxoniæ & Adminiſtratoris Naumburgenſis* filia, apparatu vita caruit, ſupremumque diem habuit 1. Sept. an. 1678; *Fridericus*, natus 1. Oct. an. 1659, ex infelici in ſphæriſterio lapſu d. 28. Jan. an. 1676 extinctus eſt.

25. E *poſteriore* Ludovici II. *thoro* liberi novem provenerunt, inter quos familiam ducit

ERNESTUS LUDOVICUS, *Landgravius Haſſiæ*, *Princeps Hirſchfeldiæ*, *Comes Catzenelnboci*, *Diezia*, *Ziegenhainæ*, *Niddæ*, *Schaumburgi*, *Iſenburgi & Budingæ*, ſuſceptus in lucem d. 15. Nov. an. 1667, adoleſcens in omnium virtutum exempla genitus, & fortunæ, in quam alitur, capax.

26. *Fratrum* ejus ac *ſororum* hic eſt ſyllabus:

Georgius, n. 25. Apr. 1669.
Sophia Luiſa, n. 6. Jul. 1670.
Philippus, n. 20. Jul. 1671.
Iohannes, n. 21. Dec. 1672. † 7. Mart. 1673.
Heinricus, n. 29. Sept. 1674.
Eliſabetha Dorothea, nata 24. Apr. 1676.
Fridericus, natus 18. Sept. 1677.

27. Tri-

27. Triga fœminarum, quæ è *priore* Ludovici II *conjugio* superant, sic se habet:

I. *Magdalena Sibylla*, n. 28. Apr. 1652, nunc vidua *Wilhelmi Ludovici D. Wirtenbergici*, cui an. 1672 in manum convenit.

II. *Maria Elisabetha*. n. 11. Mart. 1656, nupta *Henrico Duci Saxoniæ in Rœmhild*, an. 1676.

III. *Sophia Maria*, n. 7. Mart. 1661. matrimonium tenet *Christiani D. Saxoniæ in Eisenberg*, inde ab anno 1681.

28. E filiabus *Georgii* II. & *Sophiæ Eleonoræ Saxonicæ* totidem adhuc vita & communi hoc spiritu fruuntur, nempe:

Elisabetha Amalia, nata d. 19. Mart. an. 1635, & *Philippo Wilhelmo C. Palatino in Neuburg* an. 1653. nupta, cujus etiam religionem amplexa est:

Luisa Christina, nata d. 5. Febr. an. 1636, & *Ludovico Christophoro Com. Stolbergensi* in *Ortenberg* an. 1665. elocata:

& *Anna Sophia*, quæ 17. Dec. an. 1638 auram vitalem hausit, atque ab *Abbatissa Quedlinburgensi* in laborum curarumque consortium, *Coadjutricis* titulo ascita est.

29. *Eleonora Dorothea*, *Georgii III. & Alexandrinæ Julianæ Leiningensis* filia, lucem vidit d. 15. Aug. an. 1669.

Magdalena Sibylla, ejus germana soror, diem 14. Octobris anni 1671. natalem habuit.

30. Restat *Homburgicus* palmes, à loco, quem ejus conditor *Fridericus*, *Georgii I.* filius natu minimus, incoluit, sic dictus: ille an. 1638. moriens tres filios impuberes, *Wilhelmum Christophorum*, *Georgium Christianum*, & *Fridericum* reliquit, quorum tutelam mater *Margarita Elisabetha C. Leiningensis* gessit: ea an. 1648. cum *Georgio* II. Darmstadiensi de alimentatione sive appennagio filiorum convenit, hocque nomine præfecturam *Bingenheimensem* accepit; sub ea tamen conditione, ut, si quando contingeret natu majorem ex ejus filiis *Wilhelmum Christophorum* absque prole masculâ decedere, præfectura ista neutiquam ad fratres ejus superstites devolveretur, sed *Georgio* ejusque successoribus integra facultas suppeteret, illam, compensatis melioribus, redimendi; hinc etiam Darmstadienses in actu immissionis hanc cautionem adhibuerunt, ut sibi successionem eventualem conceptis verbis reservarent. E prædicta verò fratrum triga *Georgius Christianus* ad Pontificios transivit, atque anno 1666. d. 11. Oct. *Hamburgi* uxorem duxit, *Friderici Comitis ab Ahlefeld* viduam, è *Ranzoviorum* gente, uti ferunt, prognatam; sed an. 1677. d. 11. Aug.

Fran-

Francofurti ad Mœnum improlis è viventium numero exivit.

31. *VVilhelmus Christophorus* bis matrimonium contraxit, prius an. 1650. d. 21. Apr. cum *Sophia Eleonora* agnata, *Georgii II. Darmstadiensis* filia, quæ d. 7. Oct. an. 1663 mortalitatem explevit, postquàm complurium liberorum mater facta esset, sequioris sexus duo superant, è filiis, quorum decem fuisse accepi, non nisi unus ad aliquam ætatem pervenit; nempè *Leopoldus Georgius*, qui an. 1654. d. 25. Oct. natus, primum & vicesimum ætatis annum attigit, quippe sponsus filiæ *Friderici Comitis ab Ahlefeld & Rixingen*, Regis Daniæ Supremi Cancellarii, fato abreptus est d. 26. Febr. an. 1675. Posterior *Wilhelmi Christophori* uxor *Anna Elisabetha* fuit, *Augusti Ducis Saxo-Lauenburgici* gnata, an. 1665 ducta, & ampla quidem dote instructa, sed conjugio, uti perhibent, inhabilis; unde natæ posteà sunt inter eos offensiones, inde discessio, tum divortium quoad thorum & mensam, postremò litigia atque altercationes publicæ de præstandis ac implendis pactis ratione illatorum & alimentorum, quæ Cameram Spirensem aliquandiu exercuerunt: discessit tandem ille ex hominum vita an. 1681. d. 27. Aug.

32. FRIDERICUS, *Landgravius Has-*

sia, Princeps Hirschfeldiæ &c. an. 1633. d. 30. Maji in lucem prodiit, & militiam sectatus, Suecis primùm Stipendia fecit, sed in obsidione Hafnienſi crus amiſit; poſteà Electori Brandenburgico operam ſuam addixit, ejusque religioni ſe applicuit, à quo *Suprema Pomeraniæ præfectura* auctus eſt. In *Marchia* bona quædam præſenti pecunia, quam luculentam prior ei uxor attulit, ſibi comparavit & *Wevelingæ* domicilium inſtituit. Fratre *Wilhelmo Chriſtophoro*, absque maribus, defuncto, ditionem, quam tenuit, ſibi vindicatum ivit, Bingenheimiumque illicò occupavit, & præſidium introduxit: quod quia pacto ſuprà memorato, quo Darmſtadienſibus eo caſu, qui jam inciderat, ſucceſſio reſervabatur, adverſum erat; præterea *Ludovicus II. Darmſtadienſis*, ut eventualem illam ſucceſſionem ſibi ſtabiliret, jam dum an. 1675 cum *Wilhelmo Chriſtophoro*, poſt filii ejus unici mortem, decompenſatione ſumptuum, in melioraciones factorum, pro ſumma 30000 florenorum transegerat, eorumque fructus ipſi aſſignaverat; & vice verſa ejus miniſtros homagio eventuali ſibi devinxerat, *turbationem* appellavit *Friderici* occupationem vidua ac tutrix Darmſtadienſis, viqueve vim oppoſuit, milite ad Bingenheimium admoto, qui id circumdaret, atque aditus clauderet: verùm compoſita

posita est res, antequam ad gravius certamen excederet, hoc, ceu nuntiatum est, pacto, ut Fridericus centum mille thaleris Darmstadiensium jura redimeret, hique pecunia hac accepta omni in Bingenheimium prætensioni renuntiarent. Prima uxor *Friderico* ducta est d. 12. Maji an. 1661. *Margarita Brahea, Abrahamo Comite in Wisingspurg, Regni Suecia Legifero,* & *Elsa Guldenstiernia* nata, *Johannis Ochsenstiernæ,* Regni Sueciæ Marescalli vidua; quæ an. 1669 sterilis fato functa vacuum thorum reliquit *Luisæ Elisabethæ, Jacobi Ducis Curlandiæ* ex *Luisa Carola Brandenburgica* filiæ, quam an. 1671 sibi copulavit, & *par filiorum* ex ea sustulit; natu majoris an. 1673 in lucem editi nomen rescisci nondum licuit, alter *Carolus Christianus* annum 1674 natalem habuit.

33. *Christina Wilhelmina*, *Wilhelmi Christophori* è priore thalamo filia, an. 1653. d. 3. Jun. nata, *Friderico* D. *Mecklenburgico* an. 1671. nuptui data est.

34. *Magdalena Sophia*, ejus germana soror, an. 1660. d. 24. Apr. in lucem suscepta, mulier facta est an. 1679 ex viro *Wilhelmo Mauritio Comite Solmensi in Greifenstein.*

35. *Scutum* Landgraviorum Hassiæ, *semel perpendiculariter*, *& bis transversim sectum*, sex areolas *complectitur*, *quibus accedit* parmula, *cordi scuti incumbens*, *eademque cærulea* leonem

Spen. Op. Her. Sp. l. 3. c. 23.

leonem coronatum, & decem taniis transversis argenteis & rubeis distinctum, exhibens; quæ tessera est Hassiaca: prima areola *argentea crucem duplicem rubeam*, Hirschfeldensis Principatus *symbolum, defert*; secunda *transversè secta, parte superiore nigra stellam auream continet, inferiore auro puro tincta est*, & Ziegenhainium Comitatum *designat*: tertia *aurea pardum erecto situ rubeum cum corona cœrulea defert, quod* Comitatus Catimelibocensis *emblema est*: quarta *rubea leones duos gradientes aureos*, Diezensis Comitatus *tesseram, refert*: quinta *ex nigro & auro transversè secta, superiore parte duabus stellis aureis fulget*, & Niddanum Comitatum *denotat*: sexta *denique rubea, urticam candentem*, Schaumburgici Comitatus *δεῖγμα, exhibet*. Notandum verò, *Darmstadienses*, in quinto laterculo Niddano symbolo *subtexere* Isenburgicum, *nempè fascias duas nigras, solo argenteo inscriptas. Huic scuto* galeæ quinque *incumbunt*: media *coronata*, Hassiacæ *parmulæ respondens, sustinet cornua duo argentea; ex quibus utrinque foliati ramuli prominent*: *huic* ad dextram proxima Hirschfeldiensis *itidem coronata caudâ pavoninâ superbit*, ad sinistram Ziegenhainensis *caprum exsurgentem, alatum, nigrum, cornibus pedibusque aureis, alis emblemate scutario pictis, refert*. Extima ad dextram Catimelibocensis *coronata jugum alarum complici-*

plicitarum sustinet, quarum anterior apparens in orbe aureo leonem scutarium exhibet: demum quæ ad lævam ultima *est, tortili diademate tegitur, & vexillis quinque, in quibus urticæ singulæ* Schaumburgicæ *pinguntur, pro fulcro est.* Laciniæ *circumfluentes laterculorum colores exprimunt.*

36. Comprehenduntur Landgravii Hassiæ sub *Circulo Rhenano superiore*, atque in comitiis in Senatu Principum *suffragia tria* obtinent, quorum *duo Cassellenses* ferunt, alterum quidem ob ipsum *Principatum Cassellensem*, alterum autem ob *Hirschfeldiam: tertium* ad *Darmstadienses* pertinet: *proedrian* per pacta alternatim exercent: neque verò minus ob Comitatum *Schaumburgium* in *Collegio Comitum Saxoniæ & Westphaliæ*, in comitiis Imperii, nec non diœtis *circuli Westphalici*, Sereniſſima domus locum ſuum ſervat.

CAP. VIII.

DE MARCHIONIBUS BADENSIBUS.

INclutiſſima Badenſis familia ab antiquiſſimis *Zeringiæ* Ducibus deduci amat, quorum porrò initia à priſcis *Alſatiæ* Principibus, atque adeò ab eadem ſtirpe, qua Auguſtiſſimam *Auſtriacam* domum ortam eſſe ſupe-

superiùs memoratum fuit, derivant. *Hermannus*, *Berchtoldi I. Ducis Zaringiæ* filius, *Berchtoldi II.* frater, stemmatis *Badensis* conditor statuitur, qui *Hochbergam* al áque in *Brisgoja* prædia ex avita hæreditate, cum titulo *Marchionis*, sortitus est, atque anno 1074 in monasterio Cluniacensi fatis concessit; relicto filio, è *Judita Calvensi* suscepto, *Hermanno*, *primo Badæ Marchione*, quem Marchionatum, ab Heinrico Aucupe, ad superiorem Germaniam Rhenique aditus ab incursionibus Gallorum tutandos, institutum, uxor *Juditha*, incertæ prosapiæ, ei attulisse perhibetur. Hic nepotem è filio *cognomine* habuit *Hermannum* III, cui Imperator Fridericus Barbarossa, pro ea potestate quam tum temporis Cæsares in Italia obtinebant, *Veronam*, in præmium fortitudinis, bello Mediolanensi sibi comprobatæ, tradidisse fertur; unde commentum natum esse de *Origine Veronensi*, quasi scilicet *Hermannus* ab extera regione in Germaniam fugrit delatus, vero haud est absimile.

Schurzfl. Diss. de reb. Bad. Th. 2.

2. Ab *Hermanni* III. filiis, *Hermanno* & *Heinrico*, prima vice in ramos diducta est Badensis stirps, in *Badensem* nempè & *Hochbergicum*. Hunc *Heinricus* profevit, qui hæreditatem à patre acceptam *Brisgoja*, quam Imperator Fridericus II, agnatis Zæringiis extinctis, ipsi contulit, auxit: quæ feli-

felicitas ditiones amplificandi posteris quoque ejus haud infrequens obtigit.

3. Verùm ab *Heinrico IV.* & *Rudolpho III, Heinrici I.* abnepotibus, postquam illi Principatum inter se partiti sunt, duo iterum palmites defluxerunt, quorum alter *Hochbergicus* sigillatim, alter *Sausenbergicus*, dici cœpit. *Heinricus IV. Hochbergam* ad filium ὁμώνυμον transmisit, qui per conjugium *Annæ, Burcardi Liberi Domini ab Usenberg* (non *Isenberg*) filiæ, ac *Friderici* sororis, dynastiam *Usenbergicam* inferiorem cum *Kenzinga* accepit, & patrimonio adjecit; reliquam hujus dynastiæ partem, ad quam pertinebant oppidum *Endingen*, & alia circa Brisgojæ montem, dictum *Cæsaris sedes*, (der Kayserstuhl) *Hesso I.* Marchio, *Heinrici V.* filius, à filiabus *Hessonis Domini ab Usenberg*, postremi hujus gentis, emptionis titulo acquisivit; cujus filius *Otto*, in quo cœlibe *Hochbergicus* palmes exaruit, eam unà cum Marchionatu Hochbergico, in *Bernhardum* Marchionem Badensem, intervenientе certa pecuniæ summa, transtulit. *V. Spen. Op. Har. Sp. l. 2. c. 4. §. 4.*

4. Supererat *Sausenbergicus* palmes, cui nomen à *Sausenberga* erat, quæ *Landgraviatus* est, sed sub charactere *Comitis*, non Principis, propterea quе titulo dynastiæ Rœtelensis postponi olim solebat, ceu *Schurzfleischius* observavit; illius autor *Rudol-* *Diss. de rebb. Bad. Th. 18.*

dolphus III. filium habuit *Heinricum* V, qui dominium *Rœtelanum* à *Leopoldo* sive *Luitholdo*, ultimo ejus Dynasta ac Præposito Basileensi, an. 1315. donatione mortis causa obtinuit, sedemque, quem antea *Sausenbergæ* habuerat, eò transtulit. *Rudolphus* VI, ejus nepos, *Friburgicis* feudis ditiones auxit. *Rudolphus VIII.* verò Comitatum *Novocastrensem* in Helvetia, nec non Dominium *Badenvveiler* à Johanne Friburgio, qui an. 1444 improlis decessit, dono accepit, filiumque post se unicum reliquit, *Philippum*; in quo *Hochbergica* propago defecit: is prole masculâ destitutus an. 1490 pactum successionis cum *Christophoro* agnato, Badensi Marchione, iniit, quod, Imperatoris Maximiliani I. auctoritate an. 1499 roboratum, quadriennio abhinc, postquàm Philippus an. 1503. d. 7. Sept. vitam lineamque finivit, in effectum deductum est, *Christophoro Badensi* possessionem universæ hæreditatis arripiente; cumque is in jure suo interpellaretur à *Ludovico Aurelianensi Duce Longavilleo*, quippe qui *Johannam*, *Philippi Marchionis* gnatam unicam connubii fœdere sibi junxerat, & prætextu juris uxorii *Sausenbergam*, *Badenvvileram*, & *Rœtelam* sibi vindicatum ibat, controversia amica transactione composita est, ea lege, ut *Longavilleo* pecunia satisfieret, ejusque prætensio, numeratis ducentis & quin-

quinquaginta mille aureis, redimeretur; addictus tamen eidem è soceri ditionibus fuit Comitatus *Novocastrensis* (Welsch Neuburg) in Helvetia, *titulusque* duntaxat *Rætelæ*, utpote quæ itidem cum *Sausenberga* & *Badenvvila* in jus ditionemque *Christophori Badensis* concessit.

5. Is sanguinem ducebat ab *Hermanno IV*, qui, in partitione Principatûs *Badensem* Marchionatum sortitus, ramum inde nominatum profevit, & connubiô *Irmengardis* sive *Irmentrudæ*, *Heinrici Electoris Palatini* filiæ, opes & potentiam insigniter auxit; hæc enim ei jus in *Durlacum*, *Heidelsheimium*, *Pforzheimium*, atque *Etlingam* attulit, quæ loca etiam, auspicio, beneficioque Friderici II. Cæsaris, obtinuit. Cùm an. 1243. diem supremum obiisset, filios reliquit *Hermannum V.* ac *Rudolphum*; quorum prior jure matrimonii cum *Gertrude*, *Austriæ* hærede, contracti in spem atque aliqualem possessionem ejus Ducatus venit, eamque ad filium *Fridericum* transmisit; qui studio Hohenstaufficæ necessitudinis, cum *Conradino Sueviæ Duce* arma adversus *Carolum Andegavensem*, Regni Neapolitani usurpatorem, sociavit; cumque collatis ad lacum Fucinum in Etruria signis infelicissimo prœlio decertasset, vi fati inexsuperabili in hostium potestatem venit, atque in ipsa urbe Neapo-

litana an. 1269 indigniſſima morte è medio ſublatus eſt.

6. *Rudolphus* hujus nominis primus, *Hermanni V.* frater, Badenſem ſtirpem propagavit, atque à *Cunigunde Eberſteinia*, uxore ſua, jus in Comitatum *Eberſteinium* poſteris acquiſivit; cui poſteà titulus emptionis acceſſit, ita ut maxima Comitatus hujus pars in Badenſium Marchionum ditione nunc ſit. Inter ejus filios, quos quatuor habuit, *Hermannus VI*, ſtemmatis continuator, in veteri caſtro Eberſteinenſi habitavit: hujus gnati *Fridericus II.* & *Rudolphus V*, ditionibus paternis diviſis, ille *Eberſteinium*, hic *Pforzheimium* incoluerunt; prioris progenies in ejus filio *Hermanno VIII*, qui *Fridericum* ac *Rudolphum* gnatos, in tabula Rittershuſiana omiſſos, turbato mortalitatis ordine extulit, extincta eſt; crevitque ejus hæreditatem *Fridericus III*, *Rudolphi V.* filius, quo genitus eſt *Rudolphus VII*, ob corporis proceritatem *Magnus* cognominatus: hic ducta in uxorem *Mechtilde*, *Johannis Cœci*, *Comitis Spanheimenſis*, filia, jus in ſucceſſionem iſtius Comitatus pactis initis, tabulisque datis acquiſivit; cujus in poſſeſſionem, Spanheimenſi familia an. 1437, in Johannis Cœci nepote cognomine, extincta, *Iacobus I.* Marchio, *Rudolphi VII.* è filio *Bernhardo I.* (qui ſucceſſionem in Marchionatum *Hochbergi-*

cum

cum ab *Ottone* agnato ære mercatus est) nepos, pervenit, & insigni, luculentaque accessione, quæ *dimidiam partem ulterioris* Comitatus, *duasque quintas citerioris* complectitur, (reliqua enim ad Palatinos delata fuerunt) avitam regionem ampliavit. *Vid. sup. l. 2. c. 9. & l. 4. c. 1.*

7. *Jacobus I.* spectatæ virtutis, prudentiæ, ac justitiæ Princeps, cùm an. 1453 naturæ debitum expleſſet, filios quinque reliquit; è quibus primogenitus *Bernhardus*, mundi curarum, sponsæque *Magdalenæ*, quæ *Caroli VII. Regis Galliæ* filia erat, pertæsus, cilicium sumsit, & Principatus regimen fratri, sorte nascendi proximo, *Carolo* tradidit, cui parens nuptias *Catharinæ Austriacæ*, sororis *Imperatoris Friderici III*, conciliavit. Hic occasione diſſidii Moguntinensis, quo *Dietherus Isenburgicus* atque *Adolphus Nassovius* de tiara decertabant, cùm pro *Adolpho*, reverentia Pontificis, amoreque Cæsaris impulsus, arma cepisset, *Fridericum Palatinum*, à *Dietheri* partibus, magis ut Badensi obstaret ac noceret, quàm quod illum charum haberet, stantem, adversarium reperit; à quo, manibus, iniquo loco inter angustias *Rheni*, & *Nicri*, consertis victus, atque unà cum *Georgio Episcopo Metensi* fratre suo, nec non *Ulrico Wirtenbergico* captus, lytri nomine varia loca, speciatim *Heidelsheimium*, & portiones, quas in *anteriore Comitatu Spanhei-*

Schunck. l. c. ex Helvvich de diss. Mog. p. 48. & 89.

heimensi habebat, sed has *hypothecario* titulo tantùm, Palatino cedere necesse habuit: excessit è vita an. 1475.

8. *Christophorus*, *Caroli* F, *Philippi* agnati, *Hochbergensis* lineæ postremi, hæreditatem, *Sausenbergam* nimirum & *Rœtelam*, eò, quo paulò ante narratum est, modo adiit, magnamque virtutis ac constantiæ famam sibi peperit, eo quod, proscripto ab Imperatore Maximiliano I. *Philippo Palatino*, occasione patrem ulciscendi, & quæ ipsi à Palatinis erepta fuerant, recuperandi, uti respuit; nec se bello illi immiscuit, magis se dignum reputans, fidem à parente datam servare, quàm ex alterius calamitatibus suum comparare commodum. Aperuit tamen ei virtus suæ alibi locorum occasionem, eamque honestissimam, qua ditiones dilataret: nimirum cum Maximiliano Cæsari strenuam in Belgio operam adversus seditiosos, scripto suis impensis milite, navasset, non tantùm suprema *Luzenburgici* Ducatus prætectura præmii loco ipsi collata fuit, sed & bona rebellibus adempta, ob sumptus factos, obtinuit; quorum quidem aliqua posteà redempta sunt, alia, ut *Rodenmachern*, *Herspringen*, *Usseldingen* in Badensium ditione permanserunt.

9. Cæterùm à *Christophoro* communem sanguinem ducunt, quotquot hodiè è familia, ad paucos quidem redacta, superant: fuit

fuit etenim ille complurium liberorum *ex Ottilia C. Catimelibocensi* pater, filiæ sex fuere, gnati decem; quos inter quatuor inprimis mentionem postulare videntur: nempe *Jacobus, Bernhardus, Philippus*, atque *Ernestus*. *Jacobus* primogenitus, Sacrum ordinem amplexus, *Johanni* propatruo an. 1503. defuncto, successor in *Archiepiscopatu Trevirensi* datus est; *in eo adhuc juvene tanta erat vis ingenii*, (testem cito *Philippum Melanchtonem*, cujus etiam verbis utor) *ut in conventu Colonienſi an. 1505. responderit nomine Imperii, Legatis Pontificiis Latinè, Venetis Italicè, Gallicis Gallicè, Statibus Imperii vernacula lingua: fuit doctus in jure, industrius in Musica atq; in re militari; debuit habere conjugem, quæ fuit mater Ducissæ Bavariæ, sed Maximilianus I, propter excellentiam ingenii ipsius, voluit eum esse Electorem, dictitans, tali opus esse viro, qui præ cæteris Vir esset: fuit autem ille incontinentior, & tandem interfectus est à quodam sutore in urbe Confluentia:* hucusque communis Germaniæ Præceptor. *Postill. edit. à Pezel. part. 1. pag. 341.*

10. *Philippus*, ducta in uxorem *Elisabetha Palatina*, *Wilhelmi Junioris*, *Landgr. Hassiæ* vidua, (cui Philippus parens dotis loco hypothecam, quam in partes *anterioris Comitatus Spanheimensis*, Badensibus competentes, Fridericus Victoriosus, ceu dictum est, acquisiverat, dedit) sobolem quidem procrea-

vit, sed è qua sola *Maria Jacoba* ad justam ætatem pervenit, & *Wilhelmo Duci Bavariæ* nupsit. *Bernhardus* atque *Ernestus* duarum linearum, quibus hodienum familia distinguitur, autores extiterunt: earum prior *Badensis* speciatim, altera *Durlacensis* appellatur. Ditionum partitionem ita *Christophorus* parens disposuit, ut *Bernhardo* natu majori assignaret medietatem ulterioris Comitatus *Spanheimensis*: cum ditionibus *Luzenburgicis*; *Philippo* Marchionatum *Badensem*; *Ernesto* autem Marchionatum *Hochbergicum*. *Philippi* hæreditatem fratres superstites æquis partibus adierunt, *Bernhardo* superior Marchionatus Badensis pars, *Ernesto* inferior obtigit.

II. *Bernhardus* saniorem purioremque Numinis cultum primus in Badensem Marchionatum introduxit, hypothecam *Crucenacensem* à *Philippi* fratris filia Bavariæ Ducissa numerata pecunia reluit, & nomine Philippi II. Regis Hisp. *Lucenburgensem* Ducatum administravit; vergente demum ætate an. 1535 conjugem sumsit *Franciscam Lucenburgiam*, *Caroli Comitis de Brienne* (nec *Antonii Com. Charni*, prout *tab. Rittershusiana* habet) filiam, biennioque post è vita discedens, par filiorum minutulorum post se reliquit, *Philibertum* & *Christophorum*. Ille, legi-

legitima ætate auctus, *Badæ* domicilium instituit, atque, uxore *Mechtilde Bavara* amissa, in militiam profectus est, Regique Galliæ stipendia faciens in prœlio ad *Monconturium* an. 1569 occubuit, relicto, præter tres gnatas, filio unico *Philippo*; ejus nomine Bavari, cum tutelam sibi arrogassent, Evangelicam religionem Marchionatu exturbarunt; sed idem an. 1588 in nuptiarum cum *Sibylla Juliacensi* apparatu morte præpropera oppressus est.

12. *Christophorus* Philiberti frater, è paternis ditionibus *Rodenmacheram* sortitus est, & Regi Sueciæ militans, *Cæciliam*, *Gustavi Regis* gnatam, uxorem promeruit, explevitque mortalitatem an. 1575. Filios quinque vitæ suæ superstites habuit, quos inter primogenitus *Eduardus Fortunatus*, patri in regimine, nec minus posteà *Philippo* patrueli, successit. Is *Pontificiam religionem*, paterna ejurata, professus, cum, derelicto ditionum regimine, perpetua peregrinatione ætatem contereret, debitorum tùm avitorum, tùm à patruele Philippo contractorum, nullam rationem haberet, pensiones annuas non dependeret, bona mobilia à Philippo relicta dilapidaret, æs alienum cumularet, eoque Principatum obrueret, adeò ut periculum esset, ne ditiones ejus, quas jam tum Rudolphus II. Cæsar *Ducibus Bavariæ ac Lotha-*

sia, Princeps Hirschfeldiæ &c. an. 1633. d. 30. Maji in lucem prodiit, & militiam sectatus, Suecis primùm Stipendia fecit, sed in obsidione Hafnienſi crus amisit; posteà Electori Brandenburgico operam suam addixit, ejusque religioni se applicuit, à quo *Suprema Pomeraniæ præfectura* auctus est. In *Marchia* bona quædam præsenti pecunia, quam luculentam priorei uxor attulit, sibi comparavit & *Wevelingæ* domicilium instituit. Fratre *Wilhelmo Christophoro*, absque maribus, defuncto, ditionem, quam tenuit, sibi vindicatum ivit, Bingenheimiumque illicò occupavit, & præsidium introduxit: quod quia pacto suprà memorato, quo Darmstadienſibus eo casu, qui jam inciderat, successio reservabatur, adversum erat; præterea *Ludovicus II. Darmstadienſis*, ut eventualem illam successionem sibi stabiliret, jam dum an. 1675 cum *Wilhelmo Christophoro*, post filii ejus unici mortem, decompensatione sumptuum, in meliorationes factorum, pro summa 30000 florenorum transegerat, eorumque fructus ipsi assignaverat; & vice versa ejus ministros homagio eventuali sibi devinxerat, *turbationem* appellavit *Friderici* occupationem vidua ac tutrix Darmstadienſis, viqueve vim oppoſuit, milite ad Bingenheimium admoto, qui id circumdaret, atque aditus clauderet: verùm compoſita

posita est res, antequam ad gravius certamen excederet, hoc, ceu nuntiatum est, pacto, ut Fridericus centum mille thaleris Darmstadienſium jura redimeret, hiſque pecunia hac accepta omni in Bingenheimium prætenſioni renuntiarent. Prima uxor *Friderico* ducta est d. 12. Maji an. 1661. *Margarita Brahea, Abrahamô Comite in Wiſingſpurg, Regni Sueciæ Legifero, & Elsâ Guldenſtiernia* nata, *Johannis Ochſenſtiernæ*, Regni Sueciæ Mareſcalli vidua; quæ an. 1669 ſterilis fato functa vacuum thorum reliquit *Luiſæ Eliſabethæ, Jacobi Ducis Curlandiæ* ex *Luiſa Carola Brandenburgica* filiæ, quaman. 1671 ſibi copulavit, & *par filiorum* ex ea ſuſtulit; natu majoris an. 1673 in lucem editi nomen reſciſcere nondum licuit, alter *Carolus Chriſtianus* annum 1674 natalem habuit.

33. *Chriſtina Wilhelmina*, *Wilhelmi Chriſtophori* è priore thalamo filia, an. 1653. d. 3. Jun. nata, *Friderico* D. *Mecklenburgico* an. 1671. nuptui data est.

34. *Magdalena Sophia*, ejus germana ſoror, an. 1660. d. 24. Apr. in lucem ſuſcepta, mulier facta est an. 1679 ex viro *Wilhelmo Mauritio Comite Solmenſi in Greifenſtein.*

35. *Scutum* Landgraviorum Haſſiæ, *ſemel perpendiculariter, & bis transverſim ſectum*, ſex areolas *complectitur*, *quibus accedit* parmula, *cordi ſcuti incumbens, eademque cœrulea*

Spon. Of. Har. Sp. l. 3. c. 22.

leonem

leonem coronatum, & decem taniis transversis argenteis & rubeis distinctum, exhibens; quæ tessera est Hassiaca: prima areola *argentea crucem duplicem rubeam*, Hirschfeldensis Principatus *symbolum, defert*; secunda *transversè secta, parte superiore nigra stellam auream continet, inferiore auro puro tincta est*, & Ziegenhainium Comitatum *designat*: tertia *aurea pardum erecto situ rubeum cum corona cœrulea defert, quod* Comitatus Catimelibocensis *emblema est*: quarta *rubea leones duos gradientes aureos*, Diezensis Comitatus *tesseram, refert*: quinta *ex nigro & auro transversè secta, superiore parte duabus stellis aureis fulget*, & Niddanum Comitatum *denotat*: sexta *denique rubea, urticam candentem*, Schaumburgici Comitatus δῆγμα, *exhibet*. Notandum verò, *Darmstadienses*, in quinto laterculo Niddano symbolo *subtexere* Isenburgicum, *nempè fascias duas nigras, solo argenteo inscriptas. Huic scuto* galeæ quinque *incumbunt*: media *coronata*, Hassiacæ *parmulæ respondens, sustinet cornua duo argentea; ex quibus utrinque foliati ramuli prominent*: *huic* ad dextram proxima Hirschfeldiensis *itidem coronata caudâ pavoninâ superbit*, ad sinistram Ziegenhainensis *caprum ex surgentem, alatum, nigrum, cornibus pedibusque aureis, alis emblemate scutario pictis, refert*. Extima ad dextram Catimelibocensis *coronata jugum alarum complici-*

plicitarum sustinet, quarum anterior apparens in orbe aureo leonem scutarium exhibet: demum quæ ad lævam ultima *est, tortili diademate tegitur, & vexillis quinque, in quibus urticæ singulæ* Schaumburgicæ *pinguntur, pro fulcro est.* Laciniæ *circumfluentes laterculorum colores exprimunt.*

36. Comprehenduntur Landgravii Hassiæ sub *Circulo Rhenano superiore*, atque in comitiis in Senatu Principum *suffragia tria* obtinent, quorum *duo Cassellenses* ferunt, alterum quidem ob ipsum *Principatum Cassellensem*, alterum autem ob *Hirschfeldiam: tertium* ad *Darmstadienses* pertinet: *proëdrian* per pacta alternatim exercent: neque verò minus ob Comitatum *Schaumburgium* in *Collegio Comitum Saxoniæ & Westphaliæ*, in comitiis Imperii, nec non dicetis *circuli Westphalici*, Serenissima domus locum suum servat.

CAP. VIII.

DE MARCHIONIBUS BADENSIBUS.

INclutissima Badensis familia ab antiquissimis *Zeringiæ* Ducibus deduci amat, quorum porrò initia à priscis *Alsatiæ* Principibus, atque adeò ab eadem stirpe, qua Augustissimam *Austriacam* domum ortam esse supe-

superiùs memoratum fuit, derivant. *Hermannus*, *Berchtoldi I. Ducis Zaringiæ* filius, *Berchtoldi II.* frater, stemmatis *Badensis* conditor statuitur, qui *Hochbergam* al áque in *Brisgoja* prædia ex avita hæreditate, cum titulo *Marchionis*, sortitus est, atque anno 1074 in monasterio Cluniacensi fatis concessit; relicto filio, è *Judita Calvensi* suscepto, *Hermanno*, *primo Badæ Marchione*, quem Marchionatum, ab Heinrico Aucupe, ad superiorem Germaniam Rhenique aditus ab incursionibus Gallorum tutandos, institutum, uxor *Juditha*, incertæ prosapiæ, ei attulisse perhibetur. Hic nepotem è filio *cognomine* habuit *Hermannum* III, cui Imperator Fridericus Barbarossa, pro ea potestate quam tum temporis Cæsares in Italia obtinebant, *Veronam*, in præmium fortitudinis, bello Mediolanensi sibi comprobatæ, tradidisse fertur; unde commentum natum esse de *Origine Veronensi*, quasi scilicet *Hermannus* ab extera regione in Germaniam fugerit delatus, vero haud est absimile.

Schurzfl. Diss. de reb. Bad. Th. 2.

2. Ab *Hermanni* III. filiis, *Hermanno* & *Heinrico*, prima vice in ramos diducta est Badensis stirps, in *Badensem* nempè & *Hochbergicum*. Hunc *Heinricus* profevit, qui hæreditatem à patre acceptam *Brisgoja*, quam Imperator Fridericus II, agnatis Zæringiis extinctis, ipsi contulit, auxit: quæ feli-

felicitas ditiones amplificandi posteris quoque ejus haud infrequens obtigit.

3. Verùm ab *Heinrico IV.* & *Rudolpho III*, *Heinrici I.* abnepotibus, postquam illi Principatum inter se partiti sunt, duo iterum palmites defluxerunt, quorum alter *Hochbergicus* sigillatim, alter *Sausenbergicus*, dici cœpit. *Heinricus IV. Hochbergam* ad filium ὁμώνυμον transmisit, qui per conjugium *Annæ*, *Burcardi Liberi Domini ab Usenberg* (non *Isenberg*) filiæ, ac *Friderici* fororis, dynastiam *Usenbergicam* inferiorem cum *Kenzinga* accepit, & patrimonio adjecit; reliquam hujus dynastiæ partem, ad quam pertinebant oppidum *Endingen*, & alia circa Brisgojæ montem, dictum *Cæsaris sedes*, (der Kayserstuhl) *Hesso I.* Marchio, *Heinrici V.* filius, à filiabus *Hessonis Domini ab Usenberg*, postremi hujus gentis, emptionis titulo acquisivit; cujus filius *Otto*, in quo cœlibe *Hochbergicus* palmes exaruit, eam unà cum Marchionatu Hochbergico, in *Bernhardum* Marchionem Badensem, interveniente certa pecuniæ summa, transtulit. *v. Sfen. Op. Har. Sp. l. 2. c. 4. §. 4.*

4. Supererat *Sausenbergicus* palmes, cui nomen à *Sausenberga* erat, quæ *Landgraviatus* est, sed sub charactere *Comitis*, non Principis, propterea que titulo dynastiæ Rœtelensis postponi olim solebat, ceu *Schurzfleischius* observavit; illius autor *Rudol-* *Diss. de reb. Bad. Th. 122*

dolphus III. filium habuit *Heinricum* V, qui dominium *Rœtelanum* à *Leopoldo* sive *Luitholdo*, ultimo ejus Dynastæ ac Præposito Basileensi, an. 1315. donatione mortis causâ obtinuit, sedemque, quem antèà *Saufenbergæ* habuerat, eò transtulit. *Rudolphus* VI, ejus nepos, *Friburgicis* feudis ditiones auxit. *Rudolphus VIII.* verò Comitatum *Novocastrensem* in Helvetia, nec non Dominium *Badenvveiler* à Johanne Friburgio, quia n. 1444 improlis decessit, dono accepit, filiumque post se unicum reliquit, *Philippum*; in quo *Hochbergica* propago defecit: is prole masculâ destitutus an. 1490 pactum successionis cum *Christophoro* agnato, Badensi Marchione, iniit, quod, Imperatoris Maximiliani I. auctoritate an. 1499 roboratum, quadriennio abhinc, postquàm Philippus an. 1503. d. 7. Sept. vitam lineamque finivit, in effectum deductum est, *Christophoro Badensi* possessionem universæ hæreditatis arripiente; cumque is in jure suo interpellaretur à *Ludovico Aurelianensi Duce Longavilleo*, quippe qui *Johannam*, *Philippi Marchionis* gnatam unicam connubii fœdere sibi junxerat, & prætextu juris uxorii *Saufenbergam*, *Badenvvileram*, & *Rœtelam* sibi vindicatum ibat, controversia amica transactione composita est, ea lege, ut *Longavilleo* pecunia satisfieret, ejusque prætensio, numeratis ducentis & quin-

quinquaginta mille aureis, redimeretur; addictus tamen eidem è soceri ditionibus fuit Comitatus *Novocastrensis* (Welsch Neuburg) in Helvetia, *titulusque* duntaxat *Rœtelæ*, utpote quæ itidem cum *Sausenberga* & *Badenvvila* in jus ditionemque *Christophori Badensis* concessit.

5. Is sanguinem ducebat ab *Hermanno IV*, qui, in partitione Principatûs *Badensem* Marchionatum sortitus, ramum inde nominatum profevit, & connubiô *Irmengardis* sive *Irmentrudæ*, *Heinrici Electoris Palatini* filiæ, opes & potentiam insigniter auxit; hæc enim ei jus in *Durlacum*, *Heidelsheimium*, *Pforzheimium*, atque *Etlingam* attulit, quæ loca etiam, auspicio, beneficioque Friderici II. Cæsaris, obtinuit. Cùm an. 1243. diem supremum obiisset, filios reliquit *Hermannum V.* ac *Rudolphum*; quorum prior jure matrimonii cum *Gertrude*, *Austriæ* hærede, contracti in spem atque aliqualem possessionem ejus Ducatus venit, eamque ad filium *Fridericum* transmisit; qui studio Hohenstaufficæ necessitudinis, cum *Conradino Sueviæ Duce* arma adversus *Carolum Andegavensem*, Regni Neapolitani usurpatorem, sociavit; cumque collatis ad lacum Fucinum in Etruria signis infelicissimo prœlio decertasset, vi fati inexsuperabili in hostium potestatem venit, atque in ipsa urbe Neapo-

litana an. 1269 indigniſſima morte è medio ſublatus eſt.

6. *Rudolphus* hujus nominis primus, *Hermanni V.* frater, Badenſem ſtirpem propagavit, atque à *Cunigunde Eberſteinia*, uxore ſua, jus in Comitatum *Eberſteinium* poſteris acquiſivit; cui poſteà titulus emptionis acceſſit, ita ut maxima Comitatus hujus pars in Badenſium Marchionum ditione nunc ſit. Inter ejus filios, quos quatuor habuit, *Hermannus VI*, ſtemmatis continuator, in veteri caſtro Eberſteinenſi habitavit: hujus gnati *Fridericus II.* & *Rudolphus V*, ditionibus paternis diviſis, illic *Eberſteinium*, hic *Pforzheimium* incoluerunt; prioris progenies in ejus filio *Hermanno VIII*, qui *Fridericum* ac *Rudolphum* gnatos, in tabula Rittershuſiana omiſſos, turbato mortalitatis ordine extulit, extincta eſt; crevitque ejus hæreditatem *Fridericus III*, *Rudolphi V.* filius, quo genitus eſt *Rudolphus VII*, ob corporis proceritatem *Magnus* cognominatus: hic ducta in uxorem *Mechtilde*, *Johannis Cœci*, *Comitis Spanheimenſis*, filia, jus in ſucceſſionem iſtius Comitatus pactis initis, tabuliſque datis acquiſivit; cujus in poſſeſſionem, Spanheimenſi familia an. 1437, in Johannis Cœci nepote cognomine, extincta, *Iacobus I.* Marchio, *Rudolphi VII.* è filio *Bernhardo I.* (qui ſucceſſionem in Marchionatum *Hochbergi-*

cum

cum ab *Ottone* agnato ære mercatus est) nepos, pervenit, & insigni, luculentaque accessione, quæ *dimidiam partem ulterioris* Comitatus, *duasque quintas citerioris* complectitur, (reliqua enim ad Palatinos delata fuerunt) avitam regionem ampliavit. *Vid. sup. l. 2. c. 9. & l. 4. c. 1.*

7. *Jacobus I.* spectatæ virtutis, prudentiæ, ac justitiæ Princeps, cùm an. 1453 naturæ debitum expleſſet, filios quinque reliquit; è quibus primogenitus *Bernhardus*, mundi curarum, sponsæque *Magdalenæ*, quæ *Caroli VII. Regis Galliæ* filia erat, pertæsus, cilicium sumsit, & Principatus regimen fratri, sorte nascendi proximo, *Carolo* tradidit, cui parens nuptias *Catharinæ Austriacæ*, sororis *Imperatoris Friderici III*, conciliavit. Hic occasione dissidii Moguntinensis, quo *Dietherus Isenburgicus* atque *Adolphus Nassovius* de tiara decertabant, cùm pro *Adolpho* reverentia Pontificis, amoreque Cæsaris impulsus, arma cepisset, *Fridericum Palatinum*, à *Dietheri* partibus, magis ut Badensi obstaret ac noceret, quàm quod illum charum haberet, stantem, adversarium reperit; à quo, manibus, iniquo loco inter angustias *Rheni*, & *Nicri*, consertis victus, atque unà cum *Georgio Episcopo Metensi* fratre suo, nec non *Ulrico Wirtenbergico* captus, lytri nomine varia loca, speciatim *Heidelsheimium*, & portiones, quas in *anteriore Comitatu Span-* *Schmidt. l. c. ex Helvvich de diss. Mog. p. 48. & 89.*

heimensi habebat, sed has *hypothecario* titulo tantùm, Palatino cedere necesse habuit: excessit è vita an. 1475.

8. *Christophorus*, *Caroli* F, *Philippi* agnati, *Hochbergensis* lineæ postremi, hæreditatem, *Sausenbergam* nimirum & *Rœtelam*, eò, quo paulò ante narratum est, modo adiit, magnamque virtutis ac constantiæ famam sibi peperit, eo quod, proscripto ab Imperatore Maximiliano I. *Philippo Palatino*, occasione patrem ulciscendi, & quæ ipsi à Palatinis erepta fuerant, recuperandi, uti respuit; nec se bello illi immiscuit, magis se dignum reputans, fidem à parente datam servare, quàm ex alterius calamitatibus suum comparare commodum. Aperuit tamen ei virtus suæ alibi locorum occasionem, eamque honestissimam, qua ditiones dilataret: nimirum cum Maximiliano Cæsari strenuam in Belgio operam adversus seditiosos, scripto suis impensis milite, navasset, non tantùm suprema *Luzenburgici* Ducatus præfectura præmii loco ipsi collata fuit, sed & bona rebellibus adempta, ob sumptus factos, obtinuit; quorum quidem aliqua posteà redempta sunt, alia, ut *Rodenmachern*, *Herspringen*, *Useldingen* in Badensium ditione permanserunt.

9. Cæterùm à *Christophoro* communem sanguinem ducunt, quotquot hodiè è familia, ad paucos quidem redacta, superant: fuit

fuit etenim ille complurium liberorum *ex Ottilia C. Catimelibocensi* pater, filiæ sex fuere, gnati decem; quos inter quatuor inprimis mentionem postulare videntur: nempe *Jacobus, Bernhardus, Philippus*, atque *Ernestus*. *Jacobus* primogenitus, Sacrum ordinem amplexus, *Johanni* propatruo an. 1503. defuncto, successor in *Archiepiscopatu Trevirensi* datus est; *in eo adhuc juvene tanta erat vis ingenii*, (testem cito *Philippum Melanchtonem*, cujus etiam verbis utor) *ut in conventu Colonienſi an. 1505. responderit nomine Imperii, Legatis Pontificiis Latinè, Venetis Italicè, Gallicis Gallicè, Statibus Imperii vernacula lingua: fuit doctus in jure, industrius in Musica atq; in re militari; debuit habere conjugem, quæ fuit mater Ducissæ Bavariæ, sed Maximilianus I, propter excellentiam ingenii ipsius, voluit eum esse Electorem, dictitans, tali opus esse viro, qui præ cæteris Vir esset: fuit autem ille incontinentior, & tandem interfectus est à quodam sutore in urbe Confluentia:* hucusque communis Germaniæ Præceptor. *Postill. edit. à Pezel. part. 1. pag. 541.*

10. *Philippus*, ducta in uxorem *Elisabetha Palatina*, *Wilhelmi Junioris*, *Landgr. Hassiæ* vidua, (cui Philippus parens dotis loco hypothecam, quam in partes *anterioris Comitatus Spanheimensis*, Badensibus competentes, Fridericus Victoriosus, ceu dictum est, acquisiverat, dedit) sobolem quidem procrea-

vit, sed è qua sola *Maria Jacoba* ad justam ætatem pervenit, & *Wilhelmo Duci Bavariæ* nupsit. *Bernhardus* atque *Ernestus* duarum linearum, quibus hodienum familia distinguitur, autores extiterunt: earum prior *Badensis* speciatim, altera *Durlacensis* appellatur. Ditionum partitionem ita *Christophorus* parens disposuit, ut *Bernhardo* natu majori assignaret medietatem ulterioris Comitatus *Spanheimensis*: cum ditionibus *Luzenburgicis*; *Philippo* Marchionatum *Badensem*; *Ernesto* autem Marchionatum *Hochbergicum*. *Philippi* hæreditatem fratres superstites æquis partibus adierunt, *Bernhardo* superior Marchionatus Badensis pars, *Ernesto* inferior obtigit.

II. *Bernhardus* saniorem purioremque Numinis cultum primus in Badensem Marchionatum introduxit, hypothecam *Crucenacensem* à *Philippi* fratris filia Bavariæ Ducissa numerata pecunia reluit, & nomine Philippi II. Regis Hisp. *Lucenburgensem* Ducatum administravit; vergente demum ætate an. 1535 conjugem sumsit *Franciscam Lucenburgiam*, *Caroli Comitis de Brienne* (nec *Antonii Com. Charni*, prout *tab. Rittershusiana* habet) filiam, biennioque post è vita discedens, par filiorum minutulorum post se reliquit, *Philibertum* & *Christophorum*. Ille, legi-

legitima ætate auctus, *Badæ* domicilium instituit, atque, uxore *Mechtilde Bavara* amissa, in militiam profectus est, Regique Galliæ stipendia faciens in prœlio ad *Moncontur ium* an. 1569 occubuit, relicto, præter tres gnatas, filio unico *Philippo*; ejus nomine Bavari, cum tutelam sibi arrogassent, Evangelicam religionem Marchionatu exturbarunt; sed idem an. 1588 in nuptiarum cum *Sibylla Juliacensi* apparatu morte præpropera oppressus est.

12. *Christophorus* Philiberti frater, è paternis ditionibus *Rodenmacheram* sortitus est, & Regi Sueciæ militans, *Caciliam*, *Gustavi Regis* gnatam, uxorem promeruit, explevitque mortalitatem an. 1575. Filios quinque vitæ suæ superstites habuit, quos inter primogenitus *Eduardus Fortunatus*, patri in regimine, nec minus posteà *Philippo* patrueli, successit. Is *Pontificiam religionem*, paterna ejurata, professus, cum, derelicto ditionum regimine, perpetua peregrinatione ætatem contereret, debitorum tùm avitorum, tùm à patruele Philippo contractorum, nullam rationem haberet, pensiones annuas non dependeret, bona mobilia à Philippo relicta dilapidaret, æs alienum cumularet, eoque Principatum obrueret, adeò ut periculum esset, ne ditiones ejus, quas jam tum Rudolphus II. Cæsar *Ducibus Bavariæ ac Lotha-*

ringiæ administrandas commiserat, quò ex eorum proventibus debita dissolverentur, illi autem *Marco Fuggero* concesserant, in alienas manus dilaberentur, atque à familia omninò divellerentur; causam justam ac magnam se habere putavit *Ernestus Fridericus*, agnatus è *Durlacensi* linea, ut vigore *pacti gentilitij* Marchionatus superioris possessionem apprehenderet, cujus etiam facili negotio potitus est, factique rationes publicæ luci exposuit; datis quoque eam in sententiam literis an. 1594. d. 26. Nov. ad Rudolphum II. Imperatorem.

13. Nec verò minus displicuit Durlacensi, & Principali fastigio indignum visum est, connubium, quo Eduardus Fortunatus *Mariam, Jacobi ab Eicken Domini Riviera*, & Gubernatoris Bredæ, equestris loci apud Belgas viri, filiam sibi sociavit, unde etiam filiis, quos ex ea genuit, de successione, ac statu, controversia deinceps mota fuit. Hos autem tres, cùm anno 1600. *Bruxellis*, per scalarum gradus lapsus, cervice fracta, exanimatus esset, post se reliquit, eosque impuberes, *Wilhelmum, Albertum*, & *Hermannum Fortunatum*: eis cùm provinciam restituere Durlacensis abnueret, quam Philippus etiam, eorum patruus, armis recuperare irrito conatu molitus est, idque ausum captivitate luit, tandem post longam altercationem, & multas,

tas, sed incassum rei componendæ tentatas vias, ad tutorum aliorumque magnatum, maximè Caroli Caraffæ Nuntii Apostolici intercessiones atque hortamenta, an. 1622. d. 4. Sept. in Judicio Cæsareo Aulico sententia adversus Durlacensem pronunciata, illeque Marchionatum superiorem, unà cum fructibus perceptis & percipiendis, nec non sumtibus in litem impensis, Eduardi filiis restituere jussus est.

14. Existis autem *Albertus*, duorum fratrum ætatibus medius interjectus, infelici casu an. 1626. vitam amisit. *Hermannus Rodemachera* domicilium fixit, atq; a. 1664. vivere desiit. E duabus uxoribus, quas habuit, *Antonia Crichingensi* atque *Maria Sidonia Falckensteinia*, utriusque sexus liberos suscepit. E priore, præter filiam adhuc superstitem, gnatos duos, *Leopoldum*, intra pueritiæ annos extinctum; & *Carolum Wilhelmum Eugenium*, qui, à Rege Romanorum *Ferdinando* IV. in numerum *Cubiculariorum* ascitus, postea inter *Canonicos Colonienses* cooptatus, anno 1666. mortem obiit. Ex altera *Philippum Balthasarem*, & *Mariam Eleonoram Sophiam*: ille annum 1662 vitæ supremum habuit; hæc, *Johanni Francisco Desiderato Principi Nassovio in Siegen* anno 1665 nupta, post triennium inter dolores partûs animam exhalavit.

15. *Wilhelmus* regimen Principatus, utpote potior nativitatis ordine, suscepit, atque an. 1629 cum agnato Durlacensi, ob fructus ab eo è superiore Marchionatu perceptos, transactionem *Etlingæ* inivit, & præfecturas *Stein* ac *Renchingen* isto nomine ab eo accepit; quas tamen deinceps, è formula *pacis Westphalicæ*, Durlacensibus reddere, omnique actioni sumptuum ac fructuum renuntiare jussus est. A Cæsare cæteroquin in pretio habitus, *Præses Comitiorum* an. 1640, posteaque *Judex Cameræ Imperialis Spirensis* constitutus, à Rege verò Hispaniæ *torque Aurei Velleris* cohonestatus atque insignitus fuit; demumque, ætate quatuor ultra octuagesimum annis producta verendus, senecto corpore, sed viridis animo ac vigens, d. 22. Maji an. 1677. naturæ concessit.

16. Matrimonium bis contraxit, prius cum *Catharina Ursula Hohenzollerana*, posterius cum *Maria Magdalena Oetingensi*; ex utroque multa proles provenit. E priore nati omnes, solo *Hermanno duabusque filiabus* exceptis, patris fata anteverterunt: namque primogenitus *Ferdinandus Maximilianus* an. 1669. d. 8. Oct. in venatu ex infausta sclopeti displosione percussus, spiritum effudit, relicto unico filio, de quo posteà dicetur, quem genuit è *Luisa Christina Sabauda*, *Thomæ Principis Carignani*

&

& *Mariæ Borbonie Sueſſionenſis* filia, *Pariſiis* an. 1653. haud auſpicatò ducta; ea enim, cum ipſe, à ſocru indignis modis habitus, ditiones ſuas repeteret, filiolumque trimeſtrem eò aſportari furtim curaſſet, ut maritum ſequeretur, induci ſe nunquam eſt paſſa, ſed Lutetiæ, ubi etiamnum agit, permanſit.

17. *Leopoldus Wilhelmus*, illius germanus frater, Cæſaris apparitoribus ac ſatellitibus præfuit, atque in bello Turcico, quo Imperii delectus ductavit, multa virtutis documenta edidit, annoque 1671. vitam cum morte commutavit. E ſecunda conjuge, quam poſt *Silviæ Catharinæ Carettæ C. de Mileſimo*, quæ ſterilis fuit, mortem nuptiis ſibi an. 1666 junxit, *Maria Franciſca Furſtenbergia*, *Wolfgangi Wilhelmi Comitis Palatini Neoburgici* vidua, adhuc ſuperſtite, *trium filiorum* pater factus eſt; priores duo *gemelli* fuere, quorum alter mox extinctus eſt, alter ſuperat; tertius *Carolus Fridericus Ferdinandus*, an. 1668. natus, ſpes de ſe datas immatura morte d. 14. Sept. an. 1680 deſtituit.

18. *Wilhelmus Chriſtophorus*, Canonicus Colonienſis & Argentinenſis, pari, quo frater primogenitus, caſu an. 1652. occidit; cæterorum fata *tabula Rittershuſ.* notavit.

19. E poſteriore *Wilhelmi* thoro, præter *Philippum Franciſcum Wilhelmum*, in infantia ex-

tinctum, filiamque unicam superstitem, *Carolus Bernhardus* prodiit an. 1657. d. 14. Jan. Hic sub auspiciis Cæsaris in nupero bello Gallico militavit, & sub *legione Portiana Legatus* meruit; cumque an. 1678. d. 5. Jul. manu cum Gallis propè *Rheinfeldam* conserta, strenuè ac fortiter dimicasset, horumque impetum diu sustinuisset, tandem autem numero hostium superatus, gradum per pontem, Rheno illic loci instratum, referre coactus esset, periit incerto fato; quippe nec vivum nec mortuum post pugnam repertum fuisse perhibuerunt, itaque vel igne, qui ponti subjectus est, absumptum, vel undis haustum fuisse crediderunt.

22. A mortuis ad viventes progredimur; hos inter familiam ducit

LUDOVICUS WILHELMUS, *Marchio in Baden & Hochberg, Landgravius in Sausenberg, Comes in Spanheim & Eberstein, Dominus in Rœteln, Badenweiler, Lahr & Mahlberg:* susceptus is est in lucem *Lutetiæ Parisiorum* d. 8. Apr. an. 1655, à parentibus *Ferdinando Maximiliano* & *Luisa Christina Sabauda;* postquàm patris consilio è Gallia in Germaniam, vix trium mensium infans, deportatus fuisset, ab ipso, eoque è vivorum numero sublato, ab avo magna cura industriaque educatus est; tandem

dem, cum avus etiam seculo valedixisset, provinciarum regimen suscepit, idq; non sine laude obiit; donec à Gallis, quibus ubiq; locorum quieta movere magna merces videtur, disturbatus, & nonnullis etiam ditionibus, quod eorum mandata revereri alta mente respueret, spoliatus, Principatu relicto, ad Cæsarem, tanquam ad arcem libertatis & columen, se contulit, ejusque servitiis se addixit; à quo honorificè exceptus, nuper *Generalis Excubiarum præfecti* axiomate & munere decoratus atque auctus est: matrimonii vinculis ut se implicaret, tam incerto ac turbido rerum suarum statu, animum inducere nondum potuit.

21. HERMANNUS, *Marchio in Baden & Hochberg* &c. illius *patruus*, auram vitalem hausit d. 12. Octobr. an. 1628, cùm principio *Clericam* vitam affectaret, inter *Canonicos Colonienses* & *Paderbornenses* ascriptus est; postea militiæ nomen dans, & Cæsari merens, per omnes dignitatum militarium gradus, ad supremam usque, virtute sua atque in omni genere prudentia, penetravit, dum, Montecuculio Principe rebus humanis exempto, rei bellicæ *Directorium*, cum præfectura *Javarinensi*, ipsi à Cæsare concreditum est.

22. LEOPOLDUS WILHELMUS, *Marchio in Baden & Hochberg*, &c. *Hermanni*

manni, è fratre *Leopoldo Wilhelmo*, de quo dictum fuit, nepos, natus est mense Januario an. 1667, naturam iniquam, ceu perhibent, expertus est, nam loquendi usu destituitur; tenet in Bohemia Dynastiam Loboschiz, quam patri prior uxor *Silvia Carretta* attulerat; ea verò à priore marito Comite *Tschernino* acceperat.

23. *Anna Maria VVilhelma*, ejus *amita*, è secunda *Wilhelmi* conjuge, *Maria Magdalena C. Oetingensi* superstite, nata an. 1655. d. 8. Sept; *Ferdinando Augusto Principi Lobkovvizio, Duci Saganensi* an. 1680 in manum convenit.

24. *Maria Sidonia*, *Hermanni Fortunati*, è prima conjuge *Antonia Crichingensi*, filia, lucem vidit an. 1635, & an. 1662 *Philippo Principi Hohenzollerano* nupsit, nuncque vidua est.

Span. Op. Mar. Sp. l. 2. c. 4.

25. *Scutum* Marchionum Badensium, hujus lineæ, *bis transversim & totidem ad perpendiculum sectum* areolas novem *comprehendit: quarum* prima *ex argento & minio tessellata* ulteriorem Comitatum Spanheimensem *designat;* secunda *transversim secta superiùs argentea rosam rubeam cyano gemmatam deferens, inferiùs aurea aprum humo viridi insistentem exhibens*, Eberstainium Comitatum *denotat;* tertia *argentea leonem rubrum auro coronatum continens*, Landgraviatum Brisgojæ

indi-

indicat; quarta *rubra palum aureum, tribus nigris cantheriis exaratum, exhibens,* Badenwileram *innuit;* quinta *medio & honoratiore loco posita, parmulam* gentilitium Badense *δάγμα deferentem repræsentat, quam auro tinctam baltheus coccineus permeat;* sexta *cærulea alam argenteam duplicem, ita ut altera alteri incumbere appareat, cuique semicirculus foliatus aureus impressus, continens,* Vsenbergiam Dynastiam *designat;* septima *inferiore sui parte fasciis quinis undosis argenteis & cæruleis exaratur; è quibus in superiore parte aurea, Leo coccineus exoritur, qua tessera* Rœtelensis *est;* octava *perpendiculariter divisa symbola duo continet,* Lahranum & Mahlbergense; *illud constat fascia rubra, solum aureum exornante, hoc leone nigro coronato aureum campum implente;* extrema denique areola *ex auro & cyano tessellata est, &* citeriorem Spanheimensem Comitatum *denotat.*

26. *Hoc scutum* galeæ tres *premunt:* anterior *coronata leonem* Brisgovium *exorientem exhibet;* media Badensis, *itidem coronata, cornua duo hircinia, quorum dextrum rubrum, sinistrum aureum est, sustinet;* posterior *hermā virilem ostentat cæruleo amictu & thorace alam* Vsenbergiam *deferentem, capite verò pileo turbinato cæruleo, argentea ora reducto, tectum: his galeis* ab utroque scuti latere septem alii *appinguntur;* à dextris Spanheimia, *cui co-*

rona-

ronatæ cauda pavonina impositâ, Badenwilerana, *hermam juvenilem, cujus vesti rubeæ palus scutarius impressus est, sustinent*, & Rœtelensis, *quam Episcopalis mitra auro & cocco ornata, & pavoninis orbiculis fastigiata tegit*: à sinistris Eberstein iniæ duæ, *quarum altera cornua duo argentea sustinet, viridibus foliolis decorata, inter quæ rosa scutaria apparet, ex altera exsurgit herma virilis, cujus vesti argentea aper scutarius impressus est*; Mahlbergensis *tabulam angularem in orbem figuratam exhibens, cujus extrema sex singulis pavoninarum pennarum orbiculis ornantur, tabulæ verò orbis aureus cum leone scutario imprimitur*; & denique Lahrensis, *quæ herma juvenili premitur, cujus vestem auream rubea distinguit fascia; brachiorum autem loco cornua ejusdem metalli innata, similes fascias ostentant.*

27. *Durlacensis* lineæ, ad quam nunc sermo decurrit, autor *Ernestus*, ceu dixi, fuit, alter *Christophori* I. filius, qui *Pforzheimii* habitavit, atque *Evangelicam* religionem, fratris *Bernhardi* exemplo excitatus, coluit; persolvit naturæ debitum an. 1553, relicto, præter plures alios liberos, filio & successore *Carolo*: hic, ab innocentis vitæ studio *Sanctus* appellatus, *Augustanam Confessionem* an. 1556 publicè in ditionibus introduxit, arcē *Durlacensem*, à patre cœptam, perfecit, sedem *Pforzheimio* isthuc transtulit, castroque

que *Carlsburgi* nomen abs se dedit. Filios tres, è secunda uxore *Anna Palatina*, an. 1572 moriens, post se reliquit, *Ernestum Fridericum*, *Iacobum*, & *Georgium Fridericum*; ex his *Iacobus* à Pistorio apostata ad Pontificiorum castra seductus, priùsquam efficeret, ut novi ritus in ditiones inveherentur, rebus humanis an. 1590 exemptus est, relictis ex *Elisabetha Culenburgica* filio *Jacobo Ernesto*, qui non toto anno patri superfuit, & filia *Anna*, quæ hæreditatem *Culenburgici* Comitatus, ab avunculo *Florentio* ultimo *Culenburgi Comite* acceptam, marito *Volratho IV. Comiti Waldeccio* attulit.

28. *Ernestus Fridericus* religionem, à fratre *Jacobo* turbatam, summo studio restituit, mortuoque patruele res omnes benè & sapienter curavit. Cùm à creditoribus *Eduardi* agnati, jus suum, quod universum Marchionum Badensium patrimonium respiciebat, persequentibus, ipsi quoque molestia exhiberetur, ditiones Eduardi peregrè agentis, suaque domi negligentis occupavit; vigore pacti gentilitii, quo an. 1437 in divisione debitorum avitorum conventum fuit, ut si ob alterius æs alienum non dissolutum, alteri damnum afferretur, alteri liceret alterius præfecturas aliquot tantisper detinere, iisque frui, donec planè ipsi ac creditoribus satisfactum esset; itaque Marchio- *Thuan. Hist. l. 109. p. 454.*

natum Badensem sibi asseruit, idque citra sanguinem peregit, & scriptum, quo facti rationes reddidit, evulgavit, quemadmodum paulò antè narratum est. Demum, cùm antehac *Formulæ Concordiæ* nomen dedisset, ad *Reformatorum* partes inclinare, eisque sese adjungere cœpit, atque ut suum ad exemplum subditi se componerent postulavit; verùm huic rei intentum mors omnia dirimens nec opinantem an. 1604. abstulit, destinataque impedivit; quoniam liberos ex uxore *Anna Ostfrisia* nullos habuit, successit ei frater minor *Georgius Fridericus*.

29. Is vera laude religionis, prudentiæ, & fortitudinis nemini postponendus est; sed *Unioni* accedentem, causamque *Friderici Palatini Electoris*, exercitu conscripto, suscipientem, fortuna omni ratione potentior, graviter concussit; quippe prœlio ad *Wimpenam* an. 1622 superatus, atque à Cæsare proscriptus, vagam vitam atque incommodam toleravit, donec an. 1638. eam finiret. Regimen provinciarum jam dum an. 1622, quum expeditionem pro Palatino susciperet, in filium natu majorem *Fridericum* transtulit; qui eodem adhuc anno in lite cum agnatis Badensibus causa cecidit, atque ad restitutionem ditionum fructuumque, ceu dixi, condemnatus est, demum an. 1629 *Etlingæ* ea propter cum agnatis transegit. Fortuna va-

na varia, quoad bellum in Germania duravit, usus est, pro sorte scilicet partis, quam sequebatur; nec nisi post redditam patriæ pacem, in ditionum suarum possessionem firmam atque stabilem pervenit: restitutus enim est per *pacem Osnabruggensem* in pristinum statum, in quo ne quidem ante exortos Bohemiæ motus fuit, non solùm quoad *Marchionatum inferiorem Badensem*, itemque *Hochbergensem*, tum etiam ditiones *Rœtelen*, *Badenweiler*, & *Sausenberg* sed & quoad præfecturas *Stein* & *Renchingen*, quæ per transactionem Etlingensem, ratione fructuum, è superiore Marchionatu perceptorum, *Guilielmo* Marchioni Badensi cesserat, ita ut tota illa actio sumptuum ac fructuum cum omni damno, à tempore primæ occupationis numerando, sublata & penitus extincta fuerit. Annua quoque pensitatio ex Marchionatu inferiore, Marchionatui superiori pendi solita, ejusdem pacis formula annihilata fuit. *Instr. Pac. art. 4.*

30. Uxores *Fridericus* quinque habuit: 1. *Barbaram Wirtenbergicam*; 2. *Eleonoram Solmensem*; 3. *Mariam Elisabetham Waldeccianam*; 4. *Annam Mariam Geroldseckiam*; 5. *Elisabetham Eusebiam Furstenbergiam*. Prolem non nisi è *prima* & *secunda* suscepit: à *quarta*, quæ *Jacobi* ultimi *Dynastæ à Geroldseck* in Suevia filia fuit, maritumque an. 1649 defuncta hæredem scripsit, jus

ei in *Geroldseccensem* dynastiam natum est, & *patrimonialia* quidem bona, quæque publicis tabulis ad liquidum perducta fuerunt, facilè obtinuit; ipsa verò dynastia, nec non bona *beneficiaria*, jure caduci ad S. R. Imperium devoluta, Comiti *Cronbergio* ritu fiduciario collata sunt; qui cùm prole careat, petiere Badenses, paucis abhinc annis libello memoriali in comitiis exhibito, ut in compensationem detrimenti, in nupero bello Gallico perpessi, expectativa in memoratum Dominium sibi concederetur.

31. Accessit etiam jus in *Mahlbergam*, & *Lahram* in *Ortenavia*, quarum partem jam tum seculo decimo quinto titulo emptionis ad Badenses deveniisse, Celeb. *Spenerus* tradit: & *Mahlbergam* quidem nunc planè in ditione sua eos tenere *Schurzfleischiana dissertatio* refert; de *Lahra* autem gravis illis cum *Comitibus Nassovio-Sarbruccensibus* controversia intercedit, inde orta, quod, cùm jam antiquitus Dynastæ Geroldseckii *Mœrsiæ & Sarwerdæ Comites*, aliquo affinitatis nexu secum conjunctos, in communem possessionem castri *Mahlbergensis*, nec non pagorum quinque, in Diœcesi Argentinensi sitorum, quorum nomina in proclivi sunt: *Friesenheims*, *Obervveyler*, *Oberschopffheimb*, *Ottenheim*, & *Heiligenzell*, Cæsare tanquam Domino directo assentiente, admississent, ita

Ob. Har. Sp. l. 2. c. 4. §. 10. Th. 16.

ut

ut, quoad stirps Comitum Mœrsiæ & Sarwerdæ vigebat, illi unà cum Geroldseckiis, prædictis locis usi ac fruiti fuerint; posteà extincta anno 1527, cum *Johanne Jacobo* improli, Mœrsensi familia, *Catharina* ejus patruelis, *Johannis Ludovici Comitis Nassoviæ & Sarbrucci* conjux, præter Sarwerdanum Comitatum, *Mahlbergam* etiam cum appertinentiis sibi vindicaret; prætexens titulum feudi fœminini, & quod hæc loca cum filia Comitis cujusdam sive Dynastæ Mahlbergensis ad Mœrsenses devenerint, atque adeò eodem jure cum fœmina Mœrsensi ad Nassovios transferri possint. Negarunt id *Gangolphus & Waltherus*, fratres *Geroldseckii*, & vice versa asseverarunt, loca controversa pro feudo purè masculino nunquam non fuisse habita, Mœrsenses verò non nisi precario in societatem possessionis eorundem receptos; quâ unà cum mascula eorum stirpe sublata, portiones illas Geroldseckiis jure meritoque iterum accrescere; atque eo nomine, cùm Catharina prætensum jus suum mordicus tueretur, litem ei in *Camera Spirensi* an. 1532. intenderunt, quam ipsa, & deinceps ejus hæredes Comites Nassovii contestari jussi sunt; demum an. 1595 d. 2. Jun. *sententia* lata est, qua damnati fuerunt Nassovii ad restitutionem castri Mahlbergensis & locorum controversorum, unà cum

fructibus perceptis. Hujus sententiæ executioni cùm Nassovii, per *revisionem* quæsitam, remoram injecissent, tandem *Jacobus, Geroldseckii* Dominus, anno 1625 cum eis transegit, renuntiando sententiæ, à Camera Spirensi secundum se dictæ, & cedendo Nassoviis omne jus, quod in pagos suprà memoratos sibi competere, durante lite, dictitaverat; ea tamen lege, ut certis pensionibus *centũ mille florenos* sibi persolverent, unà cum *ujuris* annuis, quas ipse è *Lahrano* dominio caperet: renovata est hæc transactio à *Friderico Marchione Badensi* an. 1632, atque iterum an. 1652, sancitumque, ut reditus Lahrani dominii Badensibus attribuerentur, Nassovii Officiales suos, quos ibi habent, juramento, quo quoad illos reditus eis obstricti sunt, exsolverent, illique eo nomine Badensibus fidem conceptis verbis jurarent; hujus autem pacti tenorem, quoniam Nassovii minus implebant, *Fridericus M. Badensis* rem denuò via juris aggressus est, atque an. 1659. d. 26. Sept. *Mandatum immissoriale & executoriale* in Camera Spirensi extraxit, cujus vigore à Directoribus Circuli Rhenani superioris in possessionem Lahrani dominii immissus est, eò usque retinendam, donec usuram, quæ inde ab anno 1654 usque ad an. 1659 à Nassoviis ipsi pendi debuisset, ex ejus proventibus perceperit. Postea

ſteà cùm Naſſovii in perſolvendis penſionibus, quas per tranſactiones receperant, iterum moras nectere Badenſi viderentur, id ipſe operam dedit, ut in poſſeſſione *Labræ* permaneret; & licet illi, re ad *Judicium Aulicum Imperiale* translata, omni contentione elaboraverint, ut Marchionis molimínibus ſecurim, *Ciceronis* verbo, injicerent, atque etiam perfecerint, ut *Indultum Moratorium*, quod à Cæſare conceſſum eis fuit, ad hanc quoque cauſam extenderetur; *nova* tamen à *Spirenſi* tribunali *ſententia* an. 1671. d. 20. Oct. pronuntiata, & Marchioni Badenſi protestas facta eſt, *jure retentionis ac inſiſtentiæ* utendi, usque dum Naſſovii nomen illud omninò ipſis explicaverint.

32. Exuit mortalitatem *Fridericus*, de quo hactenus ſermo præcipuè fuit, quemque *Quintum* hujus nominis dicere ſolent, an. 1659. d. 8. Sept. cùm non ita multò ante filium ſecundum, è prima conjuge natum, *Carolum Magnum* Principem haud inglorium militiæ amiſiſſet; is enim diem 19. Nov. an. 1658 vitæ ſupremum habuit, relictis ex *Maria Juliana Comitiſſa ab Hohenloe*, an. 1650 ducta, quæ vidua *Fridlingæ* prope Baſileam (quæ arx eſt Marchionum, ſic dicta à *Friderico* VI. ob pacis reſtitutionem Oſnabrugæ factam) habitavit, atque an. 1675. vivere deſiit, *Carola Sophia*, quæ *Emiconi Comiti Leiningio in*

Hartenburg an. 1676. nupsit, & nunc inter mortuos obversatur, & filio unico *Carolo Friderico*, qui in peregrinatione Italica ad *Romana* sacra an. 1671 transiit, atque Ordini Equestri *Melitensi* nomen dedit, militiæque tyrocinium in Belgio fecit, & in pugna ad *Seneffam* fortitudinis egregiam laudem reportavit; sed morbo pnevmonico correptus, *Basileæ* an. 1677 fatis concessit.

33. Filios superstites duos *Fridericus* V. post se reliquit, *Fridericum* VI, & *Gustavum Adolphum*: hic ex *Eleonora C. Solmensi* natus, postquam ex ephebis excessit, institutus rebus optimis, literisque probè excultus, varia itinera obivit; inde ad bellicas artes animum adjiciens, Venetis principio militavit, dein Suecis in bello Polonico strenuam operam, unà cum fratribus, navavit: eo confecto alterum iter in Italiam suscepit, & Romæ an. 1663 *Pontificiam* religionem, cui jam dum an. 1660. d. 24. Aug. in cœnobio *Hermolsheim*, propè *Molzhemium* in Alsatia, clam sese addixerat, publicè professus est; anno in sequenti, bello Turcico ingruente, inter Imperii delectus *supremi Excubiarum Præfecti* munus obivit, atque in prœlio, *ad fanum Gotthardi* fortiter pugnans, vulnus in facie accepit, tertiumque equum conscendit; pace cum Turcis pacta militiæ valedixit, & vitæ ascеticæ se mancipavit,

cujus

cujus experimento in monasterio *Reinav* captò, *Fuldam* se contulit, ibique Ordinem *Benedictinum* amplexus est, & sacris an. 1668. d. 19. Mart. initiatus, *Bernhardus Gustavus* dici voluit; tum *Joachimi Fuldensis*, & *Romani Campidunensis* Abbatum *Coadjutor* designatus eis defunctis successit, præterea-que *Syburgensis* cœnobii *Administrator* electus fuit. Postremò à *Clemente* X. *Pontifice* in *Cardinalium* Collegium an. 1672 cooptatus est, cumque anno 1677 ad finem vergente Fulda *Hammelburgum* tenderet, morbo implicitus d. 24. Decembr. in dicta arce Hammelburgica vitam cum morte commutavit.

34. *Fridericus VI*, post parentis obitum, ditionum gubernacula capessivit, eaque summa pietatis & prudentiæ laude administravit, Princeps omnibus pacis & belli artibus instructissimus; quibus meruit, ut nupero bello Gallico exercitui, ad repellendas hostium injurias ab Imperii Ordinibus conscripto, summo cum Imperio præficeretur; quo munere præclarè defunctus, postquam *Philipsburgum* Imperio recuperavit, pridie Calendas Februarii an. 1677 ad meliorem vitam abiit. Post amissam an. 1660. d. 4. Aug. legitimam conjugem *Christinam Magdalenam Palatinam*, Holmiæ in Suecia an. 1642 ductam, è fœmina ex privata domo,

patre tribuno militari, orta, duos filios *naturales* genuisse fertur, *Fridericum* & *Bernhardum*, *Barones de Munzenheim* appellatos; quod feudum, à Barone *Hoffart* possessum, & jure caduci ad se delapsum, eis contulit.

35. E legitima uxore quintuplicem prolem superstitem post se reliquit, filios duos, gnatas tres; inter illos nascendi sorte potior est

FRIDERICUS MAGNUS, *Marchio Badæ & Hochbergæ, Landgravius Sausenbergæ, Comes Spanheimii & Eberstеinii, Dominus Rœtelæ, Badenvvilæ, Lahræ & Mahlbergæ*; prodiit in lucem an. 1647. d. 24. Sept. & studiis disciplinisque Principe dignis sedulò institutus, postquam exterorum etiam mores vidit & urbes, vivo adhuc patre nuptiis sibi junxit an. 1670. d. 15. Maji *Augustam Mariam, Friderici Ducis Holsato-Gottorpiensis & Mariæ Elisabethæ Saxonicæ* filiam, è qua hactenus suscepit

I. *Fridericum Magnum*, n. 13. Jan. 1672. †. 24. Febr. e. a.

II. *Fridericam Augustam*, n. 21. Maji 1673. †. 25. Jul. 1674.

III. *Christinam Sophiam*, n. 7. Dec. 1674. †. 22. Jan. 1676.

IV. *Claudiam Magdalenam Elisabetham*, n. 15. Nov. 1675. †. 8. Apr. 1676.

V. *Ca-*

V. *Catharinam*, n. 10. Oct. 1677.
VI. *Carolum Vilhelmum*, n. 17. Januar. 1679.
VII. *Iohannam Elisabetham*, n. 3. Octobr. 1680.
VIII. *Albertinam Fridericam*, nat. 3. Jul. 1682.

36. CAROLUS GUSTAVUS *Marchio Badæ & Hochbergæ*, &c. illius germanus frater, natus est *Uckermundæ* d. 27. Sept. an. 1648, Princeps bellicis laudibus insignis, quas nupero bello Gallico, quo Sueviæ Ordinum Evangelicorum legionem pedestrem ductavit, sibi peperit. Sociavit sibi jugali fœdere an. 1677. *Annam Sophiam*, *Antonii Ulrici Ducis Brunsuicensis & Elisabethæ Julianæ Holsatæ* filiam, è qua hucusque procreavit

I. *Christinam Iulianam*, n. 12. Sept. 1678.
II. *Carolum*, n 30. Mart. †. 30. Aug. 1680.
III. *Fridericum Rudolphum*, nat. 13. Maji 1681. †. 18. Maji 1682.
IV. *Carolum Antonium*, n. 29. Jan. 1683.

37. Inter illorum sorores *Christina* major natu, auram vitalem hausit an. 1645. d. 27. Apr. & primis nuptiis in manum convenit *Alberto Marchioni Brandenburgico Onoldinensi* an. 1665; secundis *Friderico Duci Saxo-Gothano* an. 1681.

Catha-

Catharina Barbara, nata an. 1650, d. 4. Jul. innupta est.

Johanna Elisabetha, n. an. 1651. d. 6. Nov. & *Johanni Friderico Marchioni Brandenburgico*, sororii sui filio, an. 1673. elocata, diutino morbo consumpta, d. 8. Sept. an. 1680 animam exhalavit.

38. *Sibylla* earum amita, nata an. 1620. d. 5. Febr; in vivis adhuc est, & prædicatur Princeps benigna, sapiens, munifica & pia, maximeque in egenos liberalis, & constituto ad liberalia studia stipendio apud eruditos omnes celebrata.

39. *Scutum* Marchionum Badensium lineæ *Durlacensis* paulò aliter disponi solet, ac illud quod jam tum delineavimus; partitio quidem ac numerus arcolarum eodem modo se habet, sed prima arcola exhibet *Leonem* Brisgavienſem; secunda *alam* Ulsenbergicam; tertia *tessellas* Spanheimensis Comitatus ulterioris; quarta *aprum* Eberſteinium; quinta eademque media *parmulam*, *quæ tesseram* Badensem *ostentat*; sexta *rosam* Eberſteiniam; septima *palum* Badenweileranum; octava Rœtelense *symbolum*; nona denique Lahranum & Mahlbergense δάγματα. Galearum eadem est disposition, qua Marchiones lineæ Badensis utuntur.

40. Comprehenduntur ad extremum Marchiones Badenses sub *Circulo Suevico*, & ejus

ejus *secundum districtum*, (das andere Viertheil) qui *à Pro-Rheno in Marchiam Badensem, usque ad Rhenum versus Offenburgum, Gengenbachium, Geroldseck, atque iterum in dictam Marchiam versus Rœtclam & Hochbergam, usque ad anteriores regiones Austriæ & fines Helvetiæ, atque hinc ad Danubium, versus Sigmaringam, Zolleram, & Hechingam, usque ad limites Ducatus Wirtenbergici* sese extendit, primariò & velut *ductores* procurant; ratione verò Comitatus *Spanheimici* ad Circulum *Rhenanum superiorem* referuntur. In *Comitiis* inter Principes *triâ suffragia* obtinent, quæ ipsis ratione *Badenæ, Durlaci, & Hochbergæ* competunt. Circa *proëdrian* jus *alternarum* inter utramque lineam exercetur, secundum sanctionem pacis *Westphalicæ*; cujus verbis familiæ historiam obsignare juvat: *Alternetur etiam imposterum inter utramque lineam Badensem, inferioris scilicet & superioris Marchionatus Badensis, præcedentia & sessio* in Comitiis, & Circuli Suevici, aliisque universalibus vel particularibus Imperii, aut quibuscunque conventibus; pro nunc tamen eadem præcedentia penes Marchionem Fridericum, dum superstes erit, permanente. *Art. 4.*

CAP.

CAP. IX.

DE FAMILIA DUCUM HOLSATIÆ.

OLdenburgica familiæ, è qua *Holsatica* hodierna manavit, principia, ob nimiam vetustatem, adeò crassis tenebris occultata & circumfusa latent; aut saltem, quæ de iis Genealogici Scriptores communiter prodiderunt, tam incertis infirmisque fundamentis nituntur, ut ipse *Hammelmannus*, qui *Oldenburgensium historiam* peculiari ac pereleganti commentario excoluit, in eis explicandis nutare videatur, & lectoris expectationem suspensam teneat: quamquam enim, vulgari traditioni insistens, ex *Witekindi* Saxonis posteris, & nominatim *Ringelheimii* Comitibus stirpem derivet, Comitumque horum seriem ac successionem usque ad *Fridericum*, qui circa annum 1091 vitam, cum prima Oldenburgensium Comitum linea, finiviſſe memoratur, enumerando percenseat; eorum tamen omnium incertitudinem haud diffitetur, & frustrà eis indagandis atque ad liquidum perducendis operam suam autores impendisse, in *proœmio Chronici* sui testatur, & sanè (ita pergit) *si quicquam certi de illis reperiri in veterum monumentis potuisset, vetustiores illi Albertus Stadensis & Cran-*

Cranzius, quorum alias affectus ac studium erga domum Oldenburgicam haud est in obscuro, minimè id fuissent omissuri; quare Reinero Reineccio quoque magis consultum visum est, ista omnia, tanquam non satis comperta, in medio relinquere; donec præsto adfuerint, qui fide digna referant, quàm incerta proponere. Hoc itaque monitum ad animum revocantes, dubiosa & parùm explorata mittimus, atque *Elimarum* gentis autorem constituimus, filium *Hojonis*, *Dynastæ Frisiæ* in *Potenburg* & *Memmenburg*, è *Rixa*, quæ *Friderici Comitis Oldenburgici*, cujus mentio facta est, amita fuisse fertur, natum: is ad successionem in Comitatu ex testamento amitini evocatus, eam, *Milone Alvenslebio* Comite, propinquiore *Friderici* cognato, ne quicquam contra ire ante, adiit, & stirpem Comitum Oldenburgensium, quæ processu temporum novis ac luculentis decoribus cumulata est, atq; hodienum splendidissimè floret, profevit. Ab ejus filiis, *Elimaro II.* & *Johanne*, in duos statim ramos stirps deducta est, quorum ille, quem *Johannes* condidit seculo quinto & decimo, iterum exaruit.

2. *Elimaro II.* tres tribuuntur filii, *Christianus*, *Bellicosus* cognominatus, *Heinricus*, & *Otto*: hic, *Præpositus Bremensis*, nepotum è fratre *Christiano* tutelam gessit: *Heinricus* novæ lineæ autor extitit, quæ, secundum *Rittershusium*

Chron. Oldenb. part. 2. c. 1. Syll. p. 111.

sium, Hammelmanni autoritate subnixum, in *Thoma*, ejus nepote, defecit: longiùs eam Cl. *Spenerus* extendit, & *Thomæ Conradum, Heinricum*, iterùmque *Conradum* subtexit, atque hunc ultimum an. 1358. à *Butjadis* cæsum esse, filiamque unicam reliquisse tradit *Margaritam, Johannis C. Diepholtini* uxorem, quæ hæreditatem *Brochusanam* marito attulerit: verùm hunc *Conradum* cum alio *Conrado*, *Johannis XI*, è *Christiani posteris* orti, filio, qui an. 1368 à *Butjadis* occisus est, cuique *Hammelmannus* & *Rittershusius* filiam *Margaritam*, *Johanni Diepholtino* nuptam, assignant, confundi, probabilitati fortassis haud adversatur.

Hammelm. p. 2. c. 15.

3. *Christianus Bellicosus* stirpem propagavit, à cujus abnepotibus, *Johannis X.* filiis, *Iohanne* XI. & *Christiano* IV, duæ iterum prodierunt lineæ: à Johanne *Oldenburgica*, à Christiano *Delmenhorstana*; hujus è filio *Christiano* V. nepos *Otto V.* Comitatum *Delmenhorstanum* Capitulo Bremensi ob 6000. marcas oppignoravit, posteaque an. 1414 eum penitus Archiepiscopatui obnoxium reddidit; ea conditione, ut, si filius ejus *Nicolaus* argentum non dissolveret, atque à Capitulo Bremensi in Archipræsulem eligeretur, Delmenhorstum jure perpetuo penes Ecclesiam permaneret; evenit posteà, ut *Nicolaus* Archiepiscopatui quidem præfi-

cere-

ceretur sed eum adversus competitores sibi asserere non valeret; quare eò se abdicavit, & *Balduinum*, Abbatem Lunæburgensem, successorem constituit, certis tamen legibus; quas cùm iste non impleret, jamque *Nicolaus*, oblato sibi instrumento pacti hæreditarii aviti de non alienando, edoctus esset, acta patris cum Bremensibus rescindi posse, pactum illud hæreditarium renovavit, convocatisque Comitatus Ordinibus, traditionem à parente factam irritam dixit, eosque cum subditis in suam, nec non agnati & sororii sui *Theodorici Oldenburgici*, quem successorem insimul sibi designavit, fidem adegit. *lb. c. 18.*

4. Postquàm itaque *Nicolaus* vitam lineamque an. 1435 terminasset, *Theodoricus* Comitatum Delmenhorstanum sibi vindicavit, æs alienum ab affine conflatum dissolvit, atq; oppignorata reluit. Erat ille pronepos *Johannis* XI, satoris rami Oldenburgici, qui in ejus è filio *Conrado* nepotibus, *Conrado II.* & *Christiano VI*, in duos iterum palmites abiit, quorum alter in *Conradi* filio *Mauritio* extinctus est; ejus hæreditatem *Theodoricus* patruelis crevit, atque adeò universa bona avita, quæ hactenus variè fuerunt dissipata, collegit; quæ felicitas cognomen *Fortunati* ei peperit. Accessit in cumulum prosperitatis conjugium *Hedvi-*

gis Holsato-Schauenburgicæ, quod priore uxore defuncta inivit, quodque omnium ornamentorum, quibus posteritas ejus exsplenduit, fons fuit atque origo.

5. Ex hoc autem matrimonio (prius enim sterile fuit) tres provenere filii, *Christianus*, *Gerhardus*, & *Mauritius*. *Christianus*, novis decoribus cumulatus, ceu posteà dicetur, fratribus patrimonium omne cessit; ex his *Mauritius*, *Delmenhorstium* nactus, filium unicum *Jacobum*, cumque improlem, habuit. *Gerhardus* Oldenburgicos Comites continuavit, & continuis bellis, quibus vicinos, nec non fratrem *Christianum*, à quo partem è Sleswicensi & Holsatâ maternâ hæreditate postulabat, vexavit, *Bellicosi* cognomen accepit; sed ab *Heinrico Schvvarzburgico*, Administratore Bremensi & Episcopo Monasterienſi, victus tandem & captus Delmenhorstium, quod quidem ea tempestate tutorio saltem nomine tenebat, amisit, atque Episcopatui Monasterienſi conjungi vidit. Recuperatum id demum est ab ejus è filio *Johanne* nepote, *Antonio*, & quidem armata manu anno 1547, cùm is priùs à Spirensi Camera mandatum restitutorium extraxisset; quo non obstante, spolii à Monasterienſibus in Camera postulatus, causam orare coactus fuit. Continuarunt hanc litem utriusque partis successores, duravitque ea ad

ea ad nostram usque ætatem; nam anno demum 1670 d. 21. Oct. Holsatica domus ab actione intentatâ spolii absoluta, lisque terminata est.

6. *Johannes* XIV, *Gebhardi Relicosi* filius, *Butjadas & Statlandos*, *Visurgis* & *Ihadi* fluviorum accolas, vicit, iterumq; rebelles sæpe Ducum Brunsuicensium & Lunæburgensium an. 1514 sub jugum misit, & provinciâ cum illis partitâ *Statlandium* sortitus est: è filio natu minimo *Antonio*, Delmenhorstii, ceu dixi, recuperatore, duos habuit nepotes, *Johannem* atque *Antonium*, quos inter contentio super divisione exarsit; dum *Johannes*, tanquam major natu, regimen ac jura superioritatis solus obtinere, fratrique non nisi præfecturas aliquas, easque appendagii nomine concedere volebat; *iste* verò æquales cum *Johanne* partes poscebat: agitata est hæc contentio per multos annos, & Cæsareo decreto tandem sopita, quo *Johanni* æqua cum fratre *Antonio* divisio mandata fuit; quare duo regimina constituta sunt, atque alterum cum Oldenburgico Comitatu *Johannes*, alterum cum Delmenhorstiano *Antonius* obtinuit; utrumque verò, postquàm *Christianus*, *Antonij* filius, anno 1647 ἄγαμος è vivis excessit, ad unum eundemque dominum rediit. *Hammelm. p. 3. c. 10.*

7. *Johannes* XVI. Comes Oldenburgicus nova ditionum accessione auctus est, bene-

ficio *Mariæ*, *Edonis Wimeken Dynastæ Iheverani* ex *Heilvvigia Oldenburgica*, quæ *Johannis* amita magna fuit, gnatæ; ea enim, cùm post fratris unici *Christophori*, sororisque natu majoris *Annæ* fata, avitorum dominiorum hæres sola supereſſet, & vitam cœlibem delegiſſet, teſtamentum an. 1573 condidit, quo *Johannem Oldenburgicum* ſobrinum ſuum hæredem Dynaſtiæ *Iheveranæ*, (quæ tres regiones, *Wangerland*, *Oſtringen*, & *Ruſtringen* complectitur, &, meridiem verſus, Oldenburgico Comitatui contermina eſt) ejusque appertinentium, ex aſſe inſtituit; utque futuram ſucceſſionem ei certiorem redderet, anno ſequenti officiales ſuos, præſidiarios que milites, in ejus verba adegit, & teſtamenti confirmationem ab Hiſpanico Gubernatore Belgii ac Burgundiæ (ipſa enim multis injuriis à Comitibus Friſiæ Orientalis vexata atque exagitata, ditiones ſuas, quæ allodiales antehac & ab omni ſubjectione liberæ fuerunt, Caroli V. Imperatoris, tanquam *Ducis Brabantiæ* & *Comitis Hollandiæ* clientelæ an. 1532 ſubjecerat) petiit atque impetravit. Poſtquàm igitur *Maria* d. 20. Febr. an. 1575 mortem obiit, *Johannes* ſucceſſionem ejus ſibi aſſeruit, & Bruxellis *inveſtituram* ſuper Dynaſtiam Iheverenſem, ejusq; pertinentias, ritu ſollemni accepit; in litè etiam, quam *Ezardus Comes*

Friſiæ

Frisiæ Orientalis ipsi in curia feudali Brabantica, ex capite proximioris cognationis. & veterum pactorum, impegit, superior discessit; quemadmodum *Hammelmannus* hæc & alia fusius enarravit. *Part. 3. c. ult.*

8. Accessit posteà *Kniphusium* dominium, antiquitus *Knipens* dictum, in quod *Edo Wimmeken*, *Mariæ* genitor, prætensionem è donatione *Reinholdæ*, ejus agnatæ, & dominii hujus legitimæ hæredis, nactus est, eamque ad liberos transmisit. Ex his *Maria*, cum alio modo juris sui compos fieri nequiret, cum Iheverensi Dynastia *Kniphusium* etiam Carolo V. *feudi* titulo obnoxium reddidit, atque an. 1548 in comitiis Augustanis, *Tidonem ab Inhausen* (cujus parens *Folef* Kniphusium à matrueli suo *Ikone*, qui *Lubbonis Onneken* filius nothus fuit, & dictum dominium præter fas occupavit, testamento acceperat) detentionis injustæ apud Cæsarem postulavit, & impetravit, ut is causæ cognitionem Cameræ Spirensi demandaret; à qua, Maria jam defuncta, nimirum an. 1592 d. 20. Oct; sententia pronuntiata est, qua *Tidonis ab Inhausen* filiis, *Ikoni* & *Wilhelmo*, restitutio Kniphusani dominii, cum fructibus inde ab anno 1496 perceptis, imperata fuit. Licet autem executioni hujus sententiæ mora, eaq; satis longa, injecta fuerit, tum quod rei revisionem petiissent, obtinuis- *vVinkelm. Chron. Oldenb. part. 3. c. 3.*

sentque; tum quod Enno Comes Frisiæ Orientalis, qui directum dominium sibi in Kniphusium arrogabat, interveniisset: tandem tamen, anno scilicet 1632, *Antonius Guntherus Comes Oldenburgicus*, *Johannis* XXVI. filius, in aula Cæsarea perfecit, ut *Commissio* atque *Executio* decernetur, cujus vigore ipse sub finem anni 1623 in possessionem Kniphusani dominii à subdelegatis Cæsareis immissus est; ob fructus verò, sex & nonaginta annorum spatio perceptos, cum *Philippo Wilhelmo L. B. à Kniphausen*, *Ikonis* filio, non ita multò post transegit, eosque omnes ei remisit ac condonavit, præterea quinquaginta mille Imperiales illi, ejusque hæredibus assignavit; vicissim ille, pro se, atque hæredibus omni juri ac prætensioni in Kniphusium renuntiavit, solius tituli usu sibi reservato, atque huic transactioni adeò constanter inhæsit, ut induci se non sit passus, quò cum patruelibus, qui ejus abolitionem & restitutionem in integrum Osnabrugæ posteà quæsiverunt, sed repulsam tulerunt, consilia conferret; quin moribundus etiam (decessit autem an. 1652) liberis, quos sex reliquit, ne quid molestiæ ea propter Oldenburgicis exhiberent, sedulò injunxerit.

9. *Antonius Guntherus*, post patruelis sui *Christiani* obitum, *Delmenhorstianum* Comita-

mitatum cum *Oldenburgico* iterum conjunxit; cùmque è *Sophia Catharina Holsata*, legitima uxore, quàm serò duxit, prolem non suscepisset, fato suo an. 1667. d. 19. Jun. functus, Comitum Oldenburgensium stirpem terminavit. Ante conjugium filium quidem genuit ex *Elisabetha Ungnadia*, *Andreæ Domini de Sonneck* filia; deinceps Equiti *à Marenholz* nupta, *Antonium*, an. 1633. d. 1. Febr. natum; is quia nuptiis sollemnibus non erat procreatus, à successione in Comitatibus exclusus fuit. Satis superque tamen à patre provisum ei est per tabulas supremas, quibus an. 1663. conditis ipsi assignavit castrum *Varel* (quod etiam deinceps incoluit) cum præfectura eò pertinente, & Vogteja *Jhadensi*; porrò dominium *Kniphausen* cum pagis eò spectantibus, multaque alia prædia in Oldenburgico Comitatu sita. Ipse verò ob præclaras animi corporisque dotes, quarum fama non Germaniam solùm, sed & extera regna implevit, ab Imperatore Ferdinando III. natalibus donatus, atque in comitiis Ratisbonensibus anno 1654. S. R. *Imperij Comitis* axiomate decoratus est. Regi Daniæ inprimis carus fuit, qui magnis eum honoribus exaggeravit, insignibus Ordinis sui honestavit, inter arcanorum arbitros cooptavit, Comitatibus Oldenburgi & Delmenhorstii, ex pacto quidem

Rendsburgensi, *Proregis* titulo præfecit, denique ad pacificationem *Neomagensem Plenipotentiarium* delegavit. Prima ei conjux fuit *Augusta*, *Johannis C. de Sain in Wittgenstein* filia, an. 1659. ducta, atque an. 1666. d. 15. Maji mortua, postquam quinquies sed non nisi fœmineæ prolis parentem maritum fecisset: 1. *Antoniæ* scilicet *Augustæ*, n. 4. Aug. 1660, & *Ulrico Friderico Comiti Guldenlen* an. 1677. elocatæ. 2. *Sophiæ Elisabethæ*, n. 18. Dec. 1661. nuptæ an. 1680. m. Febr. *Francisco de Fridag S. R. I. Baroni in Gœdens, Consiliario Imperiali Aulico.* 3. *Dorotheæ Justinæ*, n. 28. Jan. 1663. 4. *Ludovicæ Carolæ*, n. 3. Februar. 1664. 5. *Wilhelminæ Julianæ*, nat. 4. Maji 1665. quæ *Baronis à Wedeln* Regis Daniæ Campi Mareschalli locum tenentis *filio primogenito* desponsa est. Secundam uxorem anno 1680. d. 27. Maji *Friderichsburgi* sibi junxit, nimirum *Carolam Æmiliam de la Tremoille, Heinrici Caroli Principis de Tarente* filiam; quibus nuptiis haud diu superfuit, sed eodem adhuc anno, mense Novembri, Oldenburgi morte oppressus est, uxoremque gravidam puero, quem mensibus expletis peperit, & paterno nomine *Antonij* scilicet appellavit, post se reliquit.

10. Cæterum *successionem* in Comitatibus Oldenburgi & Delmenhorstii quantùm attinet, gravis de ea controversia inter *Regem Daniæ*

Daniæ & Ducem Holſato Gottorpienſem ab una, nec non *Ducem Holſato-Plœnenſem* ab altera parte, orta, ac per aliquot annos magna contentione agitata eſt. Fundamenta, quibus utraque pars prætenſionem ſuam munivit ac defenſitavit, publici juris facta, in *Diario Europæo* maximam partem hinc inde occurrunt. *Illi* inprimis *ſimultaneam inveſtituram* atque *expectativam*, quam Maximilianus II. Imp. *Friderico* II. Regi, nec non *Adolpho* Holſatiæ Duci, in utrumque Comitatum, recens ab Antonio I. in feudum converſum, an. 1571. ultrò conceſſerit, exaggerabant; præterea *pactum Rendsburgi* an. 1649. cum *Antonio Gunthero* ſancitum, ejusdemque *teſtamentum*, quo utroque ſucceſſio in feuda ipſis aſſignata fuerit, in medium proferebant. Dux verò *Plœnenſis Joachimus Erneſtus* jus ſuum primariò à *propinquitate ſanguinis* arceſſebat, & dictitabat, eam in feudis maſculinis potiſſimùm militare; cùm in Imperio uſu receptum ſit, ut proximus agnatus remotiores à ſucceſſione feudali excludat; ſeſe autem defunctum gradu agnationis unô propius contingere, quàm Regem Daniæ & Ducem Gottorpienſem: huc accedere, quod ipſe ſuperioribus demum annis *expectativa* illius, quam competitores allegarent, extenſionem in ſe quoque ab Impp. Ferdinando III. & Leopoldo obtinuerit. Verùm Rex Daniæ

& Dux Gottorpiensis Plœnensem in successione vindicanda præverterunt : simul ac enim *Antonius Guntherus* expiravit : *Antonius Comes Aldenburgicus*, (cui parens in prædicta conventione Rendsburgensi *vicariam potestatem* in Comitatibus depactus fuerat) illorum nomine possessionem arripuit, & ministros, civesque Oldenburgicos in eorundem fidem sacramento adstrinxit ; quare *Plœnensis* in jus eos ad Cæsarem vocavit, & perfecit, ut is an. 1665. Legatos *Hamburgum* mitteret, præterea Duces Lunæburgicos & Landgravium Cassellensem *Commissarios* ad rem dijudicandam & componendam constitueret ; quos tamen fructu itineris atque industriæ suæ partium disceptantium pervicacia frustravit. *Rex Daniæ* quidem an. 1671 cum Plœnensi de dimidia parte, quam ipse occupavit, transegit, eamque sibi asseruit ; *Gottorpiensis* verò litem persecutus est, donec per *sententiam*, an. 1676 in aula Cæsarea latam, ad restitutionem ditionum præceptarum, fructuumque perceptorum, & sumptuum damnatus fuit ; quæ sententia eodem adhuc anno executioni mandata & Plœnensis in possessionem illarum ditionum immissus est ; quas tamen postea, ad evitanda incommoda, quæ è regimine diviso oriri assolent, itidem Regi Daniæ per pactionem tradidit, atque ab eo vicissim aliqua

qua in Holsatia & Sleswico loca, compensationis nomine accepit. Idem denique hæredibus Antonii Guntheri *allodialibus* (quorum nomine *Antonius C. Altenburgicus*, ejusque liberi, nec non *Principes Anhaltini Servestani*, è sorore sua prognati, quibus Dynastiam *Heveranam* legavit, veniebant) controversiam movit, separationem feudalium ab allodialibus strictam atque exactam efflagitando, de qua prostat schediasma Germanicum an. 1681 separatim excusum, postea *Diarii Europæi* parti XLIII subjunctum, cui titulus: Bericht von dem jenigen was zwischen denen Oldenburgischen Lehensfolgern/ eines/ und den Allodial-Erben deß letzten Grafens &c andern Theils vorgehe: eò lectorem curiosum remittimus.

11. Sed jam tandem in gradum redeamus, extra lineas oleasque aliquantulum exspatiati: *Theodorici Fortunati* Comitis Oldenburgici filium primogenitum *Christianum* diximus; hic ab avunculo *Adolpho Duce Slesvvici*, ad Daniæ Regnum post mortem *Christophori Palatini* vocato, sed ob ætatem ingravescentem id oneris fuscipere detrectante, Ordinibus Regni de meliore nota commendatus, ab iis an. 1448. in *Regem Daniæ ac Norvvegiæ* electus, atque anno sequenti *Hafniæ*, porrò an 1450. *Trunthemii* coronatus est; ducta simul, ut res suas firmaret,

in uxo-

in uxorem vidua *Christophori* Antecessoris sui in Regno, nimirum *Dorothea*, *Johannis M. Brandenburgici* filia. Posteà an. 1457 á Proceribus etiam *Regni Sueciæ*, cùm *Caroluς Canuti*, quem ante novennium exterorum Regum pertæsi ad id fastigii evexerant, in Poloniam fugienti similis discessisset, ad ejus sceptrum capessendum evocatus atque *Holmiæ* inauguratus est. Biennio abhinc, postquàm *Adolphus* ejus avunculus naturæ concessit, *Slesvvicensem* Ducatum jure caducitatis partim, partim cognationis sibi vindicavit, cui *Holsatiæ* etiam, nec non *Stormariæ* Comitatus accesserunt; cum prius *Ottonem Comitem Schauenburgicum*, è priscâ Comitum Holsatiæ stirpe prognatum, atque adeò Adolphi gentilem, persolutis ei XLIII millè aureorum, & tradito *Pinnenbergio* Comitatu, ut juribus suis renuntiaret, induxisset; hanc conjunctionem Holsatiæ cum Regno Daniæ dilucidè nec tamen prolixè explicuit *Joh. Adolphus Cypræus in Annalibus Episcoporum Slesvvicensium.* Præterea *Christianus Gerhardi* fratris sui prætensionem in partem Slesvvicensis hæreditatis itidem argento redemit, *pactumque mutuæ renuntiationis*, hinc in Slesvvicum & Holsatiam, isthinc in Comitatus avitos *Ripæ* an. 1460 cum eo sancivit. Denique ab Imperatore Friderico III. quem, Romam an. 1474 tendens, *Rotenburgi* con-

Meurs. Hist. Dan. l. 1. p. 32.

Lib. 8, c. 1.

convenit, obtinuit, ut *Holsatiæ & Stormariæ* Comitatus, nec non *Dietmarsiæ* regionem, quam nulli tum Principi subjectam, & libertate sua insolentem perdomare animo præsumserat, in *Ducatum* commutaret, eumque è tribus illis ditionibus unum factum, abolito vetere Comitatus titulo, sibi sollemni more conferret.

12. Exuit *Christianus* I. mortalitatem an. 1481, relictis duobus filiis, *Iohanne* & *Friderico*: ille patris in Regnis successor, *Slesvvici* etiam & *Holsatiæ* Ducatus, quos parens *Friderico* assignaverat, ad se rapuit, eosque, ad suum arbitrium libidinemque, cum fratre, leonina æqualitate, divisit. Factum verò posteà est, non sine Divino nutu ac consilio, ut, cùm *Christianus II*, Johannis filius ac successor, immodicæ libidinis & crudelitatis licentia usus, procerum æque ac populi odium atque abominationem in se concitasset, & proinde regnis dejectus, custodiæ etiam, in qua exacta demum ætate ἄπαις ἀνδρῶν decessit, traditus esset, *Fridericus* non toto solùm Ducatu, sed & Regnis Daniæ ac Norwegiæ, ingenti Ordinum favore, potiretur. Ejus auspiciis *Christiana religio* in Daniæ, Norwegiæ, & Holsatiæ Ecclesiis ad genuinam sinceritatem reducta, atque ab adulterinis ritibus ac dogmatibus purgata est; ab eodem omnis Regum Daniæ atque Hol-

Holsatiæ Ducum hodierna familia defluxit.

13. Filios quatuor, è duplici conjugio susceptos, an. 1533 sorte defunctus inexorabili, post se reliquit Fridericus I, nempè *Christianum* III, *Iohannem*, *Adolphum*, & *Fridericum*: hic *Hildesheimio & Slesvicensi* Episcopatibus præfuit; cæteri adulta ætate patrimonium *Rendsburgi* an. 1544 inter se æqua lance partiti sunt; & *Christianus* quidem, qui in Regno etiam parenti, quamquam non absque dimicatione, surrogatus fuit, pro sua parte in Ducatu *Slesvicensi* obtinuit, præfecturas *Sonderborg* & *Norborg*, nec non *Ruhkloster* & *Sundevvitt*, quæ posteà conjunctim *Sonderborgensis Principatus* nomine distingui consueverunt; item præfecturam *Flensburg*, & denique diversorii nomine, pagum *Fockebeeck*, Gottorpium inter & Rendsburgum situm; in *Holsatia* præfecturas *Segeberg* & *Steinburg*, cum appertinentiis, atque oppido *Izehoe*, porrò *Plœn* & *Heiligenhaven*, tandemque tria monasteria, *Segeberg*, *Reinfeld*, & *Arensbœke*. *Iohannes* sortitus est è *Slesvicensi* Ducatu præfecturas *Hadersleben* & *Dœrning*, *Tondern*, cum cœnobio *Lœhn*, pagos tres Gottorpiensi præfecturæ excerptos & Rendsburgensi insertos, quorum hæc est nomenclatio, *Borchstett*, *Lehmbeck*, & *Campen*

pen

pen; in *Holsatia* ve. ò præfecturam *Rendsburgensem* ac monasterium *Bordesholm*. *Adolphus* nactus est *Slesvvicensis* Ducatus vetustam & primariam arcem ac præfecturam *Gottorpiensem*, quæ eo tempore vicum *Husum* & vicinas *Hardas* complectebatur; item *Stapelholm*, districtum *Eyderstette*, præfecturas *Hutten*, *Wittensee*, *Mohrkier*, *Brunlund* sive *Apenrade*; in *Holsatia* autem præfecturam *Kiel*, cum parœcia *Neumunster*, præfecturas *Tritton*, *Oldenborg*, & *Neustatt*, duoque cœnobia *Cismar* & *Rheinbeck*.

14. Post *Christiani* III. mortem, quæ in annum 1559. incidit, *Adolphus*, ejus frater, bellicum cecinit, & *Johannem* fratrem, nepotemque *Fridericum* II. gloriæ stimulis concitavit atque inflammavit, ut *Dietmarsis*, ad vindicandam cladem, quam patri ac patruo an. 1500. inflixerant, bellum inferrent, quod magna celeritate ac fortuna, ducta consiliisque *Johannis Ranzovii*, confectum est, Dietmarsis debellatis, & subjugum missis. Eorum regio anno 1568. *Kilonii* inter *Fridericum* II. Regem, ejusque patruos *Johannem* & *Adolphum* in tres partes divisa est: primam, quæ *Austrum* spectat, *Rex* obtinuit; *Johannes* regionem *intermediam*, quæ Rendsburgensem præfecturam contingit, sortitus est; *Adolpho* verò pars reliqua, eademque *Borealis* Gottorpio vicina, obtigit.

V. Thuan. Hist. l. 22. p. 446. & seqq.

16. Jo-

16. *Johannes*, qui, ad differentiam filii fratris sui, *Senior* dictus est, cœlibatum matrimonio prætulit, atque an. 1589 in castro *Hadersleben*, ubi sedem fixerat, vitam cum morte commutavit: ejus ditiones *Fridericus* Rex atque *Adolphus*, post longas altercationes, ita inter se sunt partiti, ut *Rex* præfecturas *Hadersleben* & *Dorning* in Sleswico, præfecturam *Rendsburg* in *Holsatia*, & è Johannis portione in *Dietmarsia* illum districtum, qui ad *meridiem* vergit, suæque parti conterminus est, sortiretur; *Adolphus* autem præfecturam *Tondern*, monasterium *Löhm*, Insulas *Nordstrand* & *Femern* in *Slesvvicensi* Ducatu, cœnobium *Bordesholm* in *Holsatia*, tractumque Dietmarsiæ intermediæ suæ parti oppositum obineret; De cætero *telonia Göttorfii* & *Rendsburgi*, quorum tertiam partem Johannes tenuerat, itidem ex æquo fuere divisa; jura verò in civitate *Hamburgensi* communia relicta, & de beneficiis in collegiis *Lubec.* & *Hamburg.* per vices conferendis conventum est; *mobilia* bona solus Johannes sevit. Atque ab ista Ducatus Slesvvici ac Holsatiæ divisione, *duo* orta sunt *regimina suprema*, quæ ab illa ætate ad hanc nostram usque floruerunt, & penes Principes *duarum linearum*, quibus familia primario distinguitur, *Regia*

Chytr. Chron. Saxon. l. 25. p. 743.

nimi-

nimirum & *Gottorpienſis*, ſemper fuerunt. Ne verò ulteriore diviſione ditiones diſtraherentur, diſcerperenturque, & adeò familiæ opes ac nervi labefactarentur, *jus primogenituræ* introductum, atque ab Imperatoribus confirmatum eſt.

17. *Regiam* itaque lineam *Chriſtianus* III. condidit, cui tres fuere gnati: *Fridericus* II, ſucceſſor in Regno, cujus jam dum mentionem fecimus, *Magnus*, & *Iohannes*, *Iunior* appellatus; ab hoc novi palmites propullularunt, poſteà recenſendi. *Magnus* loco appennagii, quod è paternis ditionibus ei competebat, *Oeſilienſem* & *Curonienſem* diœceſes in *Livonia*, quas Fridericus Rex non ita multò antè ab Epiſcopo *Johanne Münchhauſio* emerat, à fratre accepit; quibus poſteà jus in Revalienſem provinciam, à *Mauritio Wrangelio* Epiſcopo traditum, adjecit. Flagrabat tum bellis Livonia, & à Ruſſis, Polonis, ac Suecis premebatur, atque exhauriebatur; itaque Magnus, ut ſuis rebus conſuleret, potentiori parti ſe applicuit, atque *Johanni Baſilidi, Ruſſorum Magno Duci*, in clientelam dedit, à quo benigne exceptus, *Rex Livoniæ* dictus, & affinitate ſua honeſtatus eſt, *Mariam*, ipſius ſobrinam, an. 1574. d. 12. Apr. in uxorem ducendo; tandem verò, ſicut temporaria Tyrannorum ſunt *Thuan. l. 69. p. 224.*

ingenia, infidaq; eorundem amicitia, injuriis compluribus acceptis ab ejus partibus discessit, atq; in ditionem suam Curionensem rediit, & *Piltenij* an. 1583 (nec 1580) d. 18. Mart. è vita migravit, pater filiæ unicæ *Mariæ*, quæ an. 1580 nata, atque à matre vidua in Moscoviam deducta, posteà *Alberto Janovviz*, *Cancellario ac Patriarchæ Russiæ*, nuptui data est.

18. *Fridericus* II. patri in Regno suffectus, Dietmarsis subactis, bellum cum Suecis per septem annorum spatium vario Marte gessit; cujus, inter alias causas, haud postremam fuisse *Hammelmannus* prodidit, quod Sueci ægrè ferrent, insignia Regni sui, *tres* nempè *coronas*, à Danis usurpari. Inter conditiones pacis, quæ an. 1570 *Stetini*, arbitro Maximiliano II. Cæsare, composita est, illæ primariæ fuerunt: ut Rex Daniæ *omni juri in Sueciam* renuntiaret; viciſſim Suecia Rex, *Norvvegia*, *Gottlandia*, *Scania*, *Hallandia & Blekingia*, nec non *insignibus Daniæ & Norvvegiæ* cederet; *tribus* autem *coronis* uterque Regum uti pergeret, donec per arbitros controversia componeretur: porrò ut Sueci, retentis, donec de sumptibus in defensionem Revaliæ impensis ipsis satisfieret, *Revalia & Wittensteinio*, reliqua Livonia decederent, Dani *Elsburgam* restituerent, atque à Cæsare *Diœcesin Revalien sem & Osilien sem*, *Padi-*

P. 3. c. 16.

Chytr. Chron. Sax. l. 22. p. 619.

Padisium cœnobium, *Sonneburgum* & *Hapselam* clientelari titulo acciperent. Idem Fridericus *Ordinem Elephantiacum* an. 1580. d. 26. Jun. instituit, cùm filiola ejus *Augusta* Sacro baptismatis fonte, sollemni Christianis more, ablueretur, & Principibus præsentibus *aureum torquem cum Elephante dependente, è puro auro & gemmis conflato*, donavit. Arcem *Cronenburgensem* ad fretum Sundicum ingenti sumptu condidit, *Friderichsburgum*, à suo nomine dictum, inchoavit, *Sora* regiam scholam fundavit, biennioque pòst, anno nimirum 1583, vivendi finem fecit. Filii tres, è *Sophia Mecklenburgica* suscepti, superfuerunt ejus vitæ superstites, *Christianus*, *Ulricus*, Episcopus Suerinensis & Sleswicensis, an. 1624 d. 27. Mart. defunctus, & *Johannes*; hic à Magno Duce Moscoviæ *Boris Fœdorvviz* evocatus, & gener in filia *Arsenica* delectus, in urbe *Moscovia* an. 1602 febre extinctus est.

19. *Christianus* IV. patri in regno successit, idque per duos & quinquaginta annos magna fortitudinis & prudentiæ laude moderatus est, arces oppidaque aliquot in firmamentum pariter & ornamentum provinciarum extruxit, in quibus eminent *Christianstad* in Scania, & *Gluckstad* prope æstuarium *Albis*. Bella duo cum Suecis gessit haud mediocris mali, posterioris ma-

ximè fortuna anceps atque atrox fuit, cui, non nisi triennio ante mortem, per pacificationem *Brosembroensem* finis impositus fuit. Germaniæ turbis implicitus, gravi ad *Hamelam* vitæ periculo perfunctus, nec una clade, illa ad *Lutteram* pæne exitiabilis fuit, fractus est, quare pacem tandem à Cæsare petiit, atq; impetravit. *Ernestum Schauenburgicum*, qui, ab Imperatore Principali axiomate auctus, titulum *Principis ac Comitis Holsatiæ* usurpabat, ut eo abstineret, armis coëgit. Cum *Hamburgensibus* etiam, quod telonium Gluckstadii pendere detrectarent, nec non à jurisdictione Ducum Holsatiæ se vindicare, atque immediatis Imperii civibus æquiparari contenderent, depugnavit; tandemque per transactionem *Steinburgicam* an. 1621 ad homagium (*sponsionem* Hamburgenses appellant) sibi, Duciq; Gottorpiensi, præstandum eos compulit: quæ quidem contentio inter majores jam dum agitata, sæpè postea, & nostra iterum ætate recruduit; cujus non est hic narrandi locus.

20. Persolvit *Christianus* IV. naturæ debitum an. 1648. Ex *Anna Caharina Brandenburgica* legitima thori socia, quam an. 1612 amisit, tres filios suscepit: *Christianum*, *Fridericum*, & *Ulricum*. E fœminis autem, quas post conjugis obitum adamavit, & penè uxorum loco habuit, complures liberos genuit:

nuit: nimirum è *Catharina Andreæ Johannem Ulricum à Guldenlevv*, an. 1658 Hafniæ mortuum; è *Catharina Munckin*, filium *Christianum Woldemarum Comitem Holsatiæ*, qui in Moscoviam ducendæ *Irenæ*, filiæ *Michaelis Fœderovviz Magni Ducis*, an. 1644 profectus, titulóque *Ducis in Garoslaw & Susdali* auctus, paulò post, quod Græcorum religioni accedere nollet, in vincula conjectus, post soceri verò mortem ab ejus filio ac successore *Alexio* libertati redditus, nec sine donis sed absque sponsa dimissus, in Daniam rediit; demum Suecis in Polonia militans, *Lublini* a. 1656 morbo militari obiit; filias sex, *Fridericam Sophiam Elisabetham*, *Christiano à Penzen, S. R. Imp. Comiti*, Consiliario Regio an. 1634 nuptam; *Fridericam Leonoram*, *Cornificio Vlefeldio* Regni Drozeto elocatam, superstitem adhuc & perpetuæ custodiæ mandatam; *Fridericam Elisabetham Augustam*, *Johannis à Lindenau* Senatoris Regni conjugem; *Christinam*, *Hannibali Seestätt* Proregi Norwegiæ nuptui datam; *Fridericam Hedvvigen*, *Ebbonis Vlefeldii* uxorem; & *Dorotheam Isabellam*, monialem Coloniæ; è *Wibeke*, quam, *Munckia* illius hera repudiata, & arci *Bollar* inclusa, adscivit, *Ulricum Christianum à Guldenlevv*, (qui Hispanis in Belgio Excubiarum præfectus meruit, & anno 1661 decessit) atque *Elisabetham*, *Nicolao ab Ahlefeld* nuptam, sustulit.

21. *Christianus*, primogenitus è legitimis *Christiani* IV. filiis, *Princeps Daniæ* electus, parentisque in regno successor designatus fuit, & an. 1634 *Magdalenam Sibyllam*, *Johannis Georgii* I. *Electoris Saxoniæ* filiam connubio sibi sociavit, sed patris fata prævertit; quippe, cùm valetudinis jam pridem afflictæ causa in Bohemiam ad thermas Carolinas tenderet, in itinere vi morbi ingravescente animam d. 2. Jun. an. 1647 reddidit. *Ulricus*, ejus frater natu minimus, natus d. 11. Febr. an. 1611, *Administrator Sueripensis* fuit, cumque militiæ nomen dedisset, atque Electori Saxoniæ militasset, induciarum tempore à Piccolomineo ad colloquium invitatus, & honorificè exceptus dimissusque, in reditu per insidias globo trajectus d. 11. Aug. an 1633 occidit

22. *Fridericus* III. duorum fratrum, de quibus dixi, ætatibus medius interjectus, *Archiepiscopus Bremensis*, nec non *Episcopus Verdensis* & *Slesvvicensis* fuit; sed fratre primogenito præmatura morte extincto, *Princeps Daniæ* proclamatus, post patris ad Superos excessum, regni gubernacula suscepit. Principium regiminis grave ipsi reddiderunt domesticæ turbationes, quas ciebat *Cornificius Ulefeldius*, Vir sagax, acer, disertus, opibus, gratia, amicitiis, vigore ingenii atque animi celeberrimus, supremisque regni mu-

niis admotus, & Regia pollens affinitate. Is novis rebus ſtudere atque altiora affectare arguebatur, præterea impietatis in Regem deferebatur; ſed cùm rebus ſuis diffiſus fuga ſalutem petiiſſet, poſteaque in cuſtodiam Regiam incidiſſet, reddita aulæ eſt tranquillitas. Eam verò, totiusque Regni quietem, diſcuſſit libido, quæ Regem Suecis, in Polonia diſtrictis, bellum inferendi invaſit, quod etiam omni cura comparatum, & per Fecialem indictum, majore animo, quam fortuna, tapeſſivit; initio quidem prona omnia Dani, verùm ſimulac Sueci, pace tumultuaria cum Polonis ſancita, advolarunt, adverſa omnia experti ſunt, ipſo æthere Suecis militante, viamque per conſtrictum frigore Oceanum ad regni penetralia ipſis ſternente. Adducta erat Daniæ libertas in propinquum diſcrimen, cui ſe ſubduxit conſentiendo in pacem *Rotſchildiæ* properatis pactionibus d. 26. Febr. 1658. conflatam, eam que neceſſariam magis quàm ſplendidam; dixeris verò illam potius pacis ſimulacrum: eodem enim adhuc anno Sueci, vel quod pœniteret bellicoſiſſimum eorum Regem neglectæ occaſionis rapiendi Daniam, vel quod ſuſpecta ei eſſet mora, quam implendis pacis conditionibus Dani attuliſſe cauſabantur, cum Polonis, Brandenburgicis, & Batavis interim conſilia miſcentes, atque in fœ-

dera coëuntes, denuò in Daniam eruperunt, & *Cronenburgo* expugnato ad caput regni *Hafniam* usque penetrarunt, eamque acri obsidione cinxerunt; quam Rex ipse summa virtute, constantia, & vigilantia, per anni fermè spatium sustinuit, servitutemque Daniæ imminentem averruncavit: tandem Sueci, cladę à Fœderatis in *Fionia* accepta, nec non morte repentina Regis sui attoniti, pacem acceperunt, quæ, in castris ad *Hafniam* d. 27. Maji an. 1660 sancita, quicquid, extra Norwegiam, Scandinaviæ litoribus veteres circumscripserunt, nempe *Scaniam*, *Bleckingiam*, & *Hallandiam* in Suecos transtulit.

23. Hoc autem bello, quo ingens adeò detrimentum res Daniæ publica fecit, facta est ad potentiam Regis illustris accessio, *partumq; novum propemodo regnum Friderico; qui,* Pag. 40. *amotis paulatim bellis*, (verbis utor *Viti Beringi* in *Historia obsidionis Hafnienſis*) *supra hostes & invidiam evectus, illam, quam in tanto discrimine sustinuerat Rempublicam, meritis fecit suam; jamque superioribus Regum haud paulò clarior, eliminato & reciso, quicquid in ordinem cogebat, summum illud in terris nomen, partum virtute Regnum in nobilitatis fontem tradidit posteris, non promiscua aut fortuita dignatione, sed quod hæredes sequatur per successiones, certo peculio, & mansura in seculum possessione.* Confectum id est medio Octobrian. 1660, quo, con-

conſpirantibus Statibus Eccleſiaſticis, Civicis, & Ruſticis, quibus tandem & Nobilium Ordoin gratiis acceſſit, *Regnum Daniæ*, quod antehac electivum fuerat, in *hæreditarium* converſum, Friderico, ejusque liberis ac hæredibus, utriusque ſexus, in perpetuum adjudicatum, nec non homagium eo nomine ipſi ſollemni ritu præſtitum eſt.

24. Diſceſſit *Fridericus III.* ex hominum vita an. 1670. d. 9. Febr. relicta vidua etiamnunc ſuperſtite *Sophia Amalia*, *Georgii Ducis Brunſuicenſis & Lunæburgenſis* filia, an. 1643. d. 15. Oct. ducta cum qua ſex liberos genuit: è quibus *Fridericum*, an. 1651. natum, & *Dorotheam Julianam*, an. 1657, d. 16. Nov. editam, immatura ætate mors intercepit; reliqui luce vitali fruuntur. Reliquit etiam poſt ſe filium naturalem *Ulricum Fridericum Güldenleu, in Jarvvigen, Jarlsberg & Herzhorn Comitem*, qui in præſentia Norvvegiæ regno vicaria poteſtate præeſt, & ſupremam rei militaris apud Danos curam, Regio decreto an. 1680. ſibi impoſitam, gerit: prima huic uxor fuit *Cæcilia, Grubben* nobili genere orta, quæ nullam ipſi ſobolem peperit, & divortio ab eo ſeparata, Equeſtris loci viro nupſit; ille verò an. 1677 *Antoniam Auguſtam, Antonii Comitis Altenburgici* filiam, ſibi matrimonio junxit, atque ex ea, poſt primam prolem eamque βιβλίον, præcipiti anno 1681 filium

lium sustulit *Fridericum Christianum*. Est ipsi & gnatus, extra conjugium è nobili fœmina genitus, *Woldemarus Ulricus*, quem an. 1679. d. 29. Mart. vexillum, Suecis à patre in Hallandia extortum, & nomine Regis Sueciæ insignitum, Daniæ Regi obtulisse, nuntiatum est.

25. CHRISTIANUS V. *Rex Daniæ, Norvvegiæ, Vinidorum, Gothorumq;, Dux Slesvvici, Holsatiæ, Stormariæ & Dietmarsorum, Comes Oldenburgi & Delmenhorstij, Friderici* III. Regis filius *primogenitus*, susceptus est in lucem an. 1646, d. 18. Apr. Regni habenas, quas post parentis obitum *hæreditario jure* capessivit, fortiter hactenus ac feliciter moderatus est, magnaque virtutis bellicæ documenta nupera adversus Suecos expeditione edidit.

26 Ordinem Equestrem novum instituit, vel potius veterem atque exoletum restauravit; *Danebrogicum* scilicet, cujus primus fundator *Waldemarus II. Victoriosus* Rex Daniæ perhibetur: eo n. adversus Livonos gentiles belligerante, & prælio cum eis decertante, atque aquila quam sui sequebantur fortè amissa, novum vexillum cœlitùs delapsum esse perhibent, operis textorii, in cujus rubea planitie *Crux alba* nitebat; id copiis ejus fugientibus prælatum, animos militibus reddidit, viamque ad victoriam, quam reportarunt

tarunt, ostendit; quare, in beneficii hujus cœlo demissi memoriam, Waldemarus *Ordinem novum Equestrem*, cujus insigne *Crux candida*, in labaro cœlesti repræsentata, condidit, atque ex Ducibus belli Sclavonici Equites XXXV, torquibus aureis decoratos, albis appensis crucibus, creavit; vexillum autem, quod *Danebroga*, lingua illi seculo vulgari, vocarum, à coloris forsan varietate, in opere tessellato, putant, magna religione velut regni Palladium custodiri, & ad posteros conservari curavit, cui quoque labaro sequentium temporum victorias & res secundas imputabant posteri; permansitque illud per duo secula inter Danos, donec in bello Dietmarsico, à Johanne Rege adversa fortuna gesto, inter spolia victorum deperditum fuit; unde factum, ut *Ordo* quoque *Danebrogicus* tacita velut oblivione sepeliretur, & *Elephantiaco*, qui exinde increbuit, cesserit, crucis tamen Danebrogicæ vestigiis in nummis, sigillis, atque insignibus, remanentibus. Illum itaque Ordinem Christianus V. restituit, atque hac sollemnitate, & novorum Equitum pompa, exoptatissimos filii primogeniti natales inauguravit; conjunxit verò eum cum Ordine Elephantiaco, ita tamen, ut suisquisque notis discerneretur, non *Cruce* tantùm, & *Elephante*, sed aliis præterea signis: nimirum

fascia

fascia cœrulea, more antiquiore *ab humero sinistro ad dextrum pectoris latus demissa, Elephantum suspendit; Crux* verò, *Danebrogæ* insigne, *ex encausto, alba, cujus extremas oras rubeus firmat limbus, tota adamantibus obsita, è dextro humero ad sinistrum pectus protensæ fascia candidæ rubentibus oris appenditur.* Elephas solis Augustis, & purpura Regali splendentibus Principibus viris, & Regi favore singulari charis, conceditur; huic jungitur *stella argentea octangula*, cujus medium spatium antehac *duæ coronæ* implebant, nunc *crux* occupat, sinistro paludamenti lateri affixa. At crux Danebrogica aliis etiam Viris, sapientia & rerum usu spectatis, & quorum perspecta est in Regem fides, conferri solet; quemadmodum *Thomas Bartholinus in dissertatione* pereleganti de *Origine Ordinis Danebrogici*, è qua illa decerpere operæ pretium duxi, literis prodidit.

27. Induxit penatibus *Christianus V.* viraginem præstantissimam *Carolam Amaliam*, *Wilhelmi Landgravii Hassiæ* ex *Hedvvige Sophia Brandenburgica* filiam, cum qua anno 1667. mense Junio nuptiarum sollemnia celebravit, multamque sobolem hactenus, in spem patriæ, & Augustæ familiæ augmentum, genuit:

I. *Fridericum*, Principem regnorum hæreditarium, natum an. 1671. d. 11. Oct.

II. *Chri-*

II. *Christianum Wilhelmum*, n. 21. Nov. 1672. †. 18 Jan. 1673.

III. *Christianum*, n. 25. Mart. 1675.

IV. *Sophiam Hedvvigen*, n. 28 Aug. 1677.

V. *Christinam Carolam*, n. 18. Jan. 1679.

VI. *Carolum*, n. 26. Oct. 1680.

VII. *Filiolam*, in utero extinctam, 17. Jul. 1682.

28. GEORGIUS, *Princeps hæreditarius Daniæ, Norvvegiæ, Vinidorum & Gothorum, Dux Slesvvici, Holsatiæ, Stormariæ & Dietmarsiæ, Comes Oldenburgi & Delmenhorstii*, Regis frater germanus unicus, auram vitalem hausit d. 21. Apr. an. 1653. Inter Candidatos regni Polonici, post Michaëlis Regis obitum, locum, & plurium è proceribus favorem meruit, fratrique Regi in expeditionibus bellicis, operam manumque strenuè commodavit. Nuptias novissimè celebravit, die scil. 7. Aug. an. 1683. Londini in Anglia cum *Anna Stuarda, Jacobi D. Eboracensis, ex Anna Hide*, filia.

29. *Sorores* Regiæ quartum explent numerum:

I. *Anna Sophia*, n. 1. Sept. 1647 *Johanni Georgio III. Principi*, nunc *Electori Saxoniæ* an. 1667 elocata est.

II. *Friderica Amalia*, n. 2. 1648; *Christiano Alberto Duci Holsato Gottorpiensi* an. 1667. d. 24. Sept. nupsit.

III.

III. *Wilhelma Erneſtina*, n. 20. Jun. 1650, *Carolo Principi*, nunc *Electori Palatino* an. 1671. d. 20. Sept. nuptum locata eſt.

IV. *Vlrica Eleonora*, n. 11. Sept. 1656, *Carolo Regi Sueciæ* an. 1680. d. 16. Maji in manum convenit.

Spon. Op. Har. l. 3. c. 12.

30. *Scutum*, quo Rex Daniæ frequenter utitur, *quadrifariam ſecatur, ſectione inſtituta per* crucem Danebrogicam *argenteam, limbo rubeo ornatam:* prima quadra *ad perpendiculum ſecta, parte priore auro tincta, & corculis rubeis ſparſa, tres cœruleos leopardos linguis & falculis aureis refert*, Danici Regni *ſymbolum; poſteriore rubea leonem coronatum aureum, bipennem argenteam, aureo manubrio ferentem exhibet*; Norwegiæ *teſſeram:* ſecunda quadra *eodem modo* bipertita, anteriore parte *rubea in capite leopardum aureum, cui corcula novem, ejusdem metalli, triplici ordine, hoc modo: 4. 3. 2. diſpoſita, ſubjacent, refert*, Gothiæ δῆγμα; poſteriore *iterum rubea draconem coronatum aureum continet*, Slaviæ *ſive* Vandaliæ *inſigne:* tertia quadra *iterum* quadripartita, areola prima *cœrulea tres coronas aureas exhibet*, Sueciæ *teſſeram;* ſecunda *rubea agnum Paſchalem candidum repræſentat*, Gothlandiæ *emblema;* tertia *coccinea urticam argenteam refert*, Holſatiæ δῆγμα; quarta *iterum rubea cygnum argenteum pedibus nigris, cujus collo inſerta aurea corona conſpicitur, continet*, Stormariæ *notam:*

tam: extrema quadra *itidem* quadrifida *est*, *ejus* laterculus primus *aureus leones duos gradientes cæruleos defert*, Slesvvicumque *denotat*; secundus *rubeus*, *asellum piscem argenteum auro coronatum repræsentat*, Islandiam *designans*; tertius *aureus fasciis duabus rubeis distinguitur*, & Oldenburgensem Comitatum *indicat*; quartus *denique cæruleus*, *cruce in imo ‖ eculata aurea insignitur*, & Delmenhorstium Comitatum *notat*. *Toti, atque adeo medio crucis loco, imponitur* parmula *coccinea*, *in qua cataphractus aureo thorace, equo candido insidens*, & *stricto gladio minituns conspicitur*, *ea* Dietmarsia *designatur*. Tegi *solet hoc scutum* Regio diademate.

31. E stirpe Regia propulluavit *ramus Sunderburgicus*, ad quem jam sermo deflectit; eum protevit *Iohannes Iunior*, *Christiani III. Regis* filius natu minimus, cui *Fridericus* II. frater è paternis provinciis concessit insulas *Alsen* & *Arroë*, nec non præfecturam *Plœn*, cum cœnobiis *Rheinfeld* & *Arensbœck* in *Holsatia*; ea tamen lege, ne hæc concessio jus primogenituræ recens institutum infringeret; sed Johannes, ejusque posteri, loca ista, tanquam *Appennagiati* Principes, sub feudi titulo tenerent, eoque nomine à Friderico II. Rege atque ejus in regimine successoribus acciperent, neque quidquam juris, quod Superioritatem territorialem involvol-

volveret, sibi arrogarent; quin potius collectam, sequelam, aliaque, quæ Ordines Provinciales Principi regenti præstare tenentur, ipsi etiam præstare non defugerent; facta est hæc conventio *Flendsburgi* an. 1564. d. 27. Jan. & ad rei memoriam tabulis consignata, ceu quidem *Dankwvertus* in *Topogr. Holsat.* refert. Sed negant Johannis posteri, maximè Plœnenses, pactionem illam eo modo se habere, & viceversa asseverant, illam ditionum enumeratarum assignationem, Johanni factam, *justam patrimonii divisionem*, non verò beneficiariam provisionem, qualis appennagiatorum esse solet, fuisse; seque in numero *immediatorum Imperii Statuum & Vasallorum*, nec Regis Daniæ aut Ducis Holsatiæ clientum nunquam non reputatos esse. Istis verò ditionibus adjecit posteà Fridericus Rex portiunculam ex hæreditate *Johannis Senioris* patrui sui, tradendo fratri *Johanni Juniori* cœnobium, quondam *Ruchkloster* dictum, in *Angelia* propè *Flensburgum* situm, cum peninsula eò pertinente *Sundevvit:* id cœnobium demolitione sustulit *Johannes*, eoque loco egregiam arcem, *Lucksburg* sive *Gluecksburg* dictam, anno 1582. extrui curavit.

32. Suscepit ille è duabus uxoribus, *Elisabetha Brunsuicensi & Agnete Hedvvige Anhaltina*, numerosam sobolem, mares undecim,

cim, sexus sequioris duodecim. Ex illis sex ad justam ætatem pervenere, nempè *Christianus*, *Alexander*, *Joh. Adolphus*, *Fridericus*, *Philippus*, & *Joachimus Ernestus*; quorum causa parens ditiones suas in quinque partes divisit. Et primogenito quidem *Christiano* assignavit insulam *Arroe*; *Alexandro* arcem *Sunderburgicam*, cum dimidia parte insulæ *Alsen*, cui imposita est, nec non particula peninsulæ *Sundevvitt*; *Johanni Adolpho*, & *Friderico*, quem illi, à nuptiis abhorrenti, substituit, arcem *Norburg*, cum parte *Borealis* insulæ *Alsen*, in qua illa sita est; *Philippo* castrum *Glucksburg*, cum potiore parte regiunculæ *Sundevvitt*; denique *Joachimo Ernesto* præfecturam *Plœnensem* in Holsatia; cum cœnobiis *Rheinfeld* & *Arensbœck*. Ex illis verò, præter *Johannem Adolphum*, *Christianus* etiam cœlibem peregit vitam, cujus, postquam an. 1633 mortem obiit, ditionem fratres reliqui inter se dispertiverunt; à quibus *quatuor* orti sunt *palmites*, à locis, quæ incoluerunt, nominati, atque hodienum virentes, videlicet: *Sunderburgicus* in specie sic dictus, *Norburgicus*, *Glucksburgicus*, & *Plœnensis*. Exemptus est *Johannes* rebus humanis an. 1622. d. 9. Nov.

33. *Alexander*, inter ejus filios, qui stirpem propagarunt, natu maximus, & *Sunderburgici* palmitis fator, non nisi annos

quinque patri superfuit: namque an. 1627 d. 13. Mart. mortalitate interceptus est, postquam è conjuge *Dorothea Schwarzburgica* complures sustuliſſet liberos, quos inter septem ei superstites manserunt, mares sex, filia unica *Sophia Catharina*, *Antonio Gunthero C. Oldenburgico* an. 1635 nupta.

34. *Johannes Christianus*, filiorum *Alexandri* primus nativitatis ordine, explevit fatorum legem an. 1653, relictis ex *Anna Oldenburgica* filiis duabus: *Dorothea Augusta*, *Georgio III. Landgr. Hassiæ* an. 1661 nuptui locata, atque an. 1662, d. 18 Sept. mortua; & *Christina Elisabetha*, quæ *Johanni Ernesto Duci Saxo Vinariensi* an. 1656. in manum convenit, & d. 7. Jun. 1679. decessit; nec non filio unico: is est

CHRISTIANUS ADOLPHUS, *Hæres Norvvegiæ*, *Dux Slesvvici*, *Holsatiæ*, *Stormariæ & Dietmarsorum*, *Comes Oldenburgi & Delmenhorstii*, natus an. 1641, d. 3. Jun. cúm alieno ære demersus esset, *Sunderburgum* (creditoribus urgentibus) amisit, & Regi permittere ad actus est; hinc *Franzhagæ* in Saxonia inferiore, socrus suæ dotalitio degit: duxit enim an. 1676. d. 1. Nov. *Eleonoram Carolam*, *Francisci Heinrici D. Saxo-Lauenburgici*, & *Julianæ Nassoviæ* filiam, è qua natus ei hactenus unicus est filius

Leo-

Leopoldus Christianus, an. 1678. d. 25. Aug.

35. *Alexander Heinricus*, secundus *Alexandri* gnatus, in lucem prodiit an. 1608. d. 12. Sept; & ducta in uxorem *filia pastoris* cujusdam *Evangelici*, ad *Pontificiorum* castra transiliit, & *Colonellus Cæsaris* an. 1667 in Silesia vivis excessit; relictis, præter *Elisatham Dorotheam*, *Ernesto Comiti Gelhornio* in Silesia nuptam, & viventium numero exemptam, *filiis tribus*, quorum nomina in proclivi sunt:

I. *Ferdinandus Leopoldus, Hæres Norvvegiæ, Dux Slesvvici, Holsatiæ, Stormariæ & Dietmarsiæ &c. Decanus Vratislaviensis & Canonicus Olumucensis.*

II. *Alexander Rudolphus*, *Hæres Norvvegiæ &c. Canonicus Olumucensis & Vratislaviensis,*

III. *Georgius Ernestus*, *Hæres Norvvegiæ &c.* qui nupero bello Gallico *Equitum Magister* sub legione *Gallassii* meruit, haud ita pridem verò *Legatus Comitis Kufsteinii* declaratus est.

36. ERNESTUS GUNTHERUS, *Hæres Norvvegiæ, Dux Slesvvici, Holsatiæ &c.* Alexandri filius tertio genitus, aspexit lucem vitalem an. 1609. d. 14. Oct; habitat *Augustoburgæ* in insula *Alsen*, cui

nomine Regis Daniæ vicaria potestate præest; habet in conjugio *Augustam*, *Philippi patrui* filiam, anno 1651 ductam, è qua suscepit:

I. *Fridericum*, n. 27. Dec. 1652.

II. *Ernestum Philippum*, n. 24. Oct. 1655.

III. *Filium* ignoti nobis nominis, qui in obsidione *Stettini*, sub legione prætoria Electorali *Equitum Magister* merens, d. 8. Sept. an. 1677. occubuit.

IV. *Ludovicam*, n. 30. Oct. 1659, quæsti fortunæ ludibrio *Petro Schuehemachero*, è tenebricosa popina extracto, atque ad summa Regni Daniæ munia hodierni Regis favore evecto, *Ordine Elephantiaco* decorato, & *Comitis de Greifenfeld* in Norwegia, ac *de Samsoe* in Dania, axiomate aucto, nunc verò æternis tenebris mandato, sponsa destinata, ei nuptura fuisset; nî fata hominem præcipitem dedissent.

V. *Ernestum Guntherum*, n. 2. 1660, qui studiorum gratia Coloniam missus, & Jesuitarum informationi concreditus, sequioris religionis dogmata imbibit, eiq; tandem avita ejerata accessit; quo ipso locum inter *Canonicos Colonienses* promeruit, sed haud diu tenuit; prolapsus enim ad nuptias indecoras cum fœmina impari conditionis, dignitate sacra, nec non amo-

amore & cura parentum, agnatorumque, excidit.

VI. *Ernestam Iulianam*, n.a. 1661. †. 18. Oct. 1662.

VII. *Fridericum Wilhelmum*, cui an. 1676 *Præpositura Ecclesiæ Cathedralis Hamburgensis* collata est.

37. *Georgius Fridericus*, quartus *Alexandri* filius, vitam an. 1676 autumnali tempore ἄγαμος clausit.

38. *Augustus* eum nativitatis ordine excepit, & dum viveret *Bekæ* in Westphalia, quam pater ejus Alexander à Viro Nobili *de Querheim* pecunia mercatus est, habitavit; eamque cum vita an. 1675 dereliquit. Duxit primis nuptiis *Claram Oldenburgicam*, qua an. 1647 mortua, ejus germanam sororem *Sidoniam*, *Abbatissam Hervordensem* an. 1649 sibi copulavit; cumque ista post enixam an. 1650 *filiam*, quæ nunc *Friderici Comitis Lippiæ* matrimonium tenet, spiritum efflasset, *Mariam Sibyllam Nassoviam* in torum adscivit, è qua utriusque sexus liberos sustuliisse fertur; quos inter nomen famamque sibi pepererunt

AUGUSTUS, *Hæres Norvvegiæ*, *Dux Slesvvici*, *Holsatiæ* &c. *Colonellus* Seren. Electoris Brandenburgici, & maritus *Ludovicæ*, filiæ *Philippi Comitis Lippiæ in Bukenburg*,

paterque ex ea *filii*, an. 1678. menſe Decembri nati;

& *Ludovicus Fridericus*, *Hæres Norvvegiæ* &c. qui itidem militarem vitam colit, & Celſiſſimo Electori Brandenburgico ſtipendia facit.

39. PHILIPPUS LUDOVICUS, *Hæres Norvvegiæ*, *Dux Slesvvici*, *Holſatiæ* &c. filiorum *Alexandri* poſtremus, hauſit auram vitalem an. 1620. d. 27. Oct; & ſedem in *Miſnia* collocavit, comparato ſibi caſtro *Wiſenburg*, quod tamen poſteà in filium ſuum primogenitum tranſtulit, atque in *Voitlandiam* habitatum conceſſit. Prior ei uxor fuit *Catharina*, *Chriſtiani C. Waldecciì* filia, *Simonis Ludovici C. Lippiæ* vidua, an. 1643. ducta, atque an. 1649 mortua, è qua unicam ſuſcepit gnatam

Dorotheam Eliſabetham, ea an. 1661. d. Nov. *Georgio Ludovico Comiti Sinzendorfio* in manum convenit, quo præcipiti an. 1681 fatis functo, ſequenti anno homini *Gallo*, qui nomine *Marqueſii de Fremonville* utitur, atque è ſtirpe *Buſſiorum de Rabutin* ſe ortum prædicat, nupſit:

40. Poſterior *Philippi Ludovici* uxor, *Anna Margarita*, *Friderici Landr. Haſſiæ in Homburg* filia, ducta ei eſt an. 1650, mater complurium liberorum, è quibus ſuperant:

FRI-

FRIDERICUS, n. 2. Febr. 1652. *Ductor legionis* in exercito Cæsareo; is innuptis nuptiis sibi junxit *Carolam, Christiani Ducis Lignicensis & Briegensis*, & *Ludovicæ Anhaltinæ* filiam, cum qua mox dissedit, & aliquantò gravius; ut jam ambo vitam segregem agant, filium tamen ex ea sustulit *Leopoldum*, an. 1674. d. 12. Jan. natum.

Sophia Elisabetha, n. 4. Maji 1653, vidua *Mauritij D. Saxon. Administratoris Naumburgensis*, cui an. 1676. nuptum locata fuit.

Carolus Ludovicus, n. 8. Apr. 1654, Prætorianorum Landgravii Hassо-Cassellensis Præfectus.

Eleonora Margarita, n. 28. Maji 1655, nupta *Maximiliano Pr. Liechtensteinio*, & Romanis sacris feducta.

Wilhelmus Christianus, n. 15. Jan. 1661.

Magdalena Sophia, n. 30. Maji 1664.

Anna Friderica Philippina, n. 4. Jul. 1665.

Iohanna Magdalena Ludovica, n. 24. Jun. 1668.

41. Fœcundior fuit palmes *Sunderburgicus*, cujus germina enumeravimus, quàm reliqui; è quibus proximè succedit *Norburgicus*, quem *Fridericus* profevit, anno 1658. mortuus, & bis maritus: primò *Julianæ Ducissæ Saxo-Lauenburgicæ*, an. 1630. defunctæ, è qua unicum genuit gnatum, *Johannem Bo-*

gislaum, qui an. 1629. d. 30. Sept. in lucem editus, privatam vitam coluit, atque an. 1680. ἄγαμος decessit; secundò *Eleonoræ Anhaltinæ*, quæ anno demum 1681 naturæ debitum reddidit, & quinquies mater facta est. Filii duo sunt:

CHRISTIANUS AUGUSTUS, *Hæres Norvvegiæ, Dux Slesvvici, Holsatiæ, Stormariæ & Dietmarsiæ, Comes Oldenburgi & Delmenhorstij*, natus an. 1639. d. 10. Apr. Is, peregrinatione in Palæstinam peracta, *Anglis* stipendia fecit, apud quos etiamnunc agit, nupero adversus Hollandos bello inter *Navarchos* nomen famamque consecutus.

RUDOLPHUS FRIDERICUS, *Hæres Norvvegiæ* &c. n. an. 1645. d. 27. Sept. Is Batavis ductor legionis meret, atque an. 1680. m. Jul. uxorem accepit opulentam, *Bibianam*, *Sigismundi Sigfridi Comitis de Promniz*, è *Catharina Sophia Schœnburgia* gnatam, *Czdenkonis Hovvoræ L. B. de Lipa*, à quo permagna hæreditas multarum in Silesia possessionum ei obvenit, viduam, atque ex ea sequenti anno masculæ sobolis pater factus est.

42. *Filiarum* Friderici nomina hæc sunt: *Elisabetha Iuliana*, n. 1634. d. 24. Maji, cui mater fortunatas fecit nuptias, locando eam an. 1656 in matrimonium Inclutissimo

mo Principi *Antonio Ulrico*, *Duci Brunſuicenſi ac Lunaburgenſi.*

Dorothea Hedvvigis, n. an. 1636, d. 18. Apr. hæc in numerum Illuſtrium virginum *Gandersheimenſis* collegii adſcita, mox *Decaniſſæ*, poſteà *Abbatiſſæ* dignitatibus aucta fuit, demum verò ſui diſſimilis facta, ab avitis ſacris deflexit, atque in diverſa & deteriora, Pontificiorum ſcilicet tranſivit; inde nupſit an. 1679 *Chriſtophoro Comiti Ranzovio, Dynaſtæ in Schmoëll & Heſſenfeld.*

Ludovica Amœna, n. 1642. d. 15. Jan; *Johanni Friderico C. ab Hohenloe in Neuenſtein* an. 1665. nuptui data eſt.

43. *Glucksburgici* palmitis autor *Philippus* extitit, qui an. 1663. d. 27. Sept. fatorum legem implevit, atque è conjuge *Sophia Hedvvige D. Saxo-Lauenburgica* multam ſobolem procreavit, è qua, præter filias tres, gnatus unicus ſupereſt; de quo priusquam verba faciamus, notandi veniunt *emortuales* defunctorum in *tabula Rittershuſiana* deficientes, nimirum: *Maria Eliſabetha*, *Georgii Alberti M. Brandenburgici* uxor, obiit an. 1664. d. 27. Maji; *Adolphus* vitam in cœlibatu transactam an. 1658. menſe Januario finivit; *Hedvvigis* denique an. 1673 innupta deceſſit. Suſtinet itaque nunc Glucksburgicum palmitem

gislaum, qui an. 1629. d. 30. Sept. in lucem editus, privatam vitam coluit, atque an. 1680. ἄγαμος decessit; secundò *Eleonoræ Anhaltinæ*, quæ anno demum 1681 naturæ debitum reddidit, & quinquies mater facta est. Filii duo sunt:

CHRISTIANUS AUGUSTUS, *Hæres Norvvegiæ, Dux Slesvvici, Holsatiæ, Stormariæ & Dietmarsiæ, Comes Oldenburgi & Delmenhorstij*, natus an. 1639. d. 20. Apr. Is, peregrinatione in Palæstinam peracta, *Anglis* stipendia fecit, apud quos etiamnunc agit, nupero adversus Hollandos bello inter *Navarchos* nomen famamque consecutus.

RUDOLPHUS FRIDERICUS, *Hæres Norvvegiæ* &c. n. an. 1645. d. 27. Sept. Is Batavis ductor legionis meret, atque an. 1680. m. Jul. uxorem accepit opulentam, *Bibianam*, *Sigismundi Sigfridi Comitis de Promniz*, è *Catharina Sophia Schœnburgia* gnatam, *Cx denkonis Hovvoræ L. B. de Lipa*, à quo permagna hæreditas multarum in Silesia possessionum ei obvenit, viduam, atque ex ea sequenti anno masculæ sobolis pater factus est.

42. *Filiarum* Friderici nomina hæc sunt: *Elisabetha Iuliana*, n. 1634. d. 24. Maji, cui mater fortunatas fecit nuptias, locando eam an. 1656 in matrimonium Inclutissimo

mo Principi *Antonio Ulrico*, *Duci Brunſuicenſi ac Lunæburgenſi.*

Dorothea Hedvvigis, n. an. 1636, d. 18. Apr. hæc in numerum Illuſtrium virginum *Gandersheimenſis* collegii adſcita, mox *Decaniſſa*, poſteà *Abbatiſſa* dignitatibus aucta fuit, demum verò ſui diſſimilis facta, ab avitis ſacris deflexit, atque in diverſa & deteriora, Pontificiorum ſcilicet tranſivit; inde nupſit an. 1679 *Chriſtophoro Comiti Ranzovio, Dynaſtæ in Schmoëll & Heſſenfeld.*

Ludovica Amœna, n. 1642. d. 15. Jan; *Johanni Friderico C. ab Hohenloe in Neuenſtein* an. 1665. nuptui data eſt.

43. *Glucksburgici* palmitis autor *Philippus* extitit, qui an. 1663. d. 27. Sept. fatorum legem implevit, atque è conjuge *Sophia Hedvvige D. Saxo-Lauenburgica* multam ſobolem procreavit, è qua, præter filias tres, gnatus unicus ſupereſt; de quo priusquam verba faciamus, notandi veniunt *emortuales* defunctorum in *tabula Rittershuſiana* deficientes, nimirum: *Maria Eliſabetha*, *Georgii Alberti M. Brandenburgici* uxor, obiit an. 1664. d. 27. Maji; *Adelphus* vitam in cœlibatu transactam an. 1658. menſe Januario finivit; *Hedvvigis* denique an. 1673 innupta deceſſit. Suſtinet itaque nunc Glucksburgicum palmitem

CHRISTIANUS, *Hæres Norvvegiæ, Dux Slesvvici, Holſatiæ* &c. Prodiit in lucem an. 1627. d. 19. Jun; atque an 1663. d. 20 Sept. primas nuptias celebravit cum *Sibylla Urſula, Auguſti D. Brunſuicenſis* & *Dorotheæ Anhaltinæ* filia; qua an. 1671. vivis exempta ſequentis anni d. 10. Maji *Agnetem Hedvvigen*, patruelem è *Plœnenſi* domo, in thorum adſcivit. E *priore uxore* genuit

I. *Fridericum Auguſtum*, n. 4. Jun. 1664. †. 14. Aug. e. a.

II. *Anonymum*, d. 31. Sept. an. 1666.

III. *Sophiam Amaliam*, n. 26. Febr. †. 17. Apr. 1668.

IV. *Anonymam*, d. 12. Dec. an. 1671.

E *poſteriore* ſuſcepit

I. *Philippum Erneſtum*, n. 5. Maji 1673.

II. *Sophiam Auguſtam*, n. 22. Oct. 1674.

III. *Carolam Iohannam*, n. 23. Jun. †. 12. Nov. 1676.

IV. *Chriſtianum*, n. 9. Febr. 1678. †. 12. Apr. 1679.

V. *Ioachimum Adolphum*, n. 21. Jun. 1679. †.

VI. *Chriſtianum Auguſtum*, n. 16. Apr. 1681.

44. *Auguſta*, Chriſtiani ſoror, an. 1633. d. 27. Jun. nata, vivit in conjugio *Erneſti Guntheri Ducis Holſatiæ*, patruelis ſui.

Chri-

Christina, n. 21. Sept. 1634, *Christiani D. Saxoniæ Administratoris Merſenburgici* matrimonium tenet, cui an. 1650 nupſit.

Dorothea, n. 3. Mart. 1636. Primis nuptiis *Chriſtiano Ludovico D. Lunæburgenſi*, anno 1653; ſecundis *Friderico Wilhelmo Electori Brandenburgico* an. 1668. in manum convenit.

45. *Plœnenſem* denique palmitem, quem etiam *Arensbœckianum* appellant, condidit *Joachimus Erneſtus*; qui, cùm fratribus cunctis ſuperſtes manſiſſet, & *Antonio Gunthero Comiti Oldenburgico* ultimo ſupervixiſſet, tanquam proximus ejus agnatus, Regi Daniæ ac Duci Gottorpienſi de hæreditate, quam illi in ſe converterant, controverſiam movit; in qua vigore ſententiæ, in aula Cæſarea latæ, ſuperior diſceſſit; quamvis poſteà utrumque Comitatum, Oldenburgicum & Delmenhorſtanum, in Regem Daniæ per pactionem tranſtulerit, aliis locis in Holſatia ab eo acceptis, ceu ſuprà fuſiùs dictum fuit. Diſceſſit è vita pœnè octuagenarius an. 1671. d. 5. Oct. relictis ſeptem liberis, è *Dorothea Auguſta* agnata, an. 1682. mortua, ſuſceptis; ex his verò *Bernhardus*, penultimus forte naſcendi, haud inglorius militiæ, an. 1676. d. 13. Jan. fatorum iniquitate raptus eſt, reliqui, tres nempè filii, totidemque infirmioris ſexus ſuperant. Familiam ducit:

46. JO-

46. JOHANNES ADOLPHUS, *Hæres Norvvegiæ, Dux Slesvvici, Holſatiæ, Stormariæ & Dietmarſiæ* &c. natus a. 1634. d. 8. Apr. Princeps bellicis laudibus abundans, & victoriæ in nupero bello Gallico à confœderatis Principibus ad pontem *Conzienſem* reportatæ præcipuum inſtrumentum: anno 1673. d. 2. Apr. connubio ſibi ſociavit *Dorotheam Sophiam, Rudolphi Auguſti D. Brunſuic. & Chriſtinæ C. Barbienſis* filiam, è qua hactenus ſuſcepit

Adolphum Auguſtum, n. 29. Mart. 1680. & *Ioachimum Erneſtum*, n. 31. Aug. 1681.

47. AUGUSTUS, *Hæres Norvvegiæ, Dux Slesvvici*, &c. lucem vitalem aſpexit an. 1635. d. 9. Maji; Is itidem ephebus factus militiam coluit, & in Hungaria adverſus Turcas, nuperque in Alſatia inter primarios copiarum Brandenburgenſium ductores fortitudinis laudem ſibi peperit; cæterùm *Magdeburgenſem* Ducatum *Producis* titulo adminiſtrat, conjugem habet *Eliſabetham Carolam, Friderici Pr. Anhaltini*, ex *Hazgerodenſi* linea, filiam, *Wilhelmi Ludovici* è *Cœthana* viduam, quæ ei peperit

I. *Ioachimum Fridericum*, n. 10. Maji 1668.

II. *Auguſtam Eliſabetham*, n. 23. Maji 1669.

III. *Ca-*

III. *Carolam Sophiam*, natam 6. April. 1672.

IV. *Christianum Carolum*, n. 20. August. 1674.

V. *Dorotheam Iohannam*, n. 24. Dec. 1676.

48. JOACHIMUS ERNESTUS, *Hæres Norvvegiæ*, *Dux Slesvvici*, &c. natus an. 1637. d. 5. Oct. Hispanis in Belgio operam suam addixit, ibique, postquam ad eorum sacra discessit, fortunarum sedem quæsivit; obtinuitque munus *Legati generalis copiarum equestrium peregrinarum (Lieutenant general de la Cavalerie Estrangere du pays)* nuper etiam admodum torque *Aurei Velleris* decoratus est. Conjugem ibi duxit è *Croviaca* seu *Croja* domo, *Solrei Comitis* amitam, eandemque viduam *Marchionis de Westerloe* è stirpe *Merodia*; quæ *filium* ei peperit *Βεγχιβον*, an. 1682. mense Febr. extinctum.

49. *Ernestina*, illorum soror, an. 1636. d. 10. Oct. in lucem edita, innupta ætatem agit.

Agnes Hedvvigis, n. an. 1640, d. 29. Sept. patrueli *Christiano Glucksburgensi* an. 1672 in manum, ceu dictum est, convenit.

Sophia Eleonora, n. 1644. d. 31. Jul; nupsit an. 1666. *Wolfgango Julio C. ab Hohenloe in Weickersheim.*

50. Reliquum est, ut lineam *Gottorpiensem*

pienſem perluſtremus; ejus autor *Adolphus* extitit, *Friderici I.* Regis filius tertiogenitus, cujus jam ſuprà mentio facta, ditionesque, quas in partitione provinciarum avitarum ſortitus eſt, enumeratæ fuerunt: illis verò, poſt fratris natu minimi *Johannis Friderici, Epiſcopi Hildeſienſis & Slesvvicenſis*, mortem, *Diœceſis Slesvvicenſis* acceſſit, de qua deinceps ejus filius, nepotibusq;, controverſia interceſſit cum Daniæ Regibus, qui, Adolpho an. 1586. vivis exempto, illam unà cum Capitulo *Snaveſtedienſi* ſibi ſolis vindicarunt, prætexentes feudum peculiare Regni Daniæ, diſtinctam à Ducatu Sleswicenſi Diœceſin eſſe; & licet ad componendam hanc controverſiam alii etiam Principes, inprimis *Ulricus Dux Mecklenburgicus*, & *Wilhelmus Landgr. Haſſiæ*, operam ſuam contulerint, omnis tamen conatus incaſſum cecidit; manſeruntque Dani in poſſeſſione integræ Diœceſis, usque ad pacem *Roſchildenſem*. Filios autem quatuor *Adolphus* poſt ſe reliquit: è quibus primogenitus *Fridericus* ditionum regimen ſuſcepit, ſed anno nondum circumacto cum ſpiritu poſuit; cui fato ſimile *Philippus* ejus frater. ordine nativitatis proximus & ſucceſſor, expertus eſt; undead tertium *Johannem Adolphum* gubernacula devenerunt, qui propterea *Bremenſem* Archiepiſcopatum & *Lubecenſem* Epiſcopa-

Chytr. Sax. l. 28. & 29.

ſcoparum abdicavit, eosque fratri minori *Johanni Friderico* Capitulorum conſenſu tradidit, hic an. 1634 cœlebs mortem obiit.

51. Sed *Johannes Adolphus* an. 1616. d. 31 Mart. ad meliorem vitam abiit, relictis ex *Auguſta*, *Friderici II. Daniæ Regis* filia, ſeptem liberis. Filiæ quatuor fuere: *Anna*, quæ an. 1623. innupta obiit; *Hedvvigis*, *Auguſti Comitis Palatini Solisbacenſis* uxor, anno 1657. d. 12. Mart. mortua; *Dorothea Auguſta*, *Joachimo Erneſto* agnato in *Plœn* elocata, atque an. 1682. d. 31. Mart. defuncta; & *Eliſabetha Sophia*, *Auguſti D. Saxo-Lavenburgici* conjux, an. 1627. vivis exempta. Filii tres: *Fridericus*, *Adolphus*, & *Johannes*. E quibus *medius*, Cæſari in bello Germanico militans, vulnus in prœlio Lipſienſi accepit, & à Suecis captus animam efflavit d. 9. Sept. an 1631. *Johannes* novum ramum profevit.

52. *Fridericus* patri in regimine ſucceſſit, clariſſimus Princeps, atque elegans liberalium ſtudiorum, omnisque doctrinæ & auctor & admirator: belli Germanici & Sueco-Danici tempeſtate multa pertulit, exhauſtis admodum ejus ditionibus; nihilo tamen ſecius ſplendidam illam ac famoſiſſimam legationem in Moſcoviam, & Perſiam (cui propatruus etiam noſter interfuit) immani ſumptu miſit & ſuſtinuit; variisque cimeliis rarioribus inde allatis Gottorpienſe Dæ-

se Dædaleum insigniter auxit. Per pacem *Roschildensem* tria eximia, genero suo Carolo Gustavo Rege Sueciæ accurante, obtinuit: primum id erat, ut *nexus feudalis*, quo Sleswicensis Ducatus Regi Daniæ obnoxius fuerat, *dissolveretur*, sibique directum dominium, & jus suprematus plenariè concederetur; secundum, ut *communio* atque *alternatio regiminis*, in utroque Ducatu Sleswici pariter & Holsatiæ è veteri pacto hucusque usu recepta, quamque multarum & magnarum calamitatum materiem sibi fuisse questus erat, *aboleretur*; tertium denique, ut *Slesvvicensis Diœcesis* cum *Capitulo Suavestediensi*, patri suo patruisque à Regibus Daniæ adempta, sibi *restitueretur*; & dimidiam quidem Capituli partem, tanquam rem sibi competentem, alteram verò medietatem loco fructuum perceptorum accepit; neq; aliud Rex sibi reservavit, quàm arbitrium quatuor præbendas pro lubitu conferendi: confirmata est hæc pactio per pacem an. 1660 *Hafniæ* sancitam, iterumque per illam, quæ an. 1679 *Fontibellaquei* conciliata fuit. E *Schauenburgiorum*, quorum stirps an. 1640 exaruit, hæreditate, Friderico pars *Pinnebergici* Comitatus in Holsatia obtigit, quam *Christiano Comiti Ranzovio* vendidit. E conjuge *Maria Elisabetha*, *Johannis Georgii I, Electoris Saxoniæ* filia, complures

gf. g. 7. 8.

plures utriusque sexus liberos suscepit; è filiis, præter illos, qui intra infantiæ annos extincti sunt, duos majores natu jam ex ephebis egressos ante patrem in peregrinatione atra dies abstulit, *Fridericum* Lutetiæ Parisiorum an. 1654, *Johannem Georgium, Episcopum Lubecensem*, Suessæ in Italia an. 1655: superstites itaque patri mansere filii duo, & filiæ sex; has inter *Sophia Augusta*, *Johannis Pr. Anhaltini Servestani* conjux, & *Maria Elisabetha*, *Ludovico Landgravio Darmstadiensi* nupta, naturæ intereà concesserunt: hæc an. 1665. d. 17. Jun; illa an. 1681. d. 16. Jan. *Fridericus* autem parens an. 1659. d. 10. Augusti. ad superos emigravit.

53. CHRISTIANUS ALBERTUS, *Hæres Norvvegiæ*, *Dux Slesvvici*, *Holsatiæ*, *Stormariæ & Dietmarsiæ*, *Comes Oldenburgi & Delmenhorstii*, scenam hujus mundi ingressus est an. 1641. d. 3. Febr. Post fratris sui *Johannis Georgii* mortem *Lubecensi Episcopatui* præfectus est; quem, postquam defuncto patre *Friderico* regiminis habenas capessivit, in fratrem minorem natu, ceu mox dicetur, transtulit, reservato tamen sibi *Coadjutoris* jure. Anno 1667. d. 24. Septemb. jugali fœdere sibi vinxit *Fridericam Amaliam*, *Friderici III. Regis Daniæ* filiam, qua affinitate licet vetus inter Reges Ducesque Gottorpienses simultas sublata fuisse videre-

derctur, illique in occupatione Comitatuum Oldenburgi & Delmenhorstii singulari concordia concinuerint, nova tamen postmodum discordiarum semina inter eos sparsa fuerunt, quæ haud parum incommodi atque intertrimenti Gottorpiensi in ultimo bello, quod Dani cum Suecis gesserunt, attulerunt; quæque per pacem inter utrumque Regnum *Fontibellaquei*, mediatore Rege Galliæ, an. 1679. sancitam sopita magis, quàm penitus extincta sunt. Sobolis, quam Christianus Albertus hactenus suscepit, nomina hæc sunt:

I. *Sophia Amalia*, n. 19. Jan. 1670.
II. *Fridericus*, n. 18. Oct. 1671.
III. *Christianus Augustus*, n. 11. Jan. 1673.
IV. *Maria Elisabetha*, n. 21. Mart. 1678.

54. AUGUSTUS FRIDERICUS, *Hæres Norvvegiæ*, *Episcopus Lubecensis*, *Dux Slesvvici*, *Holsatiæ*, &c. auram vitalem hausit an. 1646. d. 6. Maji, atque à fratre *Christiano Alberto* Episcopatum *Lubecensem* accepit. Duxit in matrimonium an. 1676. d. 21. Jun. *Christinam*, *Augusti D. Sax. Administr. Magdeburg.* & *Annæ Mariæ Mecklenburgicæ* gnatam, quæ nullam hucusque enixa est prolem.

55. Inter *sorores* illorum superstites major natu est *Magdalena Sibylla*, n. 14. Nov. 1631.

1631, atque an. 1654 *Gustavo Adolpho D. Mecklenburgico in Gustrau* elocata.

Hanc excipit *Hedvvigis Eleonora*, n. 23. Oct. 1636, vidua *Caroli Gustavi Regis Suecia*, à quo an. 1654. in thalamum adscita fuit.

Succedit *Anna Dorothea*, n. 13. Febr. 1640, innupta:

& denique *Augusta Maria*, n 6 Febr. 1649, quæ an. 1670 *Friderico Magno Marchioni Badæ in Durlach* in manum convenit.

56. *Johannes*, illarum patruus, *Johannis Adolphi* filius minor natu, novum ramum condidisse dictus est, *Eutinensem* nominatum, à loco, quem tanquam *Episcopus Lubecensis* (hac enim dignitate post *Johannis Friderici* patrui sui mortem auctus fuit) incoluit. Is conjugem habuit *Julianam Felicitatem*, *Julii Friderici D. Wirtenbergici* filiam an. 1640 ductam atque an. 1661 mortuam; supremum diem explevit an. 1655. d. 18. Febr. relicto post se filio unico; is est JOHANNES AUGUSTUS, *Heres Norvvegiæ*, *Dux Slesvvici*, *Holsatiæ* &c. natus an. 1647. d. 3. Aug; qui vitam privatam sub potestate patruelis vivit, animo parùm validus.

57. Pertexuimus jam catalogum Ducum Holsatiæ, quem prolixiorem stirpis fœcun-

ditas reddidit; universi autem *scuto communi* utuntur, quod *transversim in duas secatur partes, quarum superior* duas *continet* areas, *in* priore *leone bipennifero* Norwegico, *in* altero *leonibus* Sleswicensibus *expressis*: inferior pars tres laterculos *complectitur*, primus *urticam* Holsaticam, secundus *cataphractum* Dicmarsicum, tertius *cygnum* Stormariensem *exhibent*: *toti incumbit* parmula, *quæ quadrata divisione trabes* Oldenburgicas, *ac crucem* Delmenhorstiam *refert*. Galeæ tres *imponuntur*, mitris Ducalibus *tectæ*: prima Sleswicensis *sustinet bacillos tres argenteos, qui in aureos globulos desinunt, hi verò pavoninis pennis insertis superbiunt*; secunda Norwegica *leonem bipenniferum repræsentat*; tertiæ Holsaticæ *imponuntur vexilla septem rubea, urticis* Holsaticis *picta, lanceis aureis*. Laciniæ *cassidibus circumfusæ* anteriori *auro & cyano*, mediæ *auro & minio*, extremæ, *cocco & argento tinguntur*.

Spen. Op. Har. l. 3. c. 12.

50. Ad extremum, comprehenduntur Duces Holsatiæ sub *Circulo Saxoniæ inferioris*, atque in comitiis *suffragia duo* obtinent; quorum prius *Rex Daniæ* ratione *Gluckstadii*, alterum *Dux Gottorpiensis* fert; ob Comitatus verò *Oldenburgi* & *Delmenhorstii* inter membra *Westphalici* etiam *Circuli* locum suum Rex Daniæ occupat.

CAP. X.

CAP. X.

DE DUCIBUS SAXO-LAUENBURGICIS.

A *Scania* familia, à qua *inferioris Saxoniæ Duces*, quos ab illustri aulæ sede *Lauenburgios* vulgò appellamus, nec non *Principes Anhaltini* communem sanguinem ducunt, non modò multis variisque laudibus ac decoribus cumulata est, sed & nobilissimæ antiquitatis mensuram implevit: quamquam haud fert animus illis assentiri, qui gentis incunabula vetustissimis seculis inserere, atque ab *Ascenazo*, Japhetis nepote, arcessere ausi sunt; quod si enim ὁ πάνυ *Conringius* fidem adstruere dubitavit tabulis Genealogicis ab anno Christi *quingentesimo vicesimo quarto* deductis, atque in libello *Vindiciarum Anhaltinarum, pro juribus in Comitatum Ascanien-sem*, exhibitis, eò quòd deessent literarum monumenta & propria & peregrina; quid vetat illos sive vanitatis sive adulationis arguere? qui ad primam usque mundi ætatem, aut primo proximam, cujus historia omnis, profana scilicet, fabularum dulcedine mixta atque adulterata fuit, ascendere, Illustriumque familiarum autores vel ex arca Noæ vel ex equo Trojano exsculpere ridiculo conatu laborarunt.

Not. ad Lamp. p. 3. c. 4. §. 24. p. 189.

2. Suffecerit itaque ad Aſcaniæ ſtirpis decus, ejus Genealogiam inde à ſeculo decimo poſt natum mundi redemptorem, ſerie non interrupta, atque ἀξιοπίστοις monumentis fulcita, texi poſſe, ſatoremque indubium habuiſſe *Ottonem, Magnum* & *Divitem* cognominatum, *Comitem Aſcaniæ, Ballenſtadii & Wolpæ*, cui Imperator Heinricus V. *Marchiam veterem* ſive *Soltvvedelenſem*, majoribus ſuis ab Herulorum Duce Pribislao ereptam, reſtituit: maternam verò ejus originem à *Billingiis* manaſſe, qui *Saxoniæ Aquilonaris* Ducatum circiter centum & quinquaginta annos tenuerunt, poſtquam illum Imperator Otto Magnus *Hermanno* contulit, uni è miniſtris aulicis, filio *Billingi* Comitis atque illuſtris apud Saxones viri: nec verò hominis Equeſtris tantùm Ordinis, ne dum pauperis agricolæ, ſicut errore inveterato creditum eſt, cujus nodum diſſolvit *Heinr. Meibomius in Vindiciis Billinganis*. Ultimus autem ex hac familia *Magnus* fuit, cui duæ erant filiæ: quarum altera nupſit *Heinrico Nigro, Bojoariæ Duci è Guelphis* oriundo, altera *Ottoni Ballenſtedio* ex *Aſcaniis*, ſtirpis (de qua agitur) conditori; unde evenit, ut inter generoſas haſce familias deinceps ſuper Ducatu Saxoniæ lites eſſent & dimicationes, in quibus tamen Guelphi, utpote potentia præpollentes, ſuperiores diſceſſerunt.

3. Exem-

3. Exemptus est rebus humanis *Otto* an. 1123, relicto, præter alios, filio *Alberto*, *Vrso* sive *Pulchro*, clarissimo sui seculi Principe, cujus virtutem ac fidelitatem perspectam habuit Imperator Conradus III, & cumulatè remuneratus est; dum ei *Marchiam Brandenburgensem*, extinctis antiquis Marchionibus è familia *Stadensi* ad Imperium jure caduci delapsam, unà cum *Electorali dignitate* contulit, quam ille ad filium majorem natu *Ottonem* transmisit; in cujus posteris per duo ferè secula hæsit, quemadmodum è *Tabula Genealogica*, quam publicæ luci dedimus, apparet. Demum *Waldemarus* II. & *Johannes*, Electores & Marchiones Brandenburgici, uno eodemque anno, qui post mille trecentos secundus & vicesimus fuit, improles mortui, stirpem finierunt, atque agnatos quidem, ab altero Alberti Ursi filio ortos, in spem successionis erectos reliquerunt, sed ea decollavit, *Ludovico Bavaro*, qui illa tempestate rerum in Germania potiebatur, Marchiam cum Electorali dignitate, in filium suum primogenitum cognominem transferente, eumque Naumburgi in sollemni Principum conventu de ea investiente; cui tamen multum molestiæ facessivit *Pseudovvoldemarus*, à mendacio simulatæ personæ appellatus, qui se *Waldemarum Marchionem atque Electorem* ferebat,

cum esset *molitor*, à Saxonibus atque Anhaltinis strenuè adjutus, atque hos quidem Imperator Carolus IV spe successiónis lactavit; sed id egit, ut eorum ope Bavaris de gradu depulsis, ipsosmet deinceps etiam excluderet, eamque suis addiceret, quo modo à *Bavaris* ad *Luxenburgicos*, atque ab his ad *Fridericum Burggravium Noribergensem*, ceu superiùs dictum est, Marchia devenit, in pristinam verò familiam nunquam rediit.

Spen. Syll. p. 766.

4. *Bernhardus*, alter *Alberti Ursi* filius, haud minore felicitate, ac pater, usus est; namque *Ducatum Saxoniæ*, Heinrico Leone Guelpho exauctorato, beneficio Imperatoris Friderici Barbarossæ anno 1180. in comitiis Herbipolensibus obtinuit, atque adeó in avita jura restitutus est. Sedem *Wittenbergam* collocavit, *Lauenburgum* ad *Albim*, ab Heinrico Leone dirutam, restauravit; trabibus auratis & nigris, quas in insignibus familia gestabat, *sertum rutaceum*, primus ex donatione Cæsarea induxit, atque an. 1212. fatorum legem implevit. Filios duos post se reliquit, *Albertum* & *Heinricum*; quorum posterior *Anhaltinorum* Principum stirpem prosevit, de quâ capite sequenti sermo erit.

5. *Albertus* I, Ducatus Saxoniæ atque Electoralis dignitatis hæres, aliquot filiorum pater extitit, è quibus primogenitus *Albertus* II. Ducum & Electorum Saxoniæ stem-

ma

ma produxit usque ad pronepotes *Rudolphum* III. & *Albertum* VI, quorum ille anno 1418, hic an. 1422. absque prole masculâ defuncti, id terminarunt; inde trabea Electoralis cum ditione in aliam familiam, *Misnicam* nempe, quam suprà vidimus, transiit, ut adeò Ascanii duobus Electoratibus incluti intra seculi spatium utriusque jacturam fecerint.

6. *Iohannes*, Alberti I. secundus filius, *Lauenburgicos* Duces profevit, in quorum deductione Scriptores Genealogici variant, quemadmodum Celeb. *Spenerus* notavit; in eo verò consentiunt, *Ericum V.* ejus fuisse abnepotem, *Erico IV.* genitum. Hujus ætas in illam tempestatem incidit, qua ramus Electoralis Saxonicus exaruit; hinc agnationis jure successionem ambivit, investituramque ab Imperatore Sigismundo obnixè petiit, at repulsam tulit, Cæsare Ducatum Electoratumque Saxoniæ *Friderico Bellicoso*, Misniæ Marchioni concedente: & licet *Ericus* huic alienationi contradiceret, atque ad concilium Basileense provocaret, conquestus de justitia sibi à Cæsare denegata; nihil id tamen ei profuit, quicquid etiam ab hæredibus ejus ad ostendenda & recuperanda jura sua deinceps tentatum est, id omne successu caruit. *Sylt. p. 776.*

7. *Erico* V, an. 1435. sine prole mortuo,

succeſſit in Ducatu Lauenburgico *Bernhardus* frater, cui ex *Adelheide Pomeranica* filius fuit *Johannes* IV, qui *Electoris atque Archimareſcalli* titulum reſumſit, litemque coram Imperatore Friderico III. integravit; ſed filius ejus *Magnus* illo abſtinuit. Huic, præter alios, frater erat *Johannes*, *Epiſcopus Hildeſienſis*, qui bello cum Brunſuicenſibus geſto, quo Diœceſis copiæ in anguſtam oppidò coactæ fuerunt, nomen famamque ſibi peperit.

Nam. Str. bel. Belg. dec. 2. l. 1. p. 31. & 32.

8. e *Magnus* è filio *Franciſco* I. aliquot habuit nepotes: *Heinricus* & *Fridericus* Eccleſiaſticas dignitates geſſerunt; *Mauritius* militiæ ſe addixit, & Johannis Caſimiri Comitis Palatini copias in Belgio ductavit; ſed ab Hiſpanis in anguſtias redactus, abitum tutum orans, fratre ejus *Franciſco*, qui Philippo II. Hiſpaniarum Regi militabat, intercedente, à Parmenſi Duce Belgii prorege incolumis dimiſſus eſt. *Magnus* turbidi ingenii Princeps in Suecia magnam ætatis partem exegit, ſtrenuamque Regi operam bellicam navavit; cujus etiam gnatam *Sophiam*, amitinam ſuam, uxorem accepit; poſteà verò, cùm faſtidio quodam & ſatietate ab illa alienatus pellicem aſciviſſet, regno faceſſere juſſus eſt: in Germaniam inde reverſus graviter atque impatienter tulit, adminiſtrationem Ducatus in fratrem *Franciſcum*, à patre ſenio confecto, translatam eſſe; hinc contractis

ctis copiis an. 1574. bello eum lacessivit, primo ad *Racenburgum* facto impetu, quod expugnavit, & militi stipendiorum vice diripiendum dedit; cùm autem nunciaretur Saxonici Circuli Ducem ad vim publicam arcendam jam in procinctu esse, milite præda onusto, & ad imperia minùs obediente, copias tumultuantes deserere, atque in Sueciam iterum aufugere coactus est; demum captus à fratre, Racenburgi in custodia anno 1603. spiritum depositi. *Thuan. Hist. l. 59.*

9. *Franciscus* II. ditionum regimen, patre adhuc superstite, susceptum, ad annum usque 1619, quo naturæ debitum solvit, laudabiliter moderatus est: è duplici conjugio *novendecim liberos* procreavit: *filii duodecim* fuere, è quibus sex matrimonia, eaque haud infœcunda, inierunt; unde mirari subit fatorum vim, quæ familiam tot fulcris præsidiisque redundantem, intra breve, quinquaginta circiter annorum, intervallum, ad orbitatem illam, qua nunc laborat, adeò ut interitum minitetur, redegit.

10. Primogenitus *Francisci* II. filius, & in regimine successor, *Augustus* extitit; bis maritus, *Elisabethæ Sophiæ Holsatæ*, & *Catharinæ Oldenburgicæ*, è quibus utriusque sexus liberos suscepit, moriens tamen an. 1656 non nisi *filias duas*, etiamnunc superstites, reliquit. *Philippus* patris fata antevertit, atque

atque an. 1605 cœlebs decessit. *Franciscus Julius* septies ex *Agnete Wirtenbergica* pater factus, omnium funera turbato ordine mortalitatis extulit, ita ut an. 1634 vivis exempto nulla proles superesset. *Ernestus Ludovicus*, cùm Viennam Cæsari militaturus an. 1620. mense Julio tenderet, prope Linzium in pago *Aschau*, à rusticis temulentis ac tumultuantibus, quibus inter cœnandum fortè dixerat, *indulgerent saltem genio, & cuticulam curarent, alios brevi hospites habituri*, unà cum ephoro ac famulo trucidatus est. *Joachimus Sigismundus* infantiæ annos non superavit. *Franciscus Carolus*, qui Suecis merens cum delectibus, quos egerat, à Pappenheimio prope *Raceburgum* an. 1630 oppressus, atque à fratre *Augusto*, neutrius partis esse gestiente, exclusus, in captivitatem incidit, quam apud *Visurgim* aliquandiu toleravit; posteaque ad *Pontificiorum* castra desciv it. Tres successive uxores, jam anteà viros passas, habuit: 1. *Agnetem Brandenburgicam*, *Philippi Julii Ducis Pomeraniæ* viduam; 2. *Catharinam Brandenburgicam*, cui à *Bethlemo Gabore* Principe Transilvaniæ, priore marito, luculenta pecunia obvenerat; 3. *Elisabetham*, *Comitissam de Meggau*, *Christophori Adolphi L. B. Teufelii* viduam; sobolem tamen nullam genuit, obiit supremum diem an. 1660 *Neuhusii* ad *Albim*. *Rudolphus*

dolphus Maximilianus, qui Cæsari superiore bello civili stipendia fecit, atque itidem ad Romana sacra deflexit, an. 1647 ἄγαμος *Hamburgi* decessit. *Franciscus Albertus* Electoris Saxoniæ castra secutus est, & Alberti Waldsteinii consiliorum particeps fuit; à quo, jam fato suo vicino & rerum suarum anxio, ad Bernardum Vinariensem Ratisbonam missus, dum inde redit, eo ipso die, quo Waldsteinius Egræ interemptus est, in Cæsareanorum potestatem incidit; à quibus Viennam ductus, tandemque libertati redditus, Imperatori operam suam addixit, & *Sueidniciam* tuendam accepit, atque anno 1642. Kœnigsmarckium in Silesiam erumpentem profligavit, quem cum incautius persequeretur in Torstensohnium illapsus succubuit, & gravi vulnere saucius in victorum manus pervenit; atq; intra paucos dies *Sueidniciæ* expiravit, nullis è *Christina Margarita Mecklenburgica*, uxore, liberis susceptis. *Franciscus Heinricus* Suecis ductor legionis meruit, à quibus in præmium præstitæ operæ cœnobio *Marienflies* in Pomerania donatus fuit, quod etiam incoluit, ex paterna autem hæreditate *Franzhagen* obtinuit; è conjuge *Juliana Nassovia* utriusque sexus liberos procreavit, verùm a. 1658. mense Decembri naturæ concedens, non nisi *filias duas*, posteà dicendas, reliquit; præmor-

mortuæ prolis nomina hæc sunt: *Catharina Maria Sophia*, n. 1640 †. 1641. *Christina Juliana*, n. 1642. †. 1644. *Franciscus*, nat. 13. Maji 1645. †. . . . . *Erdmannus*, n. 6. Oct. 1649. †. 1650.

11. *Julius Heinricus*, fratribus, quos enumeravimus, felicior, solus stirpem propagavit, sed avitam religionem cum *Pontificia* commutavit, & postquam Cæsari aliquandiu militasset, demum fratri *Augusto* in regimine successit. Prima ei uxor fuit *Anna*, *Ezardi C. Ostfrisiæ* filia, bis jamdum vidua, *Ludovici III. El. Palatini*, & *Ernesti Friderici M. Badensis*; ex hac nullam sustulit prolem. Secundam uxorem an. 1628. duxit *Elisabetham Sophiam Brandenburgicam*, *Januſii Radzivilii* viduam; è qua genuit *Franciscum Erdmannum*: hic in Evangelica religione educatus patri quidem superfuit & successit, sed brevi, anno nimirum 1666. d. 31. Jul. ejus fata secutus est, relicta vidua *Sibylla Hedvvige*, *patrueli* sua, quæ nullam ei peperit sobolem. Tertiis nuptiis *Julius Heinricus* sibi junxit, *Annam Magdalenam Poppeliam de Lobkovviz*, *Wilhelmi & Benignæ* eadem familia ortæ filiam, *Sbitokonis L.B. de Kolovvrat* viduam; ea an. 1668. d. 7. Sept. è vita migravit, ille verò an. 1665. d. 11. Nov. vitæ supremum habuit, &, præter filiam, unicum gnatum, ex ultimo

timo conjugio susceptum, unicumque familiæ columen, reliquit.

12. Is est

JULIUS FRANCISCUS, *Dux Saxoniæ, Angriæ ac Westphaliæ*, natus an. 1640. Regimen Ducatus, fratris morte ad se delatum, an. 1666. suscepit. Solet frequenter *Schlackenwerdæ* in Bohemia degere, quam cum aliis possessionibus in illis oris materna hæreditate nactus est. Majorum prætensionem in Electoratum Saxoniæ retexuit, posteà tamen cum Electore transegit, atque an. 1671 *pactum successorium*, sive *confraternitatis*, cum ipso inivit; vigore cujus facultatem obtinuit symbolum *Archimarescallorum* Imperii clypeo suo inserendi. In lite, quam cum Lubecensibus ob dominium aliquot pagorum agitavit, causam sub exordium anni 1681 vicit. Connubii fœdere sibi sociavit an. 1668. d. 9. Apr. *Mariam Hedvvigen, Christiani Augusti Comitis Palatini Solisbacensis* ex *Amalia Nassovia* filiam, quæ *Sigismundo Francisco Archiduci Austriæ* desponsata fuerat; ea, aliquot liberorum, sed sequioris sexus, mater facta, an. 1681. d. 23. Nov. naturæ concessit. Sobolis sylloge hæc est:

I. *Anonyma*, an. 1669.

II. *Maria Anna Theresia*, n. 18. Sept. 1670. † 25. Dec. 1671.

III. *An-*

III. *Anna Maria Franciſca*, n. 13. Jun. 1672.

IV. *Filius*, nat. 28. Oct. 1673, & ante baptiſmum extinctus.

V. *Franciſca Sibylla Auguſta*, n. 21. Jan. 1675.

13. *Maria Benigna Franciſca*, Ducis ſoror germana, nata an. 1635. d. 19 Jul. *Nachodii* in Bohemia vivit, vidua *Octavij Piccolominei*, *Ducis Amalphitani*, *S. R. Imp. Principis.*

14. *Anna Eliſabetha*, *Auguſti* Ducis, è prima conjuge *Eliſabetha Sophia Holſata*, filia, an. 1624. d. 23 Aug. in lucem edita, nupſit an. 1665 *Wilhelmo Chriſtophoro Landgravio Haſſiæ in Bingenheim*, à quo poſt conſumptam dotem repudiata, loco alimentorum & domicilii *Philipſecciam* obtinuit.

Sibylla Hedvvigis, ejus ſoror, nata an. 1625. d. 30. Jul; *Franciſco Erdmanno* agnato elocata fuit, nuncque vidua *Racenburgi* habitat.

15. *Erdmuthis Sophia*, *Franciſci Heinrici* Ducis & *Juliana Naſſovia* gnata, prodiit in lucem an. 1644. d. 5. Jun; atque an. 1667 *Guſtavo Rudolpho Duci Mecklenburgico* nuptui data eſt, quo amiſſo *Franzhagiam* ad matrem, ubi etiamnunc agit, conceſſit.

Eleonora Carola, ejus ſoror, nata an. 1646. d. 8.

d. 8. Aug. *Christiano Adolpho D. Holsatiæ* è linea *Sonderburgica* in manum convenit.

16. *Scutum*, quo Dux Julius Franciscus uti solet, *quadripartitum est*: areola prima *aurea quinas fascias atras, inducto diagonali situ serto rutaceo viridi*, Saxoniæ Ducatus symbolum, *continet*; secunda *cærulea coronatam aquilam auream exhibet*, Palatinatus Saxoniæ δέγμα; tertia *argentea tria paria cornuum scarabæi rubea continet*, Comitatus Brenensis tesseram; quarta *è nigro & argento transversim secta, duos enses sanguineos decussatim locatos repræsentat*, Archimarescallatus Imperii emblema. Galeæ tres *incumbunt*, anterior Brenensis *tegitur pileolo lato rubeo, cujus ora reducta argento fulget, & duos bacillos coronatos plumis pavoninis fastigiatos sustinet*: media *coronata pileum turbinatum insignibus* Saxonicis *pictum, coronatum & pennis pavoninis decoratum refert*: posterior *itidem coronata aquila* Palatinatus Saxoniæ *premitur*. Phaleræ *circumfluunt*, hinc *cæruleæ & aureæ*, isthinc *nigræ & aureæ*, hinc *argenteæ & rubeæ*. *Spon. Op. Har. l. 1. c. 3.*

17. Comprehenditur de cætero Ducatus Saxo-Lauenburgicus, sub *Circulo Saxonico inferiore*, & circumscribitur illo ad dextram *Albis* tractu, qui à Principatu Dannenbergico ad confinia usque Hamburgensium & & Lubecensium sese exporrigit; continetque præfecturas: *Lauenburg*, caput Du-

catus, *Neuenhaus*, *Franzhagen*, *Sassenhagen*, *Schwarzenbeck*, *Attelnburg*, & *Atterndorf*; huc etiam pertinet castrum *Racenburgense*, quod suos olim Comites habuit, cum parte oppidi; reliqua pars, cum Episcopatu, in Ducum Mecklenburgensium ditionem concessit.

CAP. XI.

DE PRINCIPIBUS ANHALTINIS.

PRincipes Anhaltinos ab *Ascaniorum* stirpe oriundos, atque adeò ejusdem sanguinis generisque cum Ducibus Saxo-Lauenburgicis esse, superiore capite dictum fuit. Sator eorum *Heinricus* extitit, *Bernhardi* primi ex hac gente Electoris Saxoniæ filius, *Alberti* I. frater; quem Imperator Fridericus II. *Principem Anhaltinum* creasse fertur, donatis ei, præter avitas possessiones, nonnullis civitatibus, & ditionibus, quas è Ducatu Saxoniæ & Marchia Brandenburgica decerpserat; quò ille etiam, qui Electores patrem, patruum, & fratrem haberet, dignum gente decus tueri posset, ut Cl. *Speneri* quidem verba mea faciam.

Op. Har. l. 1. c. 5. §. 12.

2. Decessit *Heinricus* an. 1267, quinque relictis filiis: *Sigfrido*, *Bernhardo*, *Magno*, (nonnulli *Hermannum* vocant) *Heinrico*, atque *Ottone*. Ex his *Magnus* sive *Hermannus*, & *Hein-*

& *Heinricus*, Ecclesiasticum vitæ genus amplexi, ad sacras dignitates provecti sunt; reliqui tres ditiones paternas, sublata communione, in qua aliquandiu vixerant, an. 1288. ita inter se dispertiverunt: ut *Ottoni*, natu minimo, pro *parte prima* (ita dicta, quia ob dignitatem & castra nobilia præcipua habebatur, quemadmodum autor *Vindiciarum Anhaltinarum* memorat) obvenerit *Hercynia*, cum *Vogteia Gerenrodæ*, *totusque Comitatus* pag. 6. *Ascanienſis*, cum civitate *Aschersleben*; *Bernhardo* pro secunda parte obtigerit Dynastia *Bernburgenſis*, & Comitatus *Ballenstedenſis*, cum suis pertinentiis; *Sigfrido* a. pro parte tertia cesserint Dynastiæ *Dessavienſis*, *Servestana*, & *Cœthana*. Id tamen in hac divisione cautum est, ut non solùm tituli & insignia, verùm etiam jus avitum simultaneæ investituræ, juraque successionis communia manerent.

3. *Ottoni* unicus fuit filius *cognominis*, sed βραχύβιος atque ante patrem an. 1305. mortuus; hinc cum ille etiam an. 1315. seculo valedixisset, neque ita multò post *Albertus I. Sigfridi* gnatus ejus fata secutus esset, prole parvula relicta, omnis Ottonis ditio ad *Bernhardum* II. primi filium, tanquam feudorum communium administratorem, proximumque agnatum, devoluta est; quam ille etiam, cum civitate *Aschersleben*, protinus occupa-

vit, ejusque investituram pro se, & pupillis, ab Imperatore Ludovico petiit: quoniam verò *Otto* conjugi suæ arcem *Aschersleben*, aliaque Ascanienſia prædia, dotalitii loco assignaverat, eam quidem jure suo frui passus est; sed *Albertus*, *Bernhardi* II. frater, qui in *Halberstadienſem Episcopum* electus fuerat, partem ex Ottonis hæreditate, nec non jus in Comitatum Ascanienſem sibi arrogare cœpit, atque Ottonis viduam induxit, ut illa dotalitium suum Episcopatui adjungere moliretur: quod cùm parùm succederet, ad vim progressus, castrum oppidumq; *Aschersleben* facto impetu in suam potestatem redegit; *Bernhardus* vicissim arma corripuit, vim vi propulsurus, cùm Albertus mentionem transactionis inferret, quæ *Quedlinburgi* an. 1316. tentata successu caruit, eò quòd *Albertus* restitutionem occupatorum non nisi ea lege offerret, ut *Bernhardus* illa à Capitulo Halberstadienſi feudi jure recognosceret; ipse verò negaret, se quidquam facturum, quod vel Imperio, cujus feudum vexillare Ascanienſis Comitatus esset, vel pupillis præjudicium ac detrimentum afferre posset; ipse verò an. 1318. investituram ab Imp. Ludovico accepit, sed eodem adhuc anno magno familiæ malo fatorum iniquitate raptus est, relicto post se filio unico cognomine.

4. Inter *Bernhardum* III. & *Albertum* Episco-

scopum, ejus patruum, dissidium citò recruduit, quod in bellum etiam erupit; cui facem subdidit sæpè dicta *vidua Ottonis*, cùm ad secunda vota transiens, & *Friderico Comiti Orlamundano* nubens, dotalitium suum Ascanense ad Episcopum & Capitulum Halberstadiense remitteret; quamobrem *Bernhardus* Præsulem *spolii* apud Cæsarem postulavit, à quo causâ cognitâ de bonis spoliatis totoque Comitatu Ascanensi an. 1323 Noribergæ investitutus est; impetrato insuper Edicto, quo omnes Anhaltinorum vasalli investituras feudorum suorum à solo *Bernhardo*, neque ab Episcopo aut Capitulo, petere atque accipere jubebantur.

5. Alberto Præsule rebus humanis an. 1326 exempto, Halberstadienses loca jam restituta denuò occuparunt; quibus tuendis Episcopum clientelis amicitiisque munitum quærentes, Albertum Ducem Brunsuic. & Lunæburg. elegerunt, qui, potentia agnatorum propriisque viribus ferox, *mandata inhibitoria*, *revocatoria*, *& restitutoria*, quæ, ad repetitas Bernhardi in aula Cæsarea querelas, inde adversus se emanarant, insuper habuit, atque occupata detinuit; tandem tamen in Ottonem Archiepiscopum Magdeburgensem, tanquam *arbitrum*, compromisit, quem cùm Bernhardus etiam acceptasset, ille causa perspecta *laudum* dixit,

& Comitatum Aſcanienſem ab Epiſcopo Capitulóque Halberſtadienſe præter fas occupatum eſſe, atque adeò Bernhardum jure meritóque in integrum reſtitui debere pronuntiavit. Ratum habuit hoc laudum Imperator etiam Ludovicus, atque *Executorem* ablegavit *Ulricum de Bebenburg*, qui tamen, Epiſcopo ſagum induente & gladium vibrante, imperata exequi, & Bernhardum in realem poſſeſſionem bonorum ſpoliatorũ reſtituere non valuit; ſed eum judicialiter tantùm pro tribunali, præſentibus aliquot Imperii proceribus, per literas nomine Cæſareo in civilem poſſeſſionem immiſit; unde *Spoliati* cognomen *Bernhardus* III. conſecutus eſt.

6. Ab illo tempore omnes Anhaltinorum Principum conatus ad recuperandum Aſcanienſem Comitatũ incaſſum ceciderunt, Halberſtadienſib⁹ ſpoliũ mordicùs atq; efficaciter tuentibus. Hoc quidem ſeculo, cùm Epiſcopatus ille, in pacificatione Weſtphalica jure ſeculi donatus, atq; in Electorem Brandenburgicum, titulo compenſationis, translatuseſſet, injecta ſpes quædam Anhaltinis fuit, Comitatum avitum recipiendi, de qua tamen deciderunt; unde in Comitiis Imperii, quæ dictam pacificationem proximè exceperunt, ipſi etiam in catalogo reſtituendorum recenſeri voluerunt, juraque ſua in Aſcanienſem Comitatum in medium protulerunt;

runt; verùm res ad comitia prorogata rejecta fuit. Hæc postquam cœperunt, Anhaltini variis libellis memorialibus, pro obtinenda restitutione in avitam ditionem, vel saltem aliqua compensatione æquivalente oblatis, Imperii Proceres fatigarunt; à quibus tandem an. 1680 d. 28. Aug. scitum est, ut Anhaltinis Principibus, ob cessum, pacis amore, Comitatum Ascanienſem Electori Brandenburgico, satisfieret, utque eo nomine Cæsari de meliore nota commendarentur; qui cum hæc scita sua sententia comprobasset, nuper admodum d. 24. Maji anni, quo agimus, 1683 alio Ordinum Imperii consulto decretum est, ut Anhaltinis, loco satisfactionis, *nova investitura* eademq; *simultanea* cum Electore Brandenburgico in Comitatum Ascanienſem concederetur, nec non ipsi, eorumq; ditiones, ab omnibus Imperii oneribus, per quatuor & viginti annorum spatium, eximerentur, ita tamen, ne id præsenti paratui bellico, ad Imperii defensionem instituto, vel tertio cuique damno esset

7. Exposui quæ sit ratio, quis hodie status prætensionis Anhaltinæ in Comitatum Ascanienſem; jam illuc, unde abii, redeo. A *Sigfrido* & *Bernhardo* I. fratribus, duæ, ceu è dictis patet, ortæ fuerunt lineæ, quarum altera *Bernhardina* ultra quintam generationem

non duravit, sed in *Bernhardo* VI, illius abnepote, an. 1468 defecit. *Sigfridi* propago fœcunditate sua diversos produxit ramos; nempe ab *Alberto Claudo* & *Sigismundo*, *Johannis*, qui *Sigfridi* pronepos erat, filiis, *Cœthanus* & *Dessavienſis* prodierunt, è quibus prior in *Alberti* nepotibus iterum exaruit. *Sigismundus*, aliquot filiis auctus, è solo *Georgio* (cui *Bernburgia ſucceſſio* obvenit) nepotes habuit, inter quos *Rudolphus*, verus Martis pullus, ſummo apud Maximilianum I. Imp. honore & nomine fuit; *Erneſtus* autem & *Woldemarus* duos iterum palmites proleverunt: *Woldemarus*, an. 1508 mortuus, filium poſt ſe reliquit *Wolfgangum*, qui *Cœthen*, *Ballenſtad*, & *Bernburg* tenuit, atque inter Principes Proteſtantes, qui *Auguſtanam Confeſſionem* Cæſari obtulerunt, nomen profeſſus eſt, ſed ἄγαμος è vita an. 1566 migravit, Princeps vera laude probitatis, juſtitiæ, religionis nemini poſtponendus.

8. *Erneſto* tres filii fuere: *Johannes*, *Georgius*, & *Joachimus*. Hic, in diviſione patrimonii *Deſſaviam* ſortitus, & patrueli *Wolfgango* moribus, inſtitutis, vitæque genere conſimilis, an. 1561 cœlebs ad ſuperos exceſſit. *Georgius*, *Hazgerodam* cum *Harcinia*, Comitatu *Wannsdorf* & *Plœzka* nactus, *Præpoſitus Magdeburgenſis & Miſnenſis* fuit, Princeps ſtudiis literarum præcipuè ſacrarum emi-

nen-

nentissimus, qui sinceræ religionis cultum omni studio promovit, Ecclesias restauravit, scholas instituit, quid? quod omnia Ecclesiastica munia obire, concionari, consolari, scriptis etiam adversarios refellere, Principali fastigio haud indignum duxit; demum an. 1552 animam cœlestem, infirmi corporis ergastulo liberatam, cœlo reddidit. *Iohannes*, cui *Servestana* ditio obrigit, stirpem propagavit, & Divinam veritatem haud minore zelo quàm fratres fovit. E conjuge *Margarita Brandenburgica* tres gnatos suscepit, qui vitæ ejus, quam an. 1551 finivit, superstites manserunt, nempe: *Carolum*, *Joachimum Ernestum*, & *Bernhardum*. Hujus fato, quo an. 1570 functus est, filiolus superfuit *Franciscus*, sed octavum post annum extinctus; *Carolus* prole caruit, atque an. 1561 vitam cum morte commutavit.

9. *Ioachimus Ernestus*, stemmatis continuator, fratrum hæreditatem crevit, atque unus post tria secula totius Principatus possessor, simul etiam *communis* Anhaltinorum Principum nunc viventium *parens* extitit. Princeps probitatis, prudentiæ & justitiæ laude inclutus, bellicis quoque artibus præmunitus, in religione verò ad *Reformatos* deflexit. Mortalitatem an. 1586 exuit, quinquagenario major, & bis maritus: primò *Agnetis Comitissæ Barbiensis*, secundò *Eleono-*

ræ Wirtenbergicæ, à quibus sedecim liberorum pater factus est: filii octo fuere, è priore thoro *Johannes Georgius*, & *Christianus*; è posteriore *Bernhardus*, *Augustus*, *Rudolphus*, *Johannes Ernestus*, *Ludovicus*, & *Joachimus Christophorus*: ex his *ultimus* vix primum ætatis annum superavit; *Johannes Ernestus* & *Bernhardus*, clarum in militia nomen consecuti, ἄωροι decesserunt; à reliquis *quinque* provincia partita totidem ortæ sunt *lineæ*: à Johanne Georgio *Dessavienses*; à Christiano *Bernburgica*; ab Augusto *Plœzkavienses*; à Rudolpho *Servestana*; à Ludovico denique *Cœthana*. Omnes, sola *Cœthana* excepta, etiamnunc florent; *Ludovicus* enim, quo auspice *Societas Frugifera*, excolendæ linguæ vernaculæ ergò, anno 1617 instituta est, an. 1650 vita functus non nisi unicum filium, è secunda conjuge *Sophia C. Lippiæ* genitum, reliquit *Wilhelmum Ludovicum*, qui an. 1663. d. 24. Aug. *Elisabetham Carolam*, *Friderici* patruelis sui filiam, nuptiis sibi junxit; sed an. 1665. d. 13. Apr. improlis ex hominum vita decessit, successione ad *Plœzkavienses* transmissa.

10. *Iohannes Georgius*, filiorum *Joachimi Ernesti* natu maximus, Principatum solus per annos novendecim administravit, posteà, divisione cum fratribus inita, *Dessavienſem* ditionem, quæ *Dessau*, *Ragun*, *Gesniz*, *Schanders-*

dersleben, *Vreckleben*, *Wörbiz*, *Radegaſt* complectitur, ſortitus eſt. E duplici conjugio numeroſam ſobolem ſuſcepit, filios ſex, gnatas decem; inter has natu minima *Eva Catharina* demum an. 1679. d. 15. Dec. innupta obiit. E filiis duo ad juſtam ætatem pervenerunt *Johannes Caſimirus* & *Georgius Aribertus*. Hic *Wörbiz*, quod oppidum incoluit, & *Radegaſt* tenuit, atque an. 1643 d. 14. Nov. vivere deſiit, tribus liberis relictis, quos è *Johanna Eliſabetha de Kroſig*, imparibus nuptiis ducta, ſuſtulit: filiæ duæ fuere *Eleonora*, *Johanni Georgio C. Solmenſi* elocata atque an. 1677 mortua; & *Sophia*, quæ innupta apud matrem *Radegaſt* agit: filio nomen fuit *Chriſtiani Ariberti*, hic initio *Dominus de Radegaſt* dictus, poſteà cùm mutata religione à Cæſare *Comitis* axiomate auctus eſſet, *Comitis de Beringhen*, *Dynaſtæ in Walderſee & Radegaſt* titulo uſus fuit, & militari munere in exercitu Cæſareo fungens apud *Confluentes* febre maligna correptus an. 1677. cœlebs vitam amiſit.

11. *Iohannes Caſimirus* patri in Principatu ſucceſſit, atque an. 1660. d. 15. Sept. vivendi finem fecit, relicta duplici prole, è priore conjuge *Agnete Landgravia Haſſiæ* ſuſcepta: filia *Ludovica*, *Chriſtiano Duci Lignicenſi & Briegenſi* nupta, atque an. 1680. d. 25. Apr. mortua; & filio, qui ſuperſtes, familiæq; caput eſt, dictus JO-

JOHANNES GEORGIUS II. *Princeps Anhaltinus, Comes Ascaniæ, Dominus Servestæ & Bernburgi*, prodiit in lucem an. 1627. d. 7. Nov. & post parentis fata ditionis regimen suscepit, Serenissimi Electoris Brandenburgici gratia floret, ejusque *Vicarius & Campi Marescallus* audit. Conjugem habet *Heinricam Catharinam, Heinrici Friderici Pr. Arausionensis & Amaliæ C. Solmensis* filiam, an. 1658 ductam, è qua genuit:

I. *Emiliam Ludovicam*, n. 1660. †. infans.
II. *Heinricam Amaliam*, n. 4. Jan. 1661.
III. *Fridericum Casimirum*, n. 18. Nov. 1663. †. 27 Maji 1665.
IV. *Elisabetham Albertinam*, n. 1. Maji 1665. *Abbatissam Hervordiensem* an. 1680 electam.
V. *Amaliam*, n. 1666. ~~d. 14.~~ Henr. Cas. Princ. Arausion.
VI. *Ludovicam Sophiam*, n. 15. Sept. 1667. †. 19. Apr. 1678.
VII. *Mariam Eleonoram*, n. 14. Mart. 1671.
VIII. *Heinricam Agnetem*, n. 9. Jan. 1674.
IX. *Leopoldum*, n. 3. Jul. 1676.
X. *Iohannam Carolam*, n. 6. Apr. 1682.

12. *Christianus*, secundus *Joachimi Ernesti* filius, *Bernburgicam* lineam condidit, quippe cui in divisione patrimonii Dynastia *Bernburgensis*, Comitatus *Ballenstedensis*, præfectu-

fectura *Hazgerodenſis*, cum monaſterio *Gerenrodenſi* ad *Harcyniam*, obtigerunt. Princeps non in ſago præſtantior quàm in toga, qui in *Unione* unus è præcipuis, & arcanorum omnium particeps, atque *Vicarius generalis* fuit. Pro Friderico Electore Palatino Palatinatum ſuperiorem *Producis* titulo adminiſtravit; unde turbis Bohemicis implicitus à Cæſarean. 1621. proſcriptus, mox tamen in gratiam receptus eſt. Obiit ſupremum diem an. 1630. poſtquam è conjuge *Anna C. Bentheimenſi*, anno 1624. d. 9. Dec. mortua, complures ſuſcepiſſet liberos. Filiæ decem fuere: è quibus *Eleonora Maria*, & *Sophia Margarita*, mulieres factæ ſunt, illa nubendo *Johanni Alberto Duci Mecklenburgenſi*, hæc *Johanni Caſimiro patrueli Deſſavienſi*; prior annum 1657. altera an. 1673. d. 28. Dec. vitæ ſupremum habuit; reliquæ octo innuptæ deceſſerunt, nempè (ut illas ſaltem recenſeam, quarum emortuales *tabula Rittershuſiana* non notavit,) *Amalia Juliana*, an. 1605. *Sibylla Eliſabetha* an. 1648. d. 15. Aug. *Anna Sophia*, an. 1640. d. 1. Sept. *Ludovica Æmilia* an. 1635. d. 17. Oct. *Agnes Magdalena* an. 1629. Filiorum nomina hæc ſunt: *Fridericus Chriſtianus*, n. 1596. 2. Maji, & ſtatim poſt baptiſmum extinctus; *Chriſtianus II. Erneſtus* an. 1632. è vulneribus in prœlio *Luzenſi* acceptis mortuus; *Fridericus*;

&

& *Fridericus Ludovicus*, natus an. 1619. d. 19. Aug. & an. 1621. defunctus. A *Christiano* & *Friderico* novi orti sunt rami.

13. *Christianus* II. *Bernburgicum* ramum produxit, & Palatino-Bohemicis turbis, cum patre, involutus, in prœlio Piagensi captus, sed à Cæsare benignè habitus, mensæ etiam, non sine adstantium admiratione, adhibitus, moxque iterum dimissus est. Ex *Eleonora Sophia Holsata* uxore sua, quæ demum an. 1675. d. 5. Jan. è vivis excessit, multam prolem suscepit, moriens verò an. 1656. non nisi filios duos, cum filiabus quinque, superstites reliquit. Ex his interea *Ernesta Augusta*, atque *Anna Elisabetha*, *Christiano Ulrico Duci Wirtenbergiæ & Silesiæ in Bernstad* an. 1672 nupta, decesserunt, illa an. 1659. hæc 3. Sept. an. 1680. Filiorum alter, nempe *Carolus Ursinus Parmæ* in Italia an. 1660. d. 4. Jan. morte oppressus est; alter *Bernburgi* superat, nimirum

VICTOR AMADEUS, *Princeps Anhaltinus, Comes Ascaniæ, Dominus Servestæ & Bernburgi*, natus an. 1634. d. 6. Oct. Is an. 1667. connubio sibi sociavit *Elisabetham*, *Friderici Comitis Palatini Bipontini* & *Annæ Julianæ Nossoviæ* filiam, quæ an. 1677. d. 17. Apr naturæ concessit, postquam quinque liberorum mater facta esset:

1. *Ca-*

I. *Caroli Friderici*, n. 13. Jul. 1668.
II. *Lebrechti*, n. 28. Jun. 1669.
III. *Sophiæ Iulianæ*, n. 26. Oct. 1672. †. 21. Aug. 1674.
IV. *Iohannis Georgii*, n. 14. Febr. 1674.
V. *Christiani*, n. 5. Mart. 1675. †. 29. Dec. e. a.

14. *Eleonora Hedvvigis*, Victoris Amadei soror, an. 1635. d. 28. Oct. nata, innupta ætatem agit, non minus ac

Angelica, an. 1639. d. 6. Jun. in lucem edita.

Anna Sophia, n. 1640. 13. Sept. Georgio Friderico C. Solmensi in Sommenwald an. 1664. in manum convenit.

15. *Fridericus Hazgerodensem* ramum prosevit, à Dynastia, quam obtinuit, sic appellatum. Obiit an. 1670. d. 30. Jun. Bis maritus: primò *Johannettæ Nassoviæ*; secundò *Annæ Catharinæ C. Lippiæ*, hæc an. 1657 ducta, & 1659 mortua sterilis fuit. E priore triplicem sobolem suscepit, è quibus, præter filiam, superat filius

WILHELMUS, *Princeps Anhaltinus &c.* natus 1643. d. 18. Aug. Habet in conjugio *Elisabetham Albertinam, Alberti Ottonis Com. Solmensis in Laubach & Catharinæ Julianæ Hanovicæ* filiam, cum qua an. 1671. d. 25. Jul. nuptias celebravit, sed prole destituitur.

Eli-

Elisabetha Carola, ejus soror, an. 1647. d. 11. Febr. genita, primò *Wilhelmo Ludovico*, sobrino suo in *Cœthen*; secundò *Augusto*, *Duci Holsatiæ* è *Plœnensi* linea, nupsit.

16. Sequitur *Plœzkavienſis* linea, penes quam, præter Comitatum *Plœzkavienſem*, nunc etiam *Cœthen* & *Wannsdorf* est; ejus autor *Augustus*, extrema ætate confectus, an. 1653. decessit, relictis quinque liberis, è *Sibylla C. Solmensi* genitis. E filiabus, quarum tres fuere, *Sophia* an. 1679. d. 24. Nov. vitam finivit. Filii duo etiam rebus humanis exempti sunt, *Lebrechtus* major natu an. 1669. d. 7. Nov. ejus fata uxor *Sophia Eleonora C. Stolbergæ*, an. 1655. ducta, sed sterilis, an. 1675. d. 13. Sept. secuta est; *Immanuel*, è militia Cretensi redux, fratri succeſſit, & nuptiis sibi an. 1670. d. 23. Mart. junxit *Annam Eleonoram*, *Comitissam de Stolberg*, sed eodem adhuc annò d. 8. Nov. immatura morte sublatus fuit, uxore gravida relicta, quæ posteà filium peperit, is est

IMMANUEL LEBRECHT, *Princeps Anhaltinus, Comes Ascaniæ, Dominus Serveſtæ & Bernburgi*, natus d. 20. Maji an. 1671.

Johanna, & *Elisabetha*, ejus amitæ, superare dicuntur, illa an. 1618, hæc an. 1630 natalem habuit.

17. Prin-

17. Principes illi, quos jam enumeravimus, unoeodemque utuntur *scuto*, novem latereculis *triplici serie dispositis constante*; primus *argenteus repræsentat ursum nigrum auro coronatum, & collari aureo ornatum, rubentem linguam protendentem, & super muro miniato quater pinnato, atque obliquo situ in lævum latus ascendente, gradientem, quo* avitum familiæ *σήμα, notatur*; secundus *aureus quinque fasciis nigris* exaratur *designando* Ballenstedensi symbolo: tertius *tessellis duodecim nigris & aureis distinguitur*, & Ascanienſem Comitatum *indicat*; quartus *in quatuor quadrantes divisus, & auro ac minio tinctus, dominium* Walderſee *innuit*; quintum *parmula occupat* Anhaltini Principatus teſleram *exhibens, estq; ad perpendiculum bipertita, ex parte priore argentea dimidiam aquilam rubeam, posteriore aurea Saxonicas fascias nigras, & sertum rutaceum continet*; ſextus *cæruleus, aureis baltheis duobus è sinistro latere descendentibus exornatur*, & Comitatum Wannsdorf *significat*; ſeptimus *cæruleus aquilam argenteam, explicatis alis volantem, & linguam rubeam, crura verò aurea ostentantem refert*, & Mylingenſem Comitatum *designat*; octavus, *totus cocco tinctus*, Regalia *notat*; nonus *denique cum primo convenit, nisi quod ursus corona* caret, ejusque *collare non auro sed argento tingitur; ajuntq; eo* designari Bernburgiam dynastiam. *Spon. Op. Her. l. 1, c. 5.*

18. Galeæ *incumbunt* tres *coronatæ: è pri-*

ma prorumpit ursi scutarii ; *è* media Anhaltina *protenduntur brachia duo, nigro & aurato habitu, ita ut colorum situs alternet, quæ decussata, singula manu fasciculum pennarum pavoninarum tenent ;* tertia *sustinet vexilla decem, auratis perticis suspensa, &* Alcaniis *tessellis picta.* Laciniæ *cassides tegunt, primam argenteæ & rubeæ, mediam & tertiam aureæ & nigræ.*

19. Restat linea *Servestana*, à ditione quam *Rudolphus* ejus conditor in patrimonii partitione accepit, quæque præfecturas *Lindau, Cosvvigk & Rossla* etiam comprehendit, dicta. Ille bis nuptias celebravit, è priore uxore *Dorothea Hedvvige Ducissa Brunsuic. & Lunab.* filias duas suscepit *Dorotheam & Eleonoram*, illa. an 1607. d. 25. Sept. nata *Augusto Duci Brunsuicensi* nupsit atque anno 1634. obiit, hæc an. 1608. genita & *Friderico D. Holsatiæ in Norburg* elocata an. 1681. vivere desiit. E posteriore conjuge *Magdalena Oldenburgica*, præter filiam ætate nubili mortuam, gnatum sustulit *Johannem* a. 1621. d. 24. Mart in lucem editum, cujus quidem nativitati haud diù pater superfuit, sed eodem adhuc anno seculo valedixit.

20. *Iobannes* ab avunculo *Antonio Gunthero Comite Oldenburgico* educatus, & ad *Augustanæ Confessionis* puritatem solus è sua gente reductus est, atque ex ejus hæreditate Dynastiam *Jeverensem* testamento sibi legatam

tam accepit & ad filios transmisit; quibus nunc demum nonnihil sollicitudinis injecit Rex Galliæ, dum jura suprematus & dominii directi aliaque, quæ in Dynastiam Jeverensem, tanquam Dux ac Comes Burgundiæ sibi habere videbatur, in Regem Daniæ, loco præmii ob fœdus secum initum, transtulit, idque per rescriptum d. 10. Apr. an. 1682. Supremæ Curiæ Parisiensi significavit. Habuit *Johannes* in conjugio *Sophiam Augustam, Friderici Ducis Holsato Gottorpiensis* filiam, an. 1681. d. 16. Jan. mortuam, è qua tredecim liberos suscepit: illis enim quos *tabula Rittershusiana* notavit, succenturiari possunt, *Magdalena Sophia*, n. 31. Oct. 1658. †. 30. Mart. 1659. *Fridericus* n. 11. Jul. †. 23. Nov. 1660. *Hegvvigis Maria Eleonora*, n. 30. Jan. †. 30. Jun. 1662. *Sophia Augusta*, *Albertus*, n. & †. d. 12. Febr. 1665. denique *Augustus*, n. 23. Aug. 1666. †. 7. Apr. 1667. Moriens autem an. 1667. d. 4. Jun. *Johannes* quatuor filios cum filia unica post se reliquit.

21. Inter illos familiam ducit CAROLUS WILHELMUS, *Princeps Anhalti, Comes Ascaniæ, Dominus Servestæ, Bernburgi, Jeveræ & Kniphusii*; hausit auram vitalem an. 1652. d. 26. Oct atque an. 1676. d. 18. Jun. penatibus induxit *Sophiam, Augusti D. Saxoniæ, Administratoris Magdeburgensis* ex *Anna Maria Mecklenburgensi* filiam, è qua hactenus suscepit

I. *Johannem Augustum*, n. 29. Jul. 1677.

II. *Carolum Fridericum*, n. 2. Jul. 1678.

III. *Magdalenam Augustam*, n. 12. Oct. 1679

Fratrum Caroli Wilhelmi nomina hæc sunt:

Antonius Guntherus Princeps Anhaltinus, natus an 1653. d. 11 Nov.

Johannes Adolphus, n. 2. Dec. 1654.

& *Johannes Ludovicus*, n 4 Maji 1656.

Sophia Augusta, eorum *soror* unica, an. 1663. d. 9. Mart. lucem vitalem aspexit.

22. *Clypeus* Principum Servestanorum, *tribus areolis auctior est, quàm ille, quem reliqui agnati gestant; ea autem ad lævam triplici serie appinguntur*: superior *qua ordine* quarta *est, cœrulea leonem aureum* Jeverense scilicet symbolum *continet, qua huic subjicitur* octava *numero aurea nigrum leonem exhibet* Kniphusiam tesseram; extrema *cœrulea inter duas alas argenteas cat ut caninum cum millo aureo refert, & designat* Dynastiam Walther Nienburg: quam post extinctam stirpem Comitum Barbiensium, ad quos pertinebat, Elector Saxoniæ *Iohanni Pr. Anhaltino* lege beneficiaria concessit. Tribus etiam galeis, quibus Anhaltinum scutum tegitur, quartam Servestani addunt, nempè Jeverensem, *coronatam, & tribus struthionicis pinnis superius antrorsum reflexis, exornatam, quarum media auro, extrema argento tinguntur.*

23 Referuntur Principes Anhaltini universi ad *Circulum Saxonicum superiorem*, atque in comitiis Imperii unum tantùm votum obtinent. Id quoque ad extremum mentionem fortè meretur, ante annos non ita multos jus *primogenitura* in familia, præcipuè in linea *Bernburgica* & *Servestana*, quæ maribus abundant, institutum esse.

Finis Libri IV.

LIBER V.

LIBER V.

DE PRINCIPIBUS IN SPECIE SIC DICTIS.

INTRODUCTIO.

POstquam libro superiore illorum Principum Stemmata ac propagines enumeravimus, quibus axiomatis vetustas fortunæque splendor dignitatem addit, nunc ordo postulat, ut illos etiam recensea-mus, qui à non ita longo tempore, vel hoc nostro ævo ad Principale fastigium evecti fuerunt, & *speciatim* Principum titulo cohonestantur. Hi verò duplicis iterum sunt generis; potioris illi sunt, qui in censum immediatorum Imperii civium veniunt, atque in comitiis sessione ac suffragio eminent: ad alterum illi referri possunt qui in comitiis vel nunquam comparuerunt, vel hac prærogativa exciderunt, eò quod feudo immediatè Imperio subjecto instructi nondum sunt. Inter priores chorum ducunt *Arembergici* Principes, quos excipiunt ordine in conventibus Imperii recepto *Hohenzollerani*, *Eggenbergici*, *Lobkovvizii*, *Salmenses*, *Nassovii*, *Auersbergici*, *Ostfrisii*, *Furstenbergici*, *Schvvar-*

& Comitatum Ascanicnsem ab Episcopo Capitulóque Halberstadiense præter fas occupatum esse, atque adeò Bernhardum jure meritóque in integrum restitui debere pronuntiavit. Ratum habuit hoc laudum Imperator etiam Ludovicus, atque *Executorem* ablegavit *Ulricum de Bebenburg*, qui tamen, Episcopo sagum induente & gladium vibrante, imperata exequi, & Bernhardum in realem possessionem bonorum spoliatorũ restituere non valuit; sed eum judicialiter tantùm pro tribunali, præsentibus aliquot Imperii proceribus, per literas nomine Cæsareo in civilem possessionem immisit; unde *Spoliati* cognomen *Bernhardus* III. consecutus est.

6. Ab illo tempore omnes Anhaltinorum Principum conatus ad recuperandum Ascanienſem Comitatũ incassum ceciderunt, Halberstadienſib⁹ spoliũ mordicùs atq; efficaciter tuentibus. Hoc quidem seculo, cùm Episocpatus ille, in pacificatione Westphalica jure seculi donatus, atq; in Electorem Brandenburg'cum, titulo compensationis, translatus esset, injecta spes quædam Anhaltinis fuit, Comitatum avitum recipiendi, de qua tamen deciderunt; unde in Comitiis Imperii, quæ dictam pacificationem proximè exceperunt, ipsi etiam in catalogo restituendorum recenseri voluerunt, juraque sua in Ascanienſem Comitatum in medium protulerunt;

runt; verùm res ad comitia prorogata rejecta fuit. Hæc postquam cœperunt, Anhaltini variis libellis memorialibus, pro obtinenda restitutione in avitam ditionem, vel saltem aliqua compensatione æquivalente oblatis, Imperii Proceres fatigarunt; à quibus tandem an. 1680 d. 28. Aug. scitum est, ut Anhaltinis Principibus, ob cessum, pacis amore, Comitatum Ascanienſem Electori Brandenburgico, satisfieret, utque eo nomine Cæsari de meliore nota commendarentur; qui cum hæc scita sua sententia comprobasset, nuper admodum d. 24. Maji anni, quo agimus, 1683 alio Ordinum Imperii consulto decretum est, ut Anhaltinis, loco satisfactionis, *nova investitura* eademq; *simultanea* cum Electore Brandenburgico in Comitatum Ascanienſem concederetur, nec non ipsi, eorumq; ditiones, ab omnibus Imperii oneribus, per quatuor & viginti annorum spatium, eximerentur, ita tamen, ne id præsenti paratui bellico, ad Imperii defensionem instituto, vel tertio cuique damno esset

7. Exposui quæ sit ratio, quis hodie status prætensionis Anhaltinæ in Comitatum Ascanienſem; jam illuc, unde abii, redeo. A *Sigfrido* & *Bernhardo* I. fratribus, duæ, ceu è dictis patet, ortæ fuerunt lineæ, quarum altera *Bernhardina* ultra quintam generationem

non duravit, sed in *Bernhardo* VI, illius abnepote, an. 1468 defecit. *Sigfridi* propago fœcunditate sua diversos produxit ramos; nempe ab *Alberto Claudo* & *Sigismundo*, *Johannis*, qui *Sigfridi* pronepos erat, filiis, *Cœthanus* & *Dessavienſis* prodierunt, è quibus prior in *Alberti* nepotibus iterum exaruit. *Sigismundus*, aliquot filiis auctus, è solo *Georgio* (cui *Bernburgia ſucceſſio* obvenit) nepotes habuit, inter quos *Rudolphus*, verus Martis pullus, ſummo apud Maximilianum I. Imp. honore & nomine fuit; *Erneſtus* autem & *Woldemarus* duos iterum palmites proleverunt: *Woldemarus*, an. 1508 mortuus, filium poſt ſe reliquit *Wolfgangum*, qui *Cœthen*, *Ballenſtad*, & *Bernburg* tenuit, atque inter Principes Proteſtantes, qui *Auguſtanam Confeſſionem* Cæſari obtulerunt, nomen profeſſus eſt, ſed ἄγαμος· è vita an. 1566 migravit, Princeps vera laude probitatis, juſtitiæ, religionis nemini poſtponendus.

8. *Erneſto* tres filii fuere: *Johannes*, *Georgius*, & *Joachimus*. Hic, in diviſione patrimonii *Deſſaviam* ſortitus, & patrueli *Wolfgango* moribus, inſtitutis, vitæque genere conſimilis, an. 1561 cœlebs ad ſuperos exceſſit. *Georgius*, *Hazgerodam* cum *Harcinia*, Comitatu *Wannsdorf* & *Plœzka* nactus, *Præpoſitus Magdeburgenſis & Miſnenſis* fuit, Princeps ſtudiis literarum præcipuè ſacrarum emi-

nen-

nentissimus, qui sinceræ religionis cultum omni studio promovit, Ecclesias restauravit, scholas instituit, quid? quod omnia Ecclesiastica munia obire, concionari, consolari, scriptis etiam adversarios refellere, Principali fastigio haud indignum duxit; demum an. 1552 animam cœlestem, infirmi corporis ergastulo liberatam, cœlo reddidit. *Johannes*, cui *Servestana* ditio obrigit, stirpem propagavit, & Divinam veritatem haud minore zelo quàm fratres fovit. E conjuge *Margarita Brandenburgica* tres gnatos suscepit, qui vitæ ejus, quam an. 1551 finivit, superstites manserunt, nempe: *Carolum*, *Joachimum Ernestum*, & *Bernhardum*. Hujus fato, quo an. 1570 functus est, filiolus superfuit *Franciscus*, sed octavum post annum extinctus; *Carolus* prole caruit, atque an. 1561 vitam cum morte commutavit.

9. *Ioachimus Ernestus*, stemmatis continuator, fratrum hæreditatem crevit, atque unus post tria secula totius Principatus possessor, simul etiam *communis* Anhaltinorum Principum nunc viventium *parens* extitit. Princeps probitatis, prudentiæ & justitiæ laude inclutus, bellicis quoque artibus præmunitus, in religione verò ad *Reformatos* deflexit. Mortalitatem an. 1586 exuit, quinquagenario major, & bis maritus: primò *Agnetis Comitissæ Barbiensis*, secundò *Eleono-*

ra Wirtenbergicæ, à quibus sedecim liberorum pater factus est: filii octo fuere, è priore thoro *Johannes Georgius*, & *Christianus*; è posteriore *Bernhardus*, *Augustus*, *Rudolphus*, *Johannes Ernestus*, *Ludovicus*, & *Joachimus Christophorus*: ex his *ultimus* vix primum ætatis annum superavit; *Johannes Ernestus* & *Bernhardus*, clarum in militia nomen consecuti, ἄγαμοι decesserunt; à reliquis *quinque* provincia partita totidem ortæ sunt *lineæ*: à Johanne Georgio *Dessavienses*; à Christiano *Bernburgica*; ab Augusto *Plœzkavienses*; à Rudolpho *Servestana*; à Ludovico denique *Cœthana*. Omnes, sola *Cœthana* excepta, etiamnunc florent; *Ludovicus* enim, quo auspice *Societas Frugifera*, excolendæ linguæ vernaculæ ergò, anno 1617 instituta est, an. 1650 vita functus non nisi unicum filium, è secunda conjuge *Sophia C. Lippiæ* genitum, reliquit *Wilhelmum Ludovicum*, qui an. 1663. d. 24. Aug. *Elisabetham Carolam*, *Friderici* patruelis sui filiam, nuptiis sibi junxit; sed an. 1665. d. 13. Apr. improlis ex hominum vita decessit, successione ad *Plœzkavienses* transmissa.

10. *Iohannes Georgius*, filiorum *Joachimi Ernesti* natu maximus, Principatum solus per annos novendecim administravit, posteà, divisione cum fratribus inita, *Dessavienſem* ditionem, quæ *Dessau*, *Ragun*, *Gesniz*, *Schanders-*

dersleben, *Vreckleben*, *Wörbiz*, *Radegaſt* complectitur, ſortitus eſt. E duplici conjugio numeroſam ſobolem ſuſcepit, filios ſex, gnatas decem; inter has natu minima *Eva Catharina* demum an. 1679. d. 15. Dec. innupta obiit. E filiis duo ad juſtam ætatem pervenerunt *Johannes Caſimirus* & *Georgius Aribertus*. Hic *Wörbiz*, quod oppidum incoluit, & *Radegaſt* tenuit, atque an. 1643 d. 14. Nov. vivere deſiit, tribus liberis relictis, quos è *Johanna Eliſabetha de Kroſig*, imparibus nuptiis ducta, ſuſtulit: filiæ duæ fuere *Eleonora*, *Johanni Georgio C. Solmenſi* elocata atque an. 1677 mortua; & *Sophia*, quæ innupta apud matrem *Radegaſt* agit: filio nomen fuit *Chriſtiani Ariberti*, hic initio *Dominus de Radegaſt* dictus, poſteà cùm mutata religione à Cæſare *Comitis* axiomate auctus eſſet, *Comitis de Beringhen*, *Dynaſtæ in Walderſee & Radegaſt* titulo uſus fuit, & militari munere in exercitu Cæſareo fungens apud *Confluentes* febre maligna correptus an. 1677. cœlebs vitam amiſit.

II. *Iohannes Caſimirus* patri in Principatu ſucceſſit, atque an. 1660. d. 15. Sept. vivendi finem fecit, relicta duplici prole, è priore conjuge *Agnete Landgravia Haſſiæ* ſuſcepta: filia *Ludovica*, *Chriſtiano Duci Lignicenſi & Briegenſi* nupta, atque an. 1680. d. 25. Apr. mortua; & filio, qui ſuperſtes, familiæq; caput eſt, dictus JO-

JOHANNES GEORGIUS II. *Princeps Anhaltinus, Comes Aſcaniæ, Dominus Serveſtæ & Bernburgi*, prodiit in lucem an. 1627. d. 7. Nov. & poſt parentis fata ditionis regimen ſuſcepit, Sereniſſimi Electoris Brandenburgici gratia floret, ejusque *Vicarius & Campi Mareſcallus* audit. Conjugem habet *Heinricam Catharinam, Heinrici Friderici Pr. Arauſionenſis & Amaliæ C. Solmenſis* filiam, an. 1658 ductam, è qua genuit:

I. *Emiliam Ludovicam*, n. 1660. †. infans.
II. *Heinricam Amaliam*, n. 4. Jan. 1661.
III. *Fridericum Caſimirum*, n. 18. Nov. 1663. †. 27 Maji 1665.
IV. *Eluſabetham Albertinam*, n. 1. Maji 1665. *Abbatiſſam Hervordienſem* an. 1680 electam.
V. *Amaliam*, n. 1666. ~~22. 11. Henr. Cas. Fab. Ulr.~~
VI. *Ludovicam Sophiam*, n. 15. Sept. 1667. †. 19. Apr. 1678.
VII. *Mariam Eleonoram*, n. 14. Mart. 1671.
VIII. *Heinricam Agnetem*, n. 9. Jan. 1674.
IX. *Leopoldum*, n. 3. Jul. 1676.
X. *Iohannam Carolam*, n. 6. Apr. 1682.

12. *Chriſtianus*, ſecundus *Joachimi Erneſti* filius, *Bernburgicam* lineam condidit, quippe cui in diviſione patrimonii Dynaſtia *Bernburgenſis*, Comitatus *Ballenſtedenſis*, præfectu-

fectura *Hazgerodenſis*, cum monaſterio *Gerenrodenſi* ad *Harcyniam*, obtigerunt. Princeps non in ſago præſtantior quàm in toga, qui in *Unione* unus è præcipuis, & arcanorum omnium particeps, atque *Vicarius generalis* fuit. Pro Friderico Electore Palatino Palatinatum ſuperiorem *Producis* titulo adminiſtravit; unde turbis Bohemicis implicitus à Cæſarean. 1621. proſcriptus, mox tamen in gratiam receptus eſt. Obiit ſupremum diem an. 1630. poſtquam è conjuge *Anna C. Bentheimenſi*, anno 1624. d. 9. Dec. mortua, complures ſuſcepiſſet liberos. Filiæ decem fuere: è quibus *Eleonora Maria*, & *Sophia Margarita*, mulieres factæ ſunt, illa nubendo *Johanni Alberto Duci Mecklenburgenſi*, hæc *Johanni Caſimiro patrueli Deſſavienſi*; prior annum 1657. altera an. 1673. d. 28. Dec. vitæ ſupremum habuit; reliquæ octo innuptæ deceſſerunt, nempè (ut illas ſaltem recenſeam, quarum emortuales *tabula Rittershuſiana* non notavit,) *Amalia Juliana*, an. 1605. *Sibylla Eliſabetha* an. 1648. d. 15. Aug. *Anna Sophia*, an. 1640. d. 1. Sept. *Ludovica Æmilia* an. 1635. d. 17. Oct. *Agnes Magdalena* an. 1629. Filiorum nomina hæc ſunt: *Fridericus Chriſtianus*, n. 1596. 2. Maji, & ſtatim poſt baptiſmum extinctus; *Chriſtianus II. Erneſtus* an. 1632. è vulneribus in prælio *Luzenſi* acceptis mortuus; *Fridericus*;

&

& *Fridericus Ludovicus*, natus an. 1619. d. 19. Aug. & an. 1621. defunctus. A *Christiano* & *Friderico* novi orti sunt rami.

13. *Christianus* II. *Bernburgicum* ramum produxit, & Palatino-Bohemicis turbis, cum patre, involutus, in prœlio Piagensi captus, sed à Cæsare benignè habitus, mensæ etiam, non sine adstantium admiratione, adhibitus, moxque iterum dimissus est. Ex *Eleonora Sophia Holsata* uxore sua, quæ demum an. 1675. d. 5. Jan. è vivis excessit, multam prolem suscepit, moriens verò an. 1656. non nisi filios duos, cum filiabus quinque, superstites reliquit. Ex his interea *Ernesta Augusta*, atque *Anna Elisabetha*, *Christiano Ulrico Duci Wirtenbergiæ & Silesiæ in Bernstad* an. 1672. nupta, decesserunt, illa an. 1659. hæc 3. Sept. an. 1680. Filiorum alter, nempe *Carolus Ursinus Parmæ* in Italia an. 1660. d. 4. Jan. morte oppressus est; alter *Bernburgi* superat, nimirum

VICTOR AMADEUS, *Princeps Anhaltinus, Comes Ascaniæ, Dominus Servestæ & Bernburgi*, natus an. 1634. d. 6. Oct. Is an. 1667. connubio sibi sociavit *Elisabetham, Friderici Comitis Palatini Bipontini & Annæ Julianæ Nassoviæ* filiam, quæ an. 1677. d. 17. Apr naturæ concessit, postquam quinque liberorum mater facta esset:

I. *Ca-*

I. *Caroli Friderici*, n. 13. Jul. 1668.
II. *Lebrechti*, n. 28. Jun. 1669.
III. *Sophiæ Iulianæ*, n. 26. Oct. 1672. †. 21. Aug. 1674.
IV. *Iohannis Georgii*, n. 14. Febr. 1674.
V. *Christiani*, n. 5. Mart. 1675. †. 29. Dec. e. a.

14. *Eleonora Hedvvigis*, Victoris Amadei soror, an. 1635. d. 28. Oct. nata, innupta ætatem agit, non minus ac

Angelica, an. 1639. d. 6. Jun. in lucem edita.

Anna Sophia, n. 1640. 13. Sept. Georgio Friderico C. Solmensi in Sonnenwald an. 1664. in manum convenit.

15. *Fridericus Hazgerodensem* ramum prosevit, à Dynastia, quam obtinuit, sic appellatum. Obiit an. 1670. d. 30. Jun. Bis maritus: primò *Johannettæ Nassoviæ*; secundò *Annæ Catharinæ C. Lippiæ*, hæc an. 1657 ducta, & 1659 mortua sterilis fuit. E priore triplicem sobolem suscepit, è quibus, præter filiam, superat filius

WILHELMUS, *Princeps Anhaltinus &c.* natus 1643. d. 18. Aug. Habet in conjugio *Elisabetham Albertinam, Alberti Ottonis Com. Solmensis in Laubach & Catharinæ Julianæ Hanovicæ* filiam, cum qua an. 1671. d. 25. Jul. nuptias celebravit, sed prole destituitur.

Eli-

Elisabetha Carola, ejus soror, an. 1647. d. 11. Febr. genita, primò *Wilhelmo Ludovico*, sobrino suo in *Cœthen*; secundò *Augusto*, *Duci Holsatiæ* è *Plœnensi* linea, nupsit.

16. Sequitur *Plœzkavienſis* linea, penes quam, præter Comitatum *Plœzkavienſem*, nunc etiam *Cœthen* & *Wannsdorf* est; ejus autor *Augustus*, extrema ætate confectus, an. 1653. decessit, relictis quinque liberis, è *Sibylla C. Solmensi* genitis. E filiabus, quarum tres fuere, *Sophia* an. 1679. d. 24. Nov. vitam finivit. Filii duo etiam rebus humanis exempti sunt, *Lebrechtus* major natu an. 1669. d. 7. Nov. ejus fata uxor *Sophia Eleonora C. Stolbergæ*, an. 1655. ducta, sed sterilis, an. 1675. d. 13. Sept. secuta est; *Immanuel*, è militia Cretensi redux, fratri successit, & nuptiis sibi an. 1670. d. 23. Mart. junxit *Annam Eleonoram*, *Comitissam de Stolberg*, sed eodem adhuc anno d. 8. Nov. immatura morte sublatus fuit, uxore gravida relicta, quæ posteà filium peperit, is est

IMMANUEL LEBRECHT, *Princeps Anhaltinus*, *Comes Ascaniæ*, *Dominus Servestæ & Bernburgi*, natus d. 20. Maji an. 1671.

Johanna, & *Elisabetha*, ejus amitæ, superare dicuntur, illa an. 1618, hæc an. 1630 natalem habuit.

17. Prin-

17. Principes illi, quos jam enumeravimus, unoeodemque utuntur *scuto*, novem laterculis *triplici serie dispositis constante*; primus *argenteus repræsentat ursum nigrum auro coronatum, & collari aureo ornatum, rubentem linguam protendentem, & super muro miniato quater pinnato, atque obliquo situ in lævum latus ascendente, gradientem, quo* avitum familiæ *σήμα, notatur*; secundus *aureus quinque fusciis nigris* exaratur *designando* Ballenstedensi symbolo: tertius *tessellis duodecim nigris & aureis distinguitur, &* Ascanienſem Comitatum *indicat*; quartus *in quatuor quadrantes divisus, & auro ac minio tinctus, dominium* Walderſee *innuit*; quintum *parmula occupat* Anhaltini Principatus teſſeram *exhibens, estq; ad perpendiculum bipertita, ex parte priore argentea dimidiam aquilam rubeam, posteriore aurea Saxonicas fascias nigras, & sertum rutaceum continet*; sextus *cæruleus, aureis baltheis duobus è sinistro latere descendentibus exornatur, &* Comitatum Wannsdorf *significat*; septimus *cæruleus aquilam argenteam, explicatis alis volantem, & linguam rubeam, crura verò aurea ostentantem refert*, & Mylingenſem Comitarum *designat*; octavus, *totus cocco tinctus*, Regalia *notat*; nonus *denique cum primo convenit, nisi quod ursus corona* caret, ejusque *collare non auro sed argento tingitur; ajuntq; eo* designari Bernburgiam dynastiam. *Spon. Op. Her. l. 1. c. 5.*

18. Galeæ *incumbunt* tres *coronatæ: è pri-*

ma prorumpit ΘΕΟΛΟΜΗ ursi scutarii ; *è* media Anhaltina *protenduntur brachia duo, nigro & aurato habitu, ita ut colorum situs alternet, quæ decussata, singula manu fasciculum pennarum pavoninarum tenent ;* tertia *sustinet vexilla decem, auratis perticis suspensa, &* Alcaniis *tessellis picta.* Laciniæ *cassides tegunt, primam argenteæ & rubeæ, mediam & tertiam aureæ & nigræ.*

19. Restat linea *Servestana*, à ditione quam *Rudolphus* ejus conditor in patrimonii partitione accepit, quæque præfecturas *Lindau, Cosvvigk & Rosla* etiam comprehendit, dicta. Ille bis nuptias celebravit, è priore uxore *Dorothea Hedvvige Ducissa Brunsuic. & Lunab.* filias duas suscepit *Dorotheam & Eleonoram*, illa. an 1607. d. 25. Sept. nata *Augusto Duci Brunsuicensi* nupsit atque anno 1634. obiit, hæc an. 1608. genita & *Friderico D. Holsatiæ in Norburg* elocata an. 1681. vivere desiit. E posteriore conjuge *Magdalena Oldenburgica*, præter filiam ætate nubili mortuam, gnatum sustulit *Johannem* a. 1621. d. 24. Mart in lucem editum, cujus quidem nativitati haud diù pater superfuit, sed eodem adhuc anno seculo valedixit.

20. *Iobannes* ab avunculo *Antonio Gunthero Comite Oldenburgico* educatus, & ad *Augustanæ Confessionis* puritatem solus è sua gente reductus est, atque ex ejus hæreditate Dynastiam *Jeverensem* testamento sibi legatam

tam accepit & ad filios transmisit; quibus nunc demum nonnihil sollicitudinis injecit Rex Galliæ, dum jura suprematus & dominii directi aliaque, quæ in Dynastiam Jeverensem, tanquam Dux ac Comes Burgundiæ sibi habere videbatur, in Regem Daniæ, loco præmii ob fœdus secum initum, transtulit, idque per rescriptum d. 10. Apr. an. 1682. Supremæ Curiæ Parisiensi significavit. Habuit *Johannes* in conjugio *Sophiam Augustam, Friderici Ducis Holsato Gottorpiensis* filiam, an. 1681. d. 16. Jan. mortuam, è qua tredecim liberos suscepit: illis enim quos *tabula Rittershusiana* notavit, succenturiari possunt, *Magdalena Sophia*, n. 31. Oct. 1658. †. 30. Mart. 1659. *Fridericus* n. 11. Jul. †. 23. Nov. 1660. *Hegvvigis Maria Eleonora*, n. 30. Jan. †. 30. Jun. 1662. *Sophia Augusta*, *Albertus*, n. & †. d. 12. Febr. 1665. denique *Augustus*, n. 23. Aug. 1666. †. 7. Apr. 1667. Moriens autem an. 1667. d. 4. Jun. *Johannes* quatuor filios cum filia unica post se reliquit.

21. Inter illos familiam ducit CAROLUS WILHELMUS, *Princeps Anhalti, Comes Ascaniæ, Dominus Servestæ, Bernburgi, Jeveræ & Kniphusii*; hausit auram vitalem an. 1652. d. 26. Oct atque an. 1676. d. 18. Jun. penatibus induxit *Sophiam, Augusti D. Saxoniæ, Administratoris Magdeburgensis* ex *Anna Maria Mecklenburgensi* filiam, è qua hactenus suscepit

I. *Johannem Augustum*, n. 29. Jul. 1677.

II. *Carolum Fridericum*, n. 2. Jul. 1678.

LIBER V.

DE PRINCIPIBUS IN SPECIE SIC DICTIS.

INTRODUCTIO.

POstquam libro superiore illorum Principum Stemmata ac propagines enumeravimus, quibus axiomatis vetustas fortunæque splendor dignitatem addit, nunc ordo postulat, ut illos etiam recensea-mus, qui à non ita longo tempore, vel hoc nostro ævo ad Principale fastigium evecti fuerunt, & *speciatim* Principum titulo cohonestantur. Hi verò duplicis iterum sunt generis; potioris illi sunt, qui in censum immediatorum Imperii civium veniunt, atque in comitiis sessione ac suffragio eminent: ad alterum illi referri possunt qui in comitiis vel nunquam comparuerunt, vel hac prærogativa exciderunt, eò quod feudo immediatè Imperio subjecto instructi nondum sunt. Inter priores chorum ducunt *Arembergici* Principes, quos excipiunt ordine in conventibus Imperii recepto *Hohenzollerani*, *Eggenbergici*, *Lobkovvizij*, *Salmenses*, *Nassovii*, *Auersbergici*, *Ostfrisii*, *Furstenbergici*, *Schvvar-*

zenbergici, quibus nuper accessere *Oetingenses* & *Waldeccii*. In posteriorum numero sunt: *Liechtensteinii*, *Dietrichsteinii*, *Piccolominei*, *Crojenses* & *Portiani*.

CAP. I.

DE FAMILIA PRINCIPUM AREMBERGÆ.

A *Remberga* libera quondam Dynastia, & nemini Regum aut Principum nec feudi, nec alio subjectionis titulo obnoxia, trans Rhenum in illo tractu, quem veteres *Ripuariam*, recentiores *Eyfliam* vocant, sita est. Eam *Mechtildis*, *Johannis Dynastæ Arembergici & Burggravii Colonienſis*, postremi suæ gentis, filia, *Engelberto Comiti Marcano* anno 1298. nupta, in mariti familiam intulit, atque ad filium natu minorem (majore paterna hæreditate, ceu plerumque usu venit, sortiente) cui *Eberhardi* nomen erat, transmisit. Hujus posteri per duo circiter secula Arembergam tenuerunt, usque ad ejus trinepotem *Robertum*, *Roberto & Walpurgi Egmondana* natum, qui prole destitutus sororem natu majorem *Margaritam* hæredem habuit, quæ Arembergam marito suo *Johanni Lignio*, *Barbanſoniæ Domino* attulit; in cujus familia etiamnunc hæret.

2. *Ligniacum*, vulgò *Ligne*, pagus est Hannoniæ,

noniæ, *Guicciardino* teste, peramœnus, & arce conspicuus, *Cervia* unâ, *Atho* verò duabus leucis distans, qui familiæ *Lignia* nomen vel impertivit, vel ab ea mutuavit. Illa verò antiquitate & illustri decore nulli Belgicarum cedit, quippe cujus præclaram mentionem in chartis vetustioribus tabularii Episcopatus Cameracensis frequenter occurrere, *Johannes Carpentarius* testatur & speciatim affirmat, repertas ibi fuisse literas, quibus Liebertus Præsul an. 1063. Abbatiæ S. Sepulchri pagum *Villerel* tradidit, consentiente *Oderico de Ligne*, (de Linea) *ejus Domino*. Genealogiam stemmatis à *Theodorico Domino ac Barone de Ligne*, qui seculo duodecimo inclaruit, continua serie *Vincent* & *Ruteau* Annalium Hannonienſium Scriptores deduxerunt, quorum orbitam pressit *Bucelinus*.

Descr. Belg. p. 400.

Hist. Genealog des Pays-bas part. 3. p. 732.

Germ. Stemmatogr. Tom. 1.

3. *Theodorico* tres tribuuntur liberi, è *Margarita de Fontaines* susceptí, *Waltherus Baro de Ligne*, *Fastradus Dominus de Monstruel* & *Ogina Matthæi Domini de Maudde* uxor. *Waltherus* an. 1229. mortuus pater è *Mechtilde de Montibus* fuit *Waltheri* II. ann. 1245. defuncti, relicto ex *Alexia de Florines* filio *Walthero* III., marito *Alexiæ C. d' Apremont*, quibus natus est *Johannes*, proavus alterius *Johannis*, cui cum uxore *Eustochia Barbonsonia*, Baronatus *Barbansonius* in Hannonia vico luculento & castro egregio conspicuus,

atque ob vitreamina excellentiora, quæ ibi magna copia fiunt, clarus, obtigit; ex illa duos præcipuè filios suscepit, atque anno 1442. fato functus reliquit, *Johannem* nempè & *Michaëlem*. Hic *Barbansonium* sortitus, ex conjuge *Bona d' Abbeville Johannem*, *Guilielmum*, & *Michaëlem* genuit, è quibus postremus, *Dominus de Maulde* nominatus, *Marescallus Hannoniæ* fuit, & sub finem seculi decimiquinti improlis decessit: à *Iohanne* verò & *Guilielmo* duæ ortæ sunt lineæ, quibus hodiè adhuc familia distinguitur, *Lignacensis* nimirum & *Barbansonia*.

4. *Iohannes*, à patruo cognomine, an. 1480. absque liberis mortuo, hæres scriptus *Barones de Ligne* continuavit, à Maximiliano Archiduce, posteà Imperatore, an. 1581. in numerum *Equitum Aurei Velleris* cooptatus fuit; uxoremque habuit *Jacobeam Croviacam*, è qua genuit *Antonium*, qui Comitatum *Fauquenberg* anno 1503. titulo emptionis acquisivit, atque è *Philippina Luzenburgica* pater extitit *Jacobi*. Hunc Imperator Carolus V. oblegationem ad Clementem VII. Pontificem Romanum laudabiliter peractam, torque *Aurei Velleris* ornavit, & *Comitis* axiomate anno 1549. auxit; præterea donationem Dynastiarum *Wassenaræ*, *Valckenburgij* & *Vorburgi*, Mariæ, Johannis ulti-

ultimi Wassenaræ Domini filiæ, quam Jacobus connubio sibi junxit, factam, ipsi confirmavit. Hoc matrimonio prognatus *Philippus*, *Comes de Ligne & de Fauquenberg*, *Dn. de Wassenar*, *Eques Aurei Velleris*, è *Margarita Lalana* suscepit, atque an. 1583. superstitem reliquit *Lamoraldum*, qui an. 1602. *Princeps Ligniaci* & S. R. Imperii creatus est, & filium è *Maria de Melun*, Principis Espinei gnata, genitum, *Florentium* turbato mortalitatis ordine extulit; ex eo tamen & *Ludovica Lotharinga*, *Heinrici Comitis de Chaligny* filia, ejus uxore, nepotes vidit, atque a. 1641 moriens post se reliquit, *Albertum Heinricum*, & *Claudium Lamoraldum*: ille præmatura morte improlis extinctus, Principatum, nec non conjugem *Claram Mariam Nassoviam* è *Siegensi* linea, ad fratrem transmisit.

5. *Claudius Lamoraldus* clarissimus atque eminentissimus Princeps, insignem integritatis ac prudentiæ, tam sagatæ quàm togatæ, consecutus est laudem, eâque apud Hispanos in existimatione fuit, ut non solum difficillimis muniis, videlicet *Proregis Siciliæ* & *Producis Mediolanensis*, admoveretur, sed & iis præclarè perfunctus, in meritorum mercedem, *Magnatis Hispaniæ* axiomate decoratus & Consiliariis Sanctioris Senatus, Regiorumque secretorum Arbitris

ascriptus fuerit. Verùm posterioris dignitatis usuram haud diuturnam fata ei permiserunt; eodem enim anno, quo prætura Mediolanensi solutus, in Hispaniam delatus est, repentino morbo oppressus, quartũ post diem, qui fuit 21. Dec. a. 1679. expiravit. Liberos è *Clara Maria Nassovia*, fratris sui vidua, etiamnum superstite, quinque suscepit, *filiæ duæ* fuere, quarum minor nata *Maria*, *Carolo Borromeo Comiti* destinata, *Mediolani* d. 29. Jul. an. 1675. fatorum iniquitate rapta est; altera *Clara Ludovica*, post prioris mariti *Reimundi de Lancastria Ducis d' Aveiro* obitum, *Bernardo Marchioni de Guevara*, Comitis d' Ognate Magnatis Hispanici filio, nupsit.

6. *Filiorum* nomina hæc sunt:

HEINRICUS ERNESTUS, *Princeps de Ligne, d' Amblise, & S. R. Imperij, Marchio de Roubais & de Ville, Comes de Fauquenberg, Baro d' Antoing, Magnas Hispaniæ*; uxorem duxit *Madriti*, sub initium anni 1677, filiam *Inici Melchioris de Velasco, Ducis de Frias Connestabilis Castiliæ*. An. 1680. præfecturam *Limburgensis* Ducatus ab Hispaniæ Rege accepit.

Claudius Lamoraldus Alphonsus de Ligne, Senescallus Hannoniæ vulgò vocatur, & haud ita pridem altercatione, quæ inter eum

&

& *Heinricum Hovvardum Ducem Norfolciæ*, genere Anglum, Bruxellis exarsit, quamque more seculi armis expedire gestiebat, materiam scribendi Novellarum compilatoribus præbuit.

Hyacinthus Procopius de Ligne, nomine Marchionis Moviaci (*Marquis de Muy*) dignoscitur, quod unà cum Marchionatu ejus avunculus magnus *Heinricus Lotharingus* per tabulas supremas ipsi transcripsit; quamobrem etiam Gallicis partibus se applicuit, eorumque castra in nupero bello secutus est, atque aliqua fortitudinis documenta, in pugna ad Montes Hannoniæ commissa, dedit.

7. *Scutum* Principis Ligniaci *simplex* est, nempe *aureum*, *quod baltheus dexter rubeus permeat*, *tectum* corona Principali.

8. Nunc ad lineam *Barbansoniam* progrediar, meque ad meum institutum ac pensum revocabo: ejus autor *Guilielmus* dictus est, *Baro Barbansonij*, *Par Hannoniæ*, Michaelis filius secundo genitus; is ex *Adriana de Piennes* suscepit prætet aliquot filias, in schemate aliquando notandas, *Ludovicum*, patrem è *Maria Bergensi Iohannis*; cui cum uxore *Margarita Marcana* Comitatum *Arembergicum* obvenisse initio memoratum fuit. Hic derelicto avito nomine *Arembergicum* ascivit, belli, fideique erga Hispanos

Bel. Belg. dec. 1. l. 7. p. 304.

(elogio *Famiani Stradæ*) præclarus, eoque donatus *Aurei Velleris* torque à Carolo V. Imperatore, atque à Philippo filio *Frisiæ Transiselaniæque* provinciis impositus, & posteà à Maximiliano II. Cæsare inter *Imperij Principes* adlectus, Comitatus *Arembergicus* in Imperii clientelam susceptus, Matriculæ insertus, & *Circulo Rhenano inferiori* adscriptus est; sed constantiæ famam, quam in bello intestino Belgii semper tenuerat, in ultima pugna, prope *Winschotum & Hilligelæum* cœnobium, in territorio Græningensi, an. 1568. d. 24. Maji cum Nassoviis commissa, amisit: cùm enim & loco & equitatu hostibus inferior, oblatam ab ipsis pugnam accipere primò prudenti consilio cunctaretur; posteà verò ob eam moram ab Hispanis pugnæ cupidis, quasi cum Nassovio tacitè colluderet, palàm insimulatus, impar invidiæ, militum ardore & convitiis in prælium se impelli pateretur, non exercitui solùm magnam stragem, sed sibimet etiam necem arcessivit; strenuè enim pugnans, erroremque fortitudine farciens, multis vulneribus confossus, cecidit. Ab ipso *Rittershusius* tabulam *Ducum de Aremberg & Arschot* inchoavit; filios duos *Carolum* & *Robertum*, totidemque filias habuit; ab illis in duos ramos stirps deducta est, in *Arembergicum* & *Barbansonium*.

9. Ca-

9. *Caroli* Principis Arembergici clarum in Belgio nomen, atque ingens apud Hispanos etiam existimatio fuit, adeò ut *totius Belgij Gubernator* à Philippo II. Rege in locum Petri Ernesti C. Mansfeldii, si quid humanitus ei accidisset, an. 1587. designatus fuerit. Luculenta ditionum accessione locupletatus est per connubium *Annæ de Croy*, *Philippi Ducis Arscotani*, *Principis Cimacensis & Comitis Bellomontij*, *Magnatis Hispaniæ* primæ classis (quibus quoties ad audientiam Regis, ceu vocant, admittuntur, caput tegere, priusquam verba faciunt, licet) filiæ, & *Caroli* fratris unici, an. 1612. absque liberis mortui, hæredis. Ex ea multam procreavit sobolem, duos præcipuè mares *Philippum* & *Alexandrum*; qui totidem palmites condiderunt, *Arembergensem* sive *Arscotanum* & *Cimacensem*. *Fam. Str. Dec. 2. l. 9. p. 637.*

10. *Philippus* Princeps Arembergæ, Dux Arscoti in Brabantia, tres successivè conjuges habuit; primam *Hippolytam de Melun*, *Petri Principis d' Espinoy* gnatã, è qua non nisi unicam infirmioris sexus prolem sustulit *Claram Eugeniam*, *Alberto Pr. Cimacensi* patrueli suo nuptam, & a. 1660. mortuam; secundam *Claram Isabellam*, *Florentio C. de Barlaimont*, & *Margarita C. de Lalaing* natam, quæ complures liberos ei peperit; filiæ quatuor fue-

re *Maria Desiderata*, quam immatura ætate mors intercepit, *Margarita Alexandrina*, nupta *Eugenio Montmorancio Pr. de Robecque*, atque a. 1651, d. 10. Jul. fatis functa, *Erneſtina Franciſca* conſors *Alexandri Ducis de Bournonville*, a. 1663, d. 20. Oct. in puerperio extincta, & *Iſabella Clara*, *Maximiliano Wilhelmo Truchſeſſio Com. in Wolfegg* elocata, atque itidem vivis exempta: filius unicus nomen habuit *Philippi Franciſci*: hic præfectus ſatellitio Burgundico Regis Hiſpaniæ, Equitibus *Aurei Velleris* a. 1646. aggregatus fuit, ſed a. 1674. è vita diſceſſit, cum prolem, quam è conjuge *Magdalena Franciſca Borgia*, *Caroli Ducis Gandiæ* Magnatis Hiſpanici & *Artemiſiæ Doriæ* è Principibus Melphitanis ortæ filia, ſuſcepit, præmiſiſſet. Tertia Philippo coniux fuit *Maria Cleophe*, *Caroli Pr. Hohenzollerani* filia, *Johannis Jacobi Bronchorſtii Com. ab Anholt* vidua, è qua duplicem ſobolem marem & fœminam procreavit.

11. Ille *Carolus Eugenius* dictus initio *Canonicus* Eccleſiæ Cathedralis *Colonienſis* extitit, poſteà ad conjugium animum adjiciens ſibi copulavit *Mariam de Cuſance*, Comitatus de *Champlite*, & Baronatus de *Faulcogney* in Burgundiæ Comitatu hæredem. *Vorſſelaer* inſignem pagum & vetuſtum dominium ſub præfectura Ghelenſi in agro Antuerpiano ſitum, quod ex hæreditate materna acceperat,

Iac. le Roy Notit. March. S.R. p. 46.

an.

an. 1663. vendidit *Johanni Proost*, Supremæ Curiæ Brabantinæ Consiliario, unà cum dominio *Lichtert*, ejusque appendice *Rielen*. Hannoniam vicaria potestate, beneficio Regis Hispaniæ, rexit, torque etiam *Aurei Velleris* ab eo a. 1678. decoratus, mirabilisque ipsum, pro egregio publico nunquam non stantem, omnium bonorum, summorum, infimorum, benevolentia prosecuta est; undè ingens sui desiderium reliquit, cum eum a. 1681. d. 25. Jul. mors fato propera auferret, ludibrio habens, atque albis dentibus deridens *Marcum Avianum*, illum nostra ætatis Thavmaturgum, qui ægrotantem Montibus inviserat, virtutem suam in depellendo morbo παραδειγματισάμενον. Liberos tres superstites vitæ suæ habuit, filios duos, gnatam unicam.

12. Inter illos potior est nascendi forte CAROLUS PHILIPPUS *Dux Arembergæ & Arscoti, Princeps S. R. Imperii, Magnas Hispaniæ, Dux Crojæ, Princeps Porceani & Robequæ, Marchio Moncorneti, Bellomontii & Senneghemi, Baro Sevenbergæ, Anghiani, primus Par Hannoniæ.* Post perlustratas exteras regiones à Rege Hispaniarum præfecturâ Satellitii sui auctus est, cui muneri capessendo in Hispaniam iter adornat, uxorem etiam ibi ducturus, consensu Regio sibi

sibi desponsatam; nempè *Heinricam*, *Ottonis Heinrici Marchionis de Grana*, è priore conjuge *Maria Theresia*, *Comitissa ab Herberstein* filiam. Castrum *Arembergicum* à Rege Galliæ, tanquam dependens à Comitatu *Chiny*, a. 1682. d. 19. Febr. occupari ingratiis passus est, agnoscentibus ejus curatoribus Supremum Regis dominium; si quidem vera Novellæ prædicarunt.

13. *Alexander*, *Princeps Arembergicus*, (*le Prince d' Aremberg*) prout vulgò vocabatur, Ducis Arscotani frater unicus fuit; is hoc ipso anno 1683. aulam Cæsaream petiit, Imperatori contra Turcas militaturus. verùm in prima Barbarorum in Austriam eruptione, quæ d. 7. Jul. contigit, dum strenuè pugnat, generosum spiritum effudit.

14. *Maria Theresia*, illorum soror, nuper admodum *Ottoni Heinrico Marchioni de Carretto*, *Savona & Grana*, *Comiti de Milesimo*, *L. Baroni in Weisvvasser & Neukirchen*, Belgii Hispanici Gubernatori in manum convenit, sollemnibus nuptiarum d. 14. Majia. 1683. in castro *Anghiani* celebratis.

15. *Maria Theresia*, ejus amita, *Caroli Eugenij* germana soror, *Francisco Christophoro Comiti Furstenbergico in Mœskirch* nuptum locata fuit, nuncque vidua vivit.

16. *Clypeus*, quo Dux Arembergæ & Arscoti hodiè utitur, *simplex* est, nempe *rubeus*

tres

tres mespilos flores πενταφύλλους *aureos* exhibens, (quæ insignia sunt *Arembergica*) & mitra *Ducali* tectus, stipatusque *telamonum* loco hinc *leone*, isthinc *grypho*.

17. Lubet jam iterum extra lineas exspatiari, & *Cimacensis* quoque nec non *Barbansoniy* rami propagines enumerare. Philippo Duci Arembergæ & Arscoti fratrem fuisse dixi *Alexandrum*, huic è paternis ditionibus Principatus *Cimacensis* in Hannonia obtigit, unde palmiti, quem profevit, nomen: fuit Eques Ordinis *Aurei Velleris*, atque an. 1629. moriens, è conjuge *Magdalena Egmondana*, quæ demum anno 1663. d. 7. Novembr. decessit, quatuor liberos reliquit, filios duos, totidemque gnatas: *Anna* Eugenio Henninó Com. Bossuvii, *Isabella* Ludovico Gonzagæ ex Comitibus S. Martini nupserunt; *Albertus* patris successor, *Ducali* axiomate, quod Ferdinandus III. Imperator an. 1644 universæ Arembergicæ familiæ impertivit, usus est; sed an. 1648 fatis concessit, nulla è *Clara Eugenia*, patrueli, uxore sua prole genita.

18. *Philippus*, Alberti frater, Comes Bellomontii (*Conte de Beaumont*) communiter appellatus, Ducatui *Luzenburgico* & Comitatui *Chiny* præfuit, atque inter Equites *A.V.* a. 1647. cooptatus est. Ab *Ernesto Comite Isenburgico in Grensau* testamento hæres scriptus,

in

in contentionem cum Electore Colonienſi incidit, ob pagos *Linz*, *Nevverbourg* & *Altenvvied* eorumque dependentias: illos Capitulum Colonienſe *Salentino C. Iſenburgico*, cum eum adverſus *Carolum Truchſeſſium* in Archiepiſcopum elegiſſet, atque ad exercitum iſti de ſede dejiciendo proprio ære conſcribendum induxiſſet, ei autem ſolvendo non eſſet, hypothecæ loco tradidit, eò usque retinendos ac fruendos, donec ſumptus impenſi numerata pecunia ipſi refunderentur: inde pignus illud ad *Erneſtum*, quem Salentinus, abdicata Eccleſiaſtica dignitate & ducta uxore, ex Arembergica ſtirpe genuit, tranſivit; quo ſine liberis mortuo, Elector Colonienſis hodiernus pagos prædictos, quaſi, extincta hypothecarii familia, arrhabo etiam expiraſſet, occupavit, & *Philippo C. Bellomontij*, Erneſti hæredi teſtamentario, ceu dixi, præripuit: de qua re ille coram *Curia Brabantina* queſtus eſt, & libellum an. 1673 obtulit, quo rogavit, ut Elector ad pignus illud vel reluendum vel reſtituendum cum fructibus perceptis condemnaretur. Facta fuit hujus libelli copia Electori, eique indictum, ut intra ſex hebdomadarum ſpatium cauſam oraret: quod perindignè ille tulit, remque cum Ordinibus Imperii Ratisbonæ communicavit, præſumptionis Curiam memoratam deferendo, quod Electori & Principi Imperii diem dicere

cere haud verita fuerit. Verùm Philippus eodē adhuc an. rebus humanis exemptus est, relicto post se filio unico, è *Theodora de Gavre, Caroli Comitis de Fresin* filia ac hærede præcipua, uxore sua (quæ an. 1676, mense Nov. maritum secuta est) suscepto; is vero hoc nomine ac titulo eminet:.

19. ERNESTUS *Dux Arēbergæ, Princeps Cimaci & S. R. Imperii, Comes Bellomontii & Fresini, Baro Halewvinæ & Cominii, Dynasta Avennæ, Par Hannoniæ.* Prodiit in vitæ hujus theatrum a. 1643. d. 26. Dec. Conjugem duxit *Madriti* in Hispania a. 1675. è gynecæo Reginæ *Mariam de Cardenas*, sororem *Comitis de Villalonso*, è qua sobolem nondum suscepit. Præfecturam supremam Ducatus *Luxenburgici*, quam obiit, nec non torquem *Aurei Velleris* eodem anno, quo vir factus est, obtinuit.

20. *Scuto* utitur *quadripartito*, prima & quarta quadra *argentea tres fascias coccineas exhibet*, Crojorum δᾶγμα: secunda & tertia *nova quaternaria divisione coloribus cæruleo, in quo lilia* Francica *bis repetuntur, & rubeo tingitur* Albretanæ genti *designandæ*; medio *hujus laterculi imposita* parmula Britannica, *muris pontici vellere obducta:. Majoris demum scuti medio incumbit* scutulū Arembergicum. *Spen. Op. Her. l. 1. c. 4. §. 6.*

21. *Barbansonii* deniq; rami, speciatim sic dicti, satorē *Robertū* dixi, Caroli Pr. Arembergici

gici fratrem, Johannis filium minorem natu: huic ex uxore *Claudia Wild-& Rhingravia* unicus fuit filius *Albertus* qui *Ducali* axiomate, non minus ac reliqui agnati, beneficio Ferdinandi III. Imp, auctus, *Equitumq; Aurei Velleris Subdecanus* fuit, vitam, quam anno seculari accepit, ultra septuagesimum ætatis annum produxit. Conjugem habuit *Mariam de Barbanson, Eberhardi Vicecomitis d' Avre, Dynastæ de Villemont è Ludovica C. Frisiæ Orient.* filiam unicam ac hæredem, è qua, præter *Isabellam*, primò *Alberto Francisco Lalano C. ab Hochstraten*, secundò *Ulrico D. Wirtenbergico* nuptam, atque an. 1678, d. 17. Aug. Luretiæ Parisiorum mortuam, filium etiam suscepit; is est

OCTAVIUS IGNATIUS, *Dux Arembergæ, Dux & Princeps Barbansonii & S. R. Imperii, Comes d' Aigremont & de la Roche, Vicecomes d' Avre, Dynasta de Villemont, Gubernator Namurci, Eques Ordinis Aurei Velleris*, maritus *Theresiæ Manriquez de Lara*, fororis *Marchionis de Aquilar*, quam in Hispania d. 7. Jan. an. 1672. fœdere jugali sibi sociavit; quæque post aliquot filias gnatum etiam ei an. 1680. mense Junio peperit, sed biennio nondum expleto funere acerbo mersum.

22. *Clypeus*, quem gerit, *quadripertitus* est: prima & quarta areola, Ligniacensem *tesseram*

ram superiùs delineatam, & Barbansonium *symbolum, tres nempe leunculos rubeos. auro coronatos, & falcatos in solo argenteo*, quadripartitim *exhibet*; secunda & tertia *aurea, fasciam ex argento & cocco tessellatam*, Marcanum *dextra continet; medio imponitur tessera* Arembergica.

CAP. II.

DE PRINCIPIBUS HOHENZOLLERANIS.

Hohenzolleranæ gentis, ab arce vetusta, juxta Hechingam, non procul Tubinga, excelsæ rupi impositæ, sic appellatæ, origines *superiore libro*, ubi de *Marchionibus Brandenburgicis*, qui ab ea descenderunt, actum fuit, investigavimus, atque etiam diximus, à *Rudolphi C. Zollerani*, qui sub finem seculi duodecimi vixit, filiis duobus, *Friderico & Conrado*, in duas stirpes familiam abiisse; & *Conradum* quidem *Burggravios Noribergenses*, nec non *Electores & Marchiones Brandenburgicos; Fridericum* autem reliquos *Hohenzolleranos* profeviisse.

2. Ex hujus posteris haud dubiè ille *Fridericus* fuit, à quo *B. Rittershusius* stemma Genealogicum orsus est, maritus *Adelheidis Furstenbergiæ*, & pater *Eitel Friderici*, cui per connubium Baronatus *Raeznnz* obvenit; *Crus. Ann. Suev. p. 3.*

l. 6. c. 13. & 14. & l. 7. c. 11.

eo natus est *Jodocus Nicolaus*, qui castrum *Hohenzollern*, à Suevicis civitatibus, maximè Rotwilensibus, an. 1422. dirutum, an. 1454. restaurasse memoratur, atque an. 1488. satis concessit, relicto, præter alios, filio *Eitel Friderico*.

3 Hic Imperatoris Maximiliani I. gratia floruit, secretorum ejus Arbiter, aulæ supremus Præfectus, Eques Aurei Velleris, *primus* è familia *Camerarius hæreditarius S. R. Imperij*, Cameræque Imperialis Judex exstitit; Dynastiam *Haicherloch* ab Austriacis, ex permutatione cum Baronatu *Raczunz*, accepit. Liberos à *Magdalena, Friderici Pinguis Marchionis Brandenburgici* filia, aliquot sustulit, tres præcipuè filios, nempe *Franciscum Wolfgangum*, *Joachimum*, & *Eitel Fridericum*: singuli ductis uxoribus prolem generarunt, sed priores duo nepotibus caruerunt, *Eitel Fridericus* verò stirpem ad hæc usque tempora propagavit. Hic in aula Caroli V. educatus, cum longè omnes belli gloria & virtute superaret, eâque magnam Imperatoris benevolentiam consecutus esset, non minorem invidiam aulicorum, inprimis Hispanorum, excepit, à quibus tandem an. 1525 veneno è medio sublatus fuit. Tori sociam habuit *Johannam de Borsele, Heinrici C. de Puchen & Grandpré*, è *Johanna de Halewyn* gnatam, è qua, præter alios, natus ipsi est *Carolus*.

4. Is

4. Is à Carolo V. Cæsare, Susceptore suo, Comitatu *Sigmaringensi*, qui in Werdenbergensium peculio fuit, atque haud procul à Danubii fontibus dissitus est, donatus, & *Equitis Aurati* titulo auctus, ipsi nec non Ferdinándo I. & Maximiliano II. à consiliis fuit. Idem omnibus, qui ex Hohenzollerana familia nunc vivunt, communem sanguinem impertivit, & prole masculâ auctus *sanctionem hæreditariam* (die Zollerische Erbeinigung) an. 1575. instituit; quâ circa titulum atque exercitium *Camerariatus hæreditarij* ita disposuit, ut titulo quidem omnes & singuli ejus filii, eorumque posteri uterentur, munia verò ille solus obiret, qui ætate cæteros antecederet; nisi hic alii ex agnatis, vel ætate proximo, vel aulam Cæsaream frequentanti, facultatem vices suas implendi dederit. Matrimonium Caroli tenuit *Anna*, *Ernesti Marchionis Badensis* filia, è qua numerolæ sobolis parens factus est; quatuor potissimè filii mentionem requirunt, nimirum *Eitel Fridericus*, *Carolus II. Christophorus*, & *Ioachimus*; ab his totidem lineæ ortæ sunt, inter quas posteriores duæ iterum defecerunt: *Christophorus* enim, cui Comitatus *Haicherloch* ex avitis ditionibus obtigit, nullos è filiis *Johanne Christophoro* & *Carolo*, quamquam utroque uxorato, habuit nepotes. *Ioachimus* in aula Electoris

Brandenburgici versatus, ibi conjugem duxit *Annam*, *Volckmari Wolfgangi C. ab Honstein* gnatam; vitamque, quam an. 1558. acceperat, an. 1587. d. 7. Jul. finivit, relicto post se filio unico *Johanne Georgio*, qui Rudolpho II. Cæsari in Ungaria militavit, & bis maritus factus est; primò *Eleonoræ Baroniſſæ de Promniz*, secundò *Catharinæ Bar. de Bercka*, sed non nisi unicum filium *Carolum*, immatura ætate extinctum, gnatas verò aliquot genuit, quas in *tabula Rittershusiana* omissas enumerabo: *Anna Catharina* nupsit (1) *Mauritio Augusto à Rochau* Equiti Lusato, (2) *Joh. Christophoro ab Hoberg*; *Helena* mulier facta est ex viro *Joh. Carolo L. B. à Funfkirchen*; *Maria*, *Nicolao B. de Fucheim* desponsata fuit; *Anna Barbara*, puella decessit; denique *Anna Ursula*, *Johanni Bernhardo L. B. de Malzan* in manum convenit.

5. Supersunt itaque *duæ* saltem *lineæ*, quibus hodienum familia distinguitur, ab *Eitel Friderico* & *Carolo* conditæ; quarum prior *Hechingensis*, altera *Sigmaringensis* vocatur: Namque *Eitel Fridericus* in partitione patrimonii Comitatum *Zolleranum*, cujus caput *Hechinga* est, quæ sedem Comitibus præbet, obtinuit; eumque ad filium *Johannem Georgium*, è secunda conjuge *Sibylla C. de Zimmern* genitum, transmisit. Hunc omni

do-

doctrina liberalirer institutum trium Imperatorum favor celebravit, atque ornavit; à *Rudolpho* II. in Cubiculariorum & Consiliariorum numerum cooptatus, à *Matthia* Præses Judicii Imperialis Aulici lectus, à *Ferdinando* autem II. in *Principum* Imperii classem anno 1623. evectus fuit; dato Diplomate, quod *Limnæus* recensuit, quôque Cæsar constituit, ut ipse, & filius ejus primogenitus, omnesque eorum posteri, quicunque *Principalem Comitatum* & castrum gentilitium *Hohenzollern* possessuri fuerint, *Principali* axiomate in perpetuum eminerent. Ex uxore Francisca *Rhingravia* complures utriusque sexus liberos suscepit. Filiæ sex fuere, omnes matrimoniis auctæ, inter eas inprimis natu minima *Maria Anna*, quæ Deo irato suo, *Ernesto C. ab Isenburg in Grensau* an. 1630. nupsit, in sermone hominum, dum genæ virebant, versata est; cujus vitam, variis casibus exercitam, (quam demum an. 1670. in Gallis *Albæ Helviorum* in monasterio *Visitationis* finivit) autor Gallicus stylo signavit. I. P. T. IV. Add. ad l. 5. c. 9. p. 878.

6. Filios *Johannes Georgius* quatuor habuit, è quibus primogenitus *Eitel Fridericus* in comitiis Ratisbonensibus an. 1641. locum in scamno *Principum Imperii* obtinuit, & cum uxore *Margarita*, *Heinrici Comitis de Berg*, è priore conjuge *Margarita de Wittem* Marchionatus *Bergarum ad Zoomam* hærede, filia,

luculentam successionem in Belgio, dictum nempe ad *Zoomam* Marchionatum nactus est; sed eum gnata unica, quam an. 1661. è vita discedens reliquit, in *Turriam* familiam, ceu mox dicetur, intulit. *Georgius Fridericus* jamdum an. 1633 vitam amisit. *Leopoldus Fridericus* Imperatoris Ferdinandi III. Camerarius, ante viginti & plures annos vivere desiit. *Philippus Fridericus Christophorus* initio Ecclesiasticæ vitæ se addixit, & Canonicis Colonienſibus atque Argentinenſibus adscriptus fuit; posteà verò fratre primogenito, sine hærede masculo, fatis functo, ad conjugium animum appulit, & Pontifice dispensante *Mariam Sidoniam, Hermanni Fortunati M. Badenſis*, ex *Antonia Elisabetha Crichingenſi*, filiam, adhuc superstitem, an. 1662. thalamo sibi junxit, & quatuor liberorum pater, sub exordium anni 1671. naturæ concessit.

7. Filii tres sunt, inter quos potiores partes sorte nascendi habet.

FRIDERICUS WILHELMUS, *Princeps ab Hohenzollern, Comes in Sigmaringen, Veringen & Schwabeck, Dynasta in Haicherloch & Wehrstein, S. R. Imperii Hereditarius Camerarius.* Hic exterorum moribus atque urbibus visendis in præsentia occupatur.

Hermannus Fridericus, Comes ab Hohenzollern

Zollern &c. illius frater, inter *Canonicos* Ecclesiæ Cathedralis *Colonienſis* recipi meruit.

Leopoldus Fridericus, *Comes ab Hohenzollern* &c. cura materna ingenuè ac liberaliter educatur atque inſtituitur.

Margarita, eorum ſoror unica, innupta adhuc eſt.

8. *Heinrica Franciſca*, illorum conſobrina, *Eitelij Friderici* gnata unica, Marchionatus *Bergarum ad Zoomam* jure materno hæres, *Friderico Mauritio Turrio Comiti Arvernia* in manum convenit.

9. *Hechingenſem* lineam recenſuimus, veniendum ad *Sigmaringenſem*; hujus autor *Carolus* II. extitit, cui in diviſione patrimonii *Sigmaringen* & *Veringen* obtigere; quibus poſtea *Haicherloch* & *Wehrſtein* acceſſerunt. E duplici conjugio numeroſæ ſobolis pater factus eſt, quatuor & viginti omninò liberi fuerunt. Filiabus è priore matrimonio natis, atque in *tabula Rittershuſiana* enumeratis, addi poteſt *Maria Eleonora*, an. 1586. d. 29. Oct. genita, & *Johanni C. Fuggero* an. 1605. elocata, nec non maritus *Annæ Mariæ* anno 1573. genitæ, qui fuit *Marcus Comes Fuggerus*, cui an. 1603. nupſit: inter illas autem, quæ è poſteriore toro provenere, notandum, *Mariam Eliſabetham*, *Johanni Chriſtophoro patrueli* ſuo nuptum collocatam fuiſſe, *Ma-*

riam Cleophen, cùm Philippi Pr. Arembergici Ducis Arſcotani thalamum ingrederetur, viduam fuiſſe *Johannis Jacobi Bronchorſtii Com. ab Anholt.*

10. E maſcula prole *Caroli* II. præcipuè *Johannes*, *Eitel Fridericus*, atque *Erneſtus Georgius* memorandi veniunt: Huic inter Conſiliarios Cæſareos locus fuit, uxor autem *Maria Jacobe*, *Baroniſſa à Raitenau*, quæ, vidua facta, *Wolfgango Theodorico à Raitenau* agnato ſuo nupſit. *Eitel Fridericus* à puero Clericatui dicatus, in multis Germaniæ Eccleſiis Canonicus adſcriptus, adoleſcens jam *Præpoſitus Colonienſis* renuntiatus, Romam autem delatus à Clemente VIII. Papa in Cubiculariorum numerum cooptatus fuit: mortuo Clemente Germaniam repetiit, tandemque anno 1621. à Paulo V. Pontifice, in poſtrema ejus creatione, dignitate *Cardinalitia* decoratus eſt, atque iterum Romam profectus ab ejus ſucceſſore Gregorio XV. pileum & titulum Presbyteralem *S. Laurentii in Pane & Perna* obtinuit: biennio pòſt, vacuefacta ſede *Oſnabruggenſi*, abſens à Canonicis & Capitulo *Præſul* electus, Roma relicta eò ſe contulit, ſed an. 1625. d. 19. vel, ut alii volunt, 25. Sept. immatura morte extinctus eſt, non ſine veneni ſuſpicione; ceu quidem *Alphonſus Ciaconius* in *Commentario de vita & rebus geſtis Pontificum & Cardinalium* perhibet. *Johan-*

T. IV. pag. 458.

hannes stirpem propagavit; ei *Principale* axioma, non minus ac patrueli Johanni Georgio, collatum fuisse nonnulli tradunt, alii tamen id dignitatis filio demum ejus obtigisse memorant. Explevit ille mortalitatem an. 1638. postquàm è conjuge *Johanna* patrueli sua, an. 1634. defuncta, tres liberos suscepisset. Filiæ duæ fuere: *Sibylla*, *Georgio Wilhelmo C. Helfenstеinio* desponsata, posteà *Ernesto Bennoni C. Wartenbergico* nupsit, atque an. 1637. vivere desiit; *Maria*, primis nuptiis *Paulo Andreæ C. Wolckenstеinio in Trostburg*, secundis *Georgio Rudolpho L. B. in Haslang* in manus convenit.

11. Gnatus unicus, nunc etiam, nisi fallor, superstes, est

MAINRADUS *Princeps ab Hohenzollern, Comes in Sigmaringē, Veringen & Schvvabeck, Dominus in Haicherloch & VVehrstein, S. R. Imp. Camerarius Hæreditarius.* Sociavit sibi jugali fœdere, an. 1635. d. 6. Maji *Annam Mariam, Ferdinandi Comitis de Tœrring in Seefeld & Renatæ C. de Schvvarzenberg* gnatam, è qua multam prolem genuit, cujus syllabus hic est:

I. MAXIMILIANUS; natus an. 1636. d. 20. Jun. Præses Cameræ Imperialis à Cæsare an. 1673. designatus, sed nondum receptus, maritus *Claræ*, filiæ *Alberti C. de Berg in Boxmer & Magdalenæ de Cusance.*

II. *Iohannes Carolus*, n. & †. 1637.

III. *Maria Anna*, n. & †. 1638.

IV. *Ferdinandus Franciscus*, n. 27. Jan. 1639, atque ante plusculos annos in venatione vita privatus.

V. *Maria Iohanna*, n. 28. Mart. 1640, monialis in cœnobio *Inzkhofen.*

VI. *Meinradus*, n. 9. Apr. 1641. †.

VII. *Maria Magdalena*, n. - - - - †.

VIII. *Maria Menodora*, n. - - - - Monialis in *Holz*, †.

IX *Maria Francisca*, n. - - - - itidem monasticam in cœnobio *Inzkhofen* professa.

X. *Anna Maria*, n. - - - nupta *Antonio Eusebio C. de Kœnigseck in Aulendorf*, atque anno 1678. vivis exempta.

XI. *Franciscus Antonius*, n. - - - - *Parmæ* in Italia studiis literarum & gymnasmatibus incumbens.

Sten. Op. Har. l. 2. c. ult.

12. *Scutum* Principum ab Hohenzollern *quadripartitum* est: prima & quarta areola *iterum* quadrifida est *ex argento & nigro*, & Comitatum sive Principatum Zollerannm *denotat*: secunda & tertia *cærulea cervum aureum*, *tricipitis monticuli viridis culmini insistentem*, *exhibent*, Sigmaringensis Comitatus *σύγμα*. Toti *imposita est* parmula *rubea*, *duobus sceptris aureis in decussim collocatis impressa*:

preſſa: quod ſymbolum eſt Camerariatus Hæreditarii in Imperio. Galeæ *incumbunt* tres: prima *ſuſtinet caput vertagi argenteum, quadris argenteis & nigris* Zolleranis *pictum;* mediæ *ſceptrum Imperiale aureum, erecto ſitu, imponitur;* extrema *duobus rubentibus cornibus cervinis ornatur.* Laciniæ *dependent circa primam caſſidem* nigræ & argenteæ, *ſecundam,* rubeæ & aureæ, *tertiam* cæruleæ & aureæ.

13. Comprehenduntur Principes Hohenzollerani ſub Circulo *Suevico*, ejusque *ſecundo diſtrictu:* in comitiis non niſi *unicum ſuffragium* ferunt. De immedietate Comitatus *Veringenſis* cum Auſtriaca domo controverſantur.

CAP. III.

DE PRINCIPIBUS EGGENBERGICIS.

EGgenbergiorum illuſtriſſima gens è *Suevis* oriunda in *Styriam* migravit, ibique caſtrum *Ehrnberg* acquiſivit, & *Baronum* axiomate aucta eſt. Ejus Genealogiam, Vir diligentiſſimus *Bucelinus*, à *Bartholomæo Eggenbergero*, deducit, qui filium habuerit *Andream*, maritum *Annæ Seenuſſin*, & patrem *Chriſtophori*, quô & *Helenâ Fuegerin* nati *Bartholomæus*, *Johannes Chriſtophorus*, & *Balthaſar*, *Germ. Stemmatogr. Vol. 3.*

far, autores trium linearum, inter quas *Balthasaris* progenies caput extulit: ei verò uxorem tribuunt *Barbaram de Pain*, filios *Balthasarem* Juniorem, ἀπαιδα, & *Wolfgangum*, genitorem *Sigfridi* (hunc alii *Christophorô*, quem ejus proavum diximus, immediatè prognatum ferunt) qui è *Benigna Gallerin* suscepit *Johannem Ulricum*.

2. Is virtute duce, comite fortuna, in altiorem dignitatis gradum emersit; cum enim multis magnisque meritis apud Imperatorem Ferdinandum II. valeret, summis ab eo cumulatus est honoribus; nec solum *Crumloviâ*, egregio in Bohemia castro, quod Rosenbergiorum quondam fuerat, sub titulo *Ducatus*, auctus, sed &an. 1623. in comitiis Ratisbonensibus ad *Principale* fastigium cum omnibus ac singulis posteris suis, utriusque sexus, evectus; induxitque Cæsar Proceres Imperii, ut ipsi locum suffragiumque in Senaculo Principum concederent. Cùm an. 1634. vitam cum morte commutasset, præter tres filias, in *tabula Genealogica*, quam publicæ luci dedimus, notatas, filium unicum post se reliquit *Johannem Antonium*.

3. Hunc *Ferdinandus* III. Imperator factus Romam, ad obedientiam Pontifici *Urbano* VIII. de more præstandam, misit; quam legationem ille præclarè obiit, atque Heri

fui

sui decus gloriamque, non sine privato impendio, splendidissimè sustentavit. Familiæ claritudinē illustri affinitate, quam cum Serenissima domo Brandenburgica contraxit, lucidiorem atque ampliorem reddidit. Cùm an. 1641. Imperii Ordines iterum Ratisbonæ convenissent, de republica deliberaturi, omnem movit lapidem, ut, ad locum à parente in Principum collegio occupatum, ipse quoque admitteretur; & tergiversantibus Principibus Cæsarem, ut sibi patrocinaretur, exoravit, Electoribus etiam, ut pro ipso intercederent, persuasit, nihilo tamen secius contrastetere Principes, ejusque desideria nudè ac simpliciter explere detrectarunt; sed has ipsi conditiones tulerunt, ut bona immediata & ditiones in Imperio acquireret, iisdem certa summa, quam in ærarium publicum conferret, imponeretur, utque ratione sessionis & voti cæteris in eodem Senatu Principibus antiquioribus, eorúmque legatis sese postponi sine contradictione pateretur. Atque hoc Principum decretum ita prævaluit, ut etiam Recessui Imperii, circa finem, de implendis conditionibus, expressa clausula adjecta fuerit, quemadmodum *Limnæus* refert. Quare Imperator ut dignitati Eggenbergii consuleret ac provideret, ipsi *Gradiscam* in Foro Julii vendidit, eamque *Comitatus Principalis* titulo *Iur. Publ. T. IV. Add. ad l. 5. c. 7. p. 864.*

tulò ornavit, & *immedietate* donavit? quo facto, scitum est à Proceribus Imperii, ut ille in Collegium Principum reciperetur, summa pecuniæ, quam ad sustinenda Imperii onera penderet, statueretur, ipseque matriculæ *Circuli Austriaci* insereretur; introductio tamen anno demum 1654. cum rursum comitia in memorata Reginopoli haberentur, atque adeò *Johanne Antonio* jam dum rebus humanis exempto (decessit enim an. 1649.) facta est. E conjuge *Anna Maria Brandenburgica*, quæ an. 1680. *Oedenburgi* in Ungaria vitam piè & constanter peractam finivit, liberos quatuor suscepit: filiæ duæ fuere, quarum altera *Maria Franciscæ* brevis ævi fuit, filii totidem.

4. Hos inter prior est nativitatis ordine JOHANNES CHRISTIANUS, *S. R. Imp. Comes, Princeps Gradiscæ, Dux Crumlovii, Princeps ab Eggenberg & Comes in Adlsperg:* prodiit in lucem an. 1641., d. 7. Sept. atque an. 1666. fœdere jugali sibi sociavit *Mariam Ernestinam*, *Johannis Adolphi Principis Schwarzenbergici* è *Maria Justina Comitissa de Stahrenberg* filiam, sed sobole destituitur.

5. JOHANNES SIGFRIDUS, *S. R. Imp. Comes, Princeps Gradiscæ, Dux Crumlovii, Princeps ab Eggenberg, Comes ab Adlsperg, S. Cæs. Majestatis Consiliarius actualis,*

lis, & Carniolensis provinciæ Supremus Præfectus, Johannis Christiani germanus frater, auram vitalem hausit an. 1644, d 12. Aug. Matrimonio sibi junxit an. 1666 *Mariam Eleonoram Rosaliam, Caroli Eusebii Principis de Liechtenstein & Beatricis Dietrichsteiniæ* gnatam, è qua hactenus genuit:

I. *Iohannem Antonium Iosephum*, n. an. 1669, d. 6. Jan.

II. *Leopoldum Iohannem Iosephum Dominicum*, n. d. 15. Jul. an. 1675, & paulò pòst iterum extinctum.

8. *Maria Elisabetha*, illorum soror ingressa est vitæ scenam an. 1640, d. 26. Sept. atque an. 1656. die sua natali *Ferdinando Principi de Dietrichstein* nupsit.

7. *Scutum* Principum Eggenbergicorum, *semel transversim, bis ad perpendiculum sectum*, sex areolas *complectitur; quarum* prima *argentea, quinque rosas rubeas, foliolis viridibus ornatas atque auro gemmatas, & in quincuncem dispositas, continet*; secunda *ex auro & cyano transversim secta crucem anchoratam argenteam refert*; tertia *coccinea, aquilam argenteam*, quarta *è cyano & minio bipertita iterum aquilam argenteam exhibent*; quinta *carulea anchoram auream repræsentat*; sexta *denique aurea rotam argenteam*, ii Fürstii Armario credendum, *continet*. Toti *incumbit* parmula gen-

gentilitia, *quæ argentea est, & tres volucres nigras, auro coronatas, atque ita dispositas, ut duæ ex angulis superioribus provolent, tertia inferius consistat, tria verò capita in corde scuturi coëant, exhibet, Tegitur scutum* mitra Ducali.

CAP. IV.

DE PRINCIPIBUS LOBKOWIZIIS.

LObkovviziana familia, quamvis haud satis exploratæ sit originis, à multis tamen jam seculis inter Proceres primos eam numeravit *Bohemia*, utpote antiquitate, virtutibus, dignitatibus & possessionibus illustrissimam. Primus, cujus memoria apud Historicos occurrit, fuit *Dominus de Lobecz*, qui vixit circa annum 861. dum Bohemiæ præesset *Neklan* Princeps. Nomen, ait *Paprocius*, ostendit stirpem esse Slavicam; post destructam arcem originariam *Lobecz*, alteram exstruxere, *Lobkovviz* dictam, quæ hodiè visitur, quemadmodum ab Eruditissimo *Balbino* accepi, qui id etiam perscripsit, posse se omnem Lobkowiziorum familiam ad unum & communem stipitem revocare, scilicet ad *Johannem de Lobkovviz*, *Dominum in Zasada*, *Marescallum Cæsaris Wenceslai*, circa an. 1390; idque se in illa parte *Miscellaneorum*

rum ſuorum *Bohemicorum*, (cujus quatuor priora volumina orbis literatus jam dum vidit ac ſuſpicit) quæ Genealogiis Procerum Bohemiæ deſtinata eſt, demonſtraturum.

2. Nos tam præclarum opus ſummaa viditate præſtolantes, & Clariſſimo Autori integras in viridi ſenecta vires, firmamque valetudinem animitus comprecantes, id intereà notamus, quod ab eodem edocti ſumus, nimirum *duplices* jam ab annis prope 280. repertos eſſe *Lobkovvizios*: alii à prima origine *Popelii* dicebantur, alii *Haſſenſteinij* ab arce *Haſſenſtein*, quod propè *Cadanam* in Bohemia eſt, nominari cœperunt: cum enim *Dynaſtæ de Schœnburg* Miſniacæ familiæ, qui illam arcem ſub feudo tenebant, Wenceslao Imperatori ac Regi parere nollent, miſit ille cum Exercitu *Johannem de Lobkovviz*, Mareſcallum ſuum, qui ad deditionem arcem compulit; quam Cæſar cum vicina ditione ad vitam Johanni conceſſit. Secuta ſunt Ziskiana tempora, in quibus *Nicolaus* I. Johannis filius, & *Nicolaus* II. nepos, plurimas pecunias Sigiſmundo Imperatori ac Regi concefferunt, qui ob illam pecuniam atque alia merita, hanc arcem cum tota ditione, *Cadanæ* Burggraviatu, *Comotovio* &c. illis partim vendidit, partim donavit; quo modo nova linea Lobkowiziorum emerſit, qui ſe *Haſſenſteinsky*, vel *ab*

Haſſenſtein arce cœperunt cognominare; ſed initio ſeculi, quo agimus, defecerunt.

3. Id etiam fortaſſis prætereundum non eſt, *Nicolao II. Lobkovvizio*, cujus mentionem feci, ab uxore *Sophia de Zerotin*, partem hæreditatis Zerotiniorum obtigiſſe: ea quippe patrem habuit *Plichtam de Zerotin* ultimum ſuæ gentis antiquiſſimæ pariter & nobiliſſimæ; qui circa annum 1440. vel 1450. è vita hominum diſceſſit, relictis ſolum filiabus, *Scholaſtica* & *Sophia*, quarum prior *Wilhelmo Svvihovvsky Domino de Ryzimberg*, altera verò *Nicolao Lobkovvizio*, ceu dictum eſt, nupſit, unde uterque gener inſignia Zerotiniorum, *aquilam* nempe *nigram*, aſſumſit, ſuoque clypeo inſeruit.

4. Sed *fœcunditate* ſua inprimis conſpicuam, ſe reddidit Lobkowiziana ſtirps, numeroſiſſimisque fœtibus floruit; adeò, ut, (indice prælaudato *Balbino*) avorum memoria ſub Rudolpho, legitimæ ætatis Lobkowizii, qui gladium evaginarent, & ſuas poſſeſſiones diviſas ab aliis haberent, atque ad comitia vocarentur, plerumque *viceni & amplius* numerarentur.

5. E *Popeliana* linea claruit, duobus circiter retrò ſeculis, *Johannes Popel de Lobkovviz*, cui uxor fuit *Anna Svvihovia* atavis edita Regibus; qua natus eſt *Ladislaus Popel Senior de Lobkovviz*, maritus *Catharinæ Annæ de Kreid-*

de,

de, & pater filii *cognominis Domini in Chluniz*: hunc virtus ac prudentia ad summa in Regno Bohemiæ munia, evexit; namque primus Præses Appellationis, Supremusque Regni Præfectus fuit, Regum etiam ac Imperatorum gratia atque existimatione polluit; habueruntque eum Nestorem in consiliis capiundis Ferdinandus I. Maximilianus II. & Rudolphus II. Medius ex his remuneratus etiam est merita Ladislai, eique Dynastiam *Neostadiensem ad Waldnabam*, quæ olim *Pflugiorum*, posteà *Heidecciorum* fuerat, atque Imperio immediatè subest, contulit.

6. Persolvit naturæ debitum *Ladislaus Lobkovvizius Junior* an. 1584, ætate ad secundum usque Octuagesimum annum perducta, è conjuge *Johanna Berckiana de Duba & Lippa*, an. 1601. defuncta, aliquot suscepit liberos, è quibus maximè inclaruit *Zdenko Adalbertus*, quippe cui non minor fides ac rerum usus quàm parenti inerat, bellica etiam virtute inclutus, & multis magnisque meritis apud Imperatores Rudolphum, Matthiam & Ferdinandum II. quibus singulis à consiliis erat, conspicuus fuit; prætereà Supremus Regni Bohemiæ Cancellarius & Eques Ordinis *Aurei Velleris* extitit, atque an. 1624. à Ferdinando II. Cæsare ad *Principale* fastigium provectus, & in Ordinem *Principum Imperii* cooptatus est; ita ut ipse ejus-

que liberi, utriusque sexus, & nati natorum ac qui nascuntur ab illis, axiomate Principali, omnique prærogativa, qua Imperii Principes eminent, uti ac frui Cæsareo Diplomate juberentur. Habuit in matrimonio *Polyxenam de Pernstein*, viduam *Guilhelmi Rosensis*, sororem *Johannis Wratislai de Pernstein*, postremi suæ stirpis, qui an. 1631. ante *Lipsiam* occubuit: filium post se reliquit unicum *Wenceslaum Eusebium*.

7. Hic ab Imperatore Ferdinando III. Imperiique Ordinibus in Comitiis Ratisbonensibus, an. 1641. impetravit, ut Dynastia *Neostadiensis* in Nortgavia, quam ab avo suo, ceu dixi, acquisitam jure hæreditario tenebat, in *Principalem Comitatum* sub nomine *Sternstein* erigeretur, juribus Principalibus ornaretur, & *Circulo Bavarico* adscriberetur. Indecum de summa etiam pecuniæ, quam in publicum Imperii ærarium conferret, cum ipso pactum esset, sequenti in conventu, quem iterum Ratisbonæ an. 1654. Ordines egerunt, ad *sessionem* & *suffragium* in Principum Senaculo, sollemni introductione admissus est. Ducatum *Saganensem* in Silesia ab eodem Imperatore an. 1646. præsentibus nummis comparavit. Cæterum quod attinet munera ac dignitates, quarum supremum culmen in aula Leopoldi Augusti propitiis gratiis consecutus est, fatumque quo

illis

illis omnibus excidit, atque intra triduum aula ac urbe facessere, & domi suæ, in Bohemia, *Raudnicii* manere atque exsulare jussus fuit, ea, utpote novissimè acta, lippis ac tonsoribus nota sunt, neque nostro stylo egent; eò minus, quod typis excusa prostat *Relatio Trajani Boccalini ex Parnasso ad Aulum Gallionem* Cal. Dec. an. 1674. scripta, qua *præcipitii Lobkovviziani* Historia falsè & luculentè enarratur. Conjugium bis contraxit, primum an. 1638, d. 2. Nov. cum *Johanna Mißkya de Zloniz*, quæ priorem maritum *Wenceslaum Felicem Pietipesky de Chiesch & Egerberg*, Equitem ejusdem anni mense Junio amiserat, & an. 1650. d. 17. Jan. sterilis mortem obiit: secundum an. 1653. cum *Augusta Sophia, Augusti Com. Palat. in Sulzbach* filia, an. 1682. defuncta, è qua quinque liberorum parens factus est: tres enim brevissimi ævi fuere; *primogenitum* an. 1654. d. 31. Jan. natum in ipso ortu mors intercepit, tertiogenitus *Philippus Fridericus Adalbertus* a. 1656. d. 12. Sept. in lucem editus, non nisi biennii spatio ea gavisus, atque an. 1658. d. 22. Dec. extinctus est; quartogenita *Maria Hedvvigis Sophia* diem natalem 20. Apr. 1658. emortualem 24. Mart. an. 1660. habuit: reliqui duo potioris sexus vitæ ejus superstites manserunt, de qua quidem discessit atque in communem se recepit locum d. 24. Apr. an.

8. Successit ei in Principatu filius natu major

FERDINANDUS AUGUSTUS LEOPOLDUS, *S.R.Imp.Princeps de Lobkovviz, Dux Sagani in Silesia, Princeps Comes de Sternstein, Dynasta in Chlumiz & Raudniz.* Hausit is auram vitalem an. 1655. d. 7. Sept. atque an. 1677. d. 17. Jul. primo connubio sibi sociavit *Claudiam Franciscam, Mauritii Heinrici Pr. Nassovici in Hadamar* ex *Erneſtina Agnata* è *Siegenſi* domo filiam, quam an. 1680. d. 6. Mart. mors abstulit: secundis nuptiis ejusdem anni d. 17. Jul. sibi junxit *Mariam Annam Wilhelminam, Wilhelmi Marchionis Badenſis & Mariæ Margaritæ C. Oetingenſis* filiam. E *priore toro* prodiere

I. *Eleonora*, nata an. 1678. d. 29. April. & tertiâ ac decimâ abhinc die extincta.

II. *Leopoldus Christianus*, n. 18. Mart. 1679. †. 28. Febr. 1680.

III. *Philippus*, n. 25. Febr. 1680.

E *posteriore thalamo* provenerunt hactenus

I. *Ioſephus Antonius Auguſtus*, n. 15. Apr. 1681.

II. *Eleonora Eliſabetha Amalia*, n. 20. Jun. 1682.

9. *Franciscus Wilhelmus Ignatius*, Principis Lobkovvizii frater unicus, prodiit in lucem an. 1659. d. 15. Sept. & cœlibem adhuc vitam agit.

10. *Cly-*

10. *Clypeus* Principis *bis transversim & semel perpendiculariter secatur*, areolasque sex *comprehendit*: prima *aurea, caput uri nigrum, annulum ejusdem coloris ore ferens, continet, quod δᾶγμα* erat Pernsteiniæ familiæ; *in* secunda *rubea, apparet angelus, aureas indutus vestes, quod* insigne est Saganensis Ducatus; tertiæ *cœruleæ partem inferiorem petra triceps argentea implet, in superiore tres stellæ aureæ fulgent, designando* Comitatui Principali Sternstein: quarta *cœrulea, leonem coronatum aureum, cauda bifida, refert*: quinta *aurea, tribus palis nigris distinguitur*, hos duos laterculos Cæsarem Principi, ob rem in bello fortiter ac feliciter gestam, addidisse ferunt: sexta *denique areola aurea, continet aquilam nigram, quæ in pectore semilunam & huic impositam cruciculam, argentei coloris exhibet, quod* Symbolum est Silesiæ, *vel speciatim* Ducatus Glogaviensis, qui olim cum Saganensi conjunctus fuit. Toti *incumbit* parmula *quadripartita, cujus prima & extrema quadra è minio & argento transversim secantur*, & Popeliorum de Lobkovviz tesseram gentilitiam *repræsentant; secunda & tertia argentea, singulas aquilas nigras, quæ nonnihil in altum dextrorsum inclinatæ volant*, (Zerotiniæ familiæ emblema) *referunt. Tegi solet hic clypeus* mitra Ducali.

CAP. V.

DE PRINCIPIBUS SALMENSIBUS.

PRincipes *Salmenſes* de *Comitum Rhenanorum*, qui in Palatinatu, Lotharingiæ & Trevirenſis Diœceſeos confiniis à ſeculis benè multis florent, ſtemmate ſanguinem ducunt. Eorum incunabula ſunt qui inter Romanos quærunt, & ab officio *Comitatus Rheni*, de quo exſtat conſtitutio Imperatoris *Valentiniani* an. 364. ad *Jovinum* Magiſtrum Equitum, illos nomē traxiſſe arbitrantur. Cl. *Rittershuſius* veſtigia ab aliis trita premens, familiæ Genealogiam ab *Adelhelmo*, qui circa annum 670. vixiſſe perhibetur, exorſus eſt; eique nepotem tribuit *Cancorem* (vel ſecundum Helwichium *Cancronem*) *Rheingravium in Hagenheim*, quem monaſterium Benedictinum Laurisheimenſe an. 774. fundaſſe ferunt. Is *Hub. Thomæ Leodio* Illuſtris *Rhenenſis pagi Comes* vocatur, *qui ſub Pipino I. Francorum Rege circa Wormatiam & Heydelbergam longè latéque regnârit*, filiumque habuerit *Heinricum*, & fratrem nomine *Turnibertum*, patrem *Ruberti*, qui omnes dictum monaſterium vehementer locupletaverint. Verùm de his in Rheingraviorum Genealogia nulla fit mentio; & ſanè, ne quid diſſimulem

V. Lehm. Chron. Spir. l. 1. c. 9 p. 25.

Annal. de vita Frid. Pal. l. 1. pag. 7.

lem, incertaeſt & hiulca omnis illa Comitum Rheni ab *Adelhelmo*, quem dixi, usque ad *Johannem* I. enumeratio, quam *Rittershuſianæ* tabulæ exhibent; cùmque deſint documenta, quibus fidem vel addere vel demere ei liceat, non juvat hiſce immorari.

2. *Johannes I. Rheingravius*, qui an. 1338. fatis conceſſit, primam cum *Wildgraviis* sive *Comitibus Sylveſtribus*, quos ab *Ottone Wittelſpachio*, Philippi Cæſaris percuſſore Scriptores deducunt, affinitatem contraxit, atque *Hedvvigen Dauhnenſis* lineæ hæredem uxorem duxit, eámque ſucceſſionem in familiam intulit. Ejus è filio cognomine nepos *Johannes* III. repetita cum *Wildgraviis* affinitate, *Gerhardi* poſtremi ſuæ gentis filiâ, *Adelheidin* fœdere jugali ſibi ſociavit, cumque *Elſa*, Adelheidis ſoror unica, *Friderico Vinſtingæ Domino* nupta, jus ſuum ei ceſſiſſet, *Kirburgiam* hæreditatem crevit, titulumque ac inſignia *Wildgraviorum* cum avitis conjunxit.

3. Hac autem felicitate in matrimoniis, qua illi familiam inſigniter auxerunt & locupletarunt, poſteri etiam uſi ſunt; namque *Johannes* V. Tertii nepos, qui an. 1491 vitam finivit, *Johannam*, *Johannis Comitis Salmæ in Vogaſo* & *Johannæ de Rozlar* gnatam unicam, connubio ſibi junxit, & cum ea dimidium Comitatum *Salmenſem*, *Merchingen*,

Pittlingen, *Rozlar* & alia accepit, titulóque & insignibus *Comitis Salmæ* uti cœpit. Ejus filio *Johanni* VI. uxor *Johanna*, *Nicolao C. Sarvverdæ* & *Barbara Vinstingensi* nata, partem dominii *Vinstingensis*, *Ogiville*, *Neufville*, *Dimringen* & alia attulit: reliquam *Vinstingæ* partem *Magdelena*, Barbaræ soror, ad *Ferdinandum Novocastrensem* maritum suum transmisit, à quo in *Dammartinam*, indeque in *Croviacensem* familiam transiit.

4. Cæterum *Johannes* VI. omnium, qui è Rheingraviorũ stirpe nunc vivunt, cõmunis parens extitit, & per filios *Johannem* VII. & *Philippum* duplicem ramum profevit, qui *Merchingensis* sive *Kirburgensis*, & *Dauhnius* dicuntur. De priore alio loco sermo erit; Dauhnium *Philippus* condidit, (cui in partitione ditionum obtigere aliqua *Salmensia* bona, præterea *Neufville*, *Grumbach*, *Dauhn* & *Pittlingen*) eumque propagavit per filium *Philippum Franciscum*. Is è conjuge *Maria Ægyptiaca C. Oetingensi* quatuor genuit filios, totidem palmitum fatores: sed ex his primogenitus *Johannes Philippus* Comes Salmæ non nisi unicam prolem infirmioris sexus procreavit; *Fridericus* secundogenitus, qui *Neufville* & *Pittlingen* fortitus erat, quatuor successivè uxores habuit, & aliquot liberorum pater fuit, filiorum præcipuè trium, *Philippi Ottonis*, *Johannis Georgii*, & *Friderici Magni*,

Magni, è quibus *medius* masculâ sobole caruit, à reliquis duæ iterum lineæ ortæ sunt; sed posteriores, *Neufvillenſis* scilicet, nec non palmitum *Grumbacenſis* & *Dauhnii*, speciatim sic dicti, enumerationem in alium locum rejicimus.

5. *Philippus Otto*, patruo *Johanni Philippo* in parte Comitatus *Salmenſis* succeſſit, Vir belli pacisque artibus excultiſſimus, quibus optimam operam Imperatoribus Rudolpho II, Matthiæ, & Ferdinando II. perhibuit, promeruitque ut ab hoc an. 1623. in altiorem ordinem efferretur & *Principali* axiomate condecoraretur; in cujus dignitatis partem etiam filius ejus major natu, cunctique eorum posteri, qui Comitatum Salmenſem poſſeſſuri sunt, vocati fuerunt; quemadmodum è diplomate Cæſareo, quod *Limnæus* recenſuit, patet. Obiit anno 1634. è vulneribus in prælio *Nordlingenſi* acceptis, relicto poſt ſe filio è *Chriſtina Croviaca*, *Caroli Philippi Marchionis de Havré* gnata, ſuſcepto, *Leopoldo Philippo Carolo*. *I. P. T. V. Add. ad l. 5. c. 15. p. 455.*

6. Is in comitiis Ratisbonenſibus an. 1654. accurante Imperatore Ferdinando III. ad *ſeſſionem & votum* in *Principum* collegio d. 28. Febr. admiſſus eſt, actisque Ordinibus pro receptione gratiis, Principi *Hohenzollerano* de proëdria controverſiam movit, ceu *Limnæus* refert. Vitæ ac tori ſociam habuit *Ibid. p. 458*

Ma-

Mariam Annam, filiam unicam *Theodori C. Bronchorſtii*, cum qua partem Bronchorſtianæ ſucceſſionis obtinuit. Ex ejus filiis *Ludovicus Liberius* & *Franciſcus* viventium numero exempti, duo ſuperſtites eſſe feruntur; inter hos Principali dignitate in præſentia eluit

7. CAROLUS THEODORUS OTTO, *S. R. Imp. Princeps in Salm, Comes Sylveſtris in Dauhn & Kirburg, Comes Rheni in Stein, L. Baro de Vinſtingen, Anholt, Pahr & Latun, Dynaſta in Pülnie, Bajon, Neufville, Ogiville & Meideruh, Bandereſius Hæreditarius Principatus Geldriæ & Comitatus Zutphaniæ.* Is habitare ut plurimum ſolet in caſtro *Anholt*, quod ex hæreditate materna accepit, & haud procul Trajecto ad Moſam diſtat. Cum inpræſentibus comitiis ad locum, quem parens ejus in Principum collegio obtinuerat, admitti poſtularet, repulſam initio à Principibus tulit; qui cauſabantur, patrem ipſius præſtanda nondum præſtitiſſe, neque quotam Lobkowizianam, quam receperit, dependiſſe, eumque bonis immediatis in Imperio inſtructiorem ſeſe oſtentaſſe, ac revera fuerit: quippe integrum Comitatum Salmenſem pro ſuo venditaſſe, cum non niſi dimidiam ejus partem teneret; præterea medietatem Domi-

Dominii Vinstingensis ad se pertinere, eum dictitasse, quam tamen in alienas manus perveniisse notum esset, quamque ipse Carolus Theodorus in libello suo memoriali prætercrierit, & illius loco Anholtinam Dynastiam enumeraverit. Censuerunt itaque Principes, recipi eum non posse, priusquam plures in Imperio possessiones immediatas acquisiverit, seque idoneum reddiderit, cum Lobkowizio Principe paria in ferendis Imperii oneribus faciendi: Nihilo tamen secius *Mathæus Hermes*, quem Salmensis ad comitia ablegaverat, prætexens, se ab Arembergico etiam Principe mandata habere, an. 1669. d. 28. Febr. in Principum collegio comparuit, locum quoque Salmensis Principis de facto occupaturus; sed Evangelicorum Principum Legati protinus è Senaculo discesserunt, ac postularunt, ut *Hermes* collegio faceſſeret, nec nisi re transacta eò rediret, quoniam verò non ita multò ante Electoris Brandenburgici Legati sessionem, ob Principatū Caminensem, eadem via facti arripuerunt, id ille, universáque Catholicorū Principum cohors obtentui sumpsit; unde disceptatio orta, quæ tamen paulò post sopita, & Principi Salmensi locus suffragiumque inter Principes concessum est. In nupero bello Gallico, cum immedietas Principatus Salmensis impugnaretur, cautum fuit pace

Neo-

Neomagensi, ne Principi amplius eo nomine molestia exhiberetur; nihilominus expertus est, suo malo, veritatem dicti Tiberiani, *minui jus, ubi gliscit potestas.*

Tac. Ann. l. 3. c. 69.

8. Matrimonium contraxit *Carolus Theodorus* cum *Maria, Eduardi Comitis Palatini & Annæ Gonzagæ* filia, quam an. 1671. d. 10. Mart. in castro *Asinariæ* ad *Sequanam* interveniente mandatario, *Comite de Langeron*, duxit, quæque an. 1679. d. 11. Mart. *Aquisgrani* præmaturè vita caruit, postquam aliquot liberos enixa esset, quorum nomina rescisci re integrum non fuit.

9. *Gasto Philippus Christophorus*, Principis Salmensis frater unicus in cœlibatu vivit.

Spon. Op. Har. l. 1. c. 76.

10. *Scuto* Salmensis Princeps eodem utitur, quo Rheingravii universi, nempe *quadripartito*, cujus arcolæ prima & quarta *nigræ leopardum erectum argenteum*, Wildgraviorum δίγμα *continent*; secunda & tertia *aureæ leonem rubeum cyano coronatum*, Rheingraviorum tesseram *exhibent*. Toti *imposita est* parmula bipertita *cujus* dextrum latus *rubeum tres leunculos aureos erectos* 2, 1. Kirburgensem Comitatum *designantes refert*; sinistrum *transversè sectum, superiore parte coccinea & cruciculis argenteis sparsa, duos salmones aversos argenteos repræsentat*, symbolum nempè Palmensis Comitatus; *inferiore cærulea fasciam*

sciam argenteam, *qua* Vinstingense Dominium *denotatur*, *continet*.

11. Galearum, *qua* tres *incumbunt*, dextra, *coronata jugo alarum rubrarum, impressos tres leunculos* Kirburgenses *exhibet*: media *pileum nigrum ora coccinea reducta sustinet*, *cum duobus fascibus argenteis consertis*: sinistra *coronata caput vertagi cum collo cœruleum refert*, *fascia argentea* Vinstingensi *exaratum*, *collo adjectis quatuor pennis pavoninis*. Laciniæ *circumvolitant galeam priorem* aureæ & rubeæ, *mediam* nigræ & argenteæ, *posteriorem* argenteæ & cœruleæ.

12. Refertur Princeps Salmensis ratione *Salmæ* ad Circulum *Rhenanum superiorem*, respectu verò Dynastiæ *Anholtinæ* ad Circulum *Westphalicum*.

CAP. VI.

DE PRINCIPIBUS NASSOVIIS.

ILLustrissima *Nassoviorum* gens nulli præcipuarum Imperii familiarum secunda est, multis etiam antiquitatis & splendoris palmam facilè præripit. Solet ejus origo derivari vel á *Nasua*, quem C. J. Cæsar victo Arioviſto *Præfectum Rheni* apud *Confluentes* constituerit, unde posteà Comites Nassovii *hæreditarii Advocati*, id est *Defensores & Protectores Rheni*

Rheni (Erb-Vögte deß Rheins) appellati fuerint; vel à *Theodosio* quodam, qui seculo septimo vixerit & Comitatum Nassovienſem per matrimonium acceperit. Fœcunditas autem gentis tanta fuit, ut in multas ac varias ſeſe diffuderit lineas: ſeculo nono *Eberhardus* vixiſſe memoratur, quatuor filiorum parens, è quibus *Philippus Solmenſem* arcem, ad fluvium cognominem, extruxerit, & *Solmenſium Comitum* ſtirpem hodie adhuc virentem proſeverit; *Arnoldus* verò *Naſſovios* continuaverit per gnatum *Warmundum*: hoc genitus eſt *Dietericus* pater è *Margarita C. ab Arensberg Johannis*, avus *Ottonis*, cui filius *Walramus* fuit. Hic Dux militaris, ſub Ottone M. Imperatore an. 1020. Noribergæ, (quam poſteri etiam ejus frequentarunt, ibique ædes, quæ hodienum inſignibus Naſſovicis ornatæ viſuntur, extruxerunt) fatis conceſſit, duobus filiis, *Walramo* atque *Ottone*, poſt ſe relictis.

Rittersh. Exeg. p. 158.

2. *Otto*, ducta an. 1039. *Adelheida*, filia *Wichardi* ultimi *Præfecti Geldriæ*, è familia *Comitum de Ponte*, (quibus Carolus Calvus Imp. *Præfecturam Geldriæ* conceſſerat) ab Heinrico III. Imp. circa an. 1079. Geldriam obtinuit, & primus *Geldriæ Comes* appellatus fuit. Illa verò mortua, *Sophiam*, *Wichmanni Com. Zutphaniæ* filiam ac hæredem in thorum adſcivit, atque adeò hunc etiam Comi-

Comitatum acquisivit, & lineam condidit, quæ *Geldrica* vocabatur, quæque ab Imperatore Ludovico Bavaro *Ducali* axiomate aucta est; sed in *Rainaldo III, Pingui* cognominato, & *Eduardo* fratribus, qui terali dissidio, quo inter se conflictati sunt, famam sibi pepererunt, an. 1371. defecit: ejus successionem non sine contentione sibi vindicavit *Wilhelmus Dux Juliacensis*, ex una sororum Rainaldi & Eduardi natus, à quo ad *Arculeos*, indéque ad *Egmondanos*, tandem verò ad *Carolum V. Augustum* transiit, à quo tempore Geldria in Belgicæ provinciæ formam redacta fuit.

3. *Walramus*, Ottonis Geldrici frater, è filio *Roberto* nepotem habuit *Walramum*, patrem *Heinrici*, quo natus est *Otto*; hoc *Heinricus* cognomento, *Dives*, omnium qui nunc ex hac gente supersunt, *communis parens*: ab ejus enim filiis *Wilramo* & *Ottone* duæ lineæ capitales, quibus familia distinguitur, prodierunt; à Walramo *Idsteinensis* sive *Weilburgensis*, quæ deinceps à nova hæreditate *Sarapontana* etiam dicta est, quæque alio loco recensebitur; ab Ottone *Dillenburgia*, cui posteà *Catimelibocensis* quoque nomen inditum fuit.

Otto in partione patrimonii *Dillenburgium* & *Beilsteinium* Comitatus sortitus est,

atque è filio *Heinrico* nepotē *cognominem* habuit, qui connubio sibi junxit *Adelheiden*, *Godofredi C. Viandæ* sive *de Vyenthal*, an. 1337, in Cypro sine masculis hæredibus defuncti, filiam minorem natu, & cum ea Baronatum *S. Viti*, in Ducatu Lucenburgico, jusque in Comitatum *Viandæ*, qui in eodem Ducatu situs est, obtinuit; vigore cujus, postquam *Simon C. Spanheimii & Viandæ*, *Mariâ*, quæ Adelheidis soror erat, & *Waleramo C. Spanheimico* natus, improlis mortem obiisset, *Engelbertus* Nassovius, *Ottonis* è *Johanne* nepos, in Comitatu *Viandæ* successit. Hic fratrem habuit *Adolphum*, cui uxor *Gutta*, *Gerhardi C. Diezensis* filia ac hæres, Comitatum illum, adutramq; *Lani* ripam situm, attulit; quem, cùm unicam tantum prolem sequioris sexus haberet, nempe *Juttam*, *Godofredo Baroni ab Eppstein* elocatam, *Engelberto* oppignoravit, eumque in communionem tituli admisit; unde ipso mortuo inter generum ejus & Nassovios lis orta est, quæ anno 1440 in hunc modum composita, ut Comitatus Diezensis medietatem Eppsteinii, alteram Nassovii tenerent. Sed *Engelberto* etiam felix obtigit conjugium, *Johannæ* scilicet *Polanæ*, quæ *Philippi Baronis de Leck & Breda* filia ac hæres fuit, maritumque amplis in Marchionatu S. R. Imp. ditionibus, nempe Baronatu *Bredæ* & parte Dynastiæ *Grimbergensis*, locupletavit.

4. Ex

4. Ex hoc matrimonio provenit *Johannes*, natus an. 1410. d. 1. Aug. pater, ex uxore *Maria, Johannis C. Lohnæ & Heinsbergæ* filia, *Engelberti & Johannis*, dicti *Junioris*. Ille *Belgij*, sub auspiciis Maximiliani Cæsaris, & Philippi I. Hispaniæ Regis, *Gubernator*, terras, materna hæreditate ad se devolutas, *Millam*, *Ganglam*, *Vuchtam* ac subjectum territorium permutavit, cum Wilhelmo D. Juliacensi, acceptis in earum locum *Diesthemia* Baronia, *Sichemo*, *Seelhemo*, ac *Vicecomitatu Antuerpiensi*; sed sobole caruit. *Johanni Juniori* à conjuge *Elisabetha*, *Heinrici Landgr. Hassiæ* & *Annæ* hæredis Comitatus *Catimelibocensis* filia, jus in hunc Comitatum, & alteram Diezensis partem, (quæ ab Eppsteiniis ad Catimelibocenses devenerat) obtigit, cujus etiam causa longa atque acris controversia ipsi posterisque suis cum Landgraviis Hassiæ intercessit, quæ demum an. 1557. transacta est, Hassis Nassoviorum jura in Catimelibocensem Comitatum, sexcentis millibus aureorum, redimentibus, partémque Diezensis Comitatus ipsis relinquentibus, quemadmodum *suprà* uberiùs narratum est. *Lib. 4. c. 7.*

5. *Johannes* duos genuit filios, *Heinricum* & *Wilhelmum*: hi ditiones paternas ita inter se dispertiverunt, ut Heinrico *Belgicæ*, Wilhelmo *Germanicæ* obtigerint. *Heinricus*, qui an. 1483. d. 12. Jun. in vitæ humanæ

theatrum prodiit, Carolo Regi Hispaniarum, posteà Imperatori, apprimè charus fuit, & in legatione, quam ejus nomine apud Franciscum I. Regem Galliæ obiit, mortuâ prima uxore *Franciſca*, *Jacobi de Sabaudia C. Montis Rotundi* filiâ, secundis nuptiis an. 1515. sibi junxit *Claudiam*, *Johannis Cabilloniy Principis Arausionensis* gnatam: eâ an. 1521 itidem defuncta tertiam duxit *Menciam Mendozam* *Roderici Marchionis Genettæ* posteà *Calabriæ Ducis* filiam. E sola *Claudia* prolem suscepit, sed unicam tantùm, eamque masculam, nimirum *Renatum*. Hunc avunculus *Philibertus Pr. Arausionensis*, sobole destitutus, in familiam nomenque *Cabillonense* adoptavit, atque an. 1530. in oppugnatione *Florentiæ* vita privatus, hæredem Principatus *Arausionensis* reliquit. *Renato*, qui etiam prole legitima carnit, in obsidione *fani S. Desideriy* repercusso tormenti majoris ictu an. 1544. exanimato, successit ex testamento, ab ipsomet Cæsare approbato, patruelis *Wilhelmus*.

6. Principatus *Arausionensis* inter Delphinatum & Provinciam Narbonensem situs, atque Avenionensi Comitatui undique innexus, fluente illi ad Occidentaliora *Rhodano*, omnium in orbe terrarum imperantium legibus solutus & soli Deo obnoxius haberi cupit: quondam tamen Imperio Franco-

Ger-

Germanico subjectus, posteaque infracta Imperii per Galliam potentia sub *Provinciæ Comitibus* fuit, & tandem ad *Bausciorum* familiam, sive successione, sive alio titulo, devolutus est; eôdem quidem prærogativa atque immedietate, quibus hodiè Imperii Principes fruuntur, ceu Vir fide & doctrina illustris *Thuanus* testatur. Deinceps verò cùm Carolus Andegavensis, Ludovici IX. Regis Galliæ frater, Provinciæ Comitatum jure uxorio crevisset, conatus is est, *Wilhelmum Bauscum* Arausionis Principem tanquam *beneficiarium* in fidem suam adigere; idque perfecit, neque *Bauscii* isto beneficii nexu sese exsolvere valuerunt, sed *Cabilloniis* demum (ad quos per *Mariam Raimondi Bauscii* filiam & hæredem, *Johanni Cabillonio* an. 1410. nuptam, Principatus Arausionensis devenit) successit, ut diversis quidem vicibus ac modis, quos *Thuanus* enarravit, Principatum Arausionensem ad pristinam formam reducerent; inprimis per pacta *Madritiana* an. 1521, & pacificationem *Cameracensem* an. 1559. quibus cautum fuit, ut nulla habita juris, quod Regibus Galliæ competebat, ratione, dictus Principatus cum summo imperio Dominis suis restitueretur: quo facto *Wilhelmus Nassovius*, ad quem ille interea temporis ea, qua dictum est, via transierat, præfectum urbi imposuit; & magistratus denuò instituit, qui, citra pro-

Hist. l. 31. V. Conv. ac fin. Imp Germ. l. 2. c. 25.

loco cit.

vocationem, cum summa potestate jus dicerent. Nostra autem ætate iterum de statu suo declinavit *Arausio*, postquam an. 1660. Galliarum Rex vi armata eam *Friderico Comiti de Dohna*, Vicaria potestate illi imposito, sed omnibus rebus ad obsidionem tolerandam necessariis destituto, extorsit, arcemque ejus permunitam, à Principe *Mauritio* anno 1622. exstructam, disjecit.

7. Cæterum *Wilhelmo Nassovio* de Arausionensi hæreditate controversiam, irrito quidem conatu, moverunt *Duces Longavillei* in Gallia, jus sibi arcessentes ab *Aloisia Cabillonia*, avia materna, *Johannæ Marchionissæ de Hochberg*, quam *Ludovicus I. Aurelianensis Dux Longavilleus* in conjugio habuit, & substitutionem quandam præferentes, cujus autores *Johannes Cabillonius* & *Maria Bausæia*, Alpisiæ parentes extiterint. Hanc prætensionem hac tempestate, qua Galli id unicè agunt, ut jura sua unà cum pulvisculis ac solaribus atomis ubique gentium converrant, refricuerunt Princeps Condeus & Dux Anghianus, tanquam curatores *Johannis Ludovici D. Longavillei*, remque sua auctoritate eò deduxerunt, ut an. 1682, d. 14. Nov. in Suprema *Curia Parisiensi* sententia lata, & Principatus Arausionensis cum jure Suprematus *Longavilleo* adjudicatus fuerit; quam tamen sententiam executioni hactenus mandatam esse nondum inaudivimus.

Sanmarth. Hist. Genea. Franc. l. 15. c. 8.

8. Ve-

8. Verùm ut ex hoc diverticulo in viam revertar, *Wilhelmus Senior*, cui, in divisione patrimonii cum fratre natu majore Heinrico, *Germanicas* ditiones, nempe *Nassoviam* cum *Dillenburgico* & *Beilsteinensi* Comitatibus obtigisse dixi, omnibus prudentiæ, magnificentiæ, aliarumque virtutum ornamentis eluxit, puriorem religionem sua ætate renascentem coluit, atque in ditionem introduxit. E posteriore conjuge *Juliana Stolbergia* filios quinque suscepit, & an. 1539 moriens post se reliquit, nimirum *Wilhelmum*, *Johannem*, *Ludovicum*, *Adolphum*, & *Heinricum*, qui sicuti moribus animique & consiliorum rectitudine conspirarunt, ita etiam jugi concordia fidissimè amicissimeque vixerunt. *Wilhelmus*, patruelis *Renati* Principis Arausionensis ex asse hæres, omnis ætatis ac memoriæ clarissimus Princeps, laudum suarum, quas mundus comites ævi sui trahet, præcones, scriptores præstantissimos ac gravissimos *Thuanum*, *Grotium*, *Meursium*, aliosque nactus est, qui res in Belgio, pro asserenda libertate, pro revocandis avitis legibus, pro exterminanda Hispanorum inquisitione ac servitute, incomparabili virtute ac constantia ab ipso præclarissimè gestas inclytis literarum monumentis consecrarunt. Eum Wilhelmus Hassiæ Landgravius, omnium sui seculi Germaniæ Principum prudentissimus, cum

Lib. 3. p. 59. *Judæ Machabeo* conferre (narrante *Everardo Reidano* in *Annalibus Belgicis*, quos *Dionysius Vossius* latinitate donavit) adsueverat: quippe, licet Clarissimi autoris verba huc transferre, *& hic & ille pro vera religione, contra imaginum cultores, pro afflicto & sine Duce populo, adversus potentissimos Reges, exiguis viribus contra invalidos hostes arma sumsere; denique ab utroque spernendis primordiis, favente Numine, prater opinionem omnium orbis prudentium, felicem in statum res perductæ. Sed & Machabei quinque numero fratres, raro in familiis illustribus exemplo, eximia inter se fide fuerunt, omnesque hostium aut potentia aut dolo circumventi periere: & Wilhelmus Arausionensis haud minorem in se quatuor fratrum fidem expertus: quorum unum tantum Johannem morientem lectus tenuit, tribus bello haustis;* nimirum *Adolpho* an. 1568. in oppugnatione *Heiligerleensis* monasterii, *Ludovico* autem & *Heinrico* in pugna ad *Mocam* pagum, adversus *Sancium Avilam* an. 1574. commisso, *ipse insidiis nefarioque scelere raptus est*, Delphis in propriis ædibus à sicario *Balthasare Gerardi Burgundione* duabus glandibus an. 1584. d. 10. Jul. trajectus, & hæc tantum verba novissima cum spiritu exhalans, *Miserere DEUS populi.*

9. Cæterum *Wilhelmus* ditionibus *Belgicis*, quas ex hæreditate patruelis accepit, con-

contentus, paternas *Trans-Rhenanas* scilicet, *Iohanni* fratri suo cessit; à quo nova linea, mox enumeranda, orta est. Ille verò *Arausionenses* Principes propagavit, & uxores quatuor successivè habuit: primam *Annam, Maximiliani Egmondani Buræ Comitis*, (qui egregia fama decessit *Bruxellis* an. 1549. hora & momento ab *Andrea Vesalio*, raræ doctrinæ ac judicii medico, sibi prædictis) filiam ac hæredem, cum qua Comitatum *Buranum*, sui juris ditionem & Geldriæ conterminam, nactus est; secundam *Annam, Mauritij Electoris Saxoniæ* gnatam; à qua facto discidio, ob causas ipsius gentilibus (*Grotio* teste) approbatas, *Carolam Burboniam, Ludovici Ducis Mompenserij* filiam, in monasterio Jotrensi (*Jouarre*) educatam, indeque Heidelbergam ad Electorem Palatinum egressam, invito admodum ejus parente duxit; quartam denique *Ludovicam, Casparis Colinij*, magni illius Galliæ Admiralis, filiam, *Caroli Telinij* viduam, & anno demum 1620. mortuam: è singulis inclutissima prole auctus est, & filium quoque naturalem, *Justinum de Nassau* nominatum, sustulit: qui an. 1624. in præfectura *Bredana*, quam tenuit, durante obsidione, febri acuta extinctus est; & conjugem habuit *Annam, Johannis Baronis de Merode & Petersem* filiam, *Thomæ Morgani* viduam. *Thuan. Hist. l. 5.*

10. E *legitima* Wilhelmi *sobole* omnes nascendi sorte antevenit *Philippus Wilhelmus*; is, Albani jussu, ex Academia Lovaniensi tertio & decimo ætatis anno abreptus, atque in Hispaniam avectus fuit; ubi per octo & viginti annorum spatium in custodia detentus, tandem an. 1595. libertati redditus, & cum Archiduce Alberto in Belgium reversus est, ab eodem non ita multo pòst in Hispaniam remissus, ut sponsam Isabellam Claram Eugeniam, Regis filiam, ad se deduceret. Perfunctus est vitæ munere an. 1618. nullis ex uxore *Eleonora Burbonia*, *Henrici Pr. Condei* filia, liberis susceptis. Sororem germanam unicam habuit *Mariam*, *Philippo Com. Hohenloico* elocatam. E *secundo* Wilhelmi *matrimonio* prodiit (præter filias *Annam*, *Wilhelmo Ludovico patrueli* nuptam, atque an. 1588. d. 13. Jun. defunctam, & *Æmiliam*, *Emanuelis Principis Lusitaniæ* uxorem, quæ anno circiter 1625. *Genevæ*, quo cum fratre dissidens secesserat, supremum diem explevit) *Mauritius*.

11. Is, virtutum ac dignitatum paternarum hæres, libertatem Bataviæ & fœderatarum provinciarum stabilivit ac communivit: quantas res gesserit, vix in operis quidem justi materia, ne dum hujus tam recisi dignè exprimi potest. Artis expugnandi & defendendi oppida castraque omnium sui

seculi

seculi bellatorum peritissimus habebatur, à nonnullis propterea *Poliorcetis* cognomento mactatus. Sed morte *Barneveldii*, quem magis privata vindicta, quàm reipublicæ causa è medio sustulisse à multis creditus est, aliisque molitionibus, quibus cordatioribus & sagacioribus suspicionem affectati Supremi dominii movit, nonnihil labis famæ nominis adsperſit; qua de re singillatim dilucidéque *Ludovicus Auberyus Dn. du Maurier* in libello elegantissimo *Commentariorum suorum*, anno 1680 in publicam lucem emisso, retulit. Post obitum *Philippi Wilhelmi* fratris sui possessionem *Principatus Arausionensis* arripuit, titulumque assumpsit, anteà Nassovico tantùm usus. Mortalitate interceptus est an. 1625. d. 23. Apr. ea tempestate, qua Ambrosius Spinola Bredam acerrima obsidione premebat. Conjugii legibus nunquam se subdidit, *naturales* tamen *liberos* aliquot genuit; inter quos duo præcipuè mares inclaruerunt, nempè *Wilhelmus*, *Leccæ Dominus*, Viceadmiralis in Hollandia & Westfrisia, qui in obsidione *Grollæ* an. 1627. tormento ictus occubuit; & *Ludovicus*, *Leccæ ac Beverwerdiæ Satrapa*, *Odyckii Dynasta*, Dux legionarius, & Gubernator primò Bergæ ad Zoomam, posteà Silvæ Ducis, an. 1665. d. 28. Febr. fato functus, relictis è filia *Comitis de Hornis*, uxore sua, septem

Memoir. pour servir à l'Hist. de Holl. p. 153. & 218. & seqq.

ptem liberis: *filiæ* quatuor fuere, splendidissimis in Anglia matrimoniis auctæ; primam *Thomas Butler, Comes d' Ossery*, Jacobi Ducis Ormondani, & Proregis Hiberniæ filius major natu duxit; secunda *Henrico Bennet, Comiti d' Arlington*, quondam Secretario Regio in manum convenit; tertia *Johanni Scheffield Comiti de Moultgrave* nupsit, & an. 1672. m. Febr. obiit: quarta denique *Carolo Kirckoven, Baroni de Wotton*, elocata fuit. *Filiorum* nomina hæc sunt: *Mauritius, Lecce Dynasta*, ductor legionis equestris & Sluſæ territoriique Gubernator, qui uxorem duxit è familia *de Renesse, Comitis Warfusei* filiam; *Wilhelmus, Satrapa Odyckii*, Ordinis equestris Zelandiæ Princeps, legationibus, quas nomine Statuum Generalium obiit, clarus; qui in conjugio habet *Dominam van der Nisse* Zelandam; & *Heinricus Ouvverkerkia Dominus*, Legionis equestris præfectus, qui *Cornelii Aersens Dynastæ de Somerdyck* gnatam in thorum adscivit. Hanc fratrum trigam Leopoldus Augustus an. 1679. *Comites Nassoviæ* creavit, & facultate insignibus Nassovicis utendi donavit: cui tamen rei Principes Nassovicos interceſſisse nuntiatum est.

12. E *tertio* Wilhelmi Pr. Arausionensis *thalamo* sex liberi, sed sequioris sexus, prodiere: (1.) *Ludovica Juliana*, Fridericum Electorem Palatinum thori socium nacta, an. 1644.

1644. vivere desiit, (2.) *Isabella*, Heinrico Turrio Duci Bullionæo elocata, atque anno 1642, d. 3. Sept. defuncta; (3.) *Catharina Belgica*, Philippi Ludovici C. Hanovio-Munzenbergici conjux; (4.) *Flandrina*, quæ *Pontificiam* religionem amplexa, & monasticam professa, *Abbatiæ S. Crucis Pictavij* præfuit, & an. 1640. vitam cum morte commutavit; (5.) *Carola Brabantina*, Claudio Tremollio Duci de Thouars nupta, & anno 1631. m. Aug. mortua; (6.) denique *Æmilia*, Friderici Casimiri C. Palatini in Landsberg consors. Ex *ultima conjuge* Wilhelmus unicum suscepit filium *Heinricum Fridericum*.

13. Huic post Mauritii fata Ordines fœderati Belgii gubernacula reipublicæ & militiæ detulerunt, quæ ille excellenti virtute & prudentia moderatus est, & rerum gestarum magnitudine fratrem tantùm non superavit. Vitæ finem impleyit an. 1647, cùm, præter filium nothum *Fridericum*, dictum *Dominum de Zuilestein*, Peditatus Hollandici Præfectum, (qui an. 1672. d. 12. Oct. ad *Vordam* strenuè contra Gallos pugnans occubuit, *filio cognomine* relicto,) è legitimo thoro, quem *Amalia C. Solmensis*, anno demum 1675. mortua, tenuit, aliquot liberos suscepisset, filias quatuor: *Ludovicam*, *Heinricam Æmiliam*, *Heinricam Catharinam*, & *Ma-*

Mariam; è quibus *prima* ab Electore Brandenburgico in conjugium adscita, an. 1667. d. 6. Jun. naturæ concessit, reliquæ superstites sunt. Filii duo fuere *Wilhelmus* & *Ludovicus:* hunc vita in ipso limine destituit; ille Princeps magni atque excelsi animi fuit, quem tamen à lubidine rapiendæ dominationis non temperavit, sed mors fato propera nec opinantem an. 1650. d. 6. Nov. abstulit, postquam ad *Amstelrodamum* magnis ausis excidisset. Uxorem quinto & decimo ætatis anno duxit *Mariam, Caroli I. Magnæ Britanniæ Regis* filiam, an. 1660. d. 24. Dec. defunctam, è qua unicum filium, eumque posthumum, procreavit.

14. Is est

WILHELMUS HEINRICUS, *Princeps Arausionensis, Comes Nassoviæ, Catimeliboci, Viandæ, Diziæ, Buræ, Lingæ & Meursii, Marchio Veræ & Vlissingæ, Burggravius sive Vicecomes hæreditarius Antuerpiæ & Vesontionis, Baro Bredæ, Diestheimii, Grimbergæ, Arlæi, Nozereti, Dominus Castribellini, S. Viti, Doesburgi, Gravæ & ditionis Cuyck, Marescallus hæreditarius Hollandiæ, Nobilium Zelandiæ primas;* hausit auram vitalem an. 1650, d. 14. Nov. Initio vitæ duro usus est, avitásque dignitates omnes ex decreto Ordinum Gene-

Generalium amisit, in quas demum an. 1672. restitutus fuit, cum summa Reip. Batavicæ, non tam Gallorum secundis & ad vota fluentibus successibus, quàm civium suorum turpi væcordia, in præceps ac propinquum discrimen adducta esset: ejus enim anni d. 24 Febr. unanimi fœderatarum provinciarum suffragio, ulena de rebus bellicis statuendi potestas Principi collata, titulusque *Capitanei Generalis atque Admiralis* redditus est; cui dignitati non ita multo post etiam mun^a Gubernatoris (*Stadhouders*) *Hollandiæ*, quod pater, avus, propatruusque gesserant, accessit: quo ipso turbidus rerum in Batavia status auspicatissimè est emendatus, cum amorem patrociniumque libertatis Princeps efficaciùs demonstraret, & reparandæ popularium fortunæ occasione promptius uteretur; sopitisque motibus & studiis servandæ reipublicæ Ducem auctoremque providum se præberet. *Schurzfl. cont. Sleid. p. 38.*

15. Postulabat jam ætas Principis, & munimentis vacua domus, ut subsidiis sibi patriæque gignendis de uxore ducenda constitueret; quare in Angliam ad Regem, avunculum, profectus, eo suasore atque impulsore, *Mariam Stuardam*, *Jacobi Eboracensis Ducis* ex *Anna Hide* filiam, fœdere jugali sibi junxit, nuptiasque *Londini* an. 1677. d. 14. Nov. sollemni ceremonia peregit; sobole tamen beatus hactenus nondum fuit.

16. E

16. E consanguineis Principis tres supersunt fœminæ, ejus *amitæ* jam suprà nominatæ:

Heinrica Æmilia, nata an. 1628. d. 26. Oct. elocata an. 1648. *Wilhelmo Friderico Pr. Nassovio Westfrisiæ Gubernatori*, nunc vidua.

Heinrica Catharina, in lucem edita anno 1637. & primò *Ennoni Ludovico C. Frisiæ Orientalis* desponsata, sed *Johanni Georgio Pr. Anhaltino in Dessau* an. 1659. nupta.

Maria, nata an. 1642. d. 5. Sept. & *Ludovico Heinrico Mauritio C. Palatino Simmerensi* nuptum collocata, quem an. 1674. amisit.

17. Arausionenses Principes recensuimus, veniendum ad *Nassovios* est: hos *Iohannes, Senior* cognominatus, prosevit, *Wilhelmi Auriaci* frater minor natu, cui ille, patruelis hæreditate locupletatus, avitas Nassoviorum possessiones in Germania superiore cessisse dictus est; quapropter *Johannes* in castro *Dillenburgensi*, quod, oppido cognomini ad amnem *Dille* sito incumbens, parens ejus incoluit, itidem sedem fixit. Pietatis studiosissimus fuisse, atque *Augustanam Confessionem*, à patre in suæ ditionis Ecclesias introductam, summa cura conservasse & propagasse celebratur. E tribus uxoribus, quas successivè duxit, nempe *Elisabetha Leuchtenbergica*, *Cunegundi Jacoba Palatina*, & *Johanna Witgen-*

Rittersh. Exeg. p. 102.

genſteinia numeroſam ſobolem familiæ ſuæ firmandæ ſuſcepit, quam DEUS ſummæ ea ætate in orbe Chriſtiano potentiæ, ne magnitudine ſua plus juſto inſoleſceret, oppoſuiſſe, *Illuſtri Thuano* viſus eſt. *Quinque & viginti* omninò *liberi* fuerunt, è quibus patet longa ſtatione mortali functus, (primo enim & ſeptuageſimo ætatis anno, qui ſeculi, quo agimus, ſextus fuit, naturæ debitum reddidit) *nepotes & pronepotes quinque & octuaginta* vidit. Septem inprimis filii mentionem requirunt, quorũ ſex è toro primo, ſeptimus è tertio provenerunt; eorũ nomina hæc ſunt: *Wilhelmus Ludovicus*, *Johannes*, *Georgius*, *Philippus*, *Erneſtus Caſimirus*, *Ludovicus Guntherus*, & *Iohannes Ludovicus*. Ex his *primus*, *Friſiæ*, *Græningæ*, & *Omelandiæ* Præfectus, nec non *Ludovicus Guntherus*, licet uxorati, poſteritate caruerunt, *Philippus* ἄγαμος anno 1595. deceſſit è vulneribus in conflictu adverſus Hiſpanos prope Veſaliam acceptis; à reliquis quatuor totidem lineæ, *Stegeriſis*, *Dillenburgica*, *Diezenſis*, & *Hadamaria* ortæ ſunt; quibus ſingulis Imperator Ferdinandus III. *Principale* axioma contulit, & apud Ordines Imperii autoritate ſua perfecit, ut an. 1654. d. 3. Mart. in comitiis Ratisbonenſibns *ad ſeſſionem & votum in collegio Principum* admitterentur.

Hiſt. lib. 136. p. 1248

Limn. I. P. T. V. p. 430.

18. *Siegenſem* lineam, quæ primas tenet naturæ lege, *Iohannes*, *Medius* cognominatus, condidit, ab oppido *Siegen*, in Comitatu Dillenburgico ad fluvium *Rige* ſito, ubi domicilium locavit, dictam: is è duplici conjugio complures liberos genuit, è priore *Magdalenæ Waldeccie* duodecim, è poſteriore *Margaritæ Holſatæ* undecim; inter hos infirmioris ſexus quatuor fuere, quæ omnes mulieres factæ ſunt, & *Luiſa* quidam *Chriſtina* prima naſcendi ſorte è *Philippo Franciſco de Wattenvviel*, *Marchione de Conflans*, ſecunda *Sophia Margarita*, quæ an. 1665. obiit, è *Bernhardo C. de Limburg in Styrum*, reliquarum matrimonia *tab. Rittershuſiana* notavit. E filiis tres eminuere, *Johannes Mauritius*, *Georgius Fridericus*, & *Heinricus*; inter liberos autem prioris tori, filii duo, *Johannes*, *Junior* dictus, & *Wilhelmus*, memorandi veniunt. Auctus itaque ſobole *Johannes Medius*, ut ei proſpiceret, teſtamentum an. 1621. d. 3. Jul. atque adeò biennio antè, quàm è vivis exceſſit, condidit; quo, abolitis prioribus, atque illo præcipuè, quod a. 1607 ſcripſerat, quôque jus primo genituræ inſtituerat, ditionem ſuam in *tres partes* (Stam-theile vocavit) diviſit: & primam *Johanni* primogenito, ſecundam *Wilhelmo*, tertiam *Johanni Mauritio* aſſignavit; reliquis filiis utpote natu minoribus certa *deputata* prout

loqui

loqui amant, legavit: in quorum tamen commodum id sancivit; ut si contingeret, unum alterumve è tribus natu majoribus improlem decedere, proximus forte nascendi in defuncti portionem succederet, suamque vicissim proximo traderet.

19. Hujus ergò testamenti vigore, postquam *Johannes Medius* an. 1623. seculo valedixit, *Johannes Mauritius* illam portionem nactus est, quæ præfecturam & judicium *Freudenberg*, cum aliquot pagis, tertiamque partem oppidi *Siegen*, complectebatur, *Wilhelmo* castrum *Ginsberg* cum pertinentiis suis, nec non præfecturæ & paræciæ *Hilchenbach*, *Ferndorf* & *Crombach*, præterea, è præfectura *Netphen*, pagi *Credenbach* & *Bottenbach* obtigerunt; *Johannes* reliquam ditionem obtinuit. Is verò, cùm vivo adhuc parente ad *Romana sacra* desciviſſet, eo mortuo, testamentum ab ipso conditum impugnavit, idque in præjudicium juri primogenituræ & successionis vergere in aula Cæsarea conquestus est, & *Mandatum de non turbando & respectivè cassando* petiit; effecit etiam ut *Commissio* decerneretur, quæ tamen executioni mandata non fuit. Interjecto deinde haud magno temporis spatio, anno scilicet 1638. rebus humanis exemptus est; relicto præter duas gnatas (quarum altera *Erneſtina* Mauritio Heinrico propiori sobrino in *Hada-*

mar nupta, an. 1668. d. 15. Aug. vivere desiit, altera *Clara Maria* superat) filio unico *Johanne Francisco Desiderato:* hujus nomine vidua & tutrix *Ernestina Arembergica* querelam litémque illam testamentariam redintegravit; maximè postquam *Wilhelmus* nulla è conjuge sua *Christina C. Erpacensi* sobole mascula relicta, an. 1642. fatis concessisset, ejusque portionem hæreditariam *Johannes Mauritius* ex tenore paterni testamenti creviſſet, suam autem in fratrem *Georgium Fridericum* transtulisset: quare denuò à Cæsare *Commissarij* ad cognoscendam causam anno 1643. nominati fuerunt quibus per *Instru-*
Art. 4. *mentum pacis Osnabruggensis* nova potestas impertita, mandatumque est, ut tota lis Siegensis vel amicabili compositione, vel juridica sententia decideretur. Anno itaque 1649. d. 15. Nov. ab aula Imperiali *definitiva* emanavit, qua pronunciatum fuit, *testamentum Johannis Medii vitio visibili nullo laborare, proindeque secundùm ejus constitutionem partes controvertentes in portiones ipsis assignatas immittendas esse.* Atque hoc modo disceptatio ista tum sopita fuit, donec hac ætate recruduit, postquam *Johannes Mauritius, Georgii Friderici* fratris sui germani ab intestato mortui hæreditatem, excluso Siegensi Principe, tanquam è fratre defuncti consanguineo tantùm nato, adiisset, eamque posteà

unà

unà cum ditione sua per tabulas supremas in fratris *Heinrici* filium transtulisset.

20. Enimverò *Heinricus*, (quem Batavis militantem, postquam variarum urbium & arcium expugnationibus strenui Tribuni officio interfuisset, sua merita validissimæ *Wasiorum* in Flandria urbi *Hueste*, Gubernatorem præfecerunt) licet ætate fratribus inferior, tamen eorum prævertit, atque ex uxore sua *Maria Elisabetha*, *Johannis Ernesti C. de Limburg in Styrum* filia an. 1653. defuncta, liberos tres post se reliquit; è quibus secundò genitus *Fridericus* an. 1676. m. Sept. dysenteria, in obsidione *Trajecti ad Mosam* contracta, *Ruræmondæ* extinctus est; cæteri, nempe *Wilhelmus Mauritius*, & *Sophia Amalia*, de quibus posteà, superstites sunt.

21. *Georgius Fridericus*, turmæ Equestris balistariorū ductor, & legionis Equestris excubiarum præfectus, sub Arausionense Principe meruit; postea *Bergopzomium* rexit, habuitque in conjugio *Mauritiam Eleonoram*, *Emanuelis Lusitaniæ Principis* & *Æmiliæ Arausionensis* filiam, è qua prolem non suscepit, atque anno 1674. m. Junio mortalitatem explevit.

22. *Johannes Mauritius*, Princeps neque silendus neque dicendus sine cura, bello acerrimus, virtute eximius, animo maximus fuit, & in altero quoque orbe victoriæ suæ

monumenta posuit, egregiisque factis, quæ in octennali *Brasiliæ Belgicæ* præfectura edidit, quæque Vir disertissimus *Caspar Barlæus* literis atque immortalitati mandavit, *Americani* cognomentum promeruit; posteà in patrium orbem reversus à fœderatis Ordinibus *Vesaliam* tuendam accepit, totiusque Equitatus sub Principe Arausionensi Wilhelmo Præfectus constitutus fuit; denique à Serenissimo Electore Brandenburgico *Magisterio Ordinis Johannitici per Marchiam, Saxoniam, Pomeraniam & Vandaliam*, nec non Suprema Præfectura Ducatus Clivensis, Principatus Mindani & Comitatuum Marcæ & Ravensbergæ auctus est; tandem verò an 1679. d. 20. Dec. è castro suo *Bergendal* prope Cliviam ad meliorem vitam abiit, quinque & septuaginta annos natus.

23. Duo itaque mares nunc è linea *Siegensi* supersunt, inter quos potiores partes tenet JOHANNES FRANCISCUS DESIDERATUS, *Princeps Nassoviæ, Comes Catimeliboci, Viandæ & Dieziæ, Baro de Renaix*, filius *Johannis Junioris* atque *Ernestinæ Arembergicæ*; is in patris mores atque instituta abiit, & Hispaniarum Regi operam addixit; à quo initio *Luxenburgensi*, dein *Limburgensi* Ducatui præfectus & *Eques Aurei Velleris* creatus est; denique an. 1680 post Principis de Mammines fata Gel-

Geldriam Hiſpanicam regendam accepit. Matrimonium bis contraxit, prius an. 1651. d. 13. Nov. cum *Johanna Claudia*, *Johannis Georgij C. à Kœnigseck* & *Leonoræ C. ab Hohenembs* filia, quæ an 1664. ex partu *maſculi anonymi* animam efflavit, & torum vacuum reliquit *Mariæ Eleonoræ Sophiæ*, *Hermanni Fortunati M. Badenſis è Maria Sidonia C. Falkenſteinia* gnatæ; quam ille an. 1665. duxit & poſt triennium in puerperio extinctam amiſit. E priore conjugio filiolos, tres βραχυβίους, & gnatas quinque procreavit; ex his non niſi ſequentium nomina explorare licuit:

Mariæ Leopoldinæ, quæ *Mauritio Heinrico* agnato in *Hadamar* an. 1669. elocata, an. 1675. d. 27. Jun. obiit.

Erneſtinæ Leonoræ,

Claræ Giliane,

& *Albertinæ Gabrielidis*.

24. *Clara Maria*, Principis ſoror, primò *Heinrico Erneſto Principi Ligniaci*, poſteà *Claudio Lamoraldo* illius fratri nupſit, nuncque vidua vivit.

25. Alter è *Siegenſi* linea, ſuperſtes, eſt WILHELMUS MAURITIUS, *Princeps Naſſovia*, *Comes Catimeliboci*, *Viandæ*, *Diezia*, *Limburgi* & *Bronchorſtii*, *Dynaſta in Beilſtein*, *Styrum*, *VViſch*, *Borkelohe*, *Liech-*

tenvord & VVildenburg, Hæreditarius Bandereſius Ducatus Geldriæ & Zutphaniæ, Equeſtrium Ordinum Iohannitici & Teutonici Eques, Commendator in Grunberg & Schooten, filius *Heinrici* & *Mariæ Eliſabethæ C. de Limburg in Styrum,* quæ cum *Johannis Erneſti C. de Limburg in Styrum* unica eſſet gnata, ejus hæreditatem, (obnitentibus tamen nec vano conatu patruelibus ſuis, ſed impari conjugio prognatis,) adire contendit, jusque ad filium transmiſit: hic verò à patruo ſuo *Johanne Mauritio* teſtamento hæres ſcriptus, ditionem ejus, quæ duas partes Siegenſis Principatus complectitur, occupavit, ægrè id ferente *Johanne Franciſco Deſiderato*; qui propterea litem illam, quam ſuprà memoravi, retexuit, atque in aula Cæſarea *novam Commiſſionem* an. 1680 obtinuit, cui ille *Exceptionem declinatoriam fori*, ob pactum familiæ, quod Naſſovios in controverſiis familiaribus alios pati judices, quàm agnatos aut ab his delectos arbitros prohibet, interpoſuit. Cæterum in militia Ordinum fœderati Belgii *Chiliarcha* legionis pedeſtris, turmæque prætorianæ Helveticæ Præfectus audit, adſcivitque in matrimonium an. 1678. d. 6. Jan. *Erneſtinam Carolam, Adolphi Pr. Naſſovii è Dillenburgicis & Eliſabethæ Carolæ C. ab Holzapfel* gnatam, è qua an. 1680. d. 20. Febr. filius ipſi natus eſt.

26. *So-*

26. *Sophia Amalia*, Wilhelmi Mauritii soror unica, *Friderico Casimiro Principi*, nunc *Duci Curlandiæ* in manum convenit.

27. Sequitur linea *Dillenburgica*, quam *Georgius* condidit: huic uxor prima *Anna Amalia, Philippi C. Nassovio-Saræpontani* filia unica magnam dotem attulit, & numerosam sobolem peperit, è qua solus *Ludovicus Heinricus* stirpem propagavit: hic sub Rege Sueciæ arma tulit, & tres successivè conjuges habuit; è prima *Catharina C. Sainensi* multa proles prodiit; è secunda *Elisabetha Rheingravia* tres tantùm filii provenere, è quibus minores natu iidemque gemelli in ipso ortu exanimati sunt; tertius *Augustus Heinricus* juveniles annos jam supergressus an. 1681, d. 7. Jan. occidit: tertium conjugium *Sophiæ Magdalenæ* patruelis suæ in *Hadamar* sterile fuit. E liberis primi thori notandæ veniunt tres filiæ, (1.) *Anna Amalia* primò *Ludovici C. de Wied*, posteà *Christiani C. de Sayn* uxor an. 1649. d. 6. Jul. mortua, (2.) *Ludovica*, *Johanni Ludovico C. ab Isenburg* nupta & an. 1666. defuncta, (3.) *Magdalena*, quam *Christianus Mauritius C. ab Isenburg* an. 1662. duxit, & duo filii *Georgius Ludovicus*, atque *Adolphus*.

28. Ille *Annam Augustam*, *Heinrici Julij Ducis Brunsuicensis* filiam, an. 1638 connubio sibi junxit, & sex liberorum pater ex ea

factus est, è quibus duo ejus fata præverterunt, reliquos an. 1656. d. 19. Maji morientis superstites post se reliquit, sed *Ludovica*, ultima proles an. 1670, d. 22. Febr. è medio excessit: tres superant, filiæ nempe duæ, filiusque unicus; Is est

HEINRICUS *Princeps Nassoviæ, Comes Catimeliboci, Viandæ & Diezæ, Dominus Beilsteinii:* aspexit lucem vitalem an. 1641. d. 28. Aug. atque an. 1664. fœdere jugali sibi sociavit *Dorotheam Elisabetham*, *Georgii III, Ducis Lignicensis in Silesia*, è *Catharina Sophiæ Munsterbergica* filiam, è qua suscepit:

I. *Sophiam Augustam*, n. 18. Apr. 1666.

II. *Georgium Ludovicum*, n. 21. Jun. 1667.

III. *Albertinam*, n. 8. Aug. 1668.

IV. *Wilhelmum*, n. 28. Aug. 1670.

V. *Carolum*, n. 4. Febr. † 28. Apr. 1672.

VI. *Adolphum*, n. 7. Mart. 1673.

VII. *Fridericam Amaliam*, n. 28. Dec. 1674.

VIII. *Dorotheam Elisabetham*, n. 25. Jan. † 26. Jul. 1676.

29. *Sophia Eleonora*, Heinrici soror natu major, an. 1640. d. 2. Maji in lucem edita, innupta est.

Carola, nata an. 1643. d. 2. Jun. primis nuptiis *Augusto Comiti à Ligniz* an. 1665. fecundis

dis *Ferdinando Goberto C. Asperimontii & Reckheimii* an. 1680. in manum convenit.

30. *Adolphus Pr. Nassovius*, Heinrici patruus, Georgii Ludovici germanus frater, *Schaumbergæ* habitavit, quam, inter Limburgum ad *Lohnam* & Nassoviam sitam, cum circumjecto dominio *Esteranà* Pr. Hadamarensi & Comite Laningio-Westerburgico emit, atque an. 1653. d. 6. Aug. in torum adscivit *Elisabetham Carolam*, *Petri Com. ab Holzapfel*, (qui sub nomine Generalis *Melandri* famam sibi peperit) filiam, qua possessionibus, soboleque aucta est; cumque an. 1676. d. 19. Dec. *Hadamarii*, quò ad visendum agnatum excurrerat, repentino morbo oppressus, vitam amisisset, tres filias post se reliquit; videlicet

I. *Ernestinam Carolam*, natam an. 1662. & *Wilhelmo Mauritio* agnato è *Siegensi* linea an. 1678. elocatam.

II. *Iohannam Elisabetham*, n. an. 1663.

III. *Carolam*, n. an. 1672.

31. *Diezensis* lineæ autor *Ernestus Casimirus* extitit, qui fratri Wilhelmo Ludovico in præfectura *Frisiæ & Græningæ* successit, atque in exercitu Ordinum fœderatorum Belgii *Campi Marescallus*, rebusque contra Hispanos felicissimè gestis inclytus fuit, & ad *Ruramundam* glande ictus an. 1632, d. 5. Jun.

Jun. occubuit. E Conjuge *Sophia Hedvvige Brunſuicenſi*, an 1642. mortua, par filiorum nobile ſuſcepit, *Heinricum Caſimirum*, & *Wilhelmum Fridericum*: Ille *Friſiæ* & *Græningæ* Gubernator, atque Ordinis Equeſtris Teutonici in *Ballivia Ultrajectenſi* Commendator ſummus, ſuper fortalitio *Naſſovienſi* in Flandria an. 1640, d. 6. Jun. grave vulnus & d. 13. vitæ finem accepit. *Wilhelmus Fridericus*, fratris in dignitate ſucceſſor, ad *Dalenſe* caſtrum rem feliciter geſſit, idque expugnavit; ſed brevi pòſt an. 1664. d. 13. Oct. domi *Leovardiæ*, dum fiſtulam ferream probat, converſo ad os tubo, imprudens excuſſo globo ita ſe ſauciavit, ut paucos poſt dies, prima & viceſima ejusdem menſis fuit, expiraret. Viduam is reliquit *Heinricam Æmiliam Heinrici Friderici Pr. Arauſionenſis* filiam, etiamnunc ſuperſtitem, & ex ea duplicem ſobolem maſculam & fœmineam.

32. Illius nomen ſic ſe habet:

HEINRICUS CASIMIRUS *Princeps Naſſoviæ, Comes Catimelliboci, Viandæ, Diezïæ & Spiegelbergæ, Dominus Beilſteinii & Lieſfeldæ*; hic an. 1657, m. Januar. in lucem editus, ſucceſſioni paternæ ab ineunte ætate deſtinatus fuit; quam etiam, poſtquam exceſſit ex ephebis, anno 1679. d. 19. Apr. in ſollemni Ordinum Friſiæ conventu, matre tutelam abdicante, adiit,

& pro-

& provinciarum regimen suscepit; desponsa ipsi pronuper fuit, applaudentibus Ordinibus pariter & agnatis, *Heinrica Amalia*, *Joh. Georgii Pr. Anhaltini in Dessau* ex *Heinrica Catharina Arausionensi* filia, consobrina sua. *Quae genuit Joh-Willem Frisonem 1680. 10. Aug.*

33. *Sophia Wilhelmina*, ejus soror unica, vitalem auram primum hausit an. 1664, m. Jul. & innupta adhuc est.

34. Restat linea *Hadamaria* quam *Johannes Ludovicus* profevit; is cum à Reformatorum sacris ad *Romana* transiisset, à Rege Hispaniarum Philippo IV. torque *Aurei Velleris*, ab Imperatore autem Ferdinando II. *clave aurea* donatus, & *Camerarius* dictus est. Ferdinandus III. ejus consiliis operaque ad maxima quæque peragenda salubriter usus, perspecta Viri prudentia inter Secretorum Arbitros eum cooptavit, atque in Westphaliam ad conventus pacis agendos misit: confecta pace ex Comite *Principem* fecit; quod axioma ipse primus inter consanguineos obtinuit, ita ut liberi etiam ejus ex utroque sexu, eorumque successores, illo ætatem gauderent. *Hadamaram* regiam suam, prolatis pomœriis amplificavit, multisque sacris & profanis ædificiis exornavit. Tandem die sexta Martii an. 1653. finem vitæ habuit, postquam diu cum morte conluctatus fuisset. Penatibus induxerat *Ursu-*

Thuld. Hist. nostr. temp. Part. 1. p. 70.

lam

lam è Lippiæ Comitibus prognatam, è qua duodecim liberorum parens factus est; quorum syllabum quem *Rittershusiana tabula* mancum exhibuit, integrum, prout eum opera amici Nobilissimi è Cancellaria Hadamarienſi accepi, dabo: I. *Johanna Elisabetha*, n. 7. Jan. 1619, nupta *Friderico Pr. Anhaltino in Hazgeroda*, †. 1647. II. *Ludovica Ursula*, n. 22. Mart. 1620. †. Hanoviæ 31. Aug. 1635. III. *Sophia Magdalena*, n. 6. Febr. 1622. elocata *Ludovico Heinrico* patrueli in *Dillenburg*, †. 28. Jun. 1658. IV. *Joh. Ludovicus*, n. 29. Aug. 1623. †. 22. Jan. 1624. V. *Simon Ludovicus*, n. 18. Dec. 1624. †. 28. Febr. 1628. VI. *Mauritius Heinricus*, n. 1626. de quo posteà. VII. *Hermannus Otto*, n. 13. Dec. 1627. Chori-Episcopus Colonienſis, Archidiaconus Trevirenſis & Canonicus Moguntinus, †. Francofurti ad Mœnum 26. Jul. 1660. VIII. *Philippus Ludovicus*, n. 21. Aug. 1628. †. 3. Apr. 1629. IX. *Anna Catharina*, n. 27. Apr. †. 11. Jun. 1630. X. *Johannes Ernestus*, n. 15. Oct. 1631. †. 28. Sept. 1651. XI. *Anselmus Ferdinandus*, n. 25. Dec. 1633. †. 3. Mart. 1634. XII. *Franciscus Bernardus*, superstes.

35. *Mauritius Heinricus*, Principatus gubernacula post patris fata capessivit, & egregia fama moderatus est: anno 1650, men-

menſe Februario primas nuptias celebravit cum *Erneſtina*, *Johannis Junioris* patruelis ſui è *Siegenſi* lineagnata, quæ ſex ei liberos peperit: I. *Erneſtinam Ludovicam*, n. 17. Febr. 1651. †. 29. Maji 1661. II. *Johannem Lamoraldum Hermannum Franciſcum*, n. 21. Jan. 1653. †. 18. Febr. 1654. III. *Philippum Carolum*, n. 15. Maji 1656, †. 22. Jul. 1668. IV. *Franciſcum Caſparem*, n. 29. Nov. 1657, †. 24. Febr. 1659. V. *Claudiam Franciſcam*, n. 6. Jun. 1660, nuptam *Ferdinando Auguſto Leopoldo Pr. Lobkovvizio*, an. 1677, †. 16. Mart. 1680. VI. *Maximilianum Auguſtum Adolphum*, n. 19. Oct. 1662, †. 26. Maji 1664. Poſtquam *Erneſtina* an. 1668, d. 15. Aug. è vita diſceſſit, *Maria Leopoldina* ipſius è fratre *Johanne Franciſco Deſiderato* neptis vacuum thorum an. 1669, d. 12. Aug. implevit, quæ ter mater facta eſt; I. *Leopoldi Franciſci Ignatii*, n. 26. Sept. 1672, †. 19. Jul. 1675. II. *Franciſci Alexandri*, de quo paulò pòſt. III *Lotharii Hugonis Lamoraldi Auguſti*, n. 4. Apr. †. 24. Jun. 1675. Cum illam etiam fatorum iniquitas an. 1675. d. 27. Jun. rapuiſſet, ad tertia vota Mauritius Heinricus tranſiit, & in thalamum eodem adhuc anno, d. 24. Oct. adſcivit *Annam Ludovicam*, *Salentini Erneſti C. de Manderſcheid in Blanckenheim ex Erneſtina C. Sainenſi* filiam, è qua ſuſce-

suscepit I. *Damianum Salomonem Salentinum*, n. 24. Jul. †. 18. Octob. 1676. II. *Wilhelmum Bernardum Ludovicum*, n. 23. Maji, †. 3, Oct. 1677. III. *Hugonem Ferdinandum Leonorum Augustum*, n. 22. Maji 1678. †. 16 Apr. 1679. Quartæ prolis, quæ *fœminea* est, nativitatem non vidit, sed antequam ea ex utero materno in lucem prodiret, vitam relinquere coactus est: obiit enim an. 1679. d. 24. Jan.

36. Duos itaque tantùm mares ex Hadamarensi linea nunc superesse è dictis patet, è quibus Principatum tenet

FRANCISCUS ALEXANDER *Princeps Nassovia, Comes Catimeliboci, Viandæ & Diezia, Dynasta Bilsteinii*, Mauritii Heinrici è secunda conjuge filius: is auram vitalem hausit, an. 1674, d. 27. Jan. & sub tutela novercæ patruique adolescit.

37. *Soror* ei est unica, sed consanguinea, & post patris fata in lucem, ceu memoravi, edita, die nempè 6. Julii an. 1679, ea nomen habet *Albertinæ Johañettæ Catharinæ Franciscæ*.

38. FRANCISCUS BERNHARDUS *Princeps Nassovia*, illius *patruus & tutor*, ingressus est vitam an. 1637, d. 21. Sept. & Ecclesiæ mancipatus, Canonicis Capitularibus *Coloniæ* & *Argentorati* adscriptus fuit atque illic jam ante aliquot annos *Senior Diaconus*, hic verò an. 1681. d. 9. Maji *Decanus* creari meruit.

39. Jam

39. Jam tandem *scutum*, quo *Principes Nassoviæ* utuntur, delineare sollemne nostrum postulat; id verò *quadripartitum* est: area prima *cærulea plinthidib⁹ aureis sparsa leonem ejusdem metalli lingua & falculis rubeis continet*, Nassoviorum tesseram gentilitiam; secunda *aurea leonem rubeum, corona, lingua & falculis cæruleis refert*, Catimelibocense symbolum; tertia *coccinea fasciam argenteam exhibet*, Viandensis Comitatus *δεῖγμα*; quarta *rubea leones duos gradientes aureos, lingua & falculis cæruleis*, Diezense emblema *repræsentat*. *Huic scuto* tres *incumbunt* galeæ, *quibus singulis imponitur jugum alarum nigrarum, hoc discrimine, ut* primo *inscribatur baltheus diagonalis argenteus, quinque foliolis aureis ornatus*; secundo, *quod explicatum est, pardus rubeus in sphæra aurea*; tertio *bini leones gradientes in disco rubeo*, *Lacinia* circumvolitant galeam primam *cæruleæ & aureæ*, mediam *rubeæ & aureæ*, tertiam *argenteæ & coccineæ*. *Spen. Op. Her. l. 3. c. 26.*

40. Atque hoc modo se habet vulgare Principum Nassovicorum scutum; id autem aliqui auctius gestant, & *Arausionenses* quidem illi aliud *scutulum* iterum *quadrifidum* imponunt, cujus 1. & 4. quadra *coccinea, baltheum aureum*, Cabillonense symbolum *refert*, 2. & 3. aurea, *duo cornua venatoria cærulea, ligaminibus & ornatu rubentibus*,

Arausionensem tesseram *continet*, *his verò quadris* nova *incumbit* parmula *novem tessellis ex auro & cyano distincta*, Genevensem Comitatum *designans*. Cassides diversæ à Nassovicis clypeum hunc premunt; anterior enim *jugum alarum coloribus* Cabillonensibus *discretarum continet*; media Arausionensis *coronata cornua cervina aurea sustinet*; extremæ *jugum alarum aurearum*, *cui* Diezenses *leones impressi*, *incumbit*,

41. *Wilhelmus Mauritius* è *Siegensi linea*, Limburgio-Styrumiam *parmam avito scuto imponit*: *illa vero itidem* quadripartita *est*, *&* laterculo primo *argenteo leonem coronatum rubeum*, Limburgicum *δᾶγμα*, *continet*, secundo *rubeo leonem argenteum coronatum* Bronchorstium *exhibet*, tertio *aureo leones duos gradientes rubeos* Wischiorum *symbolum*, quarto *denique coccineo tres vitellos*, *sive nummos Byzantinos aureos*, Borculoense emblema *repræsentat*: galeas *etiam* tres *avitis addit*, *easque coronatas*, è prima Limburgia *ante caudam pavoninam exsurgit leo rubeus*, è secunda Wischia *duo pedes equini rubeus & auratus sursum protenduntur*; tertia Bronchorstia *duos pedes ursinos argenteos*, *qui singulos globulos stringunt argenteos*, *sustinet*.

42. Ad extremum, comprehenduntur Principes Nassovici sub *Circulo Westphalico*, atque in comitiis *duo suffragia* obtinent, quo-

quorum prius *Hadamariæ & Siegenſi*, alterum *Dillenburgicæ & Diezenſi* lineis competit: *Arauſionenſi* verò Principi nihil hodiè juris in Imperio eſt.

CAP. VII.

DE PRINCIPIBUS AUERSPERGICIS.

Auerſpergiorum illuſtris familia è *Carniolâ* ortum trahit, ubi, qua Iſtriam contermi-nat, caſtrum hujus nominis, cum vico adjacente, adhuc viſitur; & genti, in cujus patrimonio nunquam non fuit, nomen vel dediſſe, vel ab ea mutuaſſe creditur. Id verò ex *Aurupeni* veteris; quod *Japodum* vel *Japydum*, qui quondam has oras incoluerunt, non incelebre municipium fuit, atque ab Attila Hunnorum tyranno everſum eſt, ruderibus exſurrexiſſe *Lazius* cenſuit. Splendorem gentis munera hæreditaria *Mareſcalli* & *Camerarij*, quibus à longo tempore in *Carniolâ* & *Vinidorum Marchiâ* eminet, arguunt: conſtat enim, hujus generis officia primariæ dignationis familiis nunquam non collata fuiſſe.

Comment. de Reb. Rom. l. 12. ſect. 5. c. 4.

2. Stemma Auerſpergiorum *Bucelinus* à *Johanne Dynaſtâ ab Auerſperg*, qui circa annum 1027 claruerit, orditus eſt; idque juſtâ & continua ſerie ad noſtram usque ætatem

Append. ad Vol. II. Germ. Stemmatogr.

deduxit. Undecimus à Johanne *Theobaldus* memoratur an. 1224. mortuus, atque ex uxore *Ursula de Liechteneck*, pater filiorum duorum, *Volcardi* nempe & *Engelhardi*, à quibus *duæ lineæ* provenerunt. Illa quam *Engelhardus* condidit in *Pancratio* & *Volcardo* ipsius gnatis, è *Scholastica de Kœnigsberg* susceptis, iterum in ramos abiit. *Pancratio* & *Annæ Frangipania* natus est *Trajanus*, maritus *Annæ B. ab Eck*, & genitor *Hervvardi*, qui è *Maria Christina B. de Spauer* procreavit *Wolfgangum Engelbertum* & *Christophorum*. Hic an. 1592. fatorum legem implevit, duasque uxores habuit, *Annam de Malzan* & *Elisabetham de Tanhausen*; filios autem præcipuè *Hervvardum* & *Theodoricum*, *Comitum* axiomate auctos.

3. *Theodorico* & *Sidonia Gallin*, *Baroniſſa de Gallenstein*, natus est *Johannes Wicardus*; is novum lumen familiæ suæ fœneravit: florens enim singulari gratia atque auctoritate apud Imperatorem Ferdinandum III, dignus ab eo fuit habitus, qui filio ejus primogenito Ferdinando IV. ad ingentes spes, quas præmatura ejus atque acerba mors præscidit, nato, moderandæ ipsius juventuti, & salubribus præceptis imbuendæ admoveretur: cujus operæ hoc præmium à beneficentissimo Hero tulit, ut ad *Principalem* dignitatem provectus, omnibusque prærogativis, quibus

stipa-

stipata est, ornatus fuerit; ita ut etiam primogenito ex hæredibus ejus masculis, aut his deficientibus alii ex ipsius gentilibus, quemcunque hæredem scripturus sit, facultatem Principali axiomate utendi impertiverit. Cum itaque *Johannes Wicardus* in conventu Imperii publico, qui an. 1653. *Ratisbonæ* agebatur, comparuisset, & Rescriptum Syllaticum, quo à Cæsare instructus fuit, Directorio Moguntino exhibuisset, utque præstitis præstandis ad sessionem & votum in Principum collegio admitteretur petiisset; in hanc sententiam itum est à Proceribus, ut propter egregia sua merita, nulla præstandorum habita ratione, sine mora, voti compos redderetur; quare sequentis anni die 28. Febr. sollemni cerimonia in Senaculum Principum, unà cum *Salmensi*, *Dietrichsteinio* & *Piccolomineo* introductus fuit, Chorago Episcopo Ratisbonensi, quem Imperator *Commissarium* huic rei peragendæ constituerat. Non tamen simpliciter & sine ulla lege ac reservatione Auerspergicus cæterique recepti, sed aliquæ conditiones latæ ipsis fuerunt, atq; illæ potissimùm, ut, quamvis fundo immediatè Imperio subjecto adhuc destituantur, nihilo tamen secius, ad sustentanda Imperii onera, symbola novæ dignitati congrua conferrent; filii verò eorum aut hæredes prærogativæ hujus inter Imperii

Limn. I. P. T. V. p. 361.

Ordines sedendi & sententiam dicendi participes non fierent priùs, quàm bona immediata acquisiverint. Utrique harum conditionum satisfecit Auerspergius: nam & symbola sua liberaliter obtulit, deque eorum summa cum Proceribus pepigit, & fundum Imperio immediatè subditum sibi comparavit; nempè Comitatum *Thengen* in Suevia, ejusque primo districtu situm, qui olim Nellenburgicorum Comitum fuit, atque illis extinctis ad Austriacos devenit; cui Cæsar Auerspergii causa Principalem titulum addidit, atque eine Gefürstete Graffschafft dixit: unde cùm ille in conventu, quem Ordines Circuli Suevici an. 1664. agitarunt, in eorum numerum reciperetur, proximus ipsi locus á Principe Hohenzollerano Sigmaringensi in scamno seculari assignatus est.

4. Neque verò satis habuit Ferdinandus Augustus altiorem ordinem Auerspergium extulisse, sed pluribus subinde ornamentis ac beneficiis eum cumulavit, atque etiam possessionibus locupletavit: namque Ducatum *Munsterbergensem* & *Frankenstainensem* in Silesia, qui, familia Ducum in Carolo Friderico an. 1647. extincta, ad se devolutus fuerat, ipsi concessit & solemni investitura tradidit; præterea castrum Cæsareum sive Burgum, quod *Welsii* in Austria superiore est, cum annexa *Advocatia* (Burg-vogthey) ei contulit.

5. Ve-

5. Verùm enim verò quemadmodum *nunquam diu eodem vestigio stat fortuna, semperq; homines,* (juxta monitū *Darii ad Alexandrum* M. apud *Curtium*) *quantamcunque felicitatem habeant, invidiam tamen sentiunt majorem;* ita & Auerspergium volubilis fortuna, postquam terras reliquisset Ferdinandus III, deseruit, aliòse vertens, & quem anteà extulerat, subitò demergere est adorta, atque adjuta minus commodis invidorum ac malevolorum sermonibus, novi Heri Leopoldi Augusti gratia ac favore expertem reddidit, à quo aula facessere jussus, reliquā ætatem in privato lare peragere coactus fuit. Discessit tandem è vita, tædio ac morbo absumptus, in arce sua *Seisenberg*, in Carniola inferiore, an. 1677. d. 5. Nov. Matrimonium ejus tenuit *Maria Catharina, Georgij Achatii Comitis de Losenstein*, Marescalli provincialis in Austria inferiore & Supremi Venationum præfecti filia, è *Francisca C. de Mansfeld* nata, quæ utriusque sexus sobole maritum beavit.

6. Inter mares natura & dignitate Principali eminet

FERDINANDUS, *Dux Munsterbergæ & Franckensteinij in Silesia, S. R. I. Princeps ab Auersperg, Princeps Comes in Thengen & Mitterburg, Comes in Gottschen & Vvels, Dynasta in Schœn- & Seisenberg, Supremus*

Ordines sedendi & sententiam dicendi participes non fierent priùs, quàm bona immediata acquisiverint. Utrique harum conditionum satisfecit Auerspergius: nam & symbola sua liberaliter obtulit, deque eorum summa cum Proceribus pepigit, & fundum Imperio immediatè subditum sibi comparavit; nempè Comitatum *Thengen* in Suevia, ejusque primo districtu situm, qui olim Nellenburgicorum Comitum fuit, atque illis extinctis ad Austriacos devenit; cui Cæsar Auerspergii causa Principalem titulum addidit, atque eine Gefürstete Grafschafft dixit: unde cùm ille in conventu, quem Ordines Circuli Suevici an. 1664. agitarunt, in eorum numerum recipieretur, proximus ipsi locus á Principe Hohenzollerano Sigmaringensi in scamno seculari assignatus est.

4. Neque verò satis habuit Ferdinandus Augustus altiorem ordinem Auerspergium extulisse, sed pluribus subinde ornamentis ac beneficiis eum cumulavit, atque etiam possessionibus locupletavit: namque Ducatum *Munsterbergensem* & *Frankensteinensem* in Silesia, qui, familia Ducum in Carolo Friderico an. 1647. extincta, ad se devolutus fuerat, ipsi concessit & solemni investitura tradidit; præterea castrum Cæsareum sive Burgum, quod *Welsii* in Austria superiore est, cum annexa *Advocatia* (Burg-vogthey) ei contulit.

5. Ve-

5. Verùm enim verò quemadmodum *nunquam diu eodem vestigio stat fortuna, semperq; homines,* (juxta monitū *Darii ad Alexandrum* M. apud *Curtium*) *quantamcunque felicitatem habeant, invidiam tamen sentiunt majorem;* ita & Auerspergium volubilis fortuna, postquam terras reliquisset Ferdinandus III, deseruit, aliòse vertens, & quem anteà extulerat, subitò demergere est adorta, atque adjuta minus commodis invidorum ac malevolorum sermonibus, novi Heri Leopoldi Augusti gratia ac favore expertem reddidit, à quo aula facessere jussus, reliquā ætatem in privato lare peragere coactus fuit. Discessit tandem è vita, tædio ac morbo absumptus, in arce sua *Seisenberg*, in Carniola inferiore, an. 1677. d. 5. Nov. Matrimonium ejus tenuit *Maria Catharina, Georgij Achatii Comitis de Losenstein*, Marescalli provincialis in Austria inferiore & Supremi Venationum præfecti filia, è *Francisca C. de Mansfeld* nata, quæ utriusque sexus sobole maritum beavit.

6. Inter mares natura & dignitate Principali eminet

FERDINANDUS, *Dux Munsterbergæ & Franckensteinij in Silesia, S. R. I. Princeps ab Auersperg, Princeps Comes in Thengen & Mitterburg, Comes in Gottschen & VVels, Dynasta in Schœn- & Seisenberg, Supremus*

Mareſcallus & Camerarius Hereditarius in Carniola & Vinidorum Marchia. Is non ita multò poſt patris fata penatibus induxit *Mariam Catharinam*, *Johannis Maximiliani Comitis ab Herberſtein*, Capitanei Provincialis Styriæ, an. 1680. mortui, & *Mariæ Magdalenæ C. de Thun* filiam.

7. *Franciſcus Carolus*, qui in exercitu Cæſaris *Generalis Adjutantis* munus obit, & *Leopoldus* Comites ab Auerſperg, Principis germani ſunt fratres: Sororum nomina reſciſcere integrum non fuit.

8. *Scutum* Principis Auerſpergici *ſemel perpendiculariter & bis transverſim ſecatur, atque in* ſex laterculos *dividitur*: primus *ſubdividitur in* duas areolas, quarum prior *bipertita ex auro & argento aquilam continet item bipertitam, in auro nigram, in argento rubeam, pectori impreſſa ſemiluna argentea; quod ſymbolum eſt* Munſterbergici Ducatus, altera *coccinea leonem argenteum auro coronatum, & cauda biſida* Bohemico *ſimilem refert*: laterculum ſecundum *faſcia undoſa cærulea in duas dividit regiones, quarum* ſuperior *rubea leonem argenteum gradientem auro coronatum*, inferior *aurea aquilam nigram, cujus pectori ſemiluna argentea inſcripta exhibent*: laterculus tertius & ſextus *rubei, ſingulos uros argenteos ſalientes & colli viridi inſiſtentes re-*

pre-

præsentant, quæ Auerspergiorum tessera familiaris *est* : quartus & quintus *aurei singulas aquilas nigras alis expansis perticæ ejusdem coloris, quæ paxillis duobus fulcitur, insistentes exhibent. Medio scuti loco* parmula *imponitur argentea, leonem rubeum auro coronatum continens. Tegi solet clypeus* mitra Ducali.

CAP. VIII.

DE PRINCIPIBUS OSTFRISIÆ.

DE inclutissima Comitum *Frisiæ Orientalis* sive *Ostfrisiæ* gente cùm maximè prolixéque *Ubbo Emmius*, in præclara & vasta *Rerum Frisicarum* Historia, tùm summatim ac concinnè Celeb. *Spenerus* in *Opere Haraldico* retulerunt. Nimirum originem suam referre ad Capitaneos & Dominos in *Grethsil*, qui *Siresenij* à plerisque nominabantur ; è quorum perantiqua & potente in Frisia *Cisamasana* familia *Edzardus* seculo tertio & decimo suscepit ex uxore *Doda*, quæ *Kenonis*, *Brocmerij*, *Brokiæ*, *Marienhovæ*, & *Aurichovæ* Rectoris, maximè auctoritatis Viri gnata fuit, quatuor filios, *Ulricum Gretsilanum*, *Imelonem*, & *Haronem Gretanum*, nec non *Ennonem Nordanum* ; è quibus ultimus *Enno*, strenuus libertatis Frisiorum defensor, an. 1450. moriens, præter duas filias *Addam* & *Frouvam*, quarum illa *Luteto Manningæ Lu-* L. 3. c. 49.

resburgi Domino, hæc primò *Siboni Dornumano*, & posteà *Epponi Brocæo* sive *Gockingæ* nupserunt, totidem gnatos *Edzardum* & *Ulricum* post se reliquit. Ille *Rector & perpetuus Judex* à Frisiis electus, postquam *Brœmeriam* aliásque ditiones sui juris fecisset, mense Septembri an. 1441. peste correptus improlis decessit, cum pridiè conjugem ejus secundam *Frovvam Berumanam* eadem lues rapuisset.

Lib. 23. p. 352. 2. *Ulricus* in fratris locum à Frisiis surrogatus, præclaris animi dotibus, quas *Emmius* prædicat, fortunam à germano acceptam auctiorem etiam reddidit; utque ingens factionum civilium vulnus solidaret, & intestinum Frisicæ nobilitatis odium minueret imò deleret, potentiorum affinitates sectatus est, atque adeò primis nuptiis *Fœlquam*, *Wibeti Stedesdorpii & Esenæ Domini* filiam, *Heronis Omconii* viduam sibi junxit; è qua licet prolem non sustulisset, à socero, cujus indignationem *Onna*, *Foëlquæ* è priore marito gnata unica, incurrerat, *Esenam* per donationem accepit: quam tamen posteà *Siboni Dornumano*, Onnæ marito, lege beneficiaria contulit, à quo ad ejus filium & nepotem, indeque ad *Ritbergicos* Comites transiit. *Id. l. 25. p. 372.* Secundo matrimonio sibi sociavit *Thedam*, *Veonis Lerani & Hebbæ Dornumanæ* filiam, florem familiæ *Foconianæ*, & rerum ejus cis *Dul-*

lar-

Iartum sinum hæredem, quod anno 1453. d. 27. Maji in arce Berumana peractum est. *Gretanam* arcem, & *Embdanæ* eam partem, quæ *Amasio* imminet splendidius extruxit, hancque frequentissimam sedem elegit; mox civitatis Embdanæ bessem à *Gerardo Petcumano* & *Appone Lopperschemio* acquisivit, cumque jam ditionibus in immensum esset locupletatus, ab Imperatore Friderico obtinuit, ut an. 1454 cum conjuge & posteris *Comes Frisiæ Orientalis* crearetur, accepto diplomate, quo *omnis Frisiæ regio ab ostio Amasi occiduo in Visurgis ostium secundum litus, & hinc in fines usque Monasterienses & Oldenburgicos porrecta cum Comitatus titulo in feudum perpetuum ei & hæredibus assignata fuit.* Non putavit tamen consultum Ulricus Comitis nomine statim uti, Cæsareumque diploma in medium proferre; sed tempori serviens nono demum abhinc anno, misso iterum in Austriam legato, declinandæ invidiæ causa id operam dedit, ut omissis, quæ ultra jus tendere videbantur, id obtineret, quod refutare velut injustum nemo posset. Hunc in usum (*Emmij* verba refero,) *quæ jam possidebat ipse ac in suis rebus habebat, Nordam, Emdam, Auricam, item arces Grethanam, Berumanam, Auricanam, Lerothanam, Stichusanam, ditionemq; & agrum universum his annexum, cateraque, quæ teneret obvia sita cujuscunque generis omnia*

Ibid. p. 385.

Ib. p. 373.

Ib. p. 389.

omnia, feudum fecit, & Imperio atque Imperatori subjecit: Imperator vicissim conditione accepta, Comitatus titulo feudum id ornavit, & ipsum Ulricum, conjugemque ipsius, & liberos ac posteros omnes in Comitum Imperii ordinem cooptavit, solitaque illi Ordini jura, dignitatem, honorem iis impertivit. Atque in hujus rei gestæ testimonium diploma novum Ulrico tum datum, in quo *Comitis Nordani, Emdani, regionis Amasanæ in Frisia Orientali* nomen ei tributum; quo etiam usus est, & titulo Comitis Frisiæ Orientalis abstinuit, quem tamen posteri ejus assumpserunt, hodiéque retinent. Verum *Ulricus* duorum tantùm annorum spatio interjecto nempe an. 1466. in morbum incidens vitam cum imperio finivit, & sex liberos, tres infirmioris sexus, totidémque mares, *Ennonem, Edzardum* & *Veonem* post se reliquit.

3. *Enno* Primus hujus nominis Comes, egregius juvenis in Palæstinam iter fecit, indeque reversus, cum an. 1491. *Engelmannum* Freburgi præfectum, perfidiæ delatum, ad se fide publica ex arce evocasset, responsorumque ejus ferocia exasperatus pedem, per glaciem transmissa fossa referentem insequeretur toto corpore armatus, glacies pondere fatiscens subsedit, Comitémque cum satellitibus hausit. *Veonem* nuptias parantem cum virgine familiæ *Egmondanæ* mors

Id. L. 30. p. 459.

fato

fato propera *Auricæ* d. 10 Jul. an. 1507. abstulit.

§. 4. *Edzardus* I. fratris natu majoris successor virtute & rebus gestis *Magni* cognomentum implevit, primúsque extitit, qui haustis è diligenti lectione scriptorum Lutheri lucis Evangelicæ primitiis superstitiones abjecit, & pedetentim integrum fere Comitatũ ad veram ac sinceram fidem & religionem perduxit. *Id. l. 50. p. 785.* Post conjugis suæ *Elisabethæ Ritbergicæ* mortem, quæ in an. 1512. incidit, quoniam septem liberis auctus erat, cumque ejus funere, quamquam integer adhuc ætate, affectum conjugii simul sepulturæ intulerat, tabulas ultimæ voluntatis suæ testes condidit; in quibus ita jussit, si contingat plures se in vita liberos relinquere, ut *Id. l. 44. p. 681.* ex iis, quem Ordines probaturi maximè sint, unus ac solus in imperium sibi succedat: hic cæteris fortunam industria & virtute quæsituris, pecunia ex æquo & bono satisfaciat. Ipse tandem an. 1528, d. 15. Febr. ex hac in meliorem vitam abiit. Liberi omnes superstites ei manserunt, filii tres erant, gnatæ quatuor: ex his *Anna*, *Antonio Comiti Oldenburgico* destinata, patris fata post biennium secuta est, *Theda* an. 1563, sexagesimo ætatis, innupta obiit, *Margarita Philippo C. Waldeccio* elocata fuit, *Armgardis* denique, quam *Balthasar Dynasta Esensis* sponsam ambivit, sed

sed antequam obtineret, fatis concessit; an. 1589. naturæ debitum reddidit. Filiorum nomina hæc sunt: *Ulricus*, *Enno*, & *Johannes*.

5. *Johannes*, anno 1506. natus, in Belgio fortunarum sedem reperit, & pronuba Maria Regina Ungariæ & Gubernatrice Belgii an. 1539. *Dorotheam Maximiliani I. Imperatoris* filiam, è concubina natam, conjugem accepit; dotis verò loco *Durbyum* oppidum cum agello circumjecto paucorum vicorum, in finibus Lucemburgici Principatus, nec non *Falcoburgij* & *Dalæ* præfecturam in ulteriore ripa *Mosæ*: posteà Limburgici etiam Ducatus gubernaculis admotus, & *Eques Aurei Velleris* à Philippo II. Rege Hisp. anno 1556. creatus fuit; atque an. 1572. vivendi finem fecit, relicto filio *Maximiliano*, quem *Falcoburgium* nominarunt; quique ex uxore *Barbara Lalana* non nisi filias genuit, *Ludovicam*, *Everardo Barbansonio Vice Comiti d' Avre*, *Dorotheam Jacobo Tserclaës C. Tyllio* nuptas, *tertia* incomperti nominis *Jodoco de Bronchorst & Batenborg B. in Anholt & Gronsfeld* in manum convenit.

d. l. 18. p. 902.

6. *Ulricus* primogenitus ex *Edzardi Magni* filiis in Hispania aliquandiu egit, unde redux ingenio defecit, & deliriis obnoxius redditus est, *Hasletumque* in aviis ac desertis situm, quasi in secessum semet amandavit; quare ad *Ennonem* rerum summa à nobi-

nobilitate, antistitibus reliquisque populi primoribus delata est. Hic, *Emmio* testante, patri dissimilimus, ingenioq; facili ac valdè mobili fuit, in religione mutans & aurem importunis hominibus temerè commodans; ultimo tamen vitæ anno velut pœnitens priorum, vocato ad se *Johanne Lasco* Polono, Viro doctissimo & orthodoxiæ studiosissimo, de reformando Ecclesiarum statu seriò deliberavit. Cum Balthasare Esensi, Viro tota vita turbulento, & levis fidei, perpetuum bellum gessit, atque an. 1540 (non 1549.) d. 24. Sept. è vivis excessit, relictis ex *Anna Oldenburgica* conjuge sua tribus filiabus, totidemque filiis *Edzardo II*, *Christophoro* & *Johanne*. Ex his *Christophorus* an. 1566. in Hungaria triginta annos natus obiit; *Johannes* post mirum sed acerbissimum in Suecia cum *Cæcilia Regia* prole casum, (quem *Emmius* recensuit) à re uxoria abhorruit, Princeps cæteroquin excellentissimi ingenii, & præclaris animi corporisque dotibus, tum summâ humanitate præditus; apud quem, *Thuano* teste, plerique è Gallia, qui ob religionis causam solum vertere coacti fuerunt, tutum receptaculum habuerunt. Perfunctus est vitæ munere an. 1591, d. 29. Sept.

L. 58. p. 908.

Lib. 60. p. 917. & 918.

Hist. Lib. 100. p. 1415.

7. *Edzardus II.* patri successit, atque an. 1558. *Holmæ* in Suecia matrimonium iniit

vit cum *Catharina*, *Gustavi Regis* filia; è qua *undecies* pater factus est, filiæ quinque fuere: *Margarita*, in Suecia an. 1588 mortua. *Anna*, nata anno 1562. & post tertias nuptias an. 1622. defuncta, *Elisabetha* in infantia extincta, *Sophia*, quæ an. 1574 nata, anno 1630 in arce *Pevvesum* innupta decessit; denique *Maria* an. 1579 genita, & *Julio Ernesto D. Brunsuicensi in Dannenberg* nupta. Filiorum nomina hæc sunt: *Enno III.*, de quo posteà; *Gustavus* natus an. 1565, denatus anno 1608, *Johannes*, qui neptem ex fratre, ceu mox dicetur, uxorem duxit, & lineam *Comitum Ritbergensium*, de quibus alio loco sermo erit, protevit. *Christophorus* an. 1569 genitus, clarissimus belli Dux *Eques Aurei Velleris* & Gubernator Lucemburgici Ducatus, qui licet ter maritus, ac postremò quidem *Lambertæ Ligniacensis* improlis tamen obiit. *Edzardus*, an. 1571 in lucem susceptus, primum ætatis annum vix superavit, *Carolus* denique *Otto*, natus an. 1577, qui an. 1603 in expeditione Ungarica fato abreptus est.

8. *Enno III.* an. 1563 in lucem prodiit, & post parentis fata ditionum regimen suscepit: cum prima uxore *Walburgi*, quæ *Johannis Comitis Ritbergici* filia, & sorore sua majore natu *Armgardi* sine prole mortua, unica hæres fuit, non solum Comitatum *Ritbergicum*,

gicum, sed & Dynastias *Esens*, *Stedesdorf* & *Witmund*, quæ conjunctim *Harlingiæ* provinciam componunt, nactus est: illa verò an. 1566 mortem obiit, non sine veneni suspicione, quo unà cum filiolo recens nato *Johanne Edzardo* sublata credebatur; superstites tamen habuit filias duas, *Sabinam Catharinam*, an. 1582, & *Agnetem* an. 1583. natas, quarum illa *Johanni patruo* suo elocata, Comitatum *Ritbergicum* ei dotis loco attulit, & ad liberos transmisit: *Agnes Gundaccero Comiti*, postea *Principi Liechtensteinio* in manum convenit, & maturè ante patrem an. 1616 decessit. Posterior *Ennonis III.* conjux *Anna Holsata* fuit, è qua quinque liberos sustulit, gnatas duas, *Christinam Sophiam*, (cujus natalis in *tab. Rittersh.* omissus fuit d. 26. Apr. anni secularis) & *Annam Mariam*; illa *Philippo Landgravio Hassiæ in Buzbach*, hæc *Adolpho Friderico D. Mecklenburgico* nupsit: filios tres, *Edzardum Adolphum*, in tabula omissum, anno 1599 genitum, & an. 1612 immatura morte sublatum, *Rudolphum Christianum* atque *Ulricum*.

9. Discessit *Enno III.* ex hominum vita an. 1625, d. 19. Aug. & ditionum gubernacula ad filium *Rudolphum Christianum* transmisit: hic anno 1602. d. 25, Jul. in lucem prodiit, summamque spem subditorum, quam de eo jam puero habuerant, continuò adolescens & regimini admotus eximia vir-

tute superavit, sed fatorum iniquitate citò abreptus est; anno enim 1628. d. 17. Apr. in arce *Berumana* ad tumultum fortè ortum accurrens infeliciter interemptus fuit. Successit ei frater *Ulricus* Heros optimus, qui transmissas ad se ditiones per viginti annos turbidissimis temporibus fortiter ac prudenter rexit, atque an. 1648. d. 1. Nov. seculo valedixit; relictis post se tribus filiis, è *Juliana Hassiæ Landgravia* uxore sua susceptis, nempe *Ennone Ludovico*, *Georgio Christiano* & *Edzardo Ferdinando*.

10. *Enno Ludovicus*, ad quem post patris fata rerum summa devenit, novum decus familiæ intulit, ad *Principale* fastigium ab Imperatore Ferdinando III. an. 1654. evectus; quam dignitatem, cum an. 1660. d. 4. Apr. præmaturè vita caruisset, nec nisi duas gnatas superstites è conjuge sua *Justina Sophia C. Barbiensi*, quæ demum an. 1677. mortalitatem exuit, suscepisset, ad fratrem *Georgium Christianum* transmisit. Hic ab Ordinibus provincialibus & civitate Embdana dissidio intestino, quod jamdum fratre superstite gliscebat, aliquandiu exagitatus, opera Statuum fœderati Belgii in pristinam cum illis concordiam reductus est, Novas autem ei mox turbas Episcopus Monasteriensis *Christophorus Bernhardus* concivit, quem Imperator *Executorem* in causa *Liechtensteinensi* denominaverat: ea verò ingens debi-

debitum trecentorum millie Imperialium, quibus ratione fructuum centum & triginta quinque millealii accensebantur, concernebat; hoc *Hartmannus Princeps Liechtensteinius* matri suæ *Agneti Ostfrisiacæ* iuprà memoratæ à fratribus ejus consanguineis ob Dynastias *Esens*, *Stedesdorf* & *Witmund*, (quarum tamen plenum dominium ipsa ejusque soror germana, unà cum earum matre, in *Ennonem III.* per *Berumanam* juratam transactionem & renuntiationem transtulerant) per cessionem obvenisse dictitabat, eoque nomine à Comitibus Ostfrisiæ id exigebat, tergiversantes autem coram Tribunali Spirensi in jus vocavit, & causam vicit solutione Ostfrisiacis imperata. Posteà cum illi moras necterent in aula Cæsarea intercedente pro eo Nuntio Apostolico, per quem etiam à jurata illa transactione Berumana absolutus fuerat, perfecit, ut Executio sententiæ Spirensis Monasterienſi Antistiti demandaretur; quam iste avidè susceptit, atque anno 1663. militem ditionibus Ostfrisiacis immisit, ita ut ad bellum res spectaret; sed fœderatarum provinciarum Ordines rei componendæ intenti procrastinationem impetrarunt, & de suo centum & triginta quinque Imperiales dependerunt; nihilo tamen secius Episcopus, qui Eyderlandiæ inhiabat, insigne illud & magni momenti ad *Amasin* fortalitium astu occupavit & præsidio mu-

nivit; quod ægerrimè ferentes Batavi, cum restitutionem ejus à tenacissimo Præsule verbis impetrare non possent, *Principem Nassovium Wilhelmum Fridericum* cum magna militum manu miserunt, qui præsidiarios ad deditionem adegit, fortalitiumque recepit. Rei sic gestæ rationem Cæsari Ordines Generales per literas dederunt, Principi verò Ostfrisiaco liberationis à vexatione Liechtensteinia spes nulla, nisi explicata solutione, relicta fuit.

11. Cæterum *Principale* axioma, quod Ennoni Ludovico primitùs collatum fuisse dixi, *Georgio Christiano* Leopoldus Augustus an. 1662. renovavit, & ad filium ejus primogenitum atque in regimine futurum successorem extendit. Nuptias illean. 1662, d. 14. Maji celebravit cum *Christina Carola*, *Eberhardi Ducis Wirtembergici* filia, è qua duplicem sobolem sequioris sexus eandemque brevis ævi suscepit; videlicet *Eberhardinam Catharinam Sophiam* natam an. 1663. d. 25. Mart. atque anni sequentis d. 10. Jul. defunctam, & *Julianam Carolam*, an. 1664. d. 3. Jun. genitam, & an. 1666, mense Mart. iterum extinctam: moriens autem fato immaturo an. 1665, d. 10. Jun. uxorem gravidam reliquit, quæ mensibus expletis filium peperit, is hoc nomine cluit:

12. CHRISTIANUS EBERHARDUS, *Princeps Frisiæ Orientalis*, *Dynastia in Esens*, *Ste-*

Stedesdorff & Witmund; hausit auram vitalem an. 1665, d. 11. Oct. & vix in lucem protractus unanimi Procerum Imperii consensu inter *Principes Imperii* cooptatus, & sessione ac voto in eorundem collegio auctus fuit. In gremio ac sinu matris suæ præstantissimæ ac prudentissimæ fœminarum solicitè ac liberaliter educatus, & studiis disciplinisque Principe dignis innutritus, exteras oras perlustravit atque ubivis gentium omnium, Summatium præcipuè virorum, ora animósque in se convertit; jamq; patriæ redditus ea specimina sui dedit, ut magni, prudentis, & justi Principis in ipso indolem esse appareat; unde etiam à Rege Daniæ pronuper dignus habitus est, ut insignibus *Ordinis Elephantiaci* decoraretur. De dissensione inter Principissam Regentem ejus matrem & Ordines Provinciales orta, nec adhuc sopita, quæq; haud ita pridem Electori Brandenburgico vi Comissionis Cæsareæ ansam præbuit, ut *Grethsilam* occuparet, non necesse habeo multa commemorare; tutiusque reputo id levi quasi brachio transilire.

13. Inter consanguineos Principis proximi sunt filii *Edzardi Ferdinandi* patrui sui, quos duos ille anno 1668, ipsis Calendis Januarii ad superos excedens post se reliquit, susceptos è conjuge sua *Anna Dorothea*, *Alberti Ludovici C. Crichingensis* filia, an. 1665.

ducta, quæ *Nordæ* vidua agit, illorum verò nomina sic se habent:

EDZARDUS EVERHARDUS WILHELMUS Comes *Frisiæ Orientalis*, *Dominus in Esens*, *Stedesdorf & Witmund*, natus an. 1666.

FRIDERICUS ULRICUS, *Comes Frisiæ Orientalis* &c. editus in lucem an. 1667, d. 31, Dec.

Ambo jam in Galliis versantur.

14. *Iuliana*, illorum patruelis, *Ennonis Ludovici* Principis & *Justinæ Sophiæ C. Barbiensis* filia major natu, hausit auram vitalem mense Novembri, an. 1657.

Sophia Wilhelmina, ejus germana, lucem primùm aspexit an. 1659. d. 17. Sept.

15. *Scutum* Principis Frisiæ Orientalis ita Celeb. *Spenerus* delineavit, ut, *una perpendiculari & duabus transversis lineis in* sex areolas *dividatur*, *quarum* prima *nigra*, *aquilam expansam auream capite virgineo coronatam* (*Harpyiam* Poetæ vocant) *cum quatuor Stellis aureis continet*, Frisiæ Orientalis δῆγμα; secunda *rubea aquilam auream refert* Ritbergensem *tesseram*; tertia *argentea fasciam exhibet coccineam*, *cui sex rhombuli argentei & aurei impressi*, *comitesque tres lunæ cælestinæ inversæ*, *quo symbolo dominia* TransLædana & Reiderana *denotari putantur*; quarta *cærulea leonem*

nem argenteum, cujus collo inserta corona aurea sed inversa, continet, Jeveranæ Dynastiæ *emblema*; quintam *auream ursus niger perrepit, numella aurea, lingua & oculis argenteis, quo* Esense dominium *designatur*; sexta *denique cœrulea, gemina vexilla aurea in decussim trajecta repræsentat*, Witmundanæ Dynastiæ *tesseram*. Galeæ *huic clypeo* tres *incumbunt: prima* Ritbergica *exornatur aquila exoriente aurea rubeis alis, phaleris dependentibus ejusdem tinctura; media* Frisiaca *duos sustinet fasciculos plumarios nigros, inter quos comparet lilium aureum, laciniis itidem aureis & nigris; tertia duo vexilla aurea sustinet cœruleum lilium stipantia, laciniis dependentibus aureis & cyaneis.*

16. Comprehenditur Princeps Frisiæ Orientalis sub *Circulo Westphalico*, in cujus ærarium symbola sua respectu Frisiæ confert; *Harlingana* verò Dynastiæ ab Imperii oneribus prorsus sunt exemptæ. Sedes Principis *Aurica* est, propè in meditullio provinciæ sitæ: in civitatem *Embdanam* nihil ipsi juris nunc competit, nam quæ majores habuere, per conventionem *Delffilanam* anno 1595. amissa sunt, arcem tantùm ibi tenet immunitam, quam prætor qui colonis ad præfecturam illam pertinentibus, ipsius nomine jus dicit, inhabitat. In conventibus Imperii Princeps Ostfrisiæ *cum Furstenbergico alternat*, ita tamen ut illi jus proëdriæ bis absque

interruptione, huic verò tertia demum vicé competat.

CAP. IX.

DE PRINCIPIBUS FURSTENBERGICIS.

Germ. Stemmatogr. T. IV.

Lib. 3. c. 19. §. 1.

Fürstenbergicam familiam, nulli in Suevia vetustate & illustri splendore secundam Vir in indagandis rebus patriis solertissimus *Bucelinus* ab *Egone* sive *Egano* Agilolfingici generis heroë, qui circa an. 670. claruit, derivavit, eique *Heinricum Friburgi & Fürstenbergæ Comitem*, à quo *Rittershusius* Genealogiam gentis orditus est, pronepotem tribuit. In hujus posteritate enumeranda, bini illi autores, quos citavi, enormiter discrepant, prout è collatione stemmatum, tum etiam in *Opere Haraldico* laudatissimi Polyhistoris *Speneri*, qui varietatem illam singillatim & dilucidè recensuit, videre est. Quare altiorem stirpis deductionem prætermittentes, eò transilimus, ubi Genealogi consentire occipiunt, nempe ad *Wolfgangum*, *Comitem de Fürstenberg*, *Landgravium in Baar*, qui anno 1510. satis concessit, & ex *Elisabetha Solmensi* uxore sua præter aliquot gnatas, filios duos suscepit, *Wilhelmum* & *Fridericum*. *Wilhelmus* clarum in militia nomen consecutus est, cum-

cumque initiò Regi Galliæ adversus Cæsarem stipendia fecisset, factus ab illo alienior, per Granvellanum viam sibi, ad Imperatoris Caroli V. gratiam paravit, collectisque in agro suo copiis aliquot, cum Cæsareis media bruma prope Lucenburgum sese conjunxit; sed non ita multò post, cum Imperatore castra ad *Matronam* locante, vadum fluminis exploraturus egressus esset, ab equitibus Gallis interceptus & magno cum ludibrio, nec (*Sleidano* referente) sine convitiis, quod ipsorum partes antea secutus magnam auri vim è Galliis exportasset, in castra indeque Lutetiam perductus fuit; ubi per anni spatium in custodia detentus, tandem an. 1545. depensis aureorum millibus triginta dimissus est. Ab uxore sua *Bona*, *Claudij Novocastrensis* filia, jus sibi in dominia *Blaumont*, *Hericourt*, *Clermont* & *Chastelet*, quæsitum ivit adversus Wirtenbergicos Mompelicardi Comites, idque suis viribus diffisus postea in Ferdinandum Archiducem cessione transtulit, quemadmodum *superiùs* dictum fuit: decessit an. 1549. prole destitutus. *Commem. l. 15.* *Lib. 4. c. 6. §. 9.*

2. *Fridericus* felici connubio sibi sociavit *Annam*, *Christophori ultimi Comitis de Heiligenberg* filiam atque hæredem, quæ insigni ditione mariti familiam locupletavit; integro nempe Comitatu *Heiligenbergensi* in Suevia, & magna parte *Werdenbergici* in Rhætia;

reliqua ejus portione ad Austriacos delapsa, qui eam deinceps Hohenzolleranis contulerunt. Ab eodem *Friderico*, omnes quotquot è Furstenbergica gente nunc superstunt, communem sanguinem ducunt: abundabat autem prole, in qua tres præcipuè mares eminuere, *Joachimus*, *Christophorus* & *Heinricus*. Huic in partitione ditionum *Donesschingam* obtigisse reperio, quæ, cum ille ex uxore *Amalia C. Solmensi* non nisi filiam unicam *Annam Mariam Christophoro Truchsessio de Walburg* nuptam suscepisset, ad fratrem natu majorem recidit. A *Ioachimo* & *Christophoro* duæ lineæ ortæ sunt, *Werdenbergia* & *Blombergia*, quibus hodienum familia primariò distinguitur; de posteriore inter Comites sermo erit.

3. *Ioachimus*, *Werdenbergiæ* lineæ autor, nactus est in divisione ditionum Comitatus *Werdenberg* & *Heiligenberg*, quibus morte fratris Heinrici *Donesschinga* è Baarensi Landgraviatu accessit. Thori sociam habuit *Annam Frobenij Christophori C. de Zimbern* filiam, cum qua complures liberos genuit, sed non nisi gnatus unicus filiæque duæ vitæ suæ, quam an. 1598. terminavit, superstites manserunt; nimirum *Anna Constantia*, *Conrado Bemmelbergio* nupta, *Eleonora*, *Rudolpho C. Helfensteinio* elocata, & *Fridericus*.

4. Is

4. Is meritis & gratia apud Imperatorem Matthiam valens, in ejus aula ad summum dignitatis gradum emersit; à secunda uxore *Maria Comitissa ab Arcu* ipsi licet nulla proles, opulenta tamen hæreditas obvenit; *Weitrensis* scilicet Dynastia in confiniis Bohemiæ & Austriæ Inferioris sita, quam illa à priore marito *Wolfgango L. B. Rumpfio* acceperat: E prima autem uxore *Elisabetha C. de Sulz* aliquot liberorum parens factus est, trium inprimis marium: *Wilhelmi, Egonis* & *Jacobi Ludovici*. Ex his *Wilhelmus* sua in omni genere prudentia meruit, ut *Consilij Imperialis Aulici Præses* constitueretur; sed præmaturè anno scilicet 1618. duo & triginta annos natus, vita caruit, nullis è *Polyxena Poppelia de Lobkovviz* uxore sua liberis susceptis: à fratribus ejus duo rami provenerunt, *Heiligenbergensis* & *Doneschingensis*.

5. *Ego* Comitatum *Heiligenbergensem* nec non Dynastias *Weitra*, *Jungenau* & *Trochtelfingen* tenuit multâque ac felici sobole inclutus fuit, quam ex *Anna Maria Hohenzollerana* procreavit: Explevit naturæ modum an. 1635, d. 24. Aug. & præter tres gnatas posteà notandas, sex filios superstites reliquit; quorum nomina hæc sunt: *Ferdinandus Fridericus Ego*, *Leopoldus Ludovicus*, *Franciscus Ego*, *Hermannus Ego*, *Wilhelmus Ego*, & *Ernestus Ego*; ex his *postremus* nec non

non *Leopoldus Ludovicus* in juvenili ætate occiderunt, reliqui diversimodè famam sibi nomenque pepererunt.

6. *Ferdinandus Fridericus Ego* Cæsari operam suam addixit, à quo inter Cubicularios & Consiliarios Imperiales Aulicos cooptatus, satellitióque suo præfectus est; induxit penatibus *Franciscam Elisabetham, Comitissam de Montrechier*, Lotharingam; è qua viventium numero exemptus præter *duas filias* lupetstites posteà nominandas, gnatum unicum reliquit *Maximilianum Josephum*. Is *Donesching*æ ut plurimum degit, & nupero cum Gallis bello Circulo Suevico ductor legionis pedestris meruit, atque oppugnationi Philipsburgicæ interfuit; in qua dum promptius dimicat, obsessisque in vallo excubantibus sclopeto (erat enim jaculandi peritissimus) non satis cautè insidiatur, postquam haud paucos prostravisset & luce privasset, tandem ipsemet mortifero vulnere ictus cecidit, animámque confestim exhalavit mense Septembri an. 1676, relicta vidua juvenc *Anna Maria de Kokorzovv*, antiquissimæ in *Bohemia* stirpis, quæ nullam ei peperit sobolem, jamque in conjugio *Ernesti Comitis de Waldstein* vivit.

7. *Franciscus Ego* Clericam vitam amplexus, mox Canonicatibus in diversis Germaniæ Ecclesiis, Colonien si, Argentinensi, Leo-

Leodiensi, Hildesiensi & Spirensi auctus, ampliorésque subinde dignitates consecutus est; námque in *Colonienſi* Cathedrali primò *Corepiſcopi* postea *Decani*, ad S. *Gereonem* verò in eadem civitate *Præpoſiti* munera obtinuit; in *Hildeſienſi* Capitulo itidem *Præpoſituram* gessit, in *Argentinenſi* Ecclesia è *Theſaurario* in *Epiſcopum* an. 1663. d. 19. Jan. electus fuit; cui fastigio statim accessit Administratio Abbatiarum *Murbacenſis* & *Luderenſis*, subsecutæ tandem sunt Abbatiæ *Stabulenſis* & *Malmundarienſis*, quas Elector Colonienſis ei cessit. Sed tot tantisque dignitatibus cumulatum, & omnibus lætitiis ob subjugatam à Gallis Argentinam incedentem mors livida ipsis Calendis Aprilis an. 1682. oppressit, & in communem abire locum jussit.

8. *Hermannus Ego* Electoris Bavariæ gratia floruit, apud quem Supremi aulæ Magistri munere functus est, eum nec non fratres ejus Leopoldus Augustus an. 1667. in altiorem ordinem extulit, & *Principali* axiomate decoravit; atq; Hermannum quidem ejusq; progeniem in perpetuum, fratres verò ejus non nisi ad dies vitæ: neque ita multò post ad sessionem & suffragium in Senaculo Principum admissus est. Thalamo sibi junxit *Mariam Franciſcam* agnatam, *Friderici Rudolphi C. Furſtenbergici* & *Annæ Magdalenæ*

Hano-

Hanovicæ filiam, è qua septem liberos, quinque mares, duásque fœmellas suscepit, omnésque præter solum filium natu minimum *Egonem Hermannum Felicem Caëtanum*, qui brevissimi ævi fuit, cùm an. 1674, d. 10. Sept. apoplexia correptus spiritum amisisset, post se reliquit.

9. Inter filios familiam ducit ANTONIUS EGO, *Princeps in Furstenberg, Comes in Heiligenberg & VVerdenberg, Landgravius in Baar, Dynasta in Hausen in valle Kinzingia & in VVeitra, Trochtelfingen & VVehrnvvag*: prodiit in lucem an. 1656. d. 23. Apr. Uxorem duxit *Lutetiæ Parisiorum* sub initium an. 1677. pronubo patruo suo Francisco Egone, videlicet *Domicellam de Ligny*, filiam *Domini de Ligny, Equitis, Dynastæ de Grognével, S. Piac, Chartanvillier, Boigneville & Yermenonville*, anno demum 1682, mense Novembri mortui; hic frater erat *Dominici de Ligny*, qui initio *Aquarum & Sylvarum in Insula Franciæ Præfectus*, posteà suscepto Clericatu *Dominico Seguier* celebratissimi Galliarum Cancellarii fratri *Episcopo Meldensi* avunculo suo surrogatus, atque an. 1681. defunctus est. Sobole Antonium Egonem auctum, atque anno 1680, mense Majo *filiam* ei natam esse accepimus.

10. Fra-

10. Fratrum ejus nomina hæc sunt:
FELIX EGO, natus d. 25. Nov. an. 1657, *Administrator Abbatiarum Murbacensis & Luderensis*, Canonicus *Colonienſis*, *Argentinenſis*, *Spirenſis & Conſtantienſis*, Ser. Electoris Colonienſis Supremus Camerarius.
Maximilianus Ferdinandus Caëtanus Joſephus Ego, n. d. 24. Oct. an. 1661. Canonicus *Colonienſis & Argentinenſis.*
Emanuel Franciſcus Ego, n. d. 2. Mart. an. 1663. Canonicus *Colonienſis & Argentinenſis.*

11. Inter illorum ſorores major natu eſt *Adelheidis*, quæ an. 1678. *Eugenio Alexandro Comiti* nunc *Principi de Taſſis* Generali Poſtarum per Imperium Belgiumque Præfecto in manum convenit.
Franciſca, minor natu, innupta vivit.

12. WILHELMUS EGO *Princeps in Furſtenberg*, Antonii Egonis patruus, anno 1629. d. 21. Oct. in lucem editus eſt, Franciſci Egonis fratris ſui veſtigia ingreſſus, multis in Germania Galliaque præbendis locupletatus fuit; militiæ tamen etiam nomen dedit, legione à Rege Galliæ donatus, cui in præſentia Antonius Ego præeſt; tandem fratri in potiore dignitatum parte ſucceſſit, atque *Epiſcopatum Argentinenſem*, *Decanatum Capituli Metropolitani Colonienſis*, *Abbatias-*

tiasque Stabulensem & Malmundariensem obtinuit, postea Coloniæ sacro ordini initiari se passus est.

13. Sorores tres ei sunt:

I. *Elisabetha*, n. 15. Jun. 1621. & *Ferdinando Comiti Asperimontij in Reckheim* an. 1643. nupta, quæ quidem num in vivis adhuc sit, affirmare non ausim.

II. *Maria Francisca*, n. 6. Jun. 1633. ea primis nuptiis *Wolfgango Wilhelmo Comiti Palatino Neoburgensi* an. 1651. secundis *Leopoldo Wilhelmo M. Badæ* an. 1666. in manum convenit, jamque *Badæ* viduam vitam vivit.

14. *Ferdinando Friderico Egoni*, illarum fratri natu maximo filias duas superstites fuisse dictum est; earum nomina hæc sunt: *Maria Theresia Eleonora.*

& *Maria Francisca*, nata an. 1658.

15. Reliquum est, ut de *Jacobo Ludovico*, Friderici filio natu minimo nonnulla addamus: is *Donesschingensem* ramum condidit, & præcipiti anno 1627. mortalitatem explevit, relicto post se filio unico, ex *Eleonora Comitissa de Schvvendi* uxore sua suscepto, *Francisco Carolo*, qui an. 1626. d. 25. Mart. natus, a. 1682. superstes adhuc fuit, vitam in castro *Wartenberg*, haud procul Donesschinga dissito, cœlebs quieto otio ducens, post-

postquam ditionem suam *Hermanno Egoni* patrueli concessisset, ea lege, ut annuam pensionem sibi penderet.

16. *Scutum* Furstenbergiorum *aureum est, margine ex argento & cyano in nubis speciem variegato, repræsentans aquilam rubeam, rostro & cruribus cœrulis, quæ* tessera gentilitia *est: pectori autem aquilæ* parmula *imponitur* quadripartita, *cujus* quadra prima & quarta *rubent vexillo Ecclesiastico trifariam pinnato argenteo ornatæ, symbolo nempe* Werdenbergici Comitatus; secunda & tertia *argenteæ baltheum diagonalem cochleatum nigrum continent*, Hiligenbergense δεῖγμα. *Incumbunt clypeo* tres cassides: *prima* Werdenbergica *coronata mitram Episcopalem argenteam minio prætextam, auroq; ornatam sustinet; mediæ* Furstenbergiæ *pulvillus coccineus, aureis globulis & panniculis decoratus, huicque globus argenteus imponitur; è tertia coronata caput & collum vertagi argenteum prospectat, cujus auri baltheus cochleatus* Heiligenbergensis *impressus est.* Laciniæ *circumfluunt galeam priorem* argenteæ & rubeæ, *mediam* aureæ & rubeæ, *extremam* argenteæ & nigræ. Spen. loco cit.

17. Referuntur *Furstenbergici* Principes ad *Circulum Suevicum*, ejusque *secundum districtum*: in comitiis Imperii *cum Principe Frisiæ Orientalis* eo, quo superiore capite dictum est, modo *alternant*.

CAP. X.

DE PRINCIPIBUS SCHWARZENBERGICIS.

SEinsheimiæ gentis, à qua *Schvvarzenbergica* genus ducit, vetustas iam dudum apud Francos Orientales, aliàs *Ostrofrancos* dictos, in communibus proverbiis est versata; dum enim è primaria sua nobilitate *Einheimios* superbos, *Grumbachios* opulentissimos, *Sekendorfios* numerosissimos (*Bruschio* testante) vocitabant, *Seinsheimios antiquissimorum* vocabulo cohonestarunt. Licet verò constans ac communis fama, à multis seculis (ceu *Conradus Dinnerus* in commentario *de vita Georgij Ludovici Seinsheimij*, quem sub *Thrasybuli Leptæ* persona edidit, refert) hucusque perducta prædicet, in Monasterio *Bürckhlingen*, tumbis Seinsheimiorum nobilitate, antequam id à seditiosa agrestium turba a. 1525. destructum est, Epitaphium longè vetustissimum extitisse, quo familiæ antiquitas supra 800. annos testata sit; prætereaque in catalogo *Torneamentorum* in Germania quondam frequentissimorum, ad quæ non nisi perspectæ nobilitatis & multarum imaginum viri admittebantur, creberrima Seinsheimiorum mentio inde à primo ludo equestri, quem Imp. Heinricus Auceps *Magdeburgi* an. 938. edi-

Chronol. Monast. p. 305.

Lib. 1. p. 5.

edidisse fertur, occurrat; nihilo tamen secius operam mihi lusisse videtur *Bucelinus*, dum gentis Genealogiam justa & continua serie, à *Friderico Seinsheimio*, qui ludis illis Magdeburgicis interfuisse perhibetur, inchoando, enumerare occœpit; nullis aliis adminiculis & testimoniis suffultus, quàm istis, quæ ex annalibus Torneamentorum mutuavit: fac enim constare libro huic αὐθεντίαν suam, quam tamen cordatiores nunquam non in dubium vocarunt, qua, quæso, certitudine è puris nominibus, quæ inibi recensentur, nulla cognationis appellatione addita, stemma Genealogicum concinnari, & hic pater fuisse, ille filius, iste nepos &c. dici aut affirmari poterit? *Germ. T. IV.*

2. Missa itaque altiore, eaque incerta, stirpis deductione, *Hildebrandum* in medium producamus, qui an. 1333. claruisse, duosque filios, *Hildebrandum*, *Juniorem* dictum, & *Michaelem* habuisse memoratur. Prior *Seinsheimios* nudè sic nominatos, & hodienum florentes profevit; è quibus *Christophorus*, Hildebrandi Junioris trinepos, an. 1782, mortuus, *Baronis* axiomate ornatus fuit, pater *Georgii Ludovici*, quem agnatus cognominis, *Melchioris Seinsheimii* filius, *Erkingeri* nepos, (reliquos majores ipse *Dinnerus*, vitæ ejus scriptor, ignorasse videtur) multarum ditionum in Franconia, & *Sichin-* *Lib. 1. p. 43.*

ge in Bavaria inferiore, ad *Lavarum* amnem, sitæ dominus, hæredem *fideicommissarium* per testamentum, quod Noribergæ d. 7. Aug. an. 1589. scripserat, constituit; eique & lineæ suæ, si eam deficere contingeret, agnatos *Schvvarzenbergicos* substituit. Obiit *Georgius Ludovicus* an. 1599, relicto ex *Anna Liechtensteinia* filio *Johanne Erkingero*; qui an. 1619, in bello Bohemico fato concessit, duásque uxores habuit: prior *Christina Limpurgica*, posterior *Walpurgis Com. in Eberstein & Neugarten* fuit. E priore natus est an. 1605. *Christianus*, maritus primò *Ludovicæ Christinæ Landschadiæ* an. 1624. ductæ, & an. 1629. mortuæ, secundò *Mariæ Cordulæ Sekendorfiæ*, quam exeunte anno 1629. sibi copulavit; discessit ex hominum vita an. 1646. E posteriore conjugio susceptit *Fridericum Ludovicum*. hic Recessui Imperii a. 1654. inter Franconicos Comites subscripsit, &, religione Evangelica cum *Pontificia* commutata, Electori Bavariæ operam suam addixit; à quo inter Cubicularios & Consiliarios cooptatus fuit; cum Agnato *Johanne Adolpho Schvvarzenbergico* gravis ipsi lis intercessit ob fideicommissum suprà memoratum; cujus ille, sub prætextu tutelæ à *Christiano* sibi demandatæ, possessionem arripuit, eáque postea, Seinsheimiis culpam non impletarum conditionum fideicommisso annexarum impin-

impingens, decedere detrectavit; unde *Ludovicus Fridericus* executionem vigore *Instrumenti pacis* requisivit, eámque apud Deputatos Imperii Bambergam & Noribergam per sententiam a. 1652. latam obtinuit; sed Cæsar illam inhibuit, causæque cognitionem ad comitia remisit. Tandem per transactionem ab Imp. Ferdinando III. an. 1655. confirmatam, res composita est, qua Seinsheimii omnia bona fideicommissaria, quæ quidem in Franconia sita sunt, nominatim *Marckbrait*, *Hohen- & Niedern Cottenheim*, *Seehaus*, nec non rei vindicationem prædiorum *Haundorf & Amphorach*, cum omnibus & singulis pertinentiis, cum omni jure & causa in *Johannem Adolphum*, ejusque hæredes transtulerunt, atque ita ex universo illo fideicommisso nil nisi *Sichingam* in Bavaria retinuerunt, ut adeò nihil eis loci inter Circuli Franconici Ordines amplius supersit. Habuit *Fridericus Ludovicus* in matrimonio *Annam Claram B. à Tannberg*, è qua, præter gnatas quatuor, filios duos genuit *Ferdinandum & Maximilianum*: horum alter uxorem è gente *Schenckiorum de Stauffenberg*, Episcopi Bambergensis sororem duxit.

3. *Michael Seinsheimius*, Hildebrandi Junioris frater, in castro *Steffansberg*, quod Kizingam & Volkachum interiacet, habitavit, lineæque exinde nomen dedit, quæ nunc

etiam *Schvvarzenbergica* appellatur: ab eo *Cl. Rittershusius* stirpis Genealogiam orditus est, filiumque ei tribuit *Erkingerum*. Hic *Supremi Forestarij* munus per diœcesin Herbipolitanam, quod beneficiario jure anteà *Comites de Truchedingen* ab eadem Ecclesia tenuerant, acquisivit, atque arcem & præfecturam *Hohenlandsberg*, cum vico *Dornheim* à dicto Episcopatu æ re sibi comparavit; præterea castrum *Schvvartzenberg* prope oppidum Schlusselfeld, in Franconia, cum pertinentiis ab Ottone Vestenbergio & Wilhelmo Abenspergio, an. 1420. emit; idque cum antehac liberum neminique obnoxium fuisset, S. R. Imperio, feudali nomine, subjecit, quo ipso obtinuit, ut ab Imperatore Sigismundo, ob strenuam ac indefessam ipsi & Imperio in Italia, item Bohemia contra Hussitas, denique contra Imperii hostes opem & operam navatam, (ceu verba *Diplomatis* apud *Dinnerum* sonant) in *Baronum S. R. Imperij* ordinem, procerum assensu, adscriptus fuerit.

Lib. 1. p. 36.

4. *Erckingero* geniti sunt, præter alios, *Michael* & *Sigismundus*, á quibus rursum in ramos stirps deducta fuit, nempè in *Steffansbergensem* & *Hohenlandsbergensem*: Hunc *Sigismundus* profevit, qui, vigore dispositionis paternæ, dominia *Schvvartzenberg* & *Hohenlandsberg* nactus est, eaque postea Marchio-

chionibus Brandenburgicis *sub feudi* titulo obstrinxit. E filio *Johanne* nepotes habuit *Christophorum* & *Fridericum*, duorum iterum palmitum satores: horum alter, à *Friderico* conditus, in ejus filiis *Johanne*, *Paulo* & *Friderico*, quos unà cum patruelibus Imperator Maximilianus II. a. 1566 *Comitum* axiomate decoravit, exaruit. *Christophori* propago in quartam usque generationem duravit, ultimusque ex ea fuit *Georgius Ludovicus*, Eques Aurei Velleris, & Generalis in finibus Vimidorum; cui uxor prima *Anna Neumannia* dominium *Muran*, in superiore Styria, quod ex hæreditate prioris mariti *Christophori Liechtensteinij* nacta fuerat, attulit; cùm verò filiorum duorum funera turbato mortalitatis ordine extulisset, an. 1646. vitam lineámque finivit, scripto hærede *Johanne Adolpho*, agnato; cui vivus adhuc bona avita in Franconia, videlicet Comitatum *Schwartzenbergicum*, & Dynastiam *Hohenlandsberg* cum omnibus pertinentiis, in præjudicium proximiorum agnatorum, prout illi conquesti sunt, per cessionem scriptam tradidit, idque literis d. 17. Jan. an. 1643 datis Directoribus Circuli Franconici significavit.

5. *Michaeli*, Sigismundi fratri, *Steffansbergensis* rami conditori, duæ tribuuntur conjuges, prima *Beza Cronenbergia*, secunda

Vrsula Franckengruneria; ex utraque filium suscepisse, singulisque *Michaelis* nomen dedisse fertur: ille, qui è *secunda* natus est, filios duos, *Fridericum* & *Wolfgangum*, ex hoc autem nepotem *Johannem Onuphrium* habuit. Huic cum uxore *Maria de Grumbach*, cui mater *Lucia Martena*, è primaria Frisiorum nobilitate orta, fuit, aliquot in *Frisia Occidentali* prædia obvenerunt, quæ ille inhabitavit, lineamque prosevit; ea hodienum illic locorum superat, & dominia *Oldersum*, *Ostervvede*, & *Fischhausen* tenet.

6. *Michael* alter, è priore Michaelis patris conjugio genitus, *Margaritam Huttenian* uxorem duxit, & pater extitit *Erkingeri* & *Sigismundi*; è quibus *hic* mascula progenie caruit, *ille* in Belgium cum Maximiliano I. Augusto profectus, ibi *Appolloniam Marcanam*, è Comitibus *Arembergæ* prognatam, uxorem duxit, atque ex ea suscepit *Egmondum* & *Wilhelmum*. Ille *Belgicam* lineam, quam etiam *Leodiensem* nominant, condidit, pater *Egmondi II*, avus *Egmondi* III, qui hoc usus est titulo: *Comes de Schvvarzenberg, L. B. in Hohenlandsberg & Fischbach*, (in hoc castro, quod tribus leucis Lucenburgio distat, sedem habuit,) *Dynasta in Bierses, S. Lamprecht, Herk, Humaning, Hostouvillen, Campion, Marenne, Verdenne, & Menny*: ei *Maria Arscontana, Comitissa de*

Ri-

Riviere, thori socia complures liberos peperit, in *tabula Rittershus.* enumeratos; inter quos tamen omissa est *Maria Justina*, quæ anno 1663. *Maximiliano IV. Comiti Dieterichsteinio* nupsit.

7. *Wilhelmus*, Egmondi I. frater, sub Carolo V. rebelles in Alsatia & vicinia oppressit, atq; è *Catharina Nesselrod* filios duos procreavit, *Gotthardum*, & *Wilhelmum*; ille apud Wilhelmum Ducem Juliacensem Aulæ Præfectus, & *Annæ Metternichiæ* maritus, sobole verò destitutus fuit. *Wilhelmus* in prœlio ad *S. Quintini* sanum a. 1557. occubuit, &, præter gnatam unicam *Elisabetham*, *Wilhelmo de Nesselrode* elocatam, filium reliquit, matre *Anna de Harff* natum, cui nomen *Adolphi* fuit. Is Imperatori Rudolpho II. stipendia fecit, ejusque exercitum in Hungaria ductans, longè omnes belli gloria & virtute superavit, terrorémque latè Turcis injecit; maximè verò *Javarinô* capto clarum nomen consecutus est, atque in præmium fidei ac fortitudinis à Cæsare *Comitis* axioma, quo primus è linea sua an. 1599 auctus fuit, obtinuit. Verùm anno sequenti, dum ad *Pappam* adversus præsidiarios Gallos Belgásque rebelliones & proditores acriter rem agit, glande ictus cecidit; &, incredibili sui desiderio relicto, Viennam deportatus, militari pompa elatus ac conditus est. Uxor ei

Thuan. Hist. l. 124. p. 917.

fuit *Margarita Wolfia de Metternich in Cracht*, filius unicus tantùm *Adamus*, virtutis paternæ hæres & singulari in omni genere prudentia præditus; qui in aula Electoris Brandenburgici magna auctoritate pollebat, ejusque auspiciis dignitate *Magistri Ordinis Johannitici*, per Germaniæ partem Septentrionalem, ornatus est; Imperatori etiam Ferdinando II. charus fuit, adeò ut hic pro ejus sanitate votum nuncuparet, quemadmodum Venerabilis *Spenerus* è *Laimormanno* refert. Persolvit naturæ debitum *Spandaviæ*, in Marchia Brandenburgensi an. 1641, d. 4. Martii, postquàm è conjuge sua *Margarita Hartardi de Palland* gnata, filios duos suscepisset, *Franciscum Harrandum*, qui fata patris antevertit, & *Johannem Adolphum*.

Op. Har. l. 2. c. 85. §. 2.

8 Is lumen, quod sibi pater avúsque prætulerant, novo atque illustri signo posteris prætulit: eum enim non solum natura & moribus, verùm etiam studio ac doctrina dicunt fuisse sapientem, gravem quoque, qui omnia quæ fiebant judicio certo ponderabat, utilia speciosis anteferebat; industrium denique, qui strenuè & impigrè patriæ serviit, serviendo consumptus est. *Cato in foro, Cicero in Rostris, Fabius in armis, patriæ providus, prodigus sui*, publico elogio prædicari meruit. Atque hanc acerrimi Viri præstantem prudentiam cognitam ac perspectam

ſtam habuere Auguſti duo, *Ferdinandus* & *Leopoldus*; nec non Archidux *Leopoldus Wilhelmus*, cui Achatis inſtar fuit, illis quoque eximiè carus & à Leopoldo honoribus cumulatus; nàmque inter Sacratiorum conſiliorum Arbitros locum nactus ad primum usque pervenit, Supremo Judicio Imperiali Aulico præſedit, randemque torque Aurei Velleris decoratus in altiorem ordinem elatus, & ad *Principalem* dignitatem provectus eſt. Quamobrem an. 1672. cùm Franconici Circuli Ordines conventum agerent, per Legatum locum in ſcamno Principum, reſpectu Comitatuum *Schvvarzenberg* & *Hohenlandsberg*, quibus Cæſar *Principale* axioma addiderat, occupavit; in comitiis autem Imperii demum an. 1674 d. 22. Aug. in Principum ſenaculum ſollemni more introductus, & ad ſuffragium admiſſus fuit.

9. Verùm ſicut dignitatum, ita & fortunarum facultatumque immenſa cepit incrementa; luculenta profectò illa fuit hæreditas, quam ex teſtamento *Georgii Ludovici Comitis* agnati ſui, de quo ſuprà dictum eſt, crevit: ea enim præter *Comitatus in Franconia*, quos ille vivus adhuc ei ceſſit, (obſtrepentibus agnatis in Friſia & Belgio, qui jura ſua & proximitatem, ſcripto etiam in publicam lucem Germanica lingua edito, tutati ſunt,) dominium quoque *Muran* in Styria ſuperiore

riore ipsi attulit. Jam porrò avitas *Seinsheimiorum* in Franconia ditiones omnes sibi vindicavit, & per transactionem cum agnatis asseruit, quorum locum, quem inter Circuli Franconici membra habuerunt, ipse implevit, duoque adeò suffragia obtinuit. In *Westphalia* possedit Dynastiam *Gimborn*, cum oppido & præfectura *Neustatt*; quæ Imperio immediatè subjacet, cujúsque respectu an. 1651. in album *Circuli Westphalici* relatus fuit. In *Bohemia* Dynastias *Wittingau* & & *Frauenberg* juris sui fecit, denique dominia *Seehaus*, *Gnozheim*, *Westerndorf*, aliáque tenuit. Sed omnibus ornamentis & præsidiis redundantem mors, quæ pauperum tabernas, Regúmque turres æquo pulsat pede, derepentè, non tamen (uti perhibent) imparatum, abstulit *Laxenburgi* d. 26. Maji, anno, quo agimus, 1683, post horam quintam pomeridianam, in cubiculo P. *Sautteri*, Regnantis Imperatricis Confessionarii, quem fortè convenerat, cùm manè secretiori cõsilio interfuisset.

10. Matrimonium ejus tenuit *Maria Justina*, *Comitissa de Stahrenberg*, *Ludovici* & *Barbaræ Herbersteiniæ* filia; quæ an. 1681. fatis concessit, & liberorum sex mater facta est; è quibus *Leopoldus Philippus*, *Carola*, *Ludovicus Adamus*, & *Polyxena* brevis ævi fuere; duo diversi sexus superant.

11. Fi-

11. Filius, & Principalis dignitatis, ditionúmque hæres, hoc nomine gaudet FERDINANDUS WILHELMUS EUSEBIUS, *S. R. Imp. Princeps in Schvvarzenberg, Dominus in Hohenlandsberg, Gimborn, Murau, Frauenberg, & VVittingau &c. S. Cæsareæ Majestatis Camerari°, & Consiliarius Aulico Imperialis. Celsissimæ Imperatricis Viduæ Supremus Hippocomus:* hausit auram vitalem an. 1652, atque in thalamum adscivit *Mariam Annam, Johannis Ludovici C. de Sulz & Mariæ Eilsabethæ C. de Königseck* filiam, è qua procreavit

I. *Mariam Iosepham Ernestinam*, n. 19. Mart. 1675.

II. *Adolphum Ludovicum Antonium Eusebium*, n. 11. Apr. 1676.

III. *Mariam Franciscam*, n. 17. Aug. 1677.

12. *Maria Ernestina*, Principis soror unica, an. 1649. nata, *Johanni Christiano Principi Eggenbergico* an. 1666. nupsit. *Spen. loco cit.*

13. *Scutum*, quo Princeps Schwarzenbergicus uti solet, *quadripertitum* est: 1. & 4. area *quaternos argenteos & cæruleos palos exhibent*, tesseram Seinsheimiorum gentilitiam: 2. & 3. *aureæ repræsentant corvum nigrum, capitis Turcici oculos fodicantem*, quod μυμόσυνον est expugnati ab *Adolpho C. Schvvarzenbergico* Javarini. *Huic scuto imponitur vel* pileus

pileus Principalis, *vel* tres galeæ; prima gentilitia *hermam virilem veste, argenteis & cæruleis palis distincta, pileoque eodem modo variegato & pavoninis pennis fastigiato tectum exhibet*: mediæ *insidet corvus* scutarius, *Turcæ oculos fodiens, cum sex vexillis, in sagittas terminatis*: Tertia *duo cornua cyano & argento variegata, cum plumis pavoninis exteriori oræ admotis sustinet*: Laciniæ *cæruleæ sunt & argenteæ.*

CAP. XI.

DE PRINCIPIBUS OETINGENSIBUS.

O*Etingensem* familiam inter antiquissimas Germaniæ non postremam, Cæsarum potentissimorumque Principum amicitiis & cognationibus jam olim inclutam, à *Grayo* quodam sive *Cajo* derivare amant, qui multis magnisque meritis tantum apud Imperatorem Ottonem M. valuerit, ut sororem suam *Hedwigen*, Eberhardi Comitis ab Eberstein viduam, nuptum ipsi an. 933. collocaverit. Ex hoc matrimonio prodiisse memorantur, præter alios, *Notkerus*, Episcop⁹ Leodiensis, (qui, cùm magna probitatis fama diœcesin administrasset, an. 1007. decessit, & in Sanctorum cœtum locatus est) atque *Otto, Wandelmuthis C. Schlusselbergiæ* maritus;

ab

ab eo per sex & viginti gradus justa & continua serie stemma Oetingense *Bucelinus* enumeravit. *Germ. T. II.*

2. Hanc ipsam autem præfati autoris Genealogiam, nonnulli, emunctæ etiam naris viri, suspectam habent, eam potissimum ob causam, quod nulla *Landgraviorum Alsatiæ* ex hac gente mentio inibi occurrat; mihi verò, quod pace illorum dixerim, magis ea se probat, quàm illæ quas *Henningius* & *Reusnerus* exhibuerunt: nam, ut taceam, quod *Bucelini* deductio in plerisque concordat cum Stemmatographia hujus familiæ Manuscripta haud tralatitia, quæ penes nos est, ut & cum schediasmatibus, quæ *Sigism. Betulius*, documentis gentilitiis instructus, occasione connubiorum domus *Oetingensis* cum *Wirtenbergensi* & *Windischgrazio*, edidit; id commemorabo, observatum esse à Viro patriarum rerum peritissimo *Ulrico Obrechto*, illam Landgraviorum Alsatiæ ex Oetingensibus Ἀναπτυσσιν, quam *Bernhardus Herzog* in *Chronico* suo *Alsatiæ* exhibet, quamque *Henningius* & *Reusnerus* secuti esse videntur, neutiquam ad liquidum deductam, & ex conjecturis magis, quàm veris rerum testimoniis confectam esse: cùm enim isti *Heinricum, Comitem Egesheimensem & Alsatiæ Landgravium*, qui an. 1238. satis concessit, cujusque sororem, *Conrado C. Oetingensi* nuptam, Landgraviatum *Prodr. Rerum Alsat. c. 12. l. 2. n. 16. 17.*

viatum in mariti familiam intuliſſe vulgaris traditio fert, poſtremum ſuæ gentis fuiſſe ſtatuerint, probat *Obrechtus* è *fragmento Urſtiſiano*, Heinricum illum non *fratrem* tantùm ſuperſtitem reliquiſſe, ſed etiam natum ei fuiſſe *filium poſthumum*; propius itaque vero eſſe haud temerè arbitratur, ab horum alterutro potiùs *Ulricum* & *Philippum, Landgravios Alſatiæ*, quorum Epitaphia Argentorati in æde D. Wilhelmi viſuntur, quosque *Herzog* in Comitum Oetingenſium ſtemma retulit, nec non *Johannem* an. 1376 mortuum, in quo demum progeniem Landgraviorum Alſatiæ ceſſaſſe *Albertus Argentinenſis* notavit, deſcendiſſe, quàm à ſtirpe extranea; quod ſi quis neget, cernere ſanè geſtire ſe Vir prælaudatus ait, quo loco, quove ordine in Oetingenſi familia illos recenſendos putet, undeque congruam interpretationem mutuaturus ſit *Alberti* verbis, cum inquit, *in Johanne ceſſaſſe propeniem Landgraviorum Alſatia.* Certè *Ludovicus* (pergo alienis uti verbis) *Senior*, *Comes Oetingenſis*, *qui Epiſcopo dominium utile feudorum, quæ ab Epiſcopatu tenebat, vendidit, meminit in Inſtrumento venditionis Johannis Landgravij, ſed nullum cognationis cum Oetingenſi familia ſignum edit, quin potiùs ab eadem evidenter ſatis ſegregat*; quemadmodum è verbis Inſtrumenti, loco citato adductis, patet. Quoniam

niam tamen negari non potest, dictæque venditionis tabulæ expressè tradunt, *Landgraviatum Alsatiæ* aliquandiu in Oetingensi familia hæsisse, circa *titulum*, quo illum acquisiverit, sic se *Obrechtus* expedit: *Landgraviatus Alsatiæ, cum nonnullis feudis connexis, quæ ab Episcopatu dependebant, &, mortuo sine prole Heinrico, ne in fratrem quidem superstitem, ne dum in sororem, (si quam unquam, de quo dubito, habuit) translata, filiy autem posthumi, utpote nondum nati, ratio haberi non potuit; sed tanquam aperta & vacantia ad dominium proprietatis suæ rovocata, posteaque Comitibus Oetingensibus, ab Imperatore & Episcopo Argentinensi*, ob merita, non verò jure uxorio, *collata fuerunt; qui tamen etiam antequam ea adepti fuissent, feuda quædam alia in Alsatia habuerunt. Quandocunque autem feuda illa acquisiverint, vendiderunt ea tandem an. 1359 Johanni Liechtenbergico, Argentinensi Episcopo.*

3. Sed hæc particula operis velut formam propositi excessit, quam tamen non prætereundam putavi, eò quod illa *Herzogiy* ejusque ὁμωψήφων ab aliis Oetingensis stemmatis compilatoribus discrepantia me quoque satis diu torsit; donec in Eruditissimi *Obrechti* librum (cujus reliquam partem utinam novi heri imperium erudito orbi non invidisset) incidi, atque ab ejus lumi-

ne lumen mihi hausi. Id verò insuper è prædictis colligere licet, illos ἀνεψιοὺς tam facili negotio damnari non posse, qui *Ludovico X.* C. Oetingensi, *Ludovici VIII*, qui *Gutham Alberti I. Imperatoris* filiam in conjugio habuit, è filio *Alberto* nepoti, an. 1356. defuncto, uxorem tribuunt *Adelheidin*, è Comitibus *Egisheimensibus* prognatam: neque enim *Egisheimensis* stirps cum *Heinrico III.* an. 1238 defecit, memoraturque adhuc, circa initium seculi decimi quarti, vixisse inter alios *Heinricus Landgravius Alsatiæ*, matre *Bertha Rappoltsteinia* natus, cujus filiam *Adelheidin* fuisse verisimile est.

4. Cæterùm *Ludovico X*, de quo modo dictum fuit, frater erat *Fridericus*, cui tres tribuuntur uxores, nempe, post *Imaginam Limpurgicam*, & *Margaritam Hohenbergicam*, *Catharina de Kazenstein*, (quæ castrum *Kazenstein*, quod hodienum in ditione Oetingensium est, marito attulisse videtur) filius autem *Ludovicus XI*, à quo *tabula Rittershusiana* incipit, pater, ex *Imagina C. de Schaumberg*, *Ludovici XII*, & *Friderici*; illius posteritas primam generationem non excessit; hic, cùm an. 1423. naturæ debitum reddidisset, filios præcipuè tres post se reliquit: *Johannem*, *Ulricum*, & *Wilhelmum*, à quibus *tres lineæ* ortæ, ditionesque avitæ tripartitò divisæ sunt. Sed *Johannis* linea citò in filio,

lio, nempe *Ludovico XIV*, defecit: is duas uxores habuit, atque è secunda tantùm prolem, sed fœmineam, *Magdalenam*, (quæ in *tab. Rittershusiana* ipsi, tertiæ conjugis loco, *erroneè* tribuitur) *Ulrico C. Montfortio* nupsam. *Ulrico* unicus natus est filius *Joachimus*; *Wilhelmo* autem tres, *Wolfgangus*, *Fridericus*, & *Johannes*: Hi unà cum *Joachimo* Ludovici XIV. patruelis sui hæreditatem creverunt, ditionemque ejus *in capita*, atque adeò in *quatuor partes*, divisérunt; ita ut *dodrantem*, qui *medietatem oppidi Oetingensis*, castra ac præfecturas *Allerheimb*, *Hochhaus*, *Marck-* & *Minder Offingen*, cum pertinentiis suis, aliaque complectebatur, *Wolfgangus ejusque fratres* obtinerent, reliquus verò *quadrans*, qui arcem & præfecturam *Wallerstein* cum pertinentiis continebat, *Joachimo* obtingeret. Atque ex hac partitione illa manavit, quæ hodiè adhuc in familia recepta est, ita ut integer Comitatus in *septem & quinque uncias* ($\frac{7}{12}$ & $\frac{5}{12}$) dividatur; è quibus pars potior penes *Oetingensem*, deterior penes *Wallersteiniam* lineam est: nimirum cùm *Wolfgangus* ejusque fratres *Fridericus* & *Johannes* trientem totius Comitatus paterna hæreditate tenerent, eique postea è patruelis sui *Ludovici* triente iterum tres partes adjecissent, factum est, ut, quemadmodum è calculo patet, septem uncias ex integro Comitatu nan-

ciscerentur; *Joachimus* autem, qui trientem suum non nisi quarta parte ditionis Ludovicianæ auxit, quinque tantùm uncias adeptus est.

5. Verùm *Wolfgangus* fratrum suorum portiones mox sibi soli acquisivit: *Fridericus* enim Ecclesiasticum vitæ genus amplexus, & in *Episcopum Passaviensem* electus fuit; *Johannes* autem suam ditionem *Wolfgango*, interveniente summa sedecim mille florenorum, vendidit, atque in Belgio fortunarum sedem locavit; ubi Imperatori Maximiliano I. strennam operam navavit, & nuptiis sibi junxit *Elisabetham de Condè*, cum qua partem *Condati*, oppiduli satis lauti in Hannonia, adeptus est; quam postea ejus gnata *Elisabetha*, *Wilhelmo Roggendorfio* marito suo attulit.

6. *Wolfgangus*, ex uxore *Anna Truchsessia de Waldpurg*, filios duos suscepit, *Carolum Wolfgangum*, & *Ludovicum* XV. Prior prole caruit; alter, mortuo an. 1549. sine masculâ sobole *Martino* in *Wallerstein* patruele suo, qui *Joachimo* patri, à *Johanne Thoma Abspergio* prope Donawerdam an. 1520, circumvento atque exanimato successerat, universum Comitatum complexus est, & omnium, qui nunc è familia supersunt, *communis parens* extitit. Matrimonium ejus tenuit *Salome Zollerana*, multæ prolis mater, & quatuor inprimis marium, videlicet *Ludovici*

XVI.

XVI, *Friderici*, *Wolfgangi*, & *Lothi*. Verùm *Ludovicus* XV, eorum genitor, cum *Protestantibus* accessisset, &, *Evangelica* religione in ditionem introducta, Smalcaldico fœderi, unà cum filio primogenito, nomen dedisset, attritis ejus post pugnam ad *Mulbergam* viribus, ab Imperatore Carolo V. pro rebelli habitus & malè multatus est; ita ut (*Sleidano* referente) ipsius possessiones omnes, alteris filiis, quorum erga se fidem atque studium probabat, *Friderico* & *Wolfgango* prorsus attribueret: hinc ille cum uxore cæterisque liberis profugus, & omni fortuna spoliatus, Argentoratum venit, & deinde multis annis passim oberravit, donec temporis facta commutatione an. 1552. Cæsar eis ignosceret. E dictis autem *Ludovici* XV filiis *Wolfgangus* & *Loth* improles decesserunt; à reliquis *Ludovico* & *Friderico* lineæ duæ, quibus hodiénum familia principaliter distinguitur, ortæ sunt. Inter hos verò Comitatus Oetingensis non æqualiter, sed secundum normam divisionis, suprà memoratæ, dispertitus fuit; ita ut *Ludovico septem* illæ *uncia*, quas avus ejus *Wolfgangus* tenuerat, *Friderico* autem reliquæ *quinque*; quæ in *Martini Wallerstenii*, cujus etiam filiam unicam uxorem duxit, ditione fuerant, assignarentur; hinc linea Ludovici *Oetingensis*, illa verò quam Fridericus condidit *Wallersteinia* no-

Comment. l. 19. p. 590.

menaccepit; sed de hac alio loco sermo erit.

7. Hîc *Oetingensis* linea *speciatim* sic dicta enumeranda est, quippe quam in altiorē ordinem elatam præsens videt ætas: ejus sator *Ludovicus* XVI, post thorum secunda vice viduatum, ad tertias nuptias, cum fratris sui *Lothi* vidua *Claudia ab Hohenfels in Rappoltskirchen*, prolapsus est, & ex ea filios duos, *Wiprechtum* & *Philippum*, suscepit; ipsa, Ludovicō fatis functo, iridem tertiùm *Josepho Zwicken* Nobili nupsit, eúmque filiarum duarum *Susannæ* & *Catharinæ* parentem fecit: eæ fratribus uterinis, Comitibus Oetingensibus, de statu ac hęreditate maternâ controversiam moverunt, ceu apud *Klockium* videre est. *Tom. III. Consil. 106.* Ex istis verò *Philippus* Wittembergico Duci operam suam addixit, & præfecturam Neustadiensem administravit; qua tandem se abdicavit, & in monasterium *Zimmern* secessit, ubi an. 1627. d. 3. Febr. vitam cum morte commutavit, nullis è *Maria Limpurgia* uxore sua liberis sublatis.

8. *Godofredus*, Ludovici XVI. è prima conjuge *Margarita Luzensteinia* filius, patri successit, avusque è gnato *Ludovico Eberhardo* fuit *Joachimi Ernesti*. Is Comitatum difficillimis temporibus, magna pietatis, beneficentiæ & prudentiæ laude rexit, atque anno 1659. d. 8. Aug. pro mortali conditione brevio-

vioris vitæ immortalitatem est consecutus. E triplici conjugio numerosam suscepit sobolem: prima uxor *Anna Sibylla Solmensis* duarum tantùm filiarum mater facta est, quarum altera, cujus nativitas matri vita constitit, statim post baptismum mors rapuit; prior verò *Sophia Margarita*, an. 1651. *Alberto M. Brandenburgico in Onolzbach* nupta, an. 1665. naturæ concessit. E secundo thoro, in quem *Anna Dorothea Hohenloica* adscita fuit, quatuor liberi provenêre; duo mares, totidemque fœminæ; hæ quidem adhuc auræ ætherea vescuntur, illi verò viventium numero exempti sunt: namque major natu *Crato Ludovicus* aliquot tantùm menses patri superstes mansit, regimenque, vigore primogenituræ in hac linea introductæ, ad fratrem *Albertum Ernestum* transmisit, cui hic, quo agimus, annus, ceu mox dicetur, vitæ supremus fuit. E tertio Joachimi Ernesti matrimonio, quod *Anna Sophia Palatina*, è Solisbacensi domo, an. 1675. defuncta tenuit, prodiere liberi octo: mares tres, sequioris sexus quinque, ex illis *Joachimus Ernestus*, & *Philippus Godofredus* inter mortuos obversantur: prior enim Regi Daniæ stipendia faciens, legionemque prætorianam Legati nomine ductans, in *Scania* an. 1677. d. 24. Jul. occubuit; alterum eodem adhuc, quo natus fuit, anno 1655. d. 16. Jun. vita destituit; tertius

horumque ætatibus medius interjectus superat. E filiabus duæ vivere desierunt, *Hedvvigis Sophia* quæ brevissimi ævi fuit, & *Maria Eleonora*, quæ an. 1665. *Theophilo C. de Windischgrätz* in manum convenit, atque an. 1681. d. 10. Apr. *Viennæ* ad meliorem vitam abiit.

9. *Albertus Ernestus*, cujus jam dum mentionem fecimus, novum splendorem familiæ intulit, dum una cum filiis suis, eorumque descendentibus, atque eventualiter fratre etiam suo, ejusque posteris, si quidem contigerit ut regimen ad eos delabatur, ad *Principale* fastigium à *Leopoldo Augusto*, per *Diploma* aurea bulla ornatum, an. 1674. d. 14. Oct. evectus fuit; in quo Diplomate id non in postremis reputant, quod Cæsar eum hoc titulo, unsern Oheim/ honestaverit, & imposterum etiam honestandum censuerit. Quare in *dietis circularibus* Ordinum *Suevicorum*, quibus annumeratur, locum in Principum scamno occupavit; idque unum in novæ dignitatis complementum desideravit, & misso Oratore ursit, ut in *comitiis* etiam Imperii, in Principum senaculum introduceretur, & ad sessionem suffragiumque admitteretur; sed voti compos, dum vixit, factus non est. Conjugium ejus quantum attinet, duxit primis nuptiis an. 1665. *Christinam Fridericam, Eberhardi D. Wirtenbergici* è prima

ma conjuge *Anna Catharina Rheingravia* filiam, qua an. 1674. d. 30. Oct. fato suo functa ad secunda vota transiit, neque temerè & præcipitanter, sed intra pectus suum diu multumque consiliis agitatis, institutaetiam cum Theologis Politicisque haud ultimi comatis consultatione, anno demum 1682. d. 30. Apr. sollemnibus cerimoniis in Ecclesia Dei sibi junxit sororem defunctæ conjugis, *Eberhardinam Catharinam*; sed his nuptiis non diu superfuit, sequentis enim anni d. 29. Mart. repentina quidem, beata tamen morte oppressus, in uxoris (quæ ex eo gravida ventrem tunc ferebat, quamque, dum hæc scribo, post editam d. 19. Aug. an. 1683. prolem masculam, cui in baptismo paternum nomen inditum, animam exhalasse rumor percrebuit) complexu extremum vitæ spiritum edidit. E priore thori socia septem liberos suscepit, quorum tres ad superos præmisit, nempe *Albertinam Carolam*, n. 14. Jan. 1668. †. 21. Jun. 1669. *Eberhardum Fridericum*, n. 3. Mart. 1673. †. 13. Febr. 1674. & *Emanuelem*, n. 19. Apr. †. 7. Dec. 1674.

10. Filius cum tribus filiabus superstites sunt, illius nomen ac titulus sic se habet: ALBERTUS ERNESTUS *Dei gratia Princeps Oetingensis*: hausit auram vitalem an. 1669. d. 8. Aug. & sub tutela avunculi ac patrui adolescit.

11. Ejus sorores hæ sunt:

I. *Eberhardina Sophia*, n. 16. Aug. 1666.

II. *Christina Ludovica*, n. 16. Mart. 1671.

III. *Henrica Dorothea*, n. 14. Febr. 1672.

12. CHRISTIANUS AUGUSTUS *Comes Oetingensis* Principis patruus, lucem primùm aspexit an. 1650. d. 22. Jul. & militiam secutus *Offenburgensi* præsidio aliquandiu præfuit; nunc verò in Aula Electorali Saxonicâ Cubicularium agit, nepotisque tutelam cum ipsius Avunculo, ut dictum, per Consiliarios gerit.

13. Sorores germanas tres superstites is habet:

I. *Hedvvigen Augustam*, n. 9. Dec. 1651. & elocatam an. 1677. *Ferdinando L. B. de Stadel, Dn. in Reckerspberg, S. Cæs. M. Camerario & Colonello*; cujus sacris etiam accessit.

II. *Magdalenam Sophiam*, n. 17. Februar. 1654, nuptam an. 1681. *Johanni Ludovico C. ab Hohenloë.*

III. *Eberhardinam Sophiam Iulianam*, n. 20. Oct. 1656, quæ *Philippo* agnato è *Wallerstheinensi* linea an. 1678. in manum convenit, ejusque religionem amplexa est; nunc autem in viduitate vivit.

14. Supersunt præterea defuncti Principis germanæ sorores duæ, utpote è secunda

da *Joachimi Ernesti* conjuge genitæ, nimirum

Maria Dorothea Sophia, n. 29. Dec. 1639. quam *Eberhardus Dux Wirtenbergicus* secundis nuptiis an. 1656 duxit, & moriens viduam reliquit;

& *Susanna Iohanna*, n. an. 1643, nupta an. 1678. *Friderico Magno, Comiti de Castel.*

15. *Scutum* Principis Oetingensis *quadruplici ductu transversè secatur pellibus variis aurei & coccinei coloris, cordi impresso scutulo cæruleo, decussi autem argenteo toti scuto incumbente.* Tegitur vel *mitra Ducali*, vel *casside* phaleris aureis & rubeis decorata, è qua protenditur *caput & collum molossi aureum, cujus aures decussi argenteo scutario* ornantur. *Spen. Op. Her. l. 1. c. 67.*

CAP. XII.

DE PRINCIPE WALDECCIO.

INcluto Heroi, in præsidium pariter & ornamentum patriæ genito, *Georgio Friderico Waldeccio*, hunc inter Principes locum meritò mihi videor tribuere: quis enim est adeò recentium incuriosus? ut nesciat eum novissimè è Comitum ordine in altiorem, ad *Principale* scilicet fastigium, *Leopoldi* Cæsaris gratia, vigore *Diplomatis* dati *Laxenburgi* d. 17.

d. 17. Jun. anno 1682, evectum esse; postquam non ita multò antè ab Imperii membris in comitiis, curam universi corporis sollicitissimè agentibus, annuente etiam, imò urgente Augustissimo capite, delectibus pro securitate patriæ conservanda factis præfectus, & *Supremi in Imperio Campi Mareſcalli* (Reichs Feld-Marschalln) axiomate decoratus fuisset; est quippe in eo cùm summa peritia belli gerendi & tuendi ac regendi exercitus, militarisque disciplinæ, tum singularis prope prudentia, longo maximarum rerum usu acquisita; præterea animus magnus atque intrepidus, labore, vigilia, periculo invictus, & quod caput est, pulcro honesto ac publici egregii Zelo inflammatus, denique morum dulcedo & suavitas, & adversus tribunos Officialesque suos æqua ac par sui æstimatio penè inimitabilis; quarum virtutum egregia documenta per Europam, inprimis apud Batavos, ubi Ordinum Fœderatorum exercitum ductabat, edidit.

2. Numerabatur annus seculi, quo agimus, vicesimus, cum in hoc vitæ humanæ theatrum, qua personam suam fortiter ac decenter sustineret, prodiisset. Parens ei fuit Illustrissimus Comes *Volrathus*, *quartus* hujus nominis, filius *Josiæ*, à quo cuncti, qui à Waldeccia familia nunc superstites sunt, communem sanguinem ducunt: eò enim

ante

ante *Volrathum* genitus fuit *Christianus*, qui ramum *Isenbergicum* profevit, cùm *Volrathus Wildungensem* sive *Arolsensem* conderet; quo duplici ramo hodienum stirps distinguitur. Mater, propter quam suavissimam hanc lucem aspexerat, *Anna Badensis* fuit, *Jacobi* Marchionis & *Elisabetha Culenburgica* gnata, ea luculentæ hæreditatis ad Waldeccios delapsæ causa extitit: cum enim ejus avunculus *Florentius II. Culenburgi Comes* prole careret, hæredem constituit *Philippum Theodoricum Comitem Waldeccia*, fororis suæ *Elisabethæ* ex *Anna* filia nepotem; quo pacto non tantùm *Culenburgicus* Comitatus in Geldria, sed & Dynastiæ *Wittem*, *Pallant*, & *Werth* in ejus ditionem concesserunt: quibus præterea, ob donationem ab *Elisabetha* Culenburgica *Annæ* gnatæ suæ factam, accesserunt dominia *Kinsvveiler*, *Engelsdorf*, *Vredem* sive *Frechem*, & *Bachum*, in Juliacensi Ducatu sita, quæ illa ex hæreditate matris suæ *Elisabethæ Manderscheidiæ* acceperat. Cùm verò *Elisabetha Culenburgica*, post *Jacobi M. Badensis* fata, secundis nuptiis *Carolo C. Hohenzollerano*, iterumque, hoc defuncto, *Johanni Ludovico L. B. ab Hohensaxen* nupsisset; atque è singulis liberos, videlicet è *Zollerano* filias quatuor, ex *Hohensaxio* filium unicum suscepisset, testamentum illa condidit; quo exclusis filiabus

busè primo matrimonio, natos è secundo & tertio universales hæredes instituit. Id indignè oppidò tulit *Volrathus Waldeccius*, atque ea propter litem *Zolleranis*, (quæ *Christophoro Ludovico Hohensaxio*, *Johannis Ludovici* filio, fratre suo uterino extincto, universam matris hæreditatem sibi vindicaverant) uxorio nomine in curia *Lucemburgica*, quòd major ditionum controversarum pars in eo Ducatu sita esset, intentavit, postulans ex hæreditate socrus suæ *duos septunces*, unum ex capite uxoris, alterum ex capite *Jacobeæ* ejus sororis, quæ morieos illum hæredem dixerat, nec non ex *Hohensaxij* hæreditate *duos semisses*. Hæc lis sæpè interrupta, iterùmque resumpta, demum an. 1678 *Mechliniæ* per sententiam terminata est; qua Waldeccius illæ, quas postulaverant, portiones ex Elisabethæ Culenburgicæ hæreditate, adjudicatæ fuerunt; quemadmodum uberiùs Celeb. *Spenerus* in *Opere Haraldico* enarravit, qui id quoque refert, an. 1657 in Camera Spirensi circa aliam controversiam, pronunciatum fuisse, ut *Anna Waldeccia* cum sorore *Jacobea*, cum sororibus & fratre ex secundo & tertio thoro in portiones pares, dimidium dominium *Kerpen* & *Kastelburg*, admitterentur.

P. sp. l. 3. c. 39. §. 23.

3. Cæterum *Philippus Theodoricus*, *Volrathi* IV. filius major natu, idémque *Florentii*

tii C. Culenburgici avunculi sui magni (ceu dictum est) hæres, cum an. 1645. supremum diem expleviſſet, duplicem ſobolem diverſi ſexus è *Magdalena Naſſovia*, ſuſceptam poſt ſe reliquit: filio nomen fuit *Heinrici Volrathi*. Is *Philippi Waldeccii* ex *Iſenbergia* linea, qui ipſi propior ſobrino erat, filiam (*Philippinam* fuiſſe ſuſpicor) thalamo ſibi copulavit, ſed nullam prolem genuit; unde, poſtquam an. 1664. vitam cum morte commutavit, ditiones ad patruum *Georgium Fridericum* transmiſit, illum ipſum videlicet, cui ſoli hoc caput dicatum eſſe voluimus, de agnatis ejus, atque adeò de univerſa Waldeccíorum proſapia, ejúsque decoribus inferiùs ſermonem facturi.

4. Illius verò integer titulus ſic ſe habet: GEORGIUS FRIDERICUS, *Princeps Waldeccia, Comes Pyrmonti & Culenburgi, L. B. in Pallant, VVittem, VVerth & VVildenburg, Dynaſta in Linden, Leden, Kinsvveiler, Engelsdorf, Frechem, Bachum, Dalem*, &c. *Prapoſitus Cathedralis Halberſtadii, Ordinis Equeſtris Iohannitici Eques & Commendator in Lagovv, S. Cæſ. Majeſtatis, & fœderatorum circulorum Imperii, nec non Ordinum Generalium Reip. Batavica Generalis Campi Mareſcallus, & Gubernator Trajecti ad Moſam.*

5. So-

5. Sociavit sibi jugali fœdere an. 1643. *Elisabetham Carolam*, *Wilhelmi C. Nassoviæ* è *Siegensi* linea & *Christinæ Erpacensis* filiam; è qua pulcræ nec paucæ sobolis parens factus est, sed cujus maximam partem, & mares quidem omnes, fatorum iniquitas funere acerbo mersit; potestque illis, quos *tab. Rittersh.* recensuit, addi *Carolus Gustavus*, qui a. 1678, d. 24. Jun. cùm navigio Hagâ Comitis Culemburgum proficisceretur, repentina morte oppressus fuit. Tres tantum filiæ in vivis supersunt:

I. *Ludovica Amalia*, n. anno 1653. *Georgii Comitis Erpacensis* vidua.

II. *Sophia Heinrica*, *Ernesti Ducis Saxoniæ* è *Gothana* linea consors.

III. *Albertina*, innupta.

6. Earum patruelis *Amalia Catharina*, *Philippi Theodorici C. Waldeccie* è *Maria Magdalena Nassovia* filia, vivit in conjugio *Georgii Ludovici*, *Comitis Erpacensis*.

Spen. l. 3. c. 39. 7. *Scutum* Principis novem laterculos, trigemina serie dispositos, continet: primus argenteus *crucem rubeam*, *cujus extrema utrinque repanda parum differunt ab anchoratæ figura, exhibet*, & Comitatum Pyrmontanum *designat*; secundus *aureus tres columellas cum basi & epistyliorubeas repræsentat*, & Culenburgicum Comitatum *notat*; tertius *cœruleus leonem argenteum auro coronatum*, *lingua cocci-*

nea

nea protensa, Gleichense *δάγμα continet*; quartus *cæruleus expansam aquilam argenteam refert*, & Præposituram Cathedralis Halberstadiensis *significat*; quintus *in parmulæ figuram effictus* tesseram Waldeccíorum gentilitiam, *nigram nempe stellam octo radiorum, in solo aureo, exhibet*; sextus *cæruleus crucem argenteam, extremis nonnihil repandis, repræsentat*, & Ordinem Johanniticum *notat*; septimus *argenteus leonem nigrum, cujus corona & lingua rubent, continet*, & dominium Werth *designat*; octavus *cæruleus crucem argenteam, extremis à margine sejunctis & parumper inflexis*, Dynastiæ Wittemiæ symbolum *refert*; nonus *denique ternis aureis & nigris fasciis exaratur*, dominio Pallant *denotando*.

8. *Scutum* hoc *quinque* premunt *galeæ*; *prima* Wetthensis *coronata est & ornata πτερωμῆ leonis nigri*; *secunda* Culenburgica *caput, cum collo oblongo capreoli, sive hinnuli, cæruleum ostendit*; *media* Waldeccio-Pyrmontana *jugo alarum aurearum stellâ notatarum, cui interpositus est pileus acuminatus aureus, corona & pennis pavoninis fastigiatus, superbit*; *quarta coronata leonem* Gleichensem *exsurgentem sustinet*; *extrema inter alas expansas nigras scutulum* Pallantium *exhibet*. *Laciniæ* circumfluunt galeas primam & secundam *rubeæ & aureæ*, tertiam *aureæ & nigræ*, quartam *argenteæ & cæruleæ*, quintam *nigræ & aureæ*.

9. Refertur de cætero Princeps Waldeccius ad Circulum *Rhenanum superiorem*, domiciliúmque utplurimùm in castro *Arolsen* habet: de *superioritate* in Comitatu *Culenburgico*, nec non Dynastiis *Wittem* & *Werth*, controversia ipsi intercedit cum *Geldrico*, & *Brabantino regimine*, & *Monasterienſi Episcopo*, quæ adhuc sub judice pendet; Waldeccio interea in possessione vel quasi immedietatis, tam quoad Imperii jurisdictionem, quàm quoad sessionem & votum in conventibus circularibus permanente, quemadmodum fusiùs laudatissimus *Spenerus* retulit.

Loco cit. §. 12. 14. & 16.

CAP. XIII.

DE PRINCIPIBUS LIECHTENSTEINIIS.

ENumeratis hucusque illis Principibus, qui in censum immediatorum Imperii civium veniunt, ad eos progredimur, qui dignitate quidem Principali gaudent, sed ditionibus imediatè Imperio obnoxiis adhuc carent; neque ea propter in classe Procerum Imperii locum habent: inter hos potiores partes sibi vindicant *Liechtenſteinii*, quippe qui ætate axiomatis Principalis cæteros antecedunt.

2. Nomen autem *Liechtenſteinium* aliquot

quot familiis diversæ originis commune est, & plerásque Austriacorum provincias permanavit: quippe in *Styria*, patrum memoria, claruerunt *Liechtensteinii in Murau*, sic cognominati ab eximio oppido, quod in eorum patrimonio erat; hi munus hæreditarium *Camerariorum* in *Styria* gesserunt, in *Carinthia* quoque *Marescallatum* obtinuerunt; nunc verò eorum stirps defecit. Porrò è *Tyrolensi* Comitatu prodiere *Liechtensteinii Barones in Castelkorn*, qui nunc *Comitum* axiomate, & latifundiis in Bohemia aucti sunt, è quibus prognatus est *Carolus, Episcopus Olomucensis*; qui administrationem *Vratislaviensis* Diœcesis, recens sibi Canonicorum suffragiis delatam, nunc abdicavit, novæque Electioni, in emolumentum familiæ Palatino Neoburgicæ, locum fecit. *Moraviæ* denique incunabula debent *Liechtensteinii* in *Nicolspurg*, quod cognomentum à castro, in confiniis *Moraviæ* & *Austriæ* sito, mutuarunt; de his in præsentia sermo est.

3. *Liechtensteiniorum de Nicolspurg* originē ab *Azone, Actiorum* gente edito, derivare amant: Cl. *Rittershusius* Genealogiam à *Dithmaro* orditus est, cujus, circa initium seculi XIII, memoria celebris fuerit. Ex ejus posteris *Johannem* II. *Georgii Senioris* filium, an. 1412. mortuum, primum ex hac gente *Capitaneum Moraviæ* Annales memorant; cui

muneri sequenti temporum tractu frequentes admoti fuerunt. *Johannis* II. frater, *Heinricus* IV, genus propagavit, avúsque è filio *Georgio* IV. extitit nepotum trium: nempè *Georgii* V, *Heinrici Claudi*, & *Christophori*, à quibus tres lineæ ortæ sunt: *Veldspergenſis*, *Steyereccenſis* & *Nicolſpurgenſis*; sed posteriores duæ iterum defecerunt: *Heinricus* enim licet duorum filiorum, quorum utérque uxorem duxit, pater, nepotes tamen masculos non habuit: *Christophori* progenies diutiùs quidem duravit, tandem autem in ejus abnepotibus extincta est.

4. *Georgii* V. propago nunc etiam viret, florétque; ei è filio *Hartmanno* nepos fuit *Georgius Hartmannus*, qui *Susannam* patruelem suam in conjugio habuit, multámque cum ea prolem genuit; è qua natu maximus *Hartmannus* familiam continuavit, susceptis ex *Anna Maria Ortenburgia* filiis tribus, opibus ac dignitatibus florentissimis, *Carolo* nimirum, *Maximiliano*, & *Gundaccaro*. Hi Evangelicâ religione, in qua nati atque educati fuerant, cum *Pontificia* commutatâ, non solùm amplissimis officiis à *Rudolpho*, *Matthia*, & *Ferdinando* II. *Imperatoribus* cumulati, sed & ad *Principale* fastigium evecti fuerunt; *Carolum* enim *Matthias Imperator* an. 1608. *Gundaccarum* verò, ejusque filios, *Ferdinandus* II. an. 1623. *Principum* titulo

decō-

decoravit: quare ipsi eorumque posteà filii locum in collegio Principum Imperii flagitarunt, maximè postquam in comitiis Ratisbonensibus an. 1654. Principes *Dietrichsteinius*, *Piccolomineus*, & *Auerspergicus* ad votum & sessionem admissi fuerunt; tunc enim, oblato Ordinibus libello memoriali, (quem *Speidelius* recensuit) sese in sollemni illa introductione novorum Principum, tanquam antiquiores, præteritos fuisse, graviter conquesti, idque magnam injuriam interpretati sunt; adjecta nova petitione & reservatione jurium suorum, nec non expressa protestatione, se non passuros, ut illa introductio memoratis tribus Principibus aliquid prærogativæ ratione proëdriæ, sessionis, & voti adstruat, suæ verò familiæ præjudicium afferat. *Spec. Var. Observ. p. 403.*

5. Sed è dicta fratrum Liechtensteiniorum triga, medius *Maximilianus* sobole caruit, *Carolus* autem & *Gundaccarus* ramos duos proseverunt, quibus hodiè adhuc stirps distinguitur. *Carolus* Ducatum *Troppaviensem* & *Jægerndorffensem* in Silesia acquisivit, sed pignoratitio tantùm, ceu accepimus, titulo; è *Jægerndorfensi* autem excerptæ fuere Dynastiæ tres, *Oderberg*, *Bendten*, & *Tarnovviz*; quippe quas *Comites Hanckl* possident, primòitidem arrhaboni, pro magna argenti summa Austriacis numerata, ipsis relictas;

posteà verò lege beneficiaria collatas. Matrimonium *Caroli* tenuit *Anna Maria, Johannis Schembera de Czernahor in Butschovviz*, vetustæ prosapiæ apud Moravos viri, filia atque hæres; è qua, præter gnatas duas, *Annam Mariam Maximiliano Pr. Dietrichsteinio*, & *Franciscam Barbaram Wernero C. Tillio* nuptas, & vivis exemptas, filium suscepit, eumque an. 1627. d. 12. Febr. fato suo functus post se reliquit.

6. Is est CAROLUS EUSEBIUS, *S. R. Imp. Princeps, ac Regens Domus Liechtensteinensis in Nicolspurg, Dux Silesiæ in Troppau & Iægerndorf.* Coivit connubio an. 1644 d. 4. Aug. cum sororis suæ *Annæ Mariæ* & *Maximiliani Pr. Dietrichsteinij* filia, *Johanna Beatrice*, è qua, post gnatas tres, filium unicum procreasse fertur.

7. Prima è filiabus, *Eleonora, Maximiliano Pr. Liechtensteinio*, agnato suo in manum convenit, vitaque præmaturè caruit.

Secunda *Maria Eleonora Rosalia, Johanni Sigfrido Pr. Eggenbergio* an. 1666. elocata fuit.

Tertia *Maria Theresia, Jacobo Comiti Lesle* an. 1667. d. 17. Aug. nupsit.

8. Filius unicus *Iohannis Adami Andreæ* nomen habet; is anno 1681. d. 16. Febr. *Viennæ* nuptias celebravit cum matrueli sua *Erd-*

Erdmuthi Thereſia Sophia, *Ferdinandi Joſephi Pr. Dietrichſteinij*, & *Maria Eliſabetha Eggenbergia*, gnata.

9. *Gundaccarus* Princeps Liechtenſteinius, *Caroli* frater, atque alterius rami ſator, duxit primis nuptiis *Agnetem*, *Ennonis III. Comitis Friſiæ Orientalis* ac *Wulpurgis C. de Ritperg* filiam; & ob Dynaſtias *Eſens*, *Stedesdorf*, & *Witmund*, quas jure uxorio ſibi vindicatum ibat, grandem dicam *Comitibus Friſiæ Orientalis* impegit; tandemque favore judicis ſubnixus ingentem pecuniæ vim extorſit, quemadmodum *ſuperius* dictum eſt. *Cap. 6* Secundis nuptiis an. 1618 penatibus induxit *Eliſabetham Lucretiam*, *Adami Wenceslai D. Teſchinenſis* in Sileſia filiam, *Friderici Wilhelmi* ultimi Ducis, anno 1625. defuncti, ſororem; quæ *Teſchinenſem* Ducatum, quoad ſuperſtes erat, tenuit, poſtquam verò fatis conceſſit, Regiæ Cameræ incorporatus is fuit. Ex hoc conjugio nati ſunt *Maria*, & *Ferdinandus Johannes*: hic *Crumoviæ* in Moravia habitavit, & *Dorotheam*, *Philippi C. de Ladron* filiam, *Matthiæ Galaſſi* Clariſſimi Ducis bellici viduam, thalamo ſibi junxit; ſed ſub initium anni 1666. improlis deceſſit.

10. E priore *Gundaccari* matrimonio prodiere *Juliana*, quæ *Nicolao C. Fuggero* nupſit, *Anna*, *Heinrico Wilhelmo C. Slikio* eloca-

ta, *Maximiliana* innupta, & filius unicus, qui superstes esse fertur; nimirum

HARTMANNUS, *S. R. Imperij Princeps de Liechtenstein in Nicolspurg.* Is sedem habet in castro *Wulfersdorf*, in confiniis Austriæ ac Moraviæ sito. Connubio sibi sociavit *Sidoniam Elisabetham*, *Ernesti Friderici C. Salmæ & Reifferscheidij*, è *Maria Ursula Leiningensi* gnatam, quæ multa maritum sobole auxit; è qua quatuor mares, totidémque sequioris sexus, superant; illorum nomina hæc sunt:

I. MAXIMILIANUS, *S. R. I. Princeps de Liechtenstein*; hic post prioris conjugis, quæ *Eleonora*, *Caroli Eusebij* patruelis sui filia, erat, fata, ad secunda vota transiit, & penatibus induxit *Eleonoram Margaritam*, *Philippi Ludovici D. Holsatiæ & Annæ Margaritæ Hassiacæ* gnatam.

II. *Antonius Florianus.*

III. *Philippus.* in obsidione Belgradi A. 1688 †.

IV. *Hartmannus.*

II. Sequuntur nomina filiarum:

I. *Anna Maria*, *Rudolphi C. de Trautmansdorf* thori consors.

II. *Theresia*, nupta *Michaeli Johanni C. ab Althann.*

III. *Sidonia Agnes*, *Carolo C. Palfi* elocata.

IV. *Maria Magdalena*, quæ an. 1680. Ma-

Maximiliano C. de Thun, *Dynasta in Tezen Guidobuldi* Cardinalis fratri in manum convenit.

17. *Scutum* Principis Liechtensteinii *Caroli Eusebij* (num *Hartmannus* eodem utatur asseverare non ausim) *quadripartitum* est: area 1. *octo transversis aureis & nigris fasciis exarata sertum viride rutaceum toti superinductum exhibet*, *quod* Saxonicum symbolum *est*; 2. *rubea cantherium argenteum*, *in quo septem acuminati pali ejusdem metalli conspiciuntur*, *continet*, *quod δεῖγμα* erat familiæ de *Czernahor*; 3. *ex argento & minio bipertita est &* Troppaviensem Ducatum *denotat*; 4. *aurea aquilam nigram* Silesiacam, *cujus pectori lunula argentea impressa*, *continet*. *Imum scuti implet* areola triquetra *cærulea cornu venatorium aureum*, *ligamentis eodem metallo tinctis suspensum*, *referens*; *qua* Jægerndorfensis Ducatus *designari videtur*: toti verò imponitur *parmula gentilitia* Liechtensteiniorum in Nicolspurg, *ex auro & minio transversim divisa*. Tegi solet clypeus *mitra Ducali*.

CAP. XIV.

DE PRINCIPIBUS DIETRICHSTEINIIS.

GEns *Dietrichsteinia* inter Proceres *Carinthiæ* jam multis retrò seculis clara atque

eximia habita est, quod vel solum *Pincernatus hæreditarium* officium, huic familiæ in illa provincia proprium, evincit. Refert autem originem suam ad Comites de *Czeltschach*, priscis Carinthiæ Ducibus cognatione junctos; primumque veterum tabularum fide memorat *Reinpertum*, qui *Leopoldo Carinthiæ Duci* in bello Dalmatico strenuam operam navaverit, atque an. 1064. octogenarius mortem obierit, ea cæteroquin modestia fuerit, ut, misso Comitis titulo, arce *Dietrichstein* contentus vivere vellet. *Bucelinus* justam stirpis deductionem ab *Ottone II*, *Domino de Dietrichstein* orditur, qui Ulrico Carinthiæ Archiduci in bello Ungarico an. 1164. adfuerit. Hujus è filio cognomine nepos *Poppo* duos habuit gnatos, à quibus lineæ ortæ sunt; sed alterius, *Heinrici* nempe, posteritas citò defecit: *Rudelinus* autem, sive *Rudolphus*, per filios, *Othonem* IV. & *Nicolaum*, novos iterum profevit ramos; è quibus ille, quem *Otho* condidit, exaruit. Ex *Nicolai* filiis, quorum aliquot fuere, *Bernardus* stirpem propagavit, genitor *Petri*, à quo *Rittershusius* Genealogiam familiæ inchoavit. Hic è filio *Georgio* avus extitit *Pancratii* & *Mauritii*, à quibus nova linearum divergia cœperunt: posterior lineæ in *Radmanstorf*, *Waldenburg*, & *Bihelstetten*, fator fuit, quæ in ejus nepotibus extincta est.

Append. Tomi II.

2. A

2. A *Pancratio* omnes, quotquot è familia nunc vivunt, communem trahunt sanguinem: ejus enim filii *Franciscus* & *Sigismundus* duas condiderunt lineas; quibus hodienum familia distinguitur, vocantúrque *Weixelstättensis* & *Hollenburgensis*. Prior in *Franciſci* filiis, *Sigfrido* & *Leonhardo*, subdivisa fuit in *Rabensteinensem* atque *Ebenauensem*, quarum illam in *Gabrielis* & *Reginæ à Silberberg* liberis extinctam esse accepi. *Leonhardo* natus est, præter alios, *Sigfridus*; hôc *Georgius Albertus*, & *Erasmus*, quorum propago etiamnunc floret; prioris quidem in filio, è tertia conjuge *Annæ à Welz* genito, *Johanne Alberto*, qui militiam aliquandiu sectatus, in nupero adversus Gallos bello, *Subcolonellus Portianæ* legionis meruit, conjugémque è *Gruenthaliorum* stirpe, cum ampla duorum prædiorum in Austria dote, accepit, & *Evangelicam* religionem profitetur. *Erasmus* è *Juliana Wagnin* pater factus est *Sigismundi Ludovici*, quem, unà cum fratre *Johanne Balthasare*, Imperator Ferdinandus II. *Comitum* axiomate decoravit, uxor autem *Annæ Mariæ*, *Leonhardi Helfrici C. de Meggau* filia, oppidô *Greyna* & castrô *Greinburg*, in Austria ad Danubium sito, locupletavit, atque insigni sobole auxit; filii tres nunc etiam in vivis sunt: (1) *Sigismundus Helfriedus*, Capitaneus provincialis Carinthiæ,

qui

qui in conjugio habet *Mariam Isabellam Gonzagam*, *Hannibalis S. R. Imp. Principis & Hedvvigis Mariæ D. Saxo-Lauenburgicæ* filiam, *Claudii Comitis de Colalto* viduam, an. 1666, d. 1. Mart. ductam. (2) *Franciscus Adamus*, Interioris Austriacæ Cameræ Aulicæ Consiliarius, (der Inner Oesterreichischen Hof-Cammer Rath) maritus *Rosinæ C. de Trautmansdorf.* (3) *Georgius Siegfridus*, Interioris Austriaci Regiminis Consiliarius, (Inner Oesterreichischen Regierungs Rath) is an. 1678. d. 24. Apr. nuptias celebravit cum illustri virgine, & ex Baronum *Hoffmanniorum*, in Styria, quorum mascula stirps defecit, familia prognata. His, quos modò enumeravimus, quatuor sunt sorores: (1) *Theresia*, *Francisci Nicolai C. de Ladron* conjux. (2) *Polyxena*, *Bernhardi Ignatii Borzitæ C. de Martiniz*, Supremi Burggravii Pragensis thori consors. (3) *Eleonora*, *Ottoni C. de Ringsmaul* elocata (4) *Juliana* innupta.

3. *Sigismundus* alterius lineæ, *Hollenburgensis* scilicet, autor, multis magnisque meritis apud *Imperatorem Maximilianum* I. valebat, cujus *Consiliorum Arbiter* fuit, *quinque provinciarum Archiducatus Austriæ inferiorum Locumtenens*, *Supremus Argentarius*, & *Styriæ supremus Capitaneus*, ubi rebelles rusticos sua autoritate in ordinem coëgit: néque caruit fructu virtutis ac fidei suæ; námque

que an. 1506. post obitum *Georgii Pincernæ ab Osterwvitz*, postremi suæ gentis, *Pincernatu hæreditario* in *Carinthia* à munifico Hero donatus, & biennio post *Baronis* axiomate decoratus est, castráque sua *Hollenburg*, *Finckenstein*, & *Talberg*, in *liberos Baronatus* evecta fuerunt. Nuptias ejus, quas an. 1515, *Viennæ* cum *Barbara de Rothal* celebravit, raro exemplo *Vladislaus Rex Ungariæ*, *Sigismundus Rex Poloniæ*, & *Ludovicus Rex Bohemiæ*, qui *Maximilianum Augustum* sanciendæ concordiæ ergò convenerant, exornarunt. Cum an. 1533. fatis concessisset, ad Maximiliani Cæsaris pedes, in tumbam ejus, quæ *Neustadii* in *S. Georgii* sacello est, reconditus fuit; ita enim Imperator in tabulis suis supremis jusserat, teste Epitaphio, quod adhuc illic legitur, hujus exempli: *Ad perpetuam rei memoriam. Invictissimus Princeps Maximilianus Cæsar Augustus vivus, juxta locum hunc, quem pro monumento legit, Magnifico Domino Sigismundo, Libero Baroni à Dietrichstein, in Finckenstein, & Talberg, Archi Pincernæ Carinthiæ, quinque Provinciarum Archiducatus Austriæ inferioris Locumtenenti, & Majoribus suis, ob fidem singularem, & res Austriacas benè gestas, & posteris eorum poni mandavit. Hæc deinde Principes Excellentissimi, Divus Carolus Cæsar Augustus Hispaniarum Rex etc. & Ferdinandus Princeps & Infans Hi-*

Bzovius Oesterr. Ehren-Sp. l. 6. c. 17. p. 1331.

Hispaniæ, fratres, Philippi Hispaniarum Regis filii, ejusdem Cæsaris nepotes, rata habuerunt & approbarunt Anno Salutis M D XXXIII.

4. Reliquit *Sigismundus* post se filios duos, *Sigismundum Georgium* atque *Adamum*; in quibus iterum in ramos *Hollenburgica* linea deducta est: prior nempe *Sigismundus Georgius* numerosam habuit posteritatem, è qua aliqui *Comitum*, aliqui *Baronum* titulo utuntur: Inter illos familiam ducit *Gundaccarus*, *Supremus Leopoldi Augusti Camerarius*, *Isabellæ Constantiæ B. de Questenberg* maritus, sed improlis; educare is autem perhibetur, in spem successionis, *Ottonis Ferdinandi*, sui è fratre *Ottone Heinrico* nepotis, qui legionis *Metternichiæ Subcolonellus* audit, filiolum *Gundaccarum*, ex haud ignobili conjuge Belgicæ originis genitum. Habuit etiam *Gundaccarus* fratrem, cui *Christiani* nomen fuit, qui an. 1681. d. 31. Aug. Noribergæ, ubi puriorisreligionis studio maximam ætatis partem peregit, supremum diem explevit, non nisi duabus filiabus, *Anna Amalia & Susanna Elisabetha*, relictis; quarum illa *Maximiliano Erasmo C. de Zinzendorf* nupsit, nunc que vidua est; hæc in conjugio *Friderici Adolphi ab Haugvviz*, *Supremi Aulæ Electoralis Saxonicæ Marescalli* vivit. *Georgius Christianus* & *Anna Crescentia* immatura morte extincti sunt: uxor verò *Christiani Maria Elisabe-*

ſabetha Kevenhulleria an. 1676. mariti fata prævertit.

5. *Adamus*, alter *Sigiſmundi* filius, *Imperatoris Maximiliani* II. gratia floruit, ejúsque nomine legationem in Hiſpania obiit, ubi *Margaritam Antonii Ducis Cardonæ* gnatam fœdere jugali ſibi ſociavit; reducem Cæſar veluti moderatorem juventæ filiorum ſuorum, *Rudolphi* atque *Erneſti*, eſſe voluit, poſtea *Supremi Camerariatus* munere ornavit: *Rudolphus* denique, cùm Patre mortuo ſumma rerum potitus eſſet, *aulæ* ſuæ *Supremum Præfectum* illum conſtituit. Cæterùm uti dignitatum, ita & poſſeſſionum incrementa *Adamus* cepit, atque in *Moravia* an. 1575. Dynaſtias *Niclasburg*, *Magdenberg*, & *Oedenthurn* acquiſivit. Perfunctus eſt vitæ munere an. 1590, atque eodem, quo pater, tumulo illatus; monumentum, quod benigniſſimus Heros ei condi juſſit, ſic ſe habet: *Rudolphus II. Romanorum Imperator, exemplo Maximiliani Imperatoris, qui Sigismundum à Dietrichſtein, ob res Auſtriacas benè geſtas, juxta monumentum ſuum teſtamento habere voluit: Adamum filium, nominis ac dignitatis paternæ æmulum, hic poni mandavit Anno* M D LXXXX.

6. Inter liberos *Adami* tres potioris ſexus eminuere: *Sigismundus*, *Franciſcus*, & *Maximilianus*. Hic licet bis maritus (ſecunda ejus

ejus uxor *Jacobina C. de Boſſu*, non Buiſon, uti in *tab. Rittershuſ.* legitur, fuit) poſteritate caruit. *Franciſcus* Eccleſiaſticæ vitæ ſe dicavit, ſuaque virtute, eruditione, ac prudentia, in *Clementis VIII. Pontificis Maximi* gratiam ſeſe inſinuavit; à quo inter *Cubicularios* & intimos familiares cooptatus atque admiſſus, denique anno 1598, d. 3. Mart. in *Cardinalium* collegium adlectus fuit, titulumque primò *S. Sylveſtri de Capite*, tum *S. Mariæ Trans-Tyberin* accepit. *Pauli* V. & *Urbani* VIII. nomine quater *legationem* geſſit; primò apud *Matthiam Ungarorum Regem*, mox apud eundem *Imperatorem*, & apud *Ferdinandum II. Cæſarem.* Verùm domi etiam honoribus cumulatus eſt, namque *Olomucenſis* in Moravia *Epiſcopus* creatus, tribusque *Impp. Rudolpho* II, *Matthiæ*, & *Ferdinando* II. *à conſiliis ſacratioribus* fuit, *Director* etiam & *Locumtenens Marchionatus Moraviæ* audiit, tandemque à *Ferdinando* II. ad *Principale* faſtigium provectus eſt, hac ipſi facultate conceſſa, ut, è gentilibus ſuis quemcunque vellet, hæredem Principalis dignitatis conſtitueret. Scriptis itaque ætate ingraveſcente tabulis ſupremis, nepotem è fratre *Maximilianum* hæredem ex aſſe nuncupavit, atque an. 1636. d. 19. Sept. *Brunæ*, quò ſe contulerat ad conventus celebrandos, diem obiit ſupremum.

7. *Si-*

7. *Sigismundus*, *Adami* filius, *Franciſci* Cardinalis frater major natu, ramum, quem *Niclasburgenſem* vocant, propagavit per filium *Maximilianum*, è *Johanna de Scala* uxore ſua genitum. Is patrui hæreditatem ex teſtamento crevit, non tantùm quoad poſſeſſiones, quas luculentas in Moravia ille ſibi comparaverat; ſed & quoad dignitatem *Principalem*, quam quidem Imperator anno 1631. ipſi confirmavit, dato novo *Diplomate*, quo illam poſteris etiam ejus communem fecit; ita tamen, ut *filio tantum majori natu, è linea deſcendente, axiomate Principali, & prærogativa ei annexa, uti ac frui* licoret; prætereà hæc adjecta fuit *clauſula*, ne prius ad votum & ſeſſionem in comitiis Imperii admitteretur, quàm bona immediata acquiſiverit. Quamquam autem id factum non eſſet, perfecit tamen *Imperator Ferdinandus* III. (apud quem *Supremâ Aulæ* ſuæ *Præfecturam* geſſit,) in *comitiis Ratisbonenſibus* an. 1654, ut Proceres Imperii ejus petitionem pro admiſſione aſſenſu exciperent; itaque d. 28. Febr. unà cum *Piccolomineo* & *Auerſpergio* in Principum Senaculum ſollemni cerimonia introductus eſt, editis tamen priùs *literis reverſalibus*, ceu vocant, quibus hæredes ejus ab hac prærogativa, juréque ſuffragii inter Ordines Imperii, arcentur, usque dum prædictam conditionem de acquirendo fundo immediato im-

Limn. I. P. T. V. Aulæ l. 5. c. 7. p. 394.

pleverint. Verùm *Maximilianus* novis honoribus haud diu ſupervixit, anni enim ſequentis 1655. d. 6. Nov. è ſtatione mortali diſcedere à Supremo Imperatore juſſus eſt.

8. Conjugium bis contraxit; prius cum *Anna Maria*, *Caroli Pr. Liechtenſteinii D. Troppavienſis & Jægerndorfenſis* gnata; poſterius cùm *Sophia Agnete*, *Wolfgangi C. de Mansfeld* filia, quæ demum an. 1677. d. 20. Jan. vivendi finem fecit. Ex utraque ſobolem ſuſcepit numeroſam; prior *duodecies* mater facta eſt, ſiquidem ultimum maſculum *Anonymum*, quippe quem in ipſo limine vita deſtituit, addideris; reliquorum *undecim* ſylloge hæc eſt: (1) *Anna Franciſca*, nupta *Waltero C. Lesle.* (2) *Johanna Beatrix*, *Caroli Euſebii Principis Liechtenſteinii* conſors. (3) *Eleonora*, quam primò *Wilhelmus C. de Kauniz in Anſterliz*: ſecundò *Fridericus C. ab Oppersdorf* in conjugium adſciverunt. (4) *Maria Anna Cæcilia*, tenerâ ætate extincta. (5) *Franciſcus Antonius*, intra pueritiæ annos mortuus. (6) *Maria Clara*, *Johanni Friderico C. de Trautmansdorf* elocata. (7) *Ferdinandus Ioſephus*, de quo poſteà. (8) *Maximilianus Comes*, maritus *Mariæ Juſtinæ, Egmondi C. de Schvvarzenberg & Mariæ Arſcotanæ C. de la Riviere* filiæ, cum qua ante paucos annos in Belgium ſe contulit, hæreditatem ſoceri aditurus; ferturque aliquot libe-

liberis auctus esse. (9) *Carolus*, qui puer obiit. (10) *Margarita*, innupta. (11) *Maria Theresia*, quæ *Caroli Adami C. de Mansfeld* conjux fuit. E posteriore *Maximiliani Principis* thoro *quaterna* proles provenit, mares duo, totidemque fœminæ, hac serie: (1) *Franciscus Antonius*, qui *Societati Jesu* nomen dedit. (2) *Maria Josepha*, quæ *Raimondo C. Montecuculi*, Cæsaris Stratego, an. 1657. in manum convenit, atque an. 1676. d. 15. Dec. obiit. (3) *Philippus Sigismundus*, is in conjugio habet Baroniſſam *Hoffmanniam*, sororem illius, quam *Georgium Sigfridum C. Dietrichsteinium* è *Weixelstättensi* linea duxisse dictum est, luculenta dote instructam; quas ei nuptias frater conciliasse fertur. (4) *Sophia*, nupta primò *Francisco Eusebio C. de Pœtting* qui aulæ Cæsareæ Mareschallus fuit; secundò an. 1681. *Wenceslao C. de Lobkovviz.*

9. Qui in præsentia *Principali* dignitate in familia eminet, est

FERDINANDUS JOSEPHUS *de Dietrichstein, S. R. Imperii Princeps, Dynasta in Niklasburg, Magdeburg & Oedenthurn, L. B. ab Hollenburg, Finckenstein & Talberg, Pincerna Hereditarius Carinthiæ, quondam Imperatricis Regentis, nunc verò ipsiusmet Augusti Summus Aulæ Præfectus & Ministrorum Cæsareorum Primas.*

Is an. 1656. d. 26. Sept. thalamo sibi junxit, *Mariam Elisabetham*, *Johannis Antonii Pr. Eggenbergici* & *Annæ Mariæ Brandenburgicæ* gnatam, è qua pulchræ ac numerosæ prolis pater factus est; videlicet

I. *Annæ Mariæ*, n. 2. Febr. 1657. †. 21. Maji 1659.

II. *Sigismundi Francisci*, n. 21. Apr. 1658. †. 26. Aug. 1667.

III. *Sophiæ Barbaræ*, n. 10. Apr. †. 21. Jul. 1659.

IV. *Leopoldi Ignatii*, n. 18. Aug. 1660. Hæredis axiomatis Principalis. *nuptiis Salmens.*

V. *Erdmuthis Theresiæ Mariæ*, n. 17. Apr. 1662. nuptum collocatæ an. 1681. *Johanni Adamo Andreæ Pr. Liechtensteinio*, amitino suo.

VI. *Caroli Iosephi*, n. 17. Jul. 1663.

VII. *VValtheri Xaverii Antonii*, n. 18. Septembr. 1664. Canonici Olomucensis & Passaviensis.

VIII. *Francisci*, n. & †. 22. Oct. 1665.

IX. *Anonymi*, 25. Aug. 1666.

X. *Margaritæ Mariæ*, n. 20. Sept. 1667.

XI. *Mariæ Ludovicæ*, n. 28. Nov. 1668. †. 24. Febr. 1673.

XII. *VVenceslai Dominici Lucæ*, nat. 18. Oct. 1670. †. 1. Maji 1673.

XIII. *Christiani*, n. & †. 5. Dec. 1672.

XIV.

XIV. *Claudiæ Felicitatis Iosephæ*, n. 25. Apr. 1674.

XV. *Mariæ Iosephæ Antoniæ Cajetanæ Rosæ Dominicæ Theresiæ Stanislaæ*, n. 13. & †. 17. Nov. 1675.

XVI. *Ferdinandi*, n. 1676.

10. *Scuto* Princeps *Dietrichsteinius* simplici uti solet, sola *tessera gentilitia* ornato, nempè *sectio diagonaliter è cocco & auro & duos cultros victoriosos tergis obversis, ferrei coloris, capulis aureis*, referente. Tegitur *pileo Principali*.

CAP. XV.

DE PRINCIPIBUS PICCOLOMINEIS.

Piccolomineorum illustris apud *Tuscos* familia, multis jamdum retrò seculis, inter vetustiores & nobiliores *Senensis* civitatis, dum Optimates Reipublicæ præfuerant, habita fuit, & literis atque armis claruit, pluresque arces ac castella tenuit. Sed à nobilibus in plebem derivato regimine, sicut & cæteræ nobilium, ita & *Piccolominea* domus *Senis* exturbata est. Superfuit tamen *Æneæ Sylvio*, ex hac stirpe prognato, non tenue patrimonium, (quemadmodum *Ciacconius* in *Historia Pontificum & Cardinalium* refert) ex quo

Tom. II. p. 999.

quo vitam honestè ducere potuit; sed juvenis immatura morte decessit, relicta *Montaniana* uxore prægnante, ex qua natus est *Sylvius Posthumus*, quo pupillo bona ejus sub tutoribus & actoribus dissipata sunt. Hic tamen ingenuè educatus & liberalibus artibus eruditus, ubi adolevit, in militiam profectus est, variisque casibus circumactus domum tandem rediit, & vendicata patrimonii tenui portione, *Victoriam* è domo *Forteguerrarum*, quamvis nobilem virginem, attamen pauperem, duxit in uxorem; quæ adeò fœcunda fuit, ut *duo deviginti* liberorum patrem *Sylvium* fecerit, sed plerosque iniqua lues extinxit, duabus tantum filiabus, *Laudamia* & *Catharina*, gnatoq; unico, *Æneæ Sylvio*, superstitibus.

2. Hic familiæ suæ, aliquid caliginis passæ, novam eamque clarissimam affudit lucem: quippe qui, studiis elegantium literarum, quæ tum contemptæ jacebant, assiduè deditus, cœlestium præceptorum disciplinis innutritus, multisque virtutibus exornatus, inter *Cardinales* Romanæ Ecclesiæ cooptari, tandemque ad summum humanarum rerum apicem, *Pontificatum* nempè an. 1458 provehi meruit, *Pius II.* dictus. Licet autem ultimus marium suæ gentis esset, nomen tamen genusque suum ab oblivione atque interitu, quantum quidem honestè potuit,

tuit, vindicavit, adsciscendo in jus nomenque familiæ *Piccolomineæ* nepotes, quos è sororibus, *Laodamia* & *Catharina*, conspicuis in patria viris nuptis habebat.

3. *Laodamiæ*, quæ *Nannium de Todeschi* Senensem Patritium thori consortem sortita est, quatuor filii, à *Comite Galeatio Gualdo* in pereleganti *de Illustribus Aulæ Cæsareæ ministris* commentario, *Italico* idiomate scripto, tribuuntur; nimirum *Antonius*, *Franciscus*, *Jacobus*, & *Andreas*. *Antonius Piccolomineos de Arragona Duces Amalphitanos*, qui superiore seculo defecerunt, prosevit: namque *Ferdinandus I. Arragonius*, *Rex Neapolitanus*, ei filiam *Mariam* cum ampla Ducatus *Amalphitani* dote nuptum collocavit, ipsique & ejus hæredibus facultatem *Arragonium* nomen cum *Piccolomineo* conjungendi concessit. *Franciscus* avunculi vestigiis insistens, ab eo post *Archiepiscopum Senensem Cardinalis* anno 1460, ætatis primo & vicesimo, creatus est, tandemque *Alexandrô VI.* è viventium numero sublato an. 1503. ad *Pontificiam* dignitatem pervenit, assumpto in avunculi memoriam *Pii III.* nomine: verùm exiguo temporis spatio novi honoris usura fruitus est, septimo enim & vicesimo ab electione die vitam amisit, scelere chirurgi, qui à *Pandolfo Petrucci Senarum Tyranno*, cui concivis virtus & dignitas formidolosa

erat, mercede conductus, ulceri quod *Pius III.* in crure habebat, venenum infudit. *Jacobus* & *Andreas* Senis domicilium fixerunt, ille *Dynasta di Montemarciano*, *Camposevoli*, & *Porrona* audiit, hic *Marchio Capistrani*, *Dynasta Castellionai* & *Liliorum insulæ*, paterque ex *Agnete Farnesia* fuit *Johannis Piccolominei de Montefalco*, *Cardinalis* a 1517 creati, atq; a. 1537. mortui. Sed utriusq; *Jacobi* nempe & *Andreæ* masculæ posteritas extincta est.

4. *Catharina* altera *Pii II.* soror *Piccolomineorum*, qui nunc supersunt, progenitrix extitit, & cum marito suo ignoti nominis ac generis *Dynastas di Sticciano*, in agro Senensi profevit. Ex his superiore seculo *Æneas Piccolomineus* in asserenda libertate patriæ, ab Hispanis oppressæ, laudem sibi ivit quæsitum; quemadmodum apud *Thuanum* videre licet. Fertur ille habuisse in matrimonio *Victoriam* cognatam, *Jacobi Montismarciani Domini* neptem, *Antonio Maria Piccolomineo* & *Helena Sfortia* natam, quæ ei *Camposevoli* in dotem attulerit. Ex hoc autem conjugio, quo *Laodamiæ* & *Catharinæ* sororum posteri coaluere, filii tres prodierunt, *Sylvius* nimirum, *Ascanius*, & *Æneas*; è quibus *Ascanius* Ecclesiasticæ vitæ se addixit, & primò *Archiepiscopus Rhodiensis*, posteà *Senensis* electus est. Reliqui duo militari laude inclaruerunt, & *Sylvij* inprimis virtutem

Hist. l. 10. 22?. Edit. Offenbac.

tem ac fidem *Ferdinandus, Magnus Dux Etruriæ*, in pretio habuit, eumque ad primaria aulæ suæ munia provexit. Penatibus ille induxit *Violantam Geriniam*, è qua, præter gnatam unicam *Victoriam*, *Nicolao Comiti Capravæ* Senatori Bononiensi elocatam, tres filios *Æneam*, *Ascanium*, & *Octavium*, suscepit.

5. *Ascanius*, Clericus factus, patruo cognomini in *Archiepiscopatu Senensi* surrogatus fuit: *Æneas*, militarem vitam sectatus, *Eques S. Stephani* à dicto Magno Duce Etruriæ creatus est, qui etiam ei nuptias concīliavit Nobilissimæ Virginis *Catharinæ*, gnatæ unicæ, & opulentæ hæredis, *Raphaelis degli Adamari* & *Auretta degli Acciaiuoli*. Cæsaris posteà castra secutus in Bohemia mortem obiit, relictis post se, præter filiam *Violantam*, *Francisco Mariæ Malegonello* nuptam, filiis tribus, *Sylvio*, *Francisco*, & *Evandro*. Ex his *Sylvius* atque *Evander*, cum egregia virtutis bellicæ documenta edidissent, mortem oppetiere; ille an. 1634. in prœlio *Nordlingensi*, hic in Flandria ad *S. Audomari fanum* vicesimo ætatis anno. *Franciscus*, *Eques S. Jacobi* & *Cubicularius Cæsareus*, stirpem propagavit, adsciscendo in vitæ thoriquæ consortem *Æmiliam*, *Laurentii Comitis Strozzii* gnatam.

6. *Octavius*, ejus patruus, à quo digressio facta est, præcipuum familiæ Picco-

lominеæ decus atque ornamentum, in lucem prodiit d. 11. Nov. 1599, & simulac ex ephebis excessit, belliqúe patiens fuit, Hispanorum castra in Insubria petiit, ibique per laborem usu militiam didicit; postcà una cum legione, quam Dux Etruriæ Imperatori Ferdinando II. auxilio adversus Bohemos misit, in Germaniam, *Magistri Equitum* munere fungens, profectus est, suamque virtutem ac in re militari peritiam mox Cæsari probavit; dignusque habitus fuit, cui majora munia subinde delegarentur, donec supremum tandem in militia gradum obtinuit. Quoniam verò, naturali prudentia præditus, inter togatos etiam facilè justeque agebat, atque ingenium in promptu habebat, *Ferdinandus III. Cæsar* aptum eum præ omnibus censuit, quem cum plena potestate ad conventum publicum, *Noribergæ, Executionis Pacis Westphalicæ* promovendæ ergò, institutum, mitteret; quam legationem optimè ac magnificentissimè obivit, & summa, qua usus est, moderatione, tam Cæsari quàm Ordinibus Imperii satisfecit; neque caruit fructu laboris sui: nam ab Imperatore novis honoribus, *Principali*, dignitate, cumulatus, à Principibus autem Imperii in ipsorum collegium receptus, &, licet requisitis convenientibus destitutus, ad *jus sessionis suffragiiq;* in comitiis, an. 1654. *Ratisbonæ* habi-

Limn. l. P. T. V. Add. ad L. 5, c. 12. §. 432.

habitis, d. 28. Febr. ſollemni introductione admiſſus eſt; hac quidem lege ei lata, ut in ærarium Imperii ſymbolam ſeſe dignam conferret, fundumque in Imperio immediatum data occaſione ſibi compararet; poſteri verò ejus aut hæredes, niſi ea conditione impleta, jura Imperii neutiquam ſibi arrogarent, quod ipſe editis *literis reverſalibus* ratum habuit.

7. Eodem temporis tractu matrimonium contraxit cum *Maria Benigna Franciſca, Julii Heinrici D. Saxo-Lauenburgici* ex *Anna Magdalena Poppelia de Lobkovviz* filia, quæ etiamnunc ſuperſtes eſt, & caſtrum *Nachod* in Reginohradecenſi diſtrictu Bohemiæ, quod ei dotalitii loco maritus aſſignaverat, incolit. Prolem ex ea nullam ſuſtulit, quare ſcriptis tabulis ſupremis hæredem dignitatis Principalis & ditionum, quas in Bohemia acquiſiverat, nuncupavit *Æneam Piccolomineum*, ſuum è fratre pronepotem, *Franciſci & Æmiliæ Strozziæ* filium natu majorem. Cæterùm Regem etiam Hiſpaniarum in ſui benevolentiam traxit, à quo torque *Aurei Velleris* decoratus, & Ducatu *Amalphitano* in Regno Neapolitano, qui jam olim in familia Piccolomineorum, ceu dixi, hæſit, poſteáque in fiſcum redactus fuit, donatus eſt. Demum, poſt diuturnos labores, & moleſtiarum, quas exhauſit, tempeſtates vix in quie-

quietis atque otii portum delatus, gravi morbo tentari cœpit, quo absumptus d. 10. Aug. an. 1656. naturæ debitum reddidit.

8. Qui nunc ejus hæreditate & Principali axiomate gaudet, est

LAURENTIUS *Piccolomineus d' Arragona S. R. Imperii Princeps, Comes & Dominus in Nachod, Grattliz, & Herzmaniz*; filius *Francisci* & *Æmiliæ Strozziæ* minor natu, qui fratri *Æneæ*, postquam is castra Cæsarea nupero cum Gallis bello secutus, in duello adversus Comitem *Guerrieri* vulnus accepisset, atque ex eo negligentiùs curato an. 1673. vitam amisisset, successit. Conjugem nondum duxisse fertur, sed procari unam è filiabus *Johannis Georgii Comitis Chœnigl L. B. ab Ehrnburg*, Capitanei Provinciæ ad Athesim & Burggravii Tyrolensis.

9. *Scuto* eodem fortassis utitur, quo propatruus ejus *Octavius* usus est; id verò *quadripartitum* fuit: prima & quarta areola *in quatuor partes perpendiculariter* secantur; pars prima *aurea quatuor palis rubeis* Aragonicis *exaratur*; secunda *fascias argenteas & rubeas* Ungaricas *exhibet*; tertia *cæruleà liliis* Francicis *spargitur*, *adjecta lambella trifida*, *qua* regnum Neapolitanum *denotatur*; quarta *argentea* Hierosolymitanas *crucis*, *auream nimirum majorem patibulatam*, & *minores quatuor repræsentat*: totus verò laterculus in me-

memoriam priſtinæ affinitatis cum Arragoniis Regibus Neapolitanis adſcitus eſt. Secunda & tertia areola *argentea crucem cæruleam, cui lunulæ aureæ quinque inſcriptæ ſunt, refert, quæ teſſera* Piccolomineorum gentilitia *eſt. Tegi* ſolet hoc ſcutum *pileo Principali.*

CAP. XVI.

DE PRINCIPIBUS CROIENSIBUS.

RES *non Belgio tantum, ſed Europa admiranda* viſa eſt *Guicciardino*, quod *Haverleæ* in Brabantia, prope *Lovanium*, ubi perelegantem arcem Duces *Arſcotani* habent, in choro templi, contigui cœnobio ordinis *Cæleſtinorum*, conſpiciantur marmorea Principum Croyorum ſingulorum monumenta, *& genealogia Ducum de Arſcot, inde ab Adamo usque ad præſentes*, cum eorum iconibus & nominibus. Fallor, aut inter inanes pompas & humanæ oblectamenta vanitatis reponendum id potiùs eſt. Quod tamen noſtra ætate imitatores reperit *Eſterhaſyos de Galantha* clariſſimos in Ungaria Comites, quorum Genealogiam itidem ab *Adamo* ad hæc usq; tempora deductam, typis etiam excuſam, proſtare, ab Illuſtri quodam Viro edoctus ſum, ejúsque exemplum manuſcriptum ab eodem accepi. Venit in mentem familia nobi-

Deſcript. Belg. Part. I. p. 108.

nobilis *Pisaurorum* apud *Venetos*, in quorum prædio, quod inter urbem & Tarvisium situm est, vidi arborem gentis hujus genealogicam, quæ stirpis suæ satorem ostentat *Jovem optimum maximum*, *Imperatorem mundi*. Inaniæ, quas,

Si foret in terris, rideret Democritus.

2. *Pontus Heuterus*, Scriptor præstantissimus, ad priscos *Ungariæ Reges Croiensis* sive *Croviacensis* familiæ originem, missis illis pictorum portentis, retulit, memorans *Andreæ II. Regi Ungarorum*, qui A.C. 1235. vixit, è prima uxore *Gertrude* filios tres fuisse, atque inter eos *Andream* natu minimum, *Belæ* fratre primogenito & in Regno successore à Tartaris pulso, apud Venetos perfugium quæsivisse; ibique uxorem duxisse *Sibyllam*, *Petri Cumani*, Senatoris Veneti, opulenti Viri gnatam; è qua natus *Marcus*, qui negotiationem fastidiens circa an. 1266. in Galliam concesserit, ibique in aula *Philippi III.* Regis uxorem acceperit *Catharinam*, filiam ac hæredem unicam *Baronis Araini ac Croviaci*, ea conditione, ut filius, qui ex eis nascereturn natu maximus, retentis paterni generis insignibus, *Baro Arainus* vocaretur: secundogenitus autem *Baro Croviacus* appellaretur. Fuit *Croviacum* olim castrum, sub Imperio *Vicedomini Ambianensis*, eorumque beneficium, hoc tempore planè diru-

tum;

tum; extante tamen ejusdem nominis vico, vulgò *Crouy* dicto, & parùm distante monasterio Suessionico *S. Medardi*.

3. *Marco* & *Catharina* geniti sunt *Johannes* & *Wihelmus*: ille *Baro Arainus*, ducta *Johanna* filia *Comitis Bellemontii*, improlis obiit: hic *Croviaci Baro Annam, Arnoldi C. Guinensis* gnatam, in conjugio habuit, & cum ea *Burggraviatum Grevelingæ* ac *Borburgi* accepit, atque, ante fratrem fato suo functus, filium post se reliquit *Johannem Croviacum*, qui patrui etiam hæreditatem crevit, & connubio sibi junxit *Johannnam Arainam*, matrem *Antonii Croviaci Baronis Araini, Burggravii Grevelingæ ac Borburgi*. Hic è *Margarita Suessionensi Moreli Domina* suscepit *Jacobum*, maritum *Mariæ de Picquegny*, filiæ *Vicedomini Ambianensis*, & patrem *Wilhelmi*; cui an. 1354. *Elisabetha*, *Andreæ Baronis de Renty & de Senegem* filia ac hæres, nuptum locata fuit, ea lege, ut filius ejus natu maximus insignia *Rentiaca* cum Croviacensibus conjuncta in scuto suo ferret. Ex hoc matrimonio provenit *Johannes Croviacus*, *Comes Guinesii*, *Baro Araini, Rentiaci, & Seningæ, Burggravius Grevelingæ ac Borburgi*, à quo B. *Rittershusius* Genealogiam familiæ orditus est. Is *Philippi Audacis* & *Johannis Intrepidi, Ducum Burgundiæ, Supremus Camerarius* fuit, atque in prælio *Azincuriano* an. 1415.

1415. d. 26. Oct. occubuit. Conjugem accepit *Mariamde Craon, Johannis Domini de Dompmart* filiam, & ditionis *Thulenſis* hæredem: ea octodecim liberorum mater facta eſt, inter quos eminuere *Antonius* & *Iohannes*, duarum linearum capitalium, in quas familia diducta fuit, autores.

4. *Antonius Guineſii Comes*, à *Philippo Bono D. Burgundiæ* inter intimos familiares admiſſus, & *Lucenburgico Ducatui* vicaria poteſtate impoſitus eſt. Matrimonium bis contraxit, priùs cum *Johanna*, *Johannis Rubaſii Herzelæ Domini* filia; è qua gnatam unicam *Margaritam* (Heuterus *Johannam* nominat) *Heinrico C. Monfortio* elocatam genuit, poſterius cum *Margarita*, *Antonii Lotharingi C. Vaudemontii* filia, quæ marito *Arſcotum* ac *Beirbecam*, Brabantiæ oppida, in dotem attulit; ille verò Comitatum *Porceanum* in *Remis*, *Bellomontium* (*Beaumont*) & *Rodium* vulgò *Reux* dictum in Hannonia emptionis titulo acquiſivit. Exuit mortalitatem an. 1477, poſtquam è conjuge ſecunda liberos ſeptem ſuſcepiſſet, filias quinque, (illis enim, quæ in *tabula Rittershuſ.* enumerantur, addendæ ſunt *Jacobea*, *Johannis Dynaſtæ Ligniaci* uxor, & *Johanna* junior, *Abbatiſſa apud D. Marcellum*, prope Lutetiam) gnatos duos, *Philippum* & *Iohannem*, totidem ramorum *Porceani* & *Rodienſis* ſatores.

5. *Phi-*

5. *Philippus, Croviaci, Arſcoti, & Rentiaci Dominus, Comes Porceani & Bellomontii*, habuit in conjugio *Jacobeam, Ludovici Lucenburgici C. S. Pauli & Lignii* filiam; atque an. 1511 fatis conceſſit, relictis poſt ſe filiis tribus: *Heinrico, Antonio, & Wilhelmo.* Hic, Dynaſta *Cerviæ*, (de *Chievres*) Caroli V. Imp. juventam moderatus, atque an. 1491 *Eques Aurei Velleris* creatus eſt; ſed an. 1521 ἄλεκτος deceſſit. *Antonius*, Eccleſiæ ſe addixit, & *Morinorum* Antiſtes fuit. *Heinricus, C. Porceani*, an. 1514 nuptiis ſibi junxit *Carolam de Chaſteaubriant, Renati C. de Chalain & B. de Longny* gnatam, cum qua dotis loco Baronatum de *Longny* obtinuit, & liberos ſeptem procreavit: filiæ duæ fuere: *Anna, Antonii Marchionis Bergarum ad Scaldim* conjux; & *Helena*, nupta *Jacobo Lucenburgico C. de Gavre.* Filiorum nomina hæc ſunt: *Wilhelmus, Epiſcopus Cameracenſis* electus an. 1516, atque anno ſequenti R. E. *Cardinalis* à *Leone* X. *Papa* creatus, à *Carolo* V. autem *Cæſare* in *Archiepiſcopum Toletanum* & *Primatem Hiſpaniæ* evectus, ſed immatura morte anno 1521, ætatis tertio & viceſimo, *Wormatiæ* extinctus; *Robertus*, qui fratri in *Cameracenſi* Epiſcopatu ſucceſſit, atque an. 1556. naturæ debitum perſolvit; *Carolus, Epiſcopus Tornacenſis*, an. 1564. mortuus; *Philippus*, de quo paulò poſt; & denique *Carolus, Comes Porceani*, pater, ex

Franciſca Amboſia, Antonii Principis Porceani, qui, vix an. 26. egreſſus, ex febre ardenti Lutetiæ d. 5. Maji a. 1567. fatis conceſſit, Juvenis, *Thuano* teſte, magni & elati animi, qui, ſciſsâ factionibus aulâ Gallica, *Proteſtantium* doctrinam amplexus, ad *Momorantii* (à quo tamen mater ejus *Amboſia* moleſta lite & injurioſo carcere vexata fuerat) & *Coliniorum* partes ſe applicuit. Juſculo, quod illum emota mente ad furorem adegerit, vim ei inſidioſè allatam, à F. *Claudio Cluniaci Antiſtite*, per *San Bartholomæum* emiſſarium ſuum, memorat idem incomparabilis Hiſtoriarum Scriptor, ex autore vitæ ipſius *Claudii*. Conjux Portiani *Catharina Clivia*, *Franciſci Nivernii Ducis* filia fuit, è qua ſobolem nullam ſuſcepit; ea poſteà *Heinrico Lotharingo D. Guiſio* in manum convenit.

Hiſt. L. 39. p. 815.

6. *Philippus*, *Heinrici Porceani* filius, *Arſcoti Marchio*, *Ducali* dignitate ab *Imp. Carolo* V. ornatus eſt; & bis conjugium inivit, primò cum *Anna* agnata, *Caroli Pr. Cimacenſis* filia atque hærede præcipua; ſecundò cum *Anna*, *Antonii D. Lotharingiæ* filia, *Renati Pr. Aranſionenſis* vidua. E *prima* nati ſunt filii tres: *Carolus*, *Wilhelmus*, & *Philippus*. Ex his *Carolus*, *Princeps Cimacenſis*, licet bis maritus, improlis obiit; *Wilhelmus*, *Marchio Rentiaci*, ex uxore *Anna Reneſſia* non niſi unicam filiam, matri cognominem, ſecunda vice maritatam,

tatam, suscepit. *Philippus, Dux Arscoti*, Princeps fuit excellenti animo ac virtute præditus, qui, *Grotio* judice, cunctis belli civilis in Belgio tempestatibus magna animi fiducia compertus est, ut indubitata in Principem fide, non tamen exterorum libidini gratificaretur suam dignitatem: cujus illustre documentum dedit in concilio, quod ineunte anno 1595 Bruxellas *Ernestus Austriacus*, Belgicæ Gubernator, advocaverat; ibi enim, postquam Ernestus, susceptos pro concordia labores graviter elocutus, in cætera consilium postulasset, ille primus inter Ordines dicendi facultate arrepta, masculam orationem, quæ citato loco legi potest, habuit, & *prope ultima senectute securus ista velut oracula popularium mentibus affudit*, ut Celeberrimi Scriptoris verba huc transferam. Verùm cùm non ita multò pòst, Ernesto è vivis sublato, *Petrus Henriquez, Comes Fontana*, summam rerum belli domique rapuisset, ne se huic secundum Belgæ conspicerent, apud Venetos sponte exulavit; eò proficisci testatus, ubi liber moreretur: quæ quidem felicitas eodem adhuc anno d. 11. Dec. ipsi obtigit. E prima uxore *Johanna Halewinia* filias duas, gnatúmque unicum *Carolum* genuit; qui, quamvis bis maritus, sobole caruit, atque an. 1612 fatis functus, *Arscotanam & Cimacensem* hæreditatem ad sororem

Hist. de Reb. Belg. l. 4.

Ibid. p. 295.

majorem natu *Annam*, *Carolo Ligneſio P. Arembergico* nuptam, transmiſit; in cujus poſteris adhuc hæret.

7. E ſecundo *Philippi primi Ducis Arſcotani* matrimonio gnarus unicus prodiit *Carolus Philippus*, *Marchio Havrei* in Hannonia dictus; huic uxor *Diana Dammartina* Comitatum *Fontaney*, & partem Dominii *Vinſtingenſis*, attulit, & quatuor liberos peperit. Ille an. 1613 vitam finivit; è filiis ejus, qui duo fuere, major natu *Carolus Alexander*, *Marchio Havrei*, & *Comes de Fontenay*, anno 1624 *Bruxellis* interemptus, unicam tantùm filiam, è prima uxore *Jolantha Ligneſia* genitam, poſt ſe reliquit; quæ paternam hæreditatem ad agnatos *Solreanos*, ceu poſteà dicetur, transtulit. *Erneſtus*, alter *Caroli Philippi* filius, *Dux Crojus* appellatus, *Annam*, *Bogislai XII. D. Pomeraniæ* filiam, thalamo ſibi ſociavit; qua natus eſt ERNESTUS BOGISLAUS, *Dux Croji & Arſcoti*, *S. R. I. Princeps*, *Marchio Havrai*, *Comes in Fontenay*, *Baion*, *& Dammartin*, *Neogardiæ & Maſſoviæ Princeps*, *Sereniſſimi Electoris Brandenburgici Supremus in Boruſſia Gubernator.* Is Epiſcopatum *Caminenſem* antehac tenuit, cujus loco poſteà à prædicto Electore *Neogardiam* in Pomerania, extincta *Eberſteiniorum* Comitum in iſtis oris ſtirpe,

stirpe, & *Massoviam* accepit. Conjugem non duxit, filium tamen *nothum* habet, quem an. 1679 in peregrinatione Italica Romæ ad *Pontificios* desciviſſe, & *Societati Jesu* nomen dediſſe nuntiatum fuit.

8. Hactenus de ramo *Porceano* ſive *Arſcotano*, nunc de *Rodienſi*: hujus ſator dictus eſt *Iohannes*, *Antony C. Guineſy* filius ſecundogenitus, qui *Johannam*, *Crecquiy* dominii apud *Atrebates* hæredem, uxorem habuit, filiorum duorum ex ea pater, *Friderici*, & *Johannis*. *Friderici*, *Dynaſtæ de Reux*, progenies in ejus, è filio *Adriano*, quem *Imp. Carolus V.* Bononiæ in coronatione *Comitis* axiomate decoravit, nepotibus defecit. *Johannes*, *Crecquiy regulus*, *Eleonoram de Thiennes*, *Johannis Domini de Loubez* filiam, uxorem duxit, qua genitus eſt *Euſtachius*, maritus *Annæ*, *Antonij Baronis de Noirthond* filiæ ac hæredis, & pater filiorum duorum, *Claudij de Croy*, *Comitis de Rœux*; & *Franciſci Heinrici de Croy*, *Comitis de Meghen*, & *Dynaſtæ Crecquiy*. Hic ex *Honorina de Withem*, *Antonij Domini d' Iſſche & d' Arquennes* gnata, ſuſcepit *Albertum Franciſcum de Croy*, *S. R. Imperii Principem*, *Comitem de Meghen*, qui *Namurcenſem* Comitatum nomine Regis Hiſpaniarum rexit, atque an. 1670. torque *Aurei Velleris* inſignitus fuit. Penatibus an. 1659 induxit *Mariam Magdalenam Eugeniam de Gand-Vilain*, *Philippi*

Charpent. Hiſt. Genuel. des Pairs Part. III. p. 300. & 328.

lippi Lamoraldi C. d' Ifenghien filiam, *Florentij Merodii M. de Weſterloo* viduam, ſed a. 1674. menſe Octobri, *Namuri*, improlis mortem obiit.

9. *Claudius C. de Rœux* ex uxore ſua *Anna d' Etourmel, Johannis B. de Douxlieu* gnata, filios fertur ſuſcepiſſe duos: *Euſtachiũ*, & *Philippum*. Ille *Inſulis Flandriæ* & *Duaco*, cùm adhuc Hiſpanis parerent, præfectus, atque an. 1647 *Eques A.V.* creatus fuit; finem vitæ verò an. 1653 implevit. Matrimonium ejus tenuit *Maria Gertrudis Polyxena*, *Wilhelmi B. de Kettler & de Laghen* ex *Eliſabetha Bronchorſtia* gnata, ea multæ prolis, utriusque ſexus, mater facta eſt. Inter filias numerantur *Catharina Franciſca Iſabella Maria*, quæ an. 1679 *Walrado C. Naſſovio-Saræpontano* Gubernatori *Bergæ ad Somam* nupſit; *Maria Leopoldina*, Canonica Montibus Hanoniæ; *Carola Heinrica Maria*.

St. Marthe L'Etat d' Eſpagne 1680. p. 129.

10. E filiis natu maximus *Albertus Claudius C. de Rœux* an. 1660. ἄγαμος decеſſiſſe perhibetur, fratri ac ſucceſſori ejus hoc nomen atque axioma tribuitur: FERDINANDUS *de Croy, Comes de Rœux & S. R. Imperij, Baro de Beauvrain, Laghen & Aſſen, Dn. de Dieſval, Roſnée, Houſdain, la Motte, VVarnecques, Par Hannoniæ.*

11. *Clypeo* uti dicitur *quadripartito*: 1. & 4. qua-

4. quadra *argentea tres fascias rubeas*, Crojensia nempe insignia, ab Ungaricis mutuata, *referunt*; 2. & 3. *itidem argentea tres dolabras coccineas, duabus in summo dorsis obversis, tertia in imo laterculo positis, repræsentant*, quod ἄγμα Rentiacum est.

12. *Philippus*, quem *Comitis de Rœux* patruum fuisse ab amico fide digno accepi, initio *Comes de Croy* appellabatur; posteà verò, cum Leopoldus Imperator sub primordia præsentium comitiorum axioma *Principis S. Imperii*, quo plerique è Crojensi familia superbiebant, ipsi etiam concessisset, *Principis de Croy* titulo honestari cœpit; & quoniam cum conjuge sua *Isabella Bronchorstia*, *Johannis Jacobi C. ab Anholt* filia ac hærede, præter alias ditiones, etiam Dynastiam *Müllendonck*, quæ libera & immediatè Imperio obnoxia est, obtinuerat, ad sessionem ac votum in Principum Imperii collegio admitti petiit, Cæsaremque exoravit, ut Rescripto ad Archiepiscopum Salisburgensem d. 1. Sept. an. 1666. dato ipsum Ordinibus eam ob causam de meliore nota commendaret; quod postquàm in comitiis exhibitum fuit, Legati ad referendum, ceu loqui amant, id acceperunt. Demum an. 1669 d. 31. Jan. per Oratorem Principis Crojensis res retractata est, utque cuncta planiora & magis in proclivi essent, symbola, quam Princeps re-

ſpectu prædictæ Dynaſtiæ *Müllendonck* ad Imperii ærarium conferret, oblata eſt: videlicet ad Imperii onera *pro ſimplici collecta ſecundum expeditionem Romanam*, (für einen einfachen Römermonath zu deß Reichs Anlagen/) *ſex & ſeptuaginta florenos*, tum ad impenſas *Cameræ Spirenſis* annuatim *florenos ſex & quinquaginta*. Verùm haudquaquam ad ſpem eventus reſpondit, neque *Philippus*, quoad vixit, voti damnatus fuit. Diſceſſit autem è vita hominum *Coloniæ* an. 1681, relictis poſt ſe filiis quatuor: quintus, cui nomen *Johannis Jacobi* erat, quique an. 1677. *Canonicis* Eccleſiæ Cathedralis *Colonienſis* adſcriptus fuit, fata patris parvo temporis intervallo antevertit.

13. Inter ſuperſtites familiam ducit CAROLUS EUGENIUS, *Dux de Croy, S. R. Imp. Princeps, Comes de Rœux & & Meghen, L. B. in Buring, Milahn, Müllendonck, Bähr & Lathum, Dn. in Drachenfels, Ruhland, Pahland, Berris & Velzburg, Poſſeſſor hypothecarius Præfecturæ Wolckenberg & oppidi Rheens.* Is gloria militari illuſtris *Regi Daniæ* in nupero cum Suecis bello fortem operam præſtitit, meruitque ut an. 1678 *Elſimburgenſi* caſtro præficeretur, & *Locumtenentis Generalis* axiomate ornaretur. Poſteà pace ſancita *Cæſari*

ſe

se addixit, in cujus castris nunc militat, & legiõnem ductat. Sociavit sibi jugali fœdere an. 1681. *Julianam*, *Heinrici C. de Berg*, & *Hieronymæ Catharinæ C. de Spauer* gnatam, *Bernhardi C. de Witgenstein* viduam.

14. Fratrum ejus nomina hæc sunt:
Casimirus,
Philippus,
& *Mauritius*. Hic in legione fratris Cæsari militans, qua die, erat 12 Sept. anni quo hæc scribimus 1683, *Vienna* obsidione liberata, & Turcæ profligati fuerunt, vitam, fortis viri officio functus, amisit.

15. Insignia *Ducis de Croy-Mullendonck* (ita enim vulgò vocatur) hoc modo delineata vidi, ut *scuto* gentilitio *argenteo*, *tribus fasciis rubeis distincto*, parma *imponatur* bipartita, *cujus* anterior *regio* Ungaricum δῆγμα *continet*, posterior *transversim secta*, *superiore parte cœrulea & limbo rubeo circumdata lilia tria aurea*, Andinum *symbolum refert*: *inferiore aurea baltheum rubeum*, *cui tres aquilulæ argenteæ inscriptæ*, Lotharingicam *tesseram repræsentat*. *Tegi* solet hoc scutum *mitra Ducali*.

16. Ad alteram nunc lineam accedamus, quam *Iohannes*, *Antonii C. Guinesii* frater, *Johannis & Mariæ de Craon* filius minor natu, condidit. Is à Carolo Audace D. Burgundiæ primus *Comes Cimacensis* (*de Chymay*)

Brugis an. 1473. creatus est, Hannoniam vicaria potestate rexit, ductaque *Maria Lalana, Quievraini Domina*, undecim liberos suscepit: ex his filius major natu *Jacobus* Ecclesiasticæ vitæ se dedit, atque è *Protonotario Apostolico Episcopus Cameracensis* an. 1504. ab Alexandro VI. Pontifice renuntiatus, & ab Imp. Maximiliano in ea dignitate adversus *Franciscum de Melun*, à Clericis electum, confirmatus fuit; à quo etiam primus *Dux Cameracensis*, & S. R. *Imperii Princeps* anno 1510. creatus est. Obiit an. 1561. octogenarius. Inter fratres ejus *Philippus* stirpem propagavit, pater, è *Walpurgi C. Mœrsiæ, Caroli* & *Antonii*, à quibus rami duo orti sunt.

Chargent. p. II. p. 410.

17. *Carolus*, *Comes de Chymay*, à Maximiliano I, cum is an. 1486. *Aquisgrani* in Regem Romanorum inauguraretur ac coronaretur, *Princeps de Chymay* factus est, quemadmodum apud *Freherum* legitur. Ex uxore *Ludovica Albretana* non nisi sequioris sexus sobolem genuit; *Anna*, natu maxima, *Philippo* agnato D. *Arscotano* nupsit, eique *Cimacensem* hæreditatem attulit.

Tom. III. Rer. Germ. p. 12.

18. *Antonius*, *Caroli Pr. Cimacensis* frater, *Fani D. Piati* regulus fuit, atque è conjuge secunda *Anna Vandergracht* (non *Vandergast*) gnatam unicam, è prima autem *Jacobea Lucenburgica* suscepit *Jacobum*, ter maritum; pri-

primò *Annæ Henninæ Fontanesii Dominæ*, qua natus est *Antonius Dynasta Fontanesii*, improlis; secundò *Annæ Hornanæ*, matris filiæ unicæ; tertiò *Jolæ Lannoyæ*, qua præter alios genitus est *Philippus*. Hic an. 1592. *Comes Solrei* sive *Soræ*, quæ (*Guicciardino* teste) inter præcipuos & majoris momenti pagos universæ Hannoniæ numeratur, arcemque habet operum munitione ac vetustate admirandam, creatus est. Matrimonium ter contraxit: primum cum *Anna*, *Philippi Dynastæ de Beaufort & Ransart* gnata; alterum cum *Anna* agnata, *Wilhelmi M. Rentiaci* filia & hærede, *Emanuelis Lalani C. de Montigny* vidua; tertium cum *Wilhelmina de Coucy, Domina de Biez*. E *primo* prodiit *Johannes Comes Solrei, Baro de Molembais & Beaufort*, maritus *Johannæ Lalanæ Domicellæ de Condé*, pater *Wilhelminæ*, quæ *Alberto Longuevallio Bucquoiæ Comiti* elocata fuit, & *Philippi Emanuelis C. Solrei*, Equitis A. V. cr. an. 1658. Hic thori consortem habuit *Isabellam Claram de Gand-Vilain, Philippi Lamoraldi C. d' Isenghien* filiam, & an. 1670, d. 19. Jan. *Bruxellis* vita concessit, relictis post se filiis quatuor, & gnatis duabus: ex his altera *Maria Marchioni de Morbeck, Principis de Rebecque* filio, *Montmorantij* generis in manum convenit, jamque vivere desiit. E maribus secundogenitus *Marchio de Molembais* appellatur; num verò

Deser. Belg. p. 401.

Charpent. de Beaufort P. III. p. 193.

verò idem sit, cui Regem Galliæ an. 1678, m. Aug. Abbatiam *Assey* in Burgundiæ Comitatu contulisse nuntiatum est, non liquet.

19. Primogenitus & patris successor hoc titulo gaudet:

PHILIPPUS EMANUEL *de Croy, Comes de Solre & de Buren, Baro de Molembais & Beaufort, Dynasta de Condé, Montigny, Reume, Willers, Fraxne, Vaillart* &c. *Supremus Venator Hereditarius Hannoniæ.* Is superiore bello Gallico Hispaniæ Regi *Ductor legionis Wallonicæ* meruit, cúmque an. 1677. Martio mense Valentianam Galli occupassent, captus & ad Vicenarum castellum prope Lutetiam abductus, paulò tamen post libertati redditus est. Thalamum partitur cum *Anna Maria Franciscæ, Alexandri D. de Bournonville & Ernestinæ Arembergicæ* filia, quam an. 1672 duxit.

20. *Scuto* utitur *quadripartito è* Crojensibus *&* Rentiacis *symbolis repetitis:* cujus autem cordi alia imposita est *parmula* itidem *quadrifida*, cujus 1. & 4. quadræ *rhombis aureis & coccineis exarantur denotandæ* Craoniæ *tesseræ*, 2. & 3. Flandrico *leone insignitæ sunt.*

21. E secundo *Philippi* primi *Comitis Solrei* matrimonio, quod *Annam Croviacam Rentiaci Marchionissam* tenuisse dixi; natos reperio *Annam, Domicellam de Pamele, Claudio d'On-*

d' Ongnies Comiti de Coupigny nuptam; & Carolum Philippum Alexandrum, Marchionem Rentiaci. Hic Mariam Claram agnatam, Caroli Alexandri Marchionis Havræi filiam ac hæredem, fœdere jugali sibi sociavit, atque ex ea suscepit Mariam Ferdinandinam de Croy, Marchionissam de Renty; quæ Philippo Ludovico, Comiti Egmondano, Principi de Gavre, Magnati Hispaniæ, & Proregi Sardiniæ, elocata, anno 1682. d. 17. Mart. vidua facta est: & Eugenium, Marchionem de Renty dictum. Is an. 1655. m. Jun. mundo omnibusque dominiis, quæ tanquam primogenitus domûs suæ tenebat, multam salutem (Ciceronis verbo) dixit, & Monasticen sollemni cerimonia Valentiana professus Carmelitanorum cœtui se aggregavit, assumpto nomine Patris Philippi de S. Josepho; demum an. 1665. d. 18. Dec. Madriti in Hispania è vita migravit. Ejus mater, post Caroli Philippi Alexandri, quo ille genitus fuit, obitum, ad secunda vota transierat, nupseratque fratri prioris mariti, sed consanguineo. Is, è tertia conjuge Philippi C. Solrei, Wilhelmina de Coucy, natus, nomen habuit Philippi Francisci, & torque A. V. an. 1647 ornatus, Ducatum Lucenburgicum & Comitatum Chiny nomine Regis Hispaniæ rexit; sed an. 1650, d. 19. Jun. Bruxellis vitam finivit, postquàm, post primæ uxoris Mariæ Magda-

St. Martha Etat. d' Esp. an. 1680. p. 83.

Ibid. p. 50. & 125. Bucel. Germ. T. IV. p. 488.

Magdalena de Bailleul, quæ sterilis fuit, fata, secundis nuptiis viduam fratris sui, nempe *Mariam Claram Croviacam Havræi Duciſſam*, duxiſſet, filiumque ex ea procreaſſet.

22. Is est FERDINANDUS FRANCISCUS JOSEPHUS *de Croy*, *Dux de Havré & de Croy*, *Princeps & Mareſcallus Imperii*, *Magnas Hiſpaniæ*, *Eques Ordinis Aurei Velleris* (creatús an. 1670) *Supremus* (Souverain) *de Feneſtrange*, *Comes de Fontenoy*, *Vicecomes de Langle*, *Baró de Ruminghem*, *Ductor* (Maiſtre de Camp) *legionis Walloniæ*, in exercitu Regis Hiſpaniarum, qui in Belgio alitur. Hauſit auram vitalem an. 1644, atque an. 1668. d. 29. Oct. fœdere jugali ſibi ſociavit *Mariam Joſepham de Halevin*, poſtremam ſuæ gentis, *Alexandri Dynaſtæ de Wailly & Jolandæ de Baſſompierre* filiam, quæ, poſt aliquot filias, pronuper m. Jul. an. 1683. filio maſculo maritum beavit.

Sp. Op. Har. Sp. l. 3. c. 10.

23. *Clypeo utitur è* Crojenſi *&* Rentiaca *teſſera repetita quadripartito*, *cui integrum ſcutum* Lotharingicum, *octo laterculos*, *qui*, Ungarica, Neapolitana, Hieroſolymitana, Aragonica, Andina, Geldrica, Juliacenſia, & Barrenſia *inſignia exhibent*, *unà cum parmula* Lotharingicum *ſymbolum referente*, *continens*, *imponitur*. Galea *incumbit* unica *coronata*, *in qua conſpicitur collum*

lum & caput nigrum molossi, numella & clavis aureis ornatum, atque inter alas duas argenteas positum.

24. Percensui jam universam *Crojensium* gentem, &, quicquid de ea in penu nostra fuit, fideliter depromsi; quoniam autem recentiorum notitiam hinc inde minutatim conquirere necesse habui, rogandus mihi est æquus lector, ne veniam deneget, si fors alicubi à vero aberravi: retuli enim, ne quid dissimulem, nonnulla quoad lineas *Comitum de Rœux* & *Ducum Havré*, quæ satis explorata non sunt, & in quibus ipsemet certiora aut rectiora edoceri impensè cupio. Id verò pro comperto censeri velim, hodierni *Ducis Havrei* patrem, *Philippum Franciscum*, à *Solreis* Comitibus descendisse, neque *Caroli Alexandri Marchionis Havrei* filium, prout in *tab. Rittersh.* minus rectè notatum est, sed *generum* fuisse.

CAP. XVII.

DE PRINCIPIBUS PORTIANIS.

GEntis *Portianæ* originem vetustiorem à *Sicambris* derivant, posterior à *Forojuliacensibus* manat. Primus ex ea in Annalibus *Armannus de Portia* memoratur, qui unà cum reliquis primæ nobilitatis in *Foro Julii* in-

indigenis arma adversus *Attilam*, Hunnorum tyrannum, *Aquileiam* obsidentem corripuit, atque in conflictu quodam, quo ipse Attila vulnus accepit, strenuè pugnando occubuit; quemadmodum *Franc. Sansovinus* è *Thomæ* coævi, qui *Niceta Patriarchæ* Secretarius fuit, commentariis refert. *Orig. Fam. Ital. L. 1. p. 240.*

2. Ab illa tempestate *Portianos* multas magnásque in illa provincia possessiones, inprimis autem Comitatum *Ceneda*, acquisivisse testes producuntur tabulæ investitoriæ, à Rege Luitprando *Johanni Portiæ* an. 739. traditæ. Seculo XI. clara fuit virtus *Artici Portiæ, Comitis Purliliorum*, sicut in vetusto quodam diplomate vocatur, à *liliis* scilicet *puris* sive *candidis*, quæ *insignium* loco gestare solebat, quæque postea cum *aureis* commutata fuerunt. Ejus posteri, *Cenedenſi* Comitatu à Caminensibus spoliati, *Livenzam* amnem transgressi in castris *Prato, Portia, & Brugnara*, quæ exstruxere, domicilium fixerunt, & postea ab iis cognomenta *Comitum de Prato & Brugnara* mutuarunt, mero cæteroquin & mixto imperio, omnimodaque jurisdictione gaudentes.

3. Circa an. 1214. vixere *Gabriel & Fiderisius*, fratres germani, *Artici* alterius, qui *Ecelini* famosi in Lombardia tyranni amitam in conjugio habuit, filii; hi diviso patrimonio duas lineas condiderunt. Gabriel *Pra-*

tenſe

tense castrum sortitus est, Friderico autem *Portia & Brugnara* obtigerunt. *Pratensis* linea, è qua complures sago ac toga præstantes Viri, quorum aliquos *Sansovinus*, sed sparsim, enumeravit, prodierunt, seculo decimoquinto defecit; postquam castrum *Pratense* à Venetis, adversus quos arma ceperant Comites, destructum & solo æquatum fuisset. Comitatus autem posteà ad *Danielem Floridum*, è primaria Forojuliacensi nobilitate ortum, & tùm *Spilimberti* habitantem, titulo emptionis vendirionis pervenit, in cujus posteritate adhuc hæret.

4. Altera linea, nempe *Comitum de Portia & Brugnara*, etiamnunc viget, atque hoc inprimis seculo, quo agimus, caput extulit. Nimirum posteaquam Portiani servitia sua, quibus Itali Principes Venetaque Resp. magno rerum suarum emolumento usi sæpe fuerant, Austriacæ etiam domui commodare ac mancipare cœperunt, protinus mille commoda, largissimosque fructus, ex effusa Principum illorum munificentia, in sese redundare senserunt. *Ermes* Comes de Portia, *Antonii* filius, *Caroli Archiducis* in Styria favore floruit, atque, è *Magdalena C. de Lamberg*, pater extitit *Johannis Sfortiæ*, quem nobilissimæ virtutis Virum, rerum civilium apprimè gnarum, atque in omnibus ingenuis artibus & gymnasmatibus ad excellentiam usque versatum fuisse, *Galeazius Gualdus C.*

Prioratus in *Scena Virorum Illustrium Italiæ* prodidit. Is *Ferdinando Archiduci* operam suam addixit, ejusque nomine legationem extraordinariam apud Hispanos, non absque laude, obiit; postea verò Comitatui *Gorzensi* vicaria potestate impositus est. Matrimonium ejus tenuit *Anna Maria, Baronissa de Raconich & Prem*, quæ an 1606. *Johannem Ferdinandum* in lucem edidit.

5. Hic Imperatoris *Ferdinandi* III. gratiam sibi conciliavit, cum quo educatus, & studiis exercitiisque liberalibus innutritus fuit; posteà inter Cubicularios ab ipso cooptatus & ad Venetos missus, multorum annorum legatione præclarè in sapientissima illa Republica functus est; inde in aulam revocatus, & *Leopoldo*, Cæsaris filio secundogenito, ad formandam ejus juventutem, admotus, fide, industria, prudentiaque sua tantum profecit, ut rerum potitus Leopoldus post Augusti Patris ad Superos excessum, non solùm ad supremum dignitatum in aula sua culmen, sed & ad *Principale* fastigium, ipsum cum omnibus descendentibus masculis an. 1662. eveheret; hocque deinceps nomine Principibus Imperii, qui *Ratisbonæ* ad comitia agenda convenerant, ut ad sessionem suffragiumq; in collegio eorum admitteretur, de meliore nota commendaret. Illi utroque pollice faverunt, & quamvis Portianus requisitis necessariis instructus non erat, dandum

dum tamen aliquid esse Cæsareæ commendationi & meritis viri censuerunt; latæ vero ei aliquæ fuerunt conditiones, quibus etiam subscripsit: nempè ut symbolam, Lobkowizianæ adæquatam, in ærarium Imperii conferret, admissionem, hanc pro precaria haberet, neq; ad filios, hæredesve suos, extenderet, donec immediata Imperii bona acquisiverit. Introductus itaq; est sollemni more in Senaculum Principum an. 1664. d. 26. Apr. Chorago Archiepiscopo Salisburgensi, qui illo temporis tractu Cæsaris vices in comitiis obibat. Quoniam autem, priusquam memoratâ conditionem de acquirendo fundo Imperii immediato implere poterat, mors an. 1665. eum occupavit, filius ejus ac nepos loco inter Imperii Proceres iterum exciderunt.

6. Cæterùm Comitatum *Ortenburgicum* in Carinthia *Joh. Ferdinandus* à *Widmannis*, Patritiis Venetis, pretio sibi comparasse fertur. Nuptias autem ter celebravit: primam enim conjugem ex *Auersbergensium* Comitum familia delegit; qua mortua *Mariam Catharinam*, *Adolphi C. ab Altham* gnatam, an. 1640 penatibus suis induxit; ea quoq; in puerperio cum prole mascula extincta, ad tertia vota transiit, atq; in thorum adscivit *Beatricem Kavvkam*, *Johannis L. B. de Rziczan*, postremi suæ stirpis, quæ vetustissimis *Bohemiæ* accensebatur, sororem, anno demum 1682 m. Majo defunctam. Hac natæ

sunt filiæ duæ: quarum major natu, *Franciscæ Benignæ, Helmhardo Christophoro C. de Weisenvvolf* nupsit; altera, incomperti nominis, *Johañi Norbetto Xaverio C. de Sternberg* in manū convenit. E primo autem thalamo prodiere filiæ tres, (quarum *prima* nascendi sorte *Antonio Francisco Comiti de Colalto, Supremo Judici in Moravia*, elocata fuit; secundā, *Margaritam, Franciscus Antonius C. de Trautmansdorf* duxit; *tertia* innupta decessit) & gnatus unicus *Johannes Carolus*. Hic *Capitaneus Provincialis Carinthiæ* fuit, atq; an. 1667. d. 27. Apr. præmaturo fato raptus est, relictis post se filio filiaq; ex *Anna Helena, Johannis Maximiliani C. de Lamberg & Judithæ Rebeccæ Leonoræ C. de Wirbna* gnata, quam an. 1661 sibi junxerat, susceptis.

7. Ille hoc nomine gaudet:

FRANCISCUS ANTONIUS, *S. R. I. Princeps de Portia, Comes in Ortenburg & Brugnara, Dn. in Senaseth & Premb, Supremus Magister Aulico-provincialis in Comitatu Principali Görz*; hausit auram vitalem an. 1663.

8. Soror Principis unica a. 1681 m. Aug. *Maximiliano Ferdinando C. de Trautmansdorf*, amitino suo, nupsisse fertur.

9. *Clypeo* Princeps Portia *simplici* utitur, nempe *cæruleo*, in quo *lilia aurata sex* conspiciuntur, *capite scutario aurotincto*. Tegitur *pileo Principali*.

LIBER

LIBER VI.

DE COMITIBUS ET BARONIBUS.

Speciatim

DE COLLEGIO WETTERAVICO.

INTRODUCTIO.

PRincipum secularium classem tertiam, eamque extremam, à *Comitibus & Liberis Baronibus* occupari, hosque non dignitate solùm, sed & autoritate Principibus inferiores esse, neque viritim, sed curiatim suffragia ferre, superiùs dictum fuit. In eorum autem censum non illi tantùm veniunt, qui immediatè ab Imperatore investiuntur, sed etiam haud pauci ex istis, qui, respectu ditionum suarum, aliorum Principum clientes sunt, & Cæsari personale tantùm homagium, Domino autem feudi Vasallagium præstant, quamobrem etiam maximam partem eximi solent; Recessibus Imperii nihilominus subscribunt, quemadmodum ex ultimo an. 1654 edito patet. Huic quidem, quantum licebit, inhærebo,

singulasque familias, quarum ibi mentio facta est, pro captu mediocritatis meæ, atque instituti ratione, stylo percurram.

2. Olim Comites non nisi *vota duo* obtinebant, in totidem scamna sive collegia, *Wetteravicum* scilicet & *Suevicum* divisi: verùm postea quàm in comitiis, an. 1640 Ratisbonæ habitis, *Franconici* Comites in pristinum sessionis ac suffragii jus, quod eorum majores neglexisse querebãtur, restituti sunt, *tertium votum* accessit; deinde, cùm an. 1653 iterum conventus in dicta civitate ageretur, Comites etiam *Westphaliæ* & *Saxoniæ inferioris*, æmulatione Franconicorum impulsi, & crebras contentiones ac disceptationes, quæ cum Wetteravicis, tum propter receptionem, tum ratione directorii, usu ipsis venirent, causati, peculiare votum petierunt, atque impetrarunt; ita ut in præsentia Comitum collegia (*Scamna* vernaculo idiomate vocari amant) *quatuor* numerentur; nimirum: *Wetteravicum*, *Suevicũ*, (hæc duo ratione proëdriæ *alternant*) *Franconicum*, & *Westphalicum*.

3. Principium à *Wetteravico* ducimus, cui in ultimo etiam Recessu primus locus tribuitur: hoc familias *novendecim* hodiè comprehẽdit, præter *emortuales*, quales sunt: Comites *Kœnigsteinii*, quorum ditionem Elector Moguntinus occupavit; *Pyrmontani*, quo-

quorum hæreditatem Waldeccii creverunt; Paderbornense tamen Episcopo expectativam in eam, vigore transactionis an. 1668 sancitæ, habente; *Gleichenses*, quorum possessiones partim ad Dominos feudales rediere, partim à Comitibus Hohenloicis & Hazfeldiis tenentur; *Hohnsteinenses*, quorum Comitatus distractus, partim ad Electorem Brandenburgicum, tanquam Principem Halberstadiensem, devolutus, atque ab eo Comiti Witgensteinio collatus est, partim Schwarzburgicis & Stolbergicis obvenit; *Barones de Plessen*, quorum Dynastiam Landgravii Hasso-Cassellenses possident; denique *Comites de Hag*, quorum ditionem Bavariæ Duces ex lege feudali sibi vindicarunt. Superstites familiæ in *Alphabethi* ordinem (quo in reliquis etiam utemur) digestæ hæ sunt: *Bergenses, Criechingenses, Falckensteinia, Fleckensteinia, Honovica, Hazfeldica, Isenburgica, Leiningenses, Mansfeldica, Nassovia, Ortenburgica, Rheingravia, Ruthena, Schœnburgica, Schwarzburgica, Solmenses, Stolbergenses, Waldeccia*, & *Witgensteinia*. Comprehenduntur autem sub diversis *Circulis*, maximam partem sub *Rhenano* & *Saxonico superioribus*, pauca admodum *Burgundico* & *Bavarico*.

CAP. I.

DE COMITIBUS A BERG.

A *Wassenariorum* vetustissima apud Batavos gente stemma Comitum de Berg *Pontus Heuterus*, & ex recentioribus *Christophorus Justellus* deduxerunt, in Chronologia tamen & graduum enumeratione non nihil inter sese discrepantes. *Philippum Wassenaræ Dominum* autorem familiæ uterque constituit; ejus mortem in annum 1228 incidisse *Heuterus* memorat; *Justellus* autem ætatem ejus ad sequens demum seculum refert. Filii ei assignantur: *Theodorus, Wassenaræ Regulus, Leidensium Burggraviorum* (quorum stirps dudum defecit) sator; & *Johannes, Polanæ Dynasta*, pater, è *Catharina Brederodia, Johannis* II. Hic ex *Uda Hornana*, secundum *Heuteri* διατύπωσιν, liberos aliquot suscepit, inter quos natu maximus *Johannes* III. cum *Comitissa Solmensi* genuerit, præter alios, *Ottonem, Leccanum* dictum, *Dominum in Hedel* & *Almenstein*; verùm *Justello Otto* ille *Johannis* II. *filius*, nec nepos, audit. Ab eo Cl. *Rittershusius* Genealogiam *Comitum Montium sive à Berg* orditus est, tribuens illi cognomentum *Junioris*, cujus rationem non expedio.

Rer. Burg. l. 6. p. 226. Hist. Geneal. de la mais. d' Auvergne. p. 244.

2. Ob-

2. Obvenit *Bergenſis* ditio *Ottoni Leccano* jure matrimonii, quod cum *Sophia*, *Friderici Montium Dynaſtæ* filia, atq; hærede unica, contraxit. Nomen traxiſſe illa videtur ab oppido ſatis concinno *Tſcheremberg* ſive *Scheerenberg* in Zutphania, haud ita procul à Dœtecomio diſſito. *Vetus eſt traditio*, ſcribente *Miræo* in *Notitia Eccleſiarum Belgii*, *diſtrictum Montenſem ſeu Herenbergenſem eſſe portionem hæreditariam è Comitatu Zutphanienſi deſumptam*, *ut teſtantur tabulæ publicæ*, *an. 1482. lingua Teutonica à Collegio Canonicorum S. Walburgis & à Senatu Zutphanienſi ſcriptæ*, *in favorem* Oſwaldi Domini de Monte, primi Comitis Bergenſis *à Friderico III. Imperatore an. 1473. creati.* Fuit *Oſwaldus* Ottonis Leccani nepos, è gnato *Wilhelmo*, ſicut è *tab. Rittersh.* patet; atque ex *Eliſabetha C. Mærſenſi* pater *Wilhelmi II*, (Rittershuſius *Tertium*, cauſam non capio, vocat) avus *Oſwaldi II*, quo genitus eſt *Wilhelmus III.* ſive IV. *p. 209.*

3. Hic bello civili Belgico nomen famamque ſibi peperit, atque *inter quatuor proceres fuit*, *qui Margarita Parmenſi*, *Philippi II. Regis ſorore*, *Belgium moderante*, *primas turbas cœptavere*, ut *Fam. Stradæ* verba mea faciam. Poſteà, ſociatis cum malecontentis & fœderatis viribus, Zutphanienſem Comitatum, multaque in Ultrajectino agro *Dec. II. l. 5. p. 333.*

Trans Isalam loca, nemine prohibente, magna celeritate in potestatem redegit; sed eadem levitate, ne viso quidem hoste, non ita multo post deseruit: nihilo tamen secius, postquam Johannes Nassovius Geldriæ præfectura semet abdicasset, magno partium studio ei ab Ordinibus surrogatus fuit, cum (*Everardo Reidano* judice) *non prudentia, neque, si fuisset hæc, voluntas Remp. tantis motibus jactatam dirigendi ei inesset.* Mutata etiam deinceps obturbida rerum fide, totus incubuit traducendis ad obsequium Regis, quas tenebat, terris, novo merito veteris offensæ memoriam abolituras; quemadmodum fusè & singillatim citatus Scriptor memoriæ prodidit. Brevius *ὁ νεὸς Grotius* rem hisce verbis recensuit: *Wilhelmus Herembergensis, qui accepta in matrimonium Arausionensis sorore, primæ spei periculorumque socius fuerat, levitate ingenii Geldriam, quam tùm regebat, statuit donare victoribus; sed præventa fraude, & accepta fide dimissus, tamen transfugit, nihil partibus conferens præter egregia filiorum robora, quos ad defectionem impulit, nec suis criminibus implicitos, nec honorum expertes.*

Annal. l. 2. p. 36.

L. 3. p. 56. & seqq.

Annal. l. 4. p. 113. ad a. 1583.

4. Filios *Wilhelmus* complures habuit, è quibus inprimis quatuor, *Hermanni* videlicet, *Friderici*, *Osvvaldi*, & *Heinrici* memoria annalium Belgicorum monumentis con-

consecrata est. Ex his *Osvvaldum* fata ante patrem rapuerunt: is enim, cùm in pugna inter *Danum* ac *Tassium*, Wilhelmi Nassovii & Francisci Verdugi vicarios, apud *Stauriam* an. 1585. commissa, strenui Viri officio functus esset, congressusque cum Frisio signifero interempto signum abstulisset: id verò manu elatum hostium tergis insistens juveniliter expanderet atque agitaret, velo caput involutus, à supervenientibus Tassianis errore signi pro hoste habitus, ut erat fugientibus immistus, glande transverberatus concidit; frustra accurente *Hermanno* fratre, in eadem pugna sauciato. *Fam. Str. Dec. II. l. 7. p. 409.*

5. Is, *Hermannus* scilicet, haud inglorius militiæ, ad tempus usque induciarum belli Belgici spiritum duxit, quem an. 1611. amisit, relicta, è conjuge *Maria Mancia de Witthem*, *Johannis Dn. de Beersele* & *Margaritæ Merodiæ Marchionissæ Bergarum ad Zomam* filia ac hærede præcipua, gnata unica *Maria Elisabetha*; quæ *Alberto* patrueli postea nupsit, eique maternam hæreditatem, *Bergas* nempè *ad Zomam*, attulit; sed post duplicem abortum an. 1633. sine liberis extincta, eam ad materteræ suæ *Margaritæ* filiam, quæ etiam patruelis ejus erat, transmisit. Nimirum *Heinricus C. Bergensis*, Hermanni frater natu minimus, *Margaritam Witthemiam*, fratriæ sororem, thalamo sibi junxerat,

xerat, & ex ea gnatam unicam *Margaritam* susceperat, quæ, *Mariæ Elisabethæ* consobrinæ suæ morte, *Marchionissa Bergarum ad Zomam* facta, *Johanni Georgio Pr. Hohenzolleranæ* in manum convenit.

Descr. Belg. p. 1. p. 256.

6. *Berga* sive *Bergozomium*, antiqua sic satis Dynastia sive Baronatus, (*Guicciardino* teste) est; sed *Marchionatus* posteà dignitate ab Imp. Carolo V. ornata an. 1533. Sita ad fluviolum *Zomam*, quæ haud longè supra ipsum oppidum nascitur, & media ferè infra id leuca in *Scaldim* influit, unde à nonnullis *Marchionatus Bergarum ad Scaldim* vocatur. Pervagatus autem varias est familias: namque à *Wezemalis*, qui primi ejus Domini ab *Heutero* memorantur, per connubium ad *Bouterzemios* devenit; ab his ad *Johannem de Glimes, Walhemii Dynastam, Johannis III. Brabantiæ Ducis* filium nothum; ab hujus posteris ad *Merodios Barones Perwetesii* transiit; inde ad *Witthemios;* porrò ea qua dictum est via ad *Bergenses* in Geldria; rursum inde ad *Hohenzolleranos;* tandemque ad *Turrium Arvernie Comitem*, penes quem in præsentia est.

Rer. Burg. l. 6. p. 254.

7. Verum ut eò redeam, unde digressus sum, posteaquam *Heinricus* longam & fortem operam Hispanis in Belgio præstitisset, exercitum eorum ductasset, Geldriæque præfecturam gessisset, tandem Hispanorum insolen-

solentiæ, & regiminis parum ex sua sententia administrati pertæsus, an. 1632. ab eis desciuit, causasque defectionis suæ literis, ad Belgii Hispanici Gubernatricem & Ordines datis, exposuit, quas in *Theatro Europæo* legere licet. Perfunctus est vitæ munere anno 1638. d. 22. Maji. Post *Margaritæ Witthemiæ* uxoris suæ obitum ad secunda vota anno 1630. transiit, inducendo penatibus non Mariam Claram Zolleranam, ceu *tabula Rittershus.* tradit, sed *Hieronymam Catharinam*, *Georgii Friderici C. de Spaur & Franciscæ C. Lodroniæ* filiam; quæ adhuc vitali aura fruitur, & in castro *Gohr*, quod in Comitatu Hornano ad Leodiensem Diœcesin pertinente situm est, habitat. Ex ea marem nullum, sed fœmellas quinque procreavit, hac serie: (I.) *Isabellam Catharinam*, *Johanni C. ab Hohenrechberg* nuptam, nuncque vivis exemptam; (II.) *Luciam Amaliam*, *Paridis Jacobi S. R. Imp. Dapiferi C. in Zeyll* conjugem; (III.) *Mariam Agnetem*, *Præpositam in Vredem*, sed defunctam; (IV.) *Annam Carolam*, Monialem; (V.) *Julianam*, quæ primò *Bernhardo C. de Witgenstein*; hocque mortuo *Carolo Eugenio D. de Croy* in *Mullendonck* nuptum collocata est. Fuit *Heinrico* etiam filius *nothus Hermannus*, qui *Josinam Walpurgin*, *Joh. Theodorici C. Lœvvensteinii* filiam, è cœnobio abduxit, jamque vivere desiit; ipsa autem

Tom. II. p. 506. & seq.

autem *Trajecti ad Mosam* vidua ætatem agit.

8. *Fridericus C. Bergensis* pari virtute ac fratres pro Hispanis militavit, & *Geldriam* ante Heinricum vicario nomine rexit. Explevit naturæ debitum an. 1618, relictis post se filio & filia, ex uxore sua *Francisca de Ravenel*, *Eustachii Dn. de Ranligny* gnata, susceptis. Filia nomen habuit *Eleonora Catharinæ Febroniæ*, nupsitque *Friderico Mauritio Turrio D. Bullionæo*, & d. 14. Jul. an. 1657. fatis concessit. Filius *Albertus* fuit; is an. 1653. in comitiis Ratisbonensibus libellum memorialem Imperii Ordinibus obtulit, quo narravit, Comitatum *Bergensem* jam dum quadringentis & pluribus retrò annis, territorium distinctum, à Geldria & Zutphania separatum, atque omnimoda jurisdictione præditum composuisse, Sacro R. Imperio *immediatè* subditum, *matriculæque* Imperii incorporatum fuisse; petiit itaque ut in jus pristinum restitueretur, & tanquam civis Imperii, ad *Westphalicum Circulum* pertinens, in collegium *Comitum Wetteravicorum* reciperetur, atque ad sessionem votumque admitteretur. Damnatus etiam est voti vigore Decreti Cæsarei, & finitis anno sequenti comitiis Recessui subscripsit.

Limn. I. P. T. V. p. 293. & seqq.

9. Prima *Alberto* uxor fuit *Maria Elisabetha, M. Bergarum ad Zomam*, patruelis sua, è

qua

qua prolem non suscepit; secundis nuptiis sibi copulavit *Magdalenam, Claudii Franciſci de Cuſance & Erneſtinæ de Witthem* gnatam, è qua filium filiamque moriens reliquit. Illius nomen sic se habet:

10. OSWALDUS, *Comes Bergenſis, in Walheim, Boxmeer, & Chambluete, L. Baro in Byland, VViſch, Perruner, Dynaſta in Dixmuthen, Camerarius Hæreditarius Principatus Geldriæ & Comitatus Zutphaniæ.* Is animo esse omisso, & suavia in præsentia quæ essent prima habere, neque consulere propagationi familiæ, cujus tamen omnis spes in ipso sita est, legitima matrimonii via, sed musicè ætatem agere perhibetur.

11. Soror ejus unica *Clara* vivit in conjugio *Maximiliani Pr. ab Hohenzollern in Sigmaringen.*

12. *Scuto* Comitem Bergensem *simplici* uti vidi, nempe *argenteo, limbo nigro, cui undecim nummi Byzantini aurei impreſſi, circumdato, & leonem rubeum corona, lingua & falculis aureis* referente. Tegitur clypeus *corona*, qualem feciales *Comitibus* tribuere solent.

CAP.

CAP. II.

DE COMITIBUS A CRIECHINGEN.

COmitum *Criechingenſium* ſive *de Crehenges* in Auſtraſia nomen, etiamſi inter Ordines Imperii, qui *Receſſui* Ratisbonenſi an. 1654. ſubſcripſerunt, non reperiatur, à *Sprengero* tamen in *Juriſpr. publ.* nec non à *Zeilero* in tractatu *de Circulis*, inter Imperii ac ſpeciatim *Circuli Rhenani ſuperioris* membra collocantur, ſymbolaque ſua ferendis publicis oneribus conferre memorantur; annus autem, quo in claſſem Comitum Imperii cooptati fuere, decimus & ſeptimus hujus ſeculi à Celeb. *Spenero* indicatur.

L. 2. c. 44. p. 375. pag. 675.

Op. Har. Sp. l. 3. n. 9.

2. Genealogiam familiæ, in *Spicilegio Rittershuſiano* exhibitam, à *Johanne Barone Criechingenſi* deduximus; qui filiam *Johannis Dn. de Forbach* in conjugio habuit, paterque fuit *Johannis* II, cui cum uxore *Irmgardi*, *Arnoldi Domini Puttingenſis* gnata, dominium hoc, prope Luzenburgum ſitum, aut ſaltem pars ejus, obtigiſſe veriſimile eſt. Ejus nepoti *Johanni* IV. *Margarita*, *Friderici B. de Beaucourt* filia, quam penatibus induxit, caſtrum *Beaucourt*, quod Metenſe feudum eſt, attulit. Idem verò *Puttingenſe* dominium amiſit: cum enim, Carolo Audace Burgundiæ Duce defun-

defuncto, adversus ejus filiam Mariam pro Rege Bohemiæ in Ducem Luzemburgensem recipiendo stetisset, multatus est ob hoc crimen à Maximiliano Austriaco, Mariæ marito, feudo Puttingensi; idque fisco applicatum, & donatum fuit *Comiti à Bitsch*, qui illud *Badæ Marchioni* tribus mille florenis aureis vendidit; cumque posteà *Johannes V.* & *Georgius Criechingenses* illud sibi vindicare conarentur, litemque ea propter hæredibus Marchionis Badensis intentassent, succubuerunt in Consilio Curiæ Belgicæ d. 13. Jul. an. 1532. quemadmodum *Paulus Christinæus Decis.* 88. in *Decisionibus rerum, in Supremis Belgarum curiis actarum*, refert. Hodiè tamen adhuc partem *Puttingensis* dominii in ditione Criechingensium esse, pro certo accepimus.

3. *Johannes* V. de quo jam dictum est, *Irmgardin, Johannis Baronis de Rollingen, Daun & Sibenhorn, Marescalli Lucemburgici* gnatam, jugali fœdere sibi sociavit, quæ paterna hæreditate eum locupletavit: quamobrem Criechingenses multo tempore domicilium in arce *Daunia*, nec non pagum *Immerath*, cum Dauniis communia habuerunt; donec illi, ante annos viginti & quod excurrit, sua Dauniis venderent. Ob *Marescallatum* verò *hæreditarium Ducatus Lucemburgici*, eò quod ille per fœminam transferri non debuerit, Criechingensibus *Rollingii* controver-

siam moverunt, quæ nec dum terminata est, sicut laudatissimus *Spenerus* tradit.

Append. pr. ad part. IV. Theatr. Progn. pag. 5.

4. A filiis Johannis V. *Georgio* & *Wirichio* lineæ duæ *Puttingensis* & *Criechingensis*, speciatim sic dictæ, ortæ sunt: *Prior*, è qua *Georgius II.* conditoris filius, *Evangelicam* religionem amplexus est, nunc, quoad mares, defecit: postquam nempe *Johannes Ludovicus* postremus eorum vitam, quam post commissum fratricidium inquietam duxit, præcipiti anno 1681. finivit, cum paulò antè *Metis*, jam morbo tentatus, *Pontificiis* sacris seduci se passus esset. Fratres tres habuit: *Casimirum Ottonem*, *Georgium Ottonem*, & *Ernestum Casimirum*. Priores duo cœlibes obierunt; *Ernestus* autem *Casimirus* anno 1660 thalamo sibi sociavit *Mariam Agatham*, *Georgii Friderici Rheingravii in Kyrn* gnatam, è qua prolem non suscepit, sed ἄλεκτρος, tristi fato, an. 1665. interiit: Nimirum abierat unà cum fratre *Johanne Ludovico* Mœrchingam, invisendi cognati *Rheingravii* gratia; ibi vino epulisque obrutos lubido leporem venandi invasit, cui explendæ ambo conscensis equis in campum excurrerunt; sed contracta, nescio quo casu, rixa, adeò excanduere, ut missis leporibus infesta arma ultro citroque stringerent, & sclopetis utrinque displosis sese mutuo vulnerarent; ita ut *Joh. Ludovicus* duas glandes corpore

pore exceperit, *Ernestus* autem *Casimirus* in capite ictus illicò exanimus prostratus fuerit.

5. In fœminis tamen linea *Puttingensis* superat, quarum *tres* in vivis esse dicuntur: *Anna Dorothea*, *Edzardi Ferdinandi C. Frisiæ Orientalis* vidua; quæ eorum, quos ultimo loco recensui, soror est. Reliquæ duæ hujus sunt amitæ, nempe *Anna Maria*, quæ, post prioris mariti *Johannis Georgii Rheingravii* in *Vinstingen* obitum, *Ludovico C. Solmensi in Greiffenstein* nupsit, nuncque iterum vidua est; & *Esther*, *Georgio Reinhardo C. Ortenburgico* elocata, quo itidem orbata vivit.

6. Alterius lineæ, quam *Criechingensem* speciatim appellari dictum fuit, autor *Wirichius* quatuor habuit filios, è quibus tres ductis uxoribus sobolem procrearunt, sed solius *Christophori* posteritas duravit. Is Lotharingiæ Duci à consiliis fuit, & è conjuge *Annæ Beyerin de Boppart*, *Johannis* & *Mariæ de Malberg* gnata, filios quatuor suscepit, è quibus primogenitus *Petrus Ernestus Mariam Magdalenam Coligniam* matrimonio sibi junxit, & fil-arum duarum totidemque filiorum parens factus est. Ex his alter *Carolus* ad adultiorem ætatem haud pervenisse creditur; alter *Franciscus Ernestus* Canonicus *Moguntinus* & *Argentinensis* Capituli *Decanus* extitit, atque an. 1671. m. Febr. vitam cum morte commutavit.

7. *Lotharius*, Petri Ernesti frater natu minimus (reliqui duo ἄγαμοι decesserunt) stirpem propagavit, per gnatum unicum, quam ex *Anna Magdalena Hanovica* genuit, *Franciscum Ernestum*. Is *Mariam Elisabetham*, *Hugonis C. Montfortii* filiam, connubio sibi junxit, & ex ea, præter *Mariam Franciscam*, quæ infans obiit, gnatas duas, filios quinque suscepisse fertur. Inter hos familiam in præsentia ducit

FRANCISCUS ERNESTUS, *S. R. Imp. Comes de Criechingen, Puttingen & Dorstvveiler, Marescallus hæreditarius Ducatus Lucemburgensis.*

8. Hic Electori Bavariæ operam suam addixit, & pronuper ejus nomine legatione atque officio gratulationis apud Regem Galliæ Delphinumque, ob natum nepotem Regium, quem Ducem Burgundiæ nominant, functus est. Duxit in matrimonium è gynecæo aulæ Monachiensis an. 1682. *Mariam Adelheidin Theresiam*, *Johannis Maximiliani C. de Preysing & Mariæ Veronicæ Truchsessiæ de Trauchburg* filiam, *Johannis Friderici Igratii* Canonici Salisburgensis, Passavienſis &c. & *Joh. Maximiliani* Supremi aulæ Bavaricæ Marescalli, favore Electoris florentium, sororem.

9. *Fratrum* Comitis Criechingensis nomina hæc sunt: *Fran-*

Franciſcus Carolus; hic Electori Bavariæ ſtipendia facit, & *Capitanei* munus ſub legione *Johannis Jacobi C. de Preyſing* obit.

Maximilianus, & *Philippus Wilhelmus*, gemelli.

Maximilianus Erneſtus.

10. E ſororibus illorum alteram *Antoniam* viro nupſiſſe, me quidem latet; altera *Anna Magdalena Adelheidis*, *Joſepho Alberto L. B. de Freyberg & Eiſenberg Domino in Juſtingen* in manum convenit,

11. *Scutum* Comitum de Criechingen *quadripartitum* eſt: areola 1. & 4. *argentea*, *impreſſa faſcia rubea* gentilitium δᾶγμα *refert*; 2 & 3 *rubea crucem anchoratam auream continet*, *qua* è Rollingenſi *affinitate eſſe Spenero videtur*. Galea *imponitur* unica *ſuperbiens jugo expanſo alarum*, *quarum* priorem *argenteam faſcia coccinea*, poſteriorem *rubeam aurea permeat*. Laciniæ hinc *argento & minio*, iſthinc *minio & auro* tinguntur. *Op. Har. ſp. l. 3. c. 9.*

CAP. III.

DE COMITIBUS A FALKENSTEIN.

QUi maſculam *Comitum de Falkenſtein* familiam haud ita pridem clauſit, nempè *Wilhelmus Wyrichius à Daun*, *Comes in*

Falkenſtein & Limburg, Dynaſta in Broich, Oberſtein & Raipoltskirchen, Johannis Adolphi & Mariæ Naſſoviæ filius, anno 1682. menſe Auguſto in caſtro *Broich*, (quod prope Duysburgum ſitum & Juliacenſis Ducatus feudum eſt) fato functus, is originem ſuam ad *Dauniorum* antiquiſſimam gentem retulit; quemadmodum è *Genealogia Daunio-Falkenſteinia Spicilegii Rittershuſiani* videre eſt. In ea verò me titubaſſe ὁ πλυμαθέστατος *Spenerus* (è cujus *Theatro Nobil. Europ.* ſtemma *Daunium* concinnaveram) ſubindicavit; ſic enim is fatur in literis ſuis: *In Daunia gente quod tibi erroris alicujus autor fuerim, ut veniam concedas rogo: nam Cuno Falkenſteiniorum ſator alius ab iſto Cunone, quem tabulæ veſtræ habent, fuit, & diverſos habuit progenitores; ut tamen utraque linea verè ab uno ſtipite deſcendant, ejusdemque agnationis ſint, licet locum in ſtirpe & communem patrem aſſignare adhuc nequeam; de hoc tamen argumentis indubiis convictiſſimus, quod eadem ſit familia. Id ipſum quod jam moneo eſt, quod in cap. de Daunio ſcuto monui, Cunonem aliunde (non equidem ex alia arbore, ſed ramo diverſo) aliis derivari.*

Append. pr. ad Part. IV.

2. Indubius *Falkenſteiniæ* ſtirpis conditor, *Wirichius de Daun, Dn. in Oberſtein*, extitit: huic uxor *Irmgardis, Philippi Dynaſtæ in Falkenſtein & Munzenberg*, è *Margarita C. de Spon-*

Sponheim, filia, *dimidiam Falkenſteinii dominij* (quod in confiniis Palatinatus inferioris ad montem Donnersberg dictum jacet) *partem* in dotem attulit, quam ille, accepta ab Imperatore inveſtitura, ad poſteros transmiſit: ea enim tempeſtate *Feudum* id erat *immediatum Imperij*, & demum circa an. 1458. in *ſubfeudum Lotharingicum* mutatum fuit; poſtquam Fridericus & poſteà an. 1495. Maximilianus I. Impp. Ducibus Lotharingiæ illud conceſſerunt, cum illa expreſſa conditione, ut maſculos ex familia Dauno-Falkenſteinia provenientes, tanquam legitimos ſucceſſores feudales, nomine Cæſaris & S. R. I. ſubinfeudarent. Primus itaque qui feudo Falkenſteinio *per ſubinfeudationem à Johanne D. Lotharingiæ* inveſtitus fuit, *Wirichius* II. primi trinepos, in *libello memoriali* Ratisbonæ an. 1653. exhibito, memoratur. Hunc excepit filius *Melchior*, qui cum uxore *Margarita, Wilhelmi C. de Virnenburg, Dn. in Falkenſtein*, & *Franciſcæ Rodenmacherianæ* filia, *alteram Falkenſteinii medietatem* accepit, & de integra dynaſtia à *Reinhardo D. Lothar.* an. 1487. inveſtitus eſt. Huic ſucceſſere *Philippus* & *Wirichius* III. quibus *Antonius Dux Lotharing.* an. 1528. feudum contulit: ex eis *Wirichius*, *Philippo* fratre defuncto, hunc inter filios, quos quatuor habuit, ſuccedendi modum an. 1567. conſtituit; ut deficien-

tibus in una linea maribus altera, secundum prærogativam graduum, hæreditatem cerneret, hancque dispositionem filii ejus ratam habuerunt. Ab iis verò *tres lineæ* ortæ sunt: nempè à primogenito *Philippo Broichiana*; à *Johanne Falckensteiniana*; à *Sebastiano Obersteiniana*; quartus qui *Caspari* nomen gessit, cœlebs obiit.

3. *Johannis* posteritas primum gradum non superavit, sed in filio ejus *Emicone* defecit. Is prole destitutus an. 1627. d. 9. Sept. testamentum condidit, quo *Franciscum Christophorum* agnatum ex *Obersteinia* linea hæredem ex asse nuncupavit, eique *Lotharium* fratrem ejus substituit; quod si verò ambos sine prole decedere contingeret, jussit, ut hæreditas sua *Wilhelmo Wirichio* & *Emiconi* è *Broichiana* linea traderetur. Erat *Emiconi Falckensteinio* soror *Sidonia*, *Axelio Leuenhaupt C. de Rasburg*, Sueco genere, nupta; ea hæreditati fraternæ pro se hæredibusque suis sollemni juramento præstito renuntiavit, atque ante fratrem diem obiit. Sed *Obersteinia* etiam linea intra breve temporis intervallum ad interitum decurrit, atque in *Sebastiani* nepotibus *Francisco Christophoro* & *Lothario* an. 1636 extincta est; ut adeò universæ Falckensteiniorum ditiones in *Broichano* ramo conjungerentur, & ad *Wilhelmum Wirichium* ac *Emiconem*, *Philippi* pronepotes

potes, devolverentur; cumque *Emico* an. 1642 Coloniæ in duello periisset, *Wilhelmus Wirichius* solus avitis ditionibus potitus, & de *Comitatu Falkensteinio a Carolo D. Lothar.* an. 1642. Wormatiæ sollemni cerimonia investitus, ab eodem autem anno sequenti vi armata iterum feudo illo spoliatus est.

4. Ex hac Ducis Lotharingiæ cum Comite Falkensteinii dissidio suum captaturus compendium *Comes Manderscheidius* in *Kayl*, qui *Sidoniæ Falkensteiniæ* è filio *Stenone Leuenhauptio* neptem uxorem duxerat, *Comitum de Rasburg* causam ac prætensionem in Comitatum Falkensteinium, quam à prædicta *Sidonia* arcessebant, suam fecit, & *Wilhelmum Wirichium* coram foro Lotharingico *Syrcensi* in jus vocavit, cumque ille non nisi prævia protestatione, & *salvo beneficio appellationis ad Cameram Spirensem* comparuisset, obtinuit ut per sententiam an. 1646. latam Comitatus *Leuenhauptiis* adjudicaretur. Ab hac sententia *ad quemcunque Superiorem* Comes *Falkensteinius* provocavit, suaque gravamina *Osnabruggæ* etiam illis, qui pacis negotium agebant, exposuit, atque impetravit, ut articulo *de restituendis* in *Instrumento pacis* hæc pericope insereretur: *castrum & Comitatus Falkenstein restituatur ei, cui de jure competit.* Factum tamen nihilominus est, ut *Manderscheidius* in Comitatum erumpens subditos

ad præstandum sibi homagium vi compelleret; unde in comitiis Ratisbonensibus novas querelas *Falkensteinius* movit, quibus cum parum proficeret, & aliquot post annis filium unicum, qui columen familiæ fuerat, amisisset, tandem anno circiter 1667. Falkensteinensem Comitatum cum omnibus juribus & pertinentiis *Carolo Duci Lotharingiæ* vendidit; qui, consolidato hoc modo dominio directo & utili, eum *Comiti Valdemontio* filio suo contulit. Sequenti verò tempestate, postquam non Lotharingia solùm sed & maxima Transrhenani tractûs pars à Gallis oppressa fuit, *Manderscheidius Kailensis & Leuenhauptii* jura sua in Comitatum Falkensteinium coram *Metensi Camera* enarrarunt, & immissionem exorarunt; quæ tamen anno demum 1681. d. 22. Nov. executioni mandata est, qua illis Comitatus à *Simone* Gallico ministro jussu Regiæ Cameræ Metensis traditus, subditique in eorum fidem adacti sunt.

5 Superare feruntur è Falkensteinia stirpe fœminæ quatuor, *Wilhelmi Wirichii & Elisabethæ Waldeccia* filiæ, quarum nomina hæc sunt:

1. *Anna Elisabetha*, nupta primò *Georgio Wilhelmo C. Leiningensi in Hedersheim*; secundò *Georgio Friderico Rheingravio in Kyrn*, nunc vidua: hæc an. 1680. m. Jul. *libellum*

lum memorialem proprio & sororum nomine in comitiis Ratisbon. exhiberi curavit: quo de occupatione castri ac dominii *Obersteinensis*, à C. *de Tesse* Gallico ductore armata manu facta, conquestus est.

II. *Carola Augusta.*

III. *Amalia Sibylla,*

IV. *Christina Ludovica*, *Emiconis Christiani C. Leiningio-Duxburgici* uxor.

6. *Scutum*, quo Comites de Falkenstein uti solebant, *quadripartitum* pingitur: area 1. & 4. *aurea clathris ternis rubeis distincta est*, & Dauniam *tesseram refert*; 2. & 3. *cœrulea rotam argenteam sex radiorum*, Falkensteinii Comitatus δεῖγμα, *exhibet*. Galeæ *incumbunt* duæ: prior *sustinet mitram nigram ora reducta argentea, cui impositus globus argenteus triplici pluma nigra fastigiatus*; posteriorem *premit rota* Falkensteinia. Phaleræ *dependent* hinc *argenteæ & nigræ*, isthinc *argenteæ & cœrulea.*

CAP. IV.

DE BARONIBUS A FLECKENSTEIN.

Inter illustres Alsatiæ inferioris familias *Fleckensteinia* eminet; ea ad *Heinricum de Fleckenstein*, qui ludis equestribus an. 942. *Roten-*

Rotenburgi celebratis interfuisse, & à Societate Rhenana superiore *Rex* cum tessera *cygni* electus esse à *Rixnero* apud *Limnæum* perhibetur, referri solet. Id magis in confesso est, tum jam dum sub finem seculi tertii ac decimi in duas diductam esse lineas, ortas à *Rudolpho* & *Heinrico* fratribus.

I. P. l. 6. c. 1, §

2. Prior linea Dynastia *Dachstul* aucta fuit, per conjugium, quod *Heinricus Fleckensteinius* an. 1389. cum *Elisabetha, Johannis de Raldingen Dn. de Dachstul* filia, contraxisse ab *Herzogio* memoratur. Ex hoc matrimonio *Heinricus* II. prodiit, pater *Friderici I.* quo & *Margarita ab Hendschucheheim* genitus est *Fridericus* II. Hic ab Imperatore Friderico III. an. 1467. *Baronum* axiomate ornatus fuit, & uxorem habuit *Johannam, Joachimi B. Winnebergici* filiam, è qua suscepit *Fridericum* III. ἄγαμον, & *Heinricum* III. Is è *Barbara* agnata sua, *Jacobi Fleckensteinii* & *Barbaræ Ingelheimiæ* gnata, pater factus est: *Heinrici* IV. Subpræfecti provincialis Hagenauensis improlis; *Johannis*, qui Regi Galliæ circa an. 1538. ductor legionis meruit, & cœlebs obiit; nec non *Georgii*. Hic è *Margarita Rheingravia*, *Johannis* VII. filia, præter gnatas, *Annam, Johanni Alberto B. ab Hohensaxen*, & *Ursulam, Emiconi XIII. C. Leiningensi* nuptas, filium genuit *Ludovicum*, *Annæ Sibyllæ Hanovicæ* maritum, & patrem *Philippi*

Chron. A l. 5.

lippi Wolfgangi; cui uxores duæ tribuuntur: prima *Anna Alexandrina B. de Rappoltſtein*; ſecunda *Maria Magdalena B. ab Hohenſaxen.* E priore liberos octo procreavit. Filii quatuor fuere: *Georgius*, *Heinricus*, *Philippus Jacobus*, & *Johannes Fridericus.* Ex his ſolus *Georgius* ad juſtam pervenit ætatem, natus an. 1588. d. 2. Febr. Hic maximam vitæ partem in militia conſumſit, egregiamque famam ſibi peperit; poſteà cùm *Argentina* aliquandiu privatam coluiſſet vitam, an. 1641. à *Philippo Wolfgango C. Hannoviæ* tutor prolis ſuæ per teſtamentum conſtitutus, in Hanovienſem Comitatum commigravit, tutelaque per triennium ſumma fide atque induſtria adminiſtrata an. 1644. d. 31. Jan. cœlebs vitam lineamque, quoad mares, finivit; cùm prius Dynaſtiam *Dachſtul* Philippo Chriſtophoro à Sœtern Electori Trevirenſi vendidiſſet. Sororum ejus nomina hæc fuere: *Philippa Barbara*, quæ primis nuptiis *Philippo C. Eberſteinio*, ſecundis *Ottoni Rheingravio* in manum convenit; *Anna Maria* & *Barbara*, quæ innuptæ obierunt; nec non *Anna Sibylla*, quæ an. 1661. poſtrema fœminarum ſuæ lineæ deceſſit.

3. Altera linea, ab *Heinrico Fleckenſteinio*, & ejus uxore *Agnete*, *Friderici C. Mœrſenſis* filia, proſata, nunc quoque viget. Ea *Equeſtrem* dignitatem diù ſervavit: ut tamen ob hæ-

hæreditariam unionem, quæ an. 1363 inita, & ab aliquot Imperatoribus confirmata est, regalia, bona, privilegia & dignitates reales pro conservatione familiæ utrique lineæ communia essent, & simultaneæ investituræ concederentur, quemadmodum Venerab. *Spenerus* refert. *Op. Har. l. 1, c. 23.* Deductionem hujus lineæ Genealogicam videre nunquam contigit. Sub hujus autem seculi initium *Fridericus* claruit, qui in aula *Durlacensi Consiliarij Secretioris & Judicis Aulici* munia obiit, & connubio sibi junxit *Ursulam, Georgij* ultimi *Domini de Windeck* gnatam, è quo matrimonio filii quatuor, filiæque tres provenere. Ex illis solus *Jacobus*, tertius ordine nativitatis, sobolem reliquit, cæteri improles decesserunt. Namque *Georgius Heinricus*, natu maximus, qui Supremi Excubiarum Præfecti munere in exercitu Bavarico functus fuerat, an. 1658 vitæ sortem dereliquit; *Fridericus Wolfgangus*, Campi Marescallus Gallicus, an. 1674. d. 15. Jun. naturæ debitum reddidit; *Godofredus* denique, sub legione Baronis de Mercy militans, an. 1639. prope *Dion* glande trajectus interiit. Sorores illorum fuere: *Barbara*, quæ maritum è *Waldbronniorum* familia sortita est; *Veronica, Johanni Wolfgango Ekbrechto à Thürkheim* nupta; & *Maria Elisabetha, Philippi Wilhelmi Schenckii de Schmidberg* conjux. Hæc, cum *Friderico Wolf-*

Wolfgango fratri suo superstes fuisset, in societatem hæreditatis ejus unà cum *Heinrico Jacobo*, *Jacobi* fratris filio, venire cupiebat; contra *pactum familiæ* an. 1533 communi gentilium consensu initum, quo sancitum fuit, ut singulæ è familia fœminæ, cum nubunt, dote certa accepta, omni hæreditati paternæ, maternæ, & fraternæ, quoad mares superfuerint, renuntiarent, eamque renuntiationem juramento coram Notario ac testibus corroborarent. Id etiam ipsa *Maria Elisabetha*, cum *Schenckio* desponderetur, neonympho præsente, conceptis verbis præstitit, nihilo tamen secius ob fratris hæreditatem nepoti, ceu dictum est, negotium exhibuit, litemque intendit; ceu è *Responso Facultatis Juridicæ Argentinensis* hac in causa an. 1677 dato & typis excuso patet.

4. Qui in præsentia stirpem sustentat, est HEINRICUS JACOBUS *L. B. in Fleckenstein*, *Jacobi* filius, quem conjugem è *Landsbergiorum* familia duxisse, & ex ea filias quatuor, quarum natu maximam Nobili *Gœlnizio* elocavit, & *gnatum unicum* cognominem sedecim circiter annorum suscepisse accepimus.

5. Comprehenditur sub *Circulo Rhenano superiore*, atque in *Instrumento Pacis Westphalicæ* inter eos recensetur Ordines *immediatè* Imperio subjectos, quos Rex Galliæ in ea liber-

bertate & possessione immediatis, qua gavisi essent, posthac relinquere jubetur. Quo verò statu nunc res ejus sint, postquam Alsatia in provinciæ formulam à Gallis redacta, omnisq; Ordinum libertas pessundata fuit, in proclivi est colligere. Id quidem è *libello memoriali* Ratisbonæ an. 1680 exhibito constat, castrum Fleckensteinium à Prætore Gallico *de Monclar* d. 21. Apr. anni ejusdem vi occupatum, Baronemque non ita multò post Brisacum evocatum fuisse, ut possessionis suæ titulos coram Consilio Supremo ibi erecto explicaret.

6. *Scuto* uti solet *quadripartito*, cujus area 1. & 4. *transversis fasciis argenteis & viridibus exarata* gentilitiam tesseram *exhibet*: 2. & 3. *cærulea baltheum dextrum aureum continet, addito quadrante argenteo in angulo sinistro, quod* familiæ de Windeck διάγραμμα *fuit*. Galeæ duæ *imponuntur*: prior *coronata virginis imaginem auro amictam, crinibus passis & loco brachiorum enatis cornibus duobus viridibus & argenteis, fasciis* scutariis *distinctam, repræsentat*. Posterior *itidem virginem, sed coronatam crinibus colligatis, amictu, baltheo* scutario *& quadrante argenteo distincto, & loco brachiorum additis cornibus* hinc *argenteo*, isthinc *aureo repræsentat*. Laciniæ *circumfluunt* galeam primam *argenteæ & viridis*, secundam *cæruleæ & aureæ*.

CAP-

CAP. V.

DE COMITIBUS AB HANAU.

ILlustrissimorum *Comitum Hanoviæ* prosapia, etiamsi jure meritoque inter antiquissima numeretur, cum jam dum seculo X. in ludis equestribus comparuisse memorentur, justa tamen & integra stemmatis series vix ante *Heinricum*, qui exeunte seculo XII. claruit, & à quo *Cl. Rittershusius* gentis Genealogiam orditus est, ostendi potest.

2. Floruit autem hæc familia inprimis *felicitate connubiorum*, per quæ multæ magnæque ditionum accessiones eis obvenerunt. Enimverò *Reinhardus*, *Heinrici* nepos, ducta *Adelheide à Munzenberg*, medietatem hujus dominii accepit. Ejus atnepos *Ulricus* VI. cum conjuge *Elisabetha Ziegenheinia* jus in hunc Comitatum adeptus est, quod quidem mascula prole destitutus ad generum suum *Albertum C. Hohenloicum* transmisit. A filiis verò *Reinhardi*, qui frater illius fuit, *Reinhardo* & *Philippo*, duæ lineæ ortæ sunt, quibus per duo secula familia distinguebatur: *Munzenbergica* nempe & *Liechtenbergica*.

3. Priorem *Reinhardus* condidit, abavus *Philippi*, qui an. 1561. obiit, & partem Comitatus

mitatus *Reineccensis* acquisivit, paterque ex *Helena Palatina* factus est *Philippi Ludovici*. Huic è *Magdalena Waldeccia* filii duo fuere, totidem palmitum satores, *Philippus Ludovicus* atque *Albertus*. Ille *Hanoviam* incoluit & *Catharinam Belgicam*, *Wilhelmi Pr. Arausionensis* filiam, an. 1596. penatibus suis induxit, è qua multam suscepit sobolem. Inter filias eminuit *Amalia Elisabetha*, virilis animi fœmina, *Wilhelmo Landgr. Hassiæ* nupta; ejus soror *Catharina Juliana*, post prioris mariti *Solmensis* fata, *Mauritio Christiano C. de Wied*, in manum convenit. E filiis *primogenitus* intra infantiæ annos extinctus est, *tres minores natu* in flore ætatis fata abstulerunt, solus *Philippus Mauritius* ad virilem pervenit ætatem; quam tamen ultra tertium & trigesimum annum non produxit, sed anno 1638. seculo exire jussus est, postquam ex uxore *Sibylla Christina e Anhaltina* aliquot utriusque sexus liberos sustulisset; è quibus solus *Philippus Ludovicus* patri superfuit, sed triennio tantùm, anno enim 1641. d. 12. Nov. animam amisit. *Albertus Schwarzenfelsæ* domicilium habuit, pater ex *Irmgardi Isenburgica* filiarum quatuor, & filiorum trium; ex his *duos* in prima ætate mors intercepit, *Johannes* autem *Ernestus* patri anno 1636. mortuo successit, posteaque agnati etiam *Philippi Ludovici* hæreditatem crevit, sed

sed brevissima usura; altero enim ab illius morte mense ipse quoque vivis exemptus est an. 1642. d. 12. Jan. cumque prole careret, totius stirpis successionem lineæ *Liechtenbergicæ*, vigore *pacti hæreditarii* anno 1610. sanciti, reliquit.

4. Hanc *Philippus*, *Rheinhardi* frater, ceu dictum est, prosevit, sic appellatam à *Liechtenbergensi* Dynastia in *Alsatia inferiore* sita, cujus *medietatem* cum annexo officio *Marescallatus hæreditarii in Episcopatu Argentinensi*, *Annæ*, *Ludovici Dn. de Liechtenberg* filia & ex semisse hæres, quam *Philippus* felici conjugio sibi copulaverat, ipsi attulit. Eadem verò matrimonii via *altera* etiam *Liechtenbergensis* ditionis *pars*, quam *Elisabetha*, *Annæ* soror, in mariti *Simonis Wekeri C. Bipontini* familiam transtulerat, posteà ad *Hanwicos*, ceu dicetur, pervenit. *Philippo* & *Annæ Liechtenbergia* nati sunt: *Ludovicus*, an. 1487. mortuus; & *Philippus* II, pater ex *Annæ Isenburgica Rainhardi*, Canonici Argentinensis, an. 1537. d. 12 Oct. defuncti; & *Philippi* III. Hic *Sibyllam M. Badæ* in thorum adscivit, & ex ea, præter *Johannam*, an. 1513. d. 6. Nov. natam, *Wilhelmo C. Eberstеinio* elocatam, & an. 1572. mortuam, in *tab. Rittershus.* omissam, genuit *Philippum* IV, patrem ex *Eleonora Furstenbergica Philippi* V. Is ter nuptias celebravit: primas auspicatissi-

Falkenstein & Limburg, Dynasta in Broich, Oberstein & Raipoltskirchen, Johannis Adolphi & Mariæ Nassoviæ filius, anno 1682. mense Augusto in castro *Broich*, (quod prope Duysburgum situm & Juliacensis Ducatus feudum est) fato functus, is originem suam ad *Dauniorum* antiquissimam gentem retulit; quemadmodum è *Genealogia Daunio-Falkensteinia Spicilegii Rittershusiani* videre est. In ea verò me titubasse ὁ μλυμαθέστατος *Spenerus* (è cujus *Theatro Nobil. Europ.* stemma *Daunium* concinnaveram) subindicavit; sic enim is fatur in literis suis: *In Daunia gente quod tibi erroris alicujus autor fuerim, ut veniam concedas rogo: nam Cuno Falkensteiniorum sator alius ab isto Cunone, quem tabulæ vestræ habent, fuit, & diversos habuit progenitores; ut tamen utraque linea verè ab uno stipite descendant, ejusdemque agnationis sint, licet locum in stirpe & communem patrem assignare adhuc nequeam; de hoc tamen argumentis indubiis convictissimus, quod eadem sit familia. Id ipsum quod jam moneo est, quod in cap. de Daunio scuto monui, Cunonem aliunde (non equidem ex alia arbore, sed ramo diverso) aliis derivari.*

Append. pr. ad Part. IV.

2. Indubius *Falkensteiniæ* stirpis conditor, *Wirichius de Daun, Dn. in Oberstein*, extitit: huic uxor *Irmgardis, Philippi Dynastæ in Falkenstein & Munzenberg*, è *Margarita C. de*

Spon-

Sponheim, filia, *dimidiam Falkenſteinii dominij* (quod in confiniis Palatinatus inferioris ad montem Donnersberg dictum jacet) *partem* in dotem attulit, quam ille, accepta ab Imperatore inveſtitura, ad poſteros transmiſit: ea enim tempeſtate *Feudum* id erat *immediatum Imperij*, & demum circa an. 1458. in *ſubfeudum Lotharingicum* mutatum fuit; poſtquam Fridericus & poſteà an. 1495. Maximilianus I. Impp. Ducibus Lotharingiæ illud conceſſerunt, cum illa expreſſa conditione, ut maſculos ex familia Daunio-Falkenſteinia provenientes, tanquam legitimos ſucceſſores feudales, nomine Cæſaris & S. R. I. ſubinfeudarent. Primus itaque qui feudo Falkenſteinio *per ſubinfeudationem à Johanne D. Lotharingiæ* inveſtitus fuit, *Wirichius* II. primi trinepos, in *libello memoriali* Ratisbonæ an. 1653. exhibito, memoratur. Hunc excepit filius *Melchior*, qui cum uxore *Margarita*, *Wilhelmi C. de Virnenburg*, *Dn. in Falkenſtein*, & *Franciſcæ Rodenmacheranæ* filia, *alteram Falkenſteinii medietatem* accepit, & de integra dynaſtia à *Reinhardo D. Lothar.* an. 1487. inveſtitus eſt. Huic ſucceſſere *Philippus* & *Wirichius* III. quibus *Antonius Dux Lotharing.* an. 1528. feudum contulit: ex eis *Wirichius*, *Philippo* fratre defuncto, hunc inter filios, quos quatuor habuit, ſuccedendi modum an. 1567. conſtituit: ut deficien-

tibus in una linea maribus altera, secundum prærogativam graduum, hæreditatem cerneret, hancque dispositionem filii ejus ratam habuerunt. Ab iis verò *tres lineæ* ortæ sunt: nempè à primogenito *Philippo Broichiana*; à *Johanne Falckensteiniana*; à *Sebastiano Oberstteiniana*; quartus qui *Caspari* nomen gessit, cœlebs obiit.

3. *Johannis* posteritas primum gradum non superavit, sed in filio ejus *Emicone* defecit. Is prole destitutus an. 1627. d. 9. Sept. testamentum condidit, quo *Franciscum Christophorum* agnatum ex *Oberstteinia* linea hæredem ex asse nuncupavit, eique *Lotharium* fratrem ejus substituit; quod si verò ambos sine prole decedere contingeret, jussit, ut hæreditas sua *Wilhelmo Wirichio* & *Emiconi* è *Broichiana* linea traderetur. Erat *Emiconi Falckensteinio* soror *Sidonia*, *Axelio Leuenhaupt C. de Rasburg*, Sueco genere, nupta; ea hæreditati fraternæ pro se hæredibusque suis sollemni juramento præstito renuntiavit, atque ante fratrem diem obiit. Sed *Oberstteinia* etiam linea intra breve temporis intervallum ad interitum decurrit, atque in *Sebastiani* nepotibus *Francisco Christophoro* & *Lothario* an. 1636 extincta est; ut adeò universæ Falckensteiniorum ditiones in *Broichano* ramo conjungerentur, & ad *Wilhelmum Wirichium* ac *Emiconem*, *Philippi* pronepotes

potes, devolverentur; cumque *Emico* an. 1642 Coloniæ in duello periisset, *Wilhelmus Wirichius* solus avitis ditionibus potitus, & de *Comitatu Falkensteinio a Carolo D. Lothar.* an. 1642. Wormatiæ sollemni cerimonia investitus, ab eodem autem anno sequenti vi armata iterum feudo illo spoliatus est.

4. Ex hac Ducis Lotharingiæ cum Comite Falkensteinii dissidio suum captaturus compendium *Comes Manderscheidius* in *Kayl*, qui *Sidoniæ Falkensteiniæ* è filio *Stenone Leuenhauptio* neptem uxorem duxerat, *Comitum de Rasburg* causam ac prætensionem in Comitatum Falkensteinium, quam à prædicta *Sidonia* arcessebant, suam fecit, & *Wilhelmum Wirichium* coram foro Lotharingico *Syrcensi* in jus vocavit, cumque ille non nisi prævia protestatione, & *salvo beneficio appellationis ad Cameram Spirensem* comparuisset, obtinuit ut per sententiam an. 1646. latam Comitatus *Leuenhauptiis* adjudicaretur. Ab hac sententia *ad quemcunque Superiorem* Comes *Falkensteinius* provocavit, suaque gravamina *Osnabruggæ* etiam illis, qui pacis negotium agebant, exposuit, atque impetravit, ut articulo *de restituendis* in *Instrumento pacis* hæc pericope insereretur: *castrum & Comitatus Falkenstein restituatur ei, cui de jure competit.* Factum tamen nihilominus est, ut *Manderscheidius* in Comitatum erumpens subditos

ad præstandum sibi homagium vi compelleret; unde in comitiis Ratisbonensibus novas querelas *Falkensteinius* movit, quibus cum parum proficeret, & aliquot post annis filium unicum, qui columen familiæ fuerat, amisisset, tandem anno circiter 1667. Falkensteinensem Comitatum cum omnibus juribus & pertinentiis *Carolo Duci Lotharingiæ* vendidit; qui, consolidato hoc modo dominio directo & utili, eum *Comiti Valdemontio* filio suo contulit. Sequenti verò tempestate, postquam non Lotharingia solùm sed & maxima Transrhenani tractûs pars à Gallis oppressa fuit, *Manderscheidius Kailensis* & *Leuenhauptii* jura sua in Comitatum Falkensteinium coram *Metensi Camera* enarrarunt, & immissionem exorarunt; quæ tamen anno demum 1681. d. 22. Nov. executioni mandata est, qua illis Comitatus à *Simone* Gallico ministro jussu Regiæ Cameræ Metensis traditus, subditique in eorum fidem adacti sunt.

5 Superare feruntur è Falkensteinia stirpe fœminæ quatuor, *Wilhelmi Wirichii* & *Elisabethæ Waldeccie* filiæ, quarum nomina hæc sunt:

1. *Anna Elisabetha*, nupta primò *Georgio Wilhelmo C. Leiningensi in Hedersheim*; secundò *Georgio Friderico Rheingravio in Kyrn*, nunc vidua: hæc an. 1680. m. Jul. *libellum*

lum memorialem proprio & sororum nomine in comitiis Ratisbon. exhiberi curavit: quo de occupatione castri ac dominii *Oberstеinensis*, à C. *de Tesse* Gallico ductore armata manu facta, conquestа est.

II. *Carola Augusta.*

III. *Amalia Sibylla*,

IV. *Christina Ludovica*, *Emiconis Christiani C. Leiningio-Daxburgici* uxor.

6. *Scutum*, quo Comites de Falkenstein uti solebant, *quadripartitum* pingitur: area 1. & 4. *aurea clathris ternis rubeis distincta est*, & Dauniam *tesseram refert*; 2. & 3. *cærulea rotam argenteam sex radiorum*, Falkensteinī Comitatus *δᾶγμα*, *exhibet*. Galeæ *incumbunt* duæ: prior *sustinet mitram nigram ora reducta argentea*, *cui impositus globus argenteus triplici pluma nigra fastigiatus*; posteriorem *premit rota* Falkensteinia. Phaleræ *dependent* hinc *argentea & nigra*, isthinc *argentea & cærulea.*

CAP. IV.

DE BARONIBUS A FLECKENSTEIN.

Inter illustres Alsatiæ inferioris familias *Fleckensteinia* eminet; ea ad *Heinricum de Fleckenstein*, qui ludis equestribus an. 942. *Roten-*

Rotenburgi celebratis interfuisse, & à Societate Rhenana superiore *Rex* cum tessera *cygni* electus esse à *Rixnero* apud *Limnæum* perhibetur, referri solet. Id magis in confesso est, quòd jam dum sub finem seculi tertii ac decimi in duas diductam esse lineas, ortas à *Rudolpho* & *Heinrico* fratribus.

I. P. l. 6. c. 5. §

2. Prior linea Dynastia *Dachstul* aucta fuit, per conjugium, quod *Heinricus Fleckensteinius* an. 1389. cum *Elisabetha, Johannis de Raldingen Dn. de Dachstul* filia, contraxisse ab *Herzogio* memoratur. Ex hoc matrimonio *Heinricus* II. prodiit, pater *Friderici I.* quo & *Margarita ab Hendschucheheim* genitus est *Fridericus* II. Hic ab Imperatore Friderico III. an. 1467. *Baronum* axiomate ornatus fuit, & uxorem habuit *Johannam, Joachimi B. Winnebergici* filiam, è qua suscepit *Fridericum* III. ἄγαμον, & *Heinricum* III. Is è *Barbara* agnata sua, *Jacobi Fleckensteinii* & *Barbaræ Ingelheimiæ* gnata, pater factus est: *Heinrici* IV. Subprætecti provincialis Hagenauensis improlis; *Johannis*, qui Regi Galliæ circa an. 1538. ductor legionis meruit, & cœlebs obiit; nec non *Georgii*. Hic è *Margarita Rheingravia*, *Johannis* VII. filia, præter gnatas, *Annam, Johanni Alberto B. ab Hohensaxen*, & *Ursulam, Emiconi XIII. C. Leiningensi* nuptas, filium genuit *Ludovicum*, *Annæ Sibyllæ Hanovicæ* maritum, & patrem *Philippi*

Chron. A l. 5.

lippi Wolfgangi; cui uxores duæ tribuuntur: prima *Anna Alexandrina B. de Rappoltſtein*; ſecunda *Maria Magdalena B. ab Hohenſaxen.* E priore liberos octo procreavit. Filii quatuor fuere: *Georgius*, *Heinricus*, *Philippus Jacobus*, & *Johannes Fridericus.* Ex his ſolus *Georgius* ad juſtam pervenit ætatem, natus an. 1588. d. 2. Febr. Hic maximam vitæ partem in militia conſumſit, egregiamque famam ſibi peperit; poſteà cùm *Argentina* aliquandiu privatam coluiſſet vitam, an. 1641. à *Philippo Wolfgango C. Hannoviæ* tutor prolis ſuæ per teſtamentum conſtitutus, in Hanovienſem Comitatum commigravit, tutelaque per triennium ſumma fide atque induſtria adminiſtrata an. 1644. d. 31. Jan. cælebs vitam lineamque, quoad mares, finivit; cùm prius Dynaſtiam *Dachſtul* Philippo Chriſtophoro à Sœtern Electori Trevirenſi vendidiſſet. Sororum ejus nomina hæc fuere: *Philippa Barbara*, quæ primis nuptiis *Philippo C. Eberſteinio*, ſecundis *Ottoni Rheingravio* in manum convenit; *Anna Maria* & *Barbara*, quæ innuptæ obierunt; nec non *Anna Sibylla*, quæ an. 1661. poſtrema fœminarum ſuæ lineæ deceſſit.

3. Altera linea, ab *Heinrico Fleckenſteinio*, & ejus uxore *Agnete*, *Friderici C. Mœrſenſis* filia, profata, nunc quoque viget. Ea *Equeſtrem* dignitatem diù ſervavit: ut tamen ob hæ-

hæreditariam unionem, quæ an. 1363 inita, & ab aliquot Imperatoribus confirmata est, regalia, bona, privilegia & dignitates reales pro conservatione familiæ utrique lineæ communia essent, & simultaneæ investituræ concederentur, quemadmodum Venerab. *Spenerus* refert. Deductionem hujus lineæ Genealogicam videre nunquam contigit. Sub hujus autem seculi initium *Fridericus* claruit, qui in aula *Durlacensi Consiliarij Secretioris & Judicis Aulici* munia obiit, & connubio sibi junxit *Ursulam, Georgij* ultimi *Domini de Windeck* gnatam, è quo matrimonio filii quatuor, filiæque tres provenere. Ex illis solus *Jacobus*, tertius ordine nativitatis, sobolem reliquit, cæteri improles decesserunt. Namque *Georgius Heinricus*, natu maximus, qui Supremi Excubiarum Præfecti munere in exercitu Bavarico functus fuerat, an. 1658 vitæ sortem dereliquit; *Fridericus Wolfgangus*, Campi Marescallus Gallicus, an. 1674. d. 15. Jun. naturæ debitum reddidit; *Godofredus* denique, sub legione Baronis de Mercy militans, an. 1639. prope *Dion* glande trajectus interiit. Sorores illorum fuere: *Barbara*, quæ maritum è *Waldbronniorum* familia sortita est; *Veronica, Johanni Wolfgango Ekbrechto à Thürkheim* nupta; & *Maria Elisabetha, Philippi Wilhelmi Schenckii de Schmidberg* conjux. Hæc, cum *Friderico Wolf-*

Op. Her. l. 1, c. 23.

Wolfgango fratri suo superstes fuisset, in societatem hæreditatis ejus unà cum *Heinrico Jacobo*, *Jacobi* fratris filio, venire cupiebat; contra *pactum familiæ* an. 1533 communi gentilium consensu initum, quo sancitum fuit, ut singulæ è familia fœminæ, cum nubunt, dote certa acceptâ, omni hæreditati paternæ, maternæ, & fraternæ, quoad mares superfuerint, renuntiarent, eamque renuntiationem juramento coram Notario ac testibus corroborarent. Id etiam ipsa *Maria Elisabetha*, cum *Schenckio* desponderetur, neonympho præsente, conceptis verbis præstitit, nihilo tamen secius ob fratris hæreditatem nepoti, ceu dictum est, negotium exhibuit, litemque intendit; ceu è *Responso Facultatis Juridicæ Argentinensis* hac in causa an. 1677 dato & typis excuso patet.

4. Qui in præsentia stirpem sustentat, est HEINRICUS JACOBUS *L. B. in Fleckenstein*, *Jacobi* filius, quem conjugem è *Landsbergiorum* familia duxisse, & ex ea filias quatuor, quarum natu maximam Nobili *Gœlnizio* elocavit, & *gnatum unicum* cognominem sedecim circiter annorum suscepisse accepimus.

5. Comprehenditur sub *Circulo Rhenano superiore*, atque in *Instrumento Pacis Westphalicæ* inter eos recensetur Ordines *immediatè* Imperio subjectos, quos Rex Galliæ in ea liber-

bertate & possessione imedietatis, qua gavisi essent, posthac relinquere jubetur. Quo verò statu nunc res ejus sint, postquam Alsatia in provinciæ formulam à Gallis redacta, omnisq; Ordinum libertas pessundata fuit, in proclivi est colligere. Id quidem è *libello memoriali* Ratisbonæ an. 1680 exhibito constat, castrum Fleckensteinium à Prætore Gallico *de Monclar* d. 21. Apr. anni ejusdem vi occupatum, Baronemque non ita multò post Brisacum evocatum fuisse, ut possessionis suæ titulos coram Consilio Supremo ibi erecto explicâret.

6. *Scuto* uti solet *quadripartito*, cujus area 1. & 4. *transversis fasciis argenteis & viridibus exarata* gentilitiam tesseram *exhibet*: 2. & 3. *cærulea baltheum dextrum aureum continet, addito quadrante argenteo in angulo sinistro, quod* familiæ de Windeck *σήμα fuit.* Galeæ duæ *imponuntur*: prior *coronata virginis imaginem auro amictam, crinibus passis & loco brachiorum enatis cornibus duobus viridibus & argenteis, fasciis* scutariis *distinctam, repræsentat.* Posterior *itidem virginem, sed coronatam crinibus colligatis, amictu, baltheo* scutario *& quadrante argenteo distincto, & loco brachiorum additis cornibus* hinc *argenteo,* isthinc *aureo repræsentat.* Laciniæ *circumfluunt* galeam primam *argentea & virides,* secundam *cærulea & aurea.*

CAP-

CAP. V.

DE COMITIBUS AB HANAU.

ILlustrissimorum *Comitum Hanoviæ* prosapia, etiamsi jure meritoque inter antiquissima numeretur, cum jam dum seculo X. in ludis equestribus comparuisse memorentur, justa tamen & integra stemmatis series vix ante *Heinricum*, qui exeunte seculo XII. claruit, & à quo *Cl. Rittershusius* gentis Genealogiam orditus est, ostendi potest.

2. Floruit autem hæc familia inprimis *felicitate connubiorum*, per quæ multæ magnæque ditionum accessiones eis obvenerunt. Enimverò *Reinhardus*, *Heinrici* nepos, ducta *Adelheide à Munzenberg*, medietatem hujus dominii accepit. Ejus atnepos *Ulricus* VI. cum conjuge *Elisabetha Ziegenheinia* jus in hunc Comitatum adeptus est, quod quidem mascula prole destitutus ad generum suum *Albertum C. Hohenloicum* transmisit. A filiis verò *Reinhardi*, qui frater illius fuit, *Reinhardo* & *Philippo*, duæ lineæ ortæ sunt, quibus per duo secula familia distinguebatur: *Munzenbergica* nempe & *Liechtenbergica*.

3. Priorem *Reinhardus* condidit, abavus *Philippi*, qui an. 1561. obiit, & partem Comitatus

mitatus *Reineccensis* acquisivit, paterque ex *Helena Palatina* factus est *Philippi Ludovici*. Huic è *Magdalena Waldeccia* filii duo fuere, totidem palmitum satores, *Philippus Ludovicus* atque *Albertus*. Ille *Hanoviam* incoluit & *Catharinam Belgicam*, *Wilhelmi Pr. Arausionensis* filiam, an. 1596. penatibus suis induxit, è qua multam suscepit sobolem. Inter filias eminuit *Amalia Elisabetha*, virilis animi fœmina, *Wilhelmo Landgr. Hassiæ* nupta; ejus soror *Catharina Juliana*, post prioris mariti *Solmensis* fata, *Mauritio Christiano C. de Wied*, in manum convenit. E filiis *primogenitus* intra infantiæ annos extinctus est, *tres minores natu* in flore ætatis fata abstulerunt, solus *Philippus Mauritius* ad virilem pervenit ætatem; quam tamen ultra tertium & tricesimum annum non produxit, sed anno 1638. seculo exire jussus est, postquam ex uxore *Sibylla Christina Anhaltina* aliquot utriusque sexus liberos sustulisset; è quibus solus *Philippus Ludovicus* patri superfuit, sed triennio tantùm, anno enim 1641. d. 12. Nov. animam amisit. *Albertus Schwarzenfelsæ* domicilium habuit, pater ex *Irmgardi Isenburgica* filiarum quatuor, & filiorum trium; ex his *duos* in prima ætate mors intercepit, *Johannes* autem *Ernestus* patri anno 1636. mortuo successit, posteaque agnati etiam *Philippi Ludovici* hæreditatem crevit,

sed

sed brevissima usura; altero enim ab illius morte mense ipse quoque vivis exemptus est an. 1642. d. 12. Jan. cumque prole careret, totius stirpis successionem lineæ *Liechtenbergicæ*, vigore *pacti hæreditarii* anno 1610. sanciti, reliquit.

4. Hanc *Philippus*, *Rheinhardi* frater, ceu dictum est, prosevit, sic appellatam à *Liechtenbergensi* Dynastia in *Alsatia inferiore* sita, cujus *medietatem* cum annexo officio *Marescallatus hæreditarii in Episcopatu Argentinensi*, *Annæ*, *Ludovici Dn. de Liechtenberg* filia & ex semisse hæres, quam *Philippus* felici conjugio sibi copulave at, ipsi attulit. Eadem verò matrimonii via *altera* etiam *Liechtenbergensis* ditionis *pars*, quam *Elisabetha*, *Annæ* soror, in mariti *Simonis Wekeri C. Bipontini* familiam transtulerat, posteà ad *Hanwicos*, ceu dicetur, pervenit. *Philippo* & *Annæ Liechtenbergia* nati sunt: *Ludovicus*, an. 1487. mortuus; & *Philippus* II, pater ex *Annæ Isenburgica Rainhardi*, Canonici Argentinensis, an. 1537. d. 12 Oct. defuncti; & *Philippi* III. Hic *Sibyllam M. Badæ* in thorum adscivit, & ex ea, præter *Johannam*, an. 1513. d. 6. Nov. natam, *Wilhelmo C. Eberstеinio* elocatam, & an. 1572. mortuam, in *tab. Rittershus.* omissam, genuit *Philippum* IV, patrem ex *Eleonora Furstenbergica Philippi* V. Is ter nuptias celebravit: primas auspicatissi-

mas cum *Margarita Ludovica*, *Jacobi* ultimi *Comitis Bipontini*, *Dynastæ in Liechtenberg*, *Ochsenstein & Bitsch*, qui *Simonis Wekeri* suprà memorati nepos fuit, filia: hoc enim connubio non tantùm partem *Bipontini* Comitatus, sed & alteram *Liechtenbergici* dominii medietatem, nec non *Ochsensteinensem* & *Bitschensem* Dynastias avitis ditionibus adjecit, munusque *Advocaturæ Episcopatus Argentinensis* cum Marescallatu iterum conjunxit. *Bitschense* quidem feudum sequenti tempestate Dux Lotharingiæ, licet eo Honovios prius investierit, ad se sub feloniæ prætextu revocavit. *Ochsensteinense* verò dominium haud ita pridem Episcopatui Argentinensi, certis tamen reservatis juribus, oppignoratum est.

5. Prodiit ex illo *Philippi* V. conjugio *Johannes Reinhardus*, inter quem & *Philippum Ludovicum*, agnatum è *Munzenbergica* linea, *pactum gentilitium de mutua successione* an. 1610 constitutum, aut potiùs renovatum est. Ille ex *Elisabetha Hohenloica Philippum Wolfgangum* suscepit, patrem è prima conjuge *Johanna Oetingensi* aliquot liberorum, præcipuè filiorum trium: *Friderici Casimiri*, *Johannis Philippi*, & *Johannis Reinhardi*; ad quos successio lineæ *Munzenbergicæ* delata est. Hi verò statuta hæreditaria majorum, illud inprimis, quod *Ulricus* V. an. 1375 sancivit,

civit, quoque *jus primogenituræ* instituit, restaurarunt; præterea novum pactum *de non alienando* an. 1652 inierunt, idque an. 1659 iterata conventione corroborarunt, & *in vim transactionis illustris & juratæ* fidem sibi mutuò dederunt, id sedulò se operam daturos, ut Comitatus sartus tectus conservetur; nec passuros, ut quidquam sive donationis, sive pignoris, sive venditionis titulo, aut alia quacunque via ab eo divellatur, & in alienas manus transeat. Neque tamen hac transactione via præcludi potuit dissidio, quod posteà in familia, ob contubernium à Comite *Friderico Casimiro*, qui tanquam major natu regimen tenebat, cum *Georgio Christophoro Landgravio Hassiæ*, Hanoviæ institutum, nec non ob oppignoratum ei pro sedecim mille thaleris vicum *Rodheimb* cum aliis locis, exarsit: inde enim ansam arripuit *Johannes Philippus*, qui *Bobenhausæ* in Wetteravia propè Aschaffenburgum domicilium habebat, ut tam proprio quam nepotum ex fratre *Joh. Reinhardo*, quorum tutelam gerebat, nomine *Comitatum superiorem* & ditiones *Liechtenbergicas* cum castro hujus nominis occuparet; ipso autem non ita multò post anno nempe 1669 mortuo, nulla è conjuge *Susanna Margarita Anhaltina* suscepta prole, *Johannis Reinhardi*, qui an. 1666. d. 25. Apr. rebus humanis exemptus fuit, vidua *Anna*

Magdalena Palatina, ope fratris & contutoris sui *Christiani C. Palatini Birckenfeldensis*, prædictas ditiones denuò sibi asseruit, & ministros subditosque in fidem suam jurejurando adegit, protestata tamen, se illas leviro restituturum, quamprimùm ille damna resarserit, & cautionem realem de non alienando & melius administrando præstiterit; quemadmodum è *scripto Germanico*, quo facti sui causas publicæ luci subjecit, uberius videre est. Ob illam ipsam verò *Liechtenbergicam* Dynastiam, in qua oppidum *Busvveiler*, ubi regia est, eminet, coacti fuerunt ante aliquot annos tutores Hanovienses se Regi Galliæ submittere, castrumque Liechtenbergicum natura & arte munitissimum ejus potestati concedere.

6. Regens itaque Comes, & *Hanoviæ*, quæ eximia urbs est Francofurto ad Mœnum vicina, imperans in præsentia audit

FRIDERICUS CASIMIRUS, *Comes Hanoviæ, Reineccia & Biponti, Dominus Munzenbergæ, Liechtenbergæ & Ochsenstieinij, Marescallus hæreditarius & supremus Præfectus s. Advocatus Argentinensis.* Hausit is auram vitalem an. 1623. d. 4. Aug. junxitque sibi connubio an. 1647 *Sibyllam Christinam, Johannis Georgii Pr. Anhaltini* filiam, *Philippi Mauritii C. Hanovio-Munzen-*

zenbergici viduam, è qua sobolem non vidit.

7. Sustentat verò spem familiæ *Johannis Reinhardi* & *Annæ Magdalenæ Palatinæ* proles, quæ maribus duobus, fœminis tribus constat; inter illos potior nascendi sorte est PHILIPPUS REINHARDUS, *Comes Hanoviæ, Reineccii & Biponti* &c. natus an. 1664. d. 2. Aug.

Iohannes Reinhardus, illius frater, an. 1665. Cal. Aug. in lucem prodiit, ambo autem pronuper è peregrinatione Gallica ad penates reversi sunt.

8. *Sorores* eorum hæc gerunt nomina:

I. *Iohanna Magdalena*, n. 18. Dec. 1660.
II. *Ludovica Sophia*, n. 11. Apr. 1662.
III. *Franciſca Albertina*, n. 1. Maji 1663.

9. *Agatha Christina*, illarum amita, vivit in conjugio *Leopoldi Ludovici C. Palatini in Veldenz*. *Sophia* autem *Eleonora*, ejus soror, an. 1662. d. 20. Apr. innupta mortem obiit.

10. *Scutum*, quo *Hanoviæ Comites* nunc utuntur *semel transversim*, *bis ad perpendiculum secatur*, *atque adeò* sex laterculos *comprehendit*. Primus *senis cantheriis aureis & rubeis exaratur*, & Hanovienſem Comitatum *designat*; secundus *aureus tribus fasciis rubeis distinguitur*, *notando* Reineccensi Comitatui; Spon. Op. Har. l. 2. c. 41.

tertius *aureus leonem coccineum lingua & falculis cæruleis*, Bipontinum δεῖγμα, *continet*; quartus *rubeus fascias duas argenteas*: Ochsensteinense symbolum, *complectitur*; quintus *argenteus limbo rubeo cinctus leonem nigrum refert*, *designando* Liechtenbergico *emblemati*; sextus *denique ex minio & auro transversim sectus* Munzenbergiam Dynastiam *innuit*. Toti *incumbit* parmula Bitschensis, *quæ rubea est*, *cum margine aurato*. Galeæ *huic scuto* quatuor *imponuntur*, duæ *verò ad utrumque latus collocantur*. *Ex illis prima* Hanovica *cygno candido exoriente*, *alis expansis*, *ornatur*; *secunda* Bipontina *leonem rubeum sustinet*, *considentem inter duos fasciculos pennarum pavoninarum*; *tertia* Munzenbergica *tegitur pileo coccineo*, *ora hermionica reducta*, *& ornato pluma pavonina*, *quam stipant duo vexilla coloribus scutariis distincta*; *quartæ* Reinecciæ *coronatæ insistit cygnus candidus*. *Quæ* dextro lateri *adjungitur* galea, Liechtenbergica *est*, *caput olorinum cum collo exhibens*; *quæ* sinistro Ochsensteinia *hermam virilem refert*, *cujus vestis & pileus turbinatus trabibus scutariis exornantur*.

11. Comprehenduntur de cætero Comites Hanoviæ sub *Circulo Rhenano superiore*, & *Evangelicam* religionem omnes profitentur; licet in urbe Hanovensi Reformatorum etiam cultus vigeat, quippe quem *Philippus Ludo-*

Ludovicus C. Hanovio-Munzenbergicus, cum ducta uxore Arausionensi ei accessisset, introduxit.

CAP. VI.

DE COMITIBUS AB HAZFELD.

INter equestres *Hassiæ* familias à pluribus seculis conspicua est *Hazfeldia*, ab arce oppidoque *Hazfeld* sive *Hozfeld*, prope Battenbergam ad flumen *Eder*, quod *Adranam Tacitus* vocat, sito, sic appellata. Ejus genealogiam *B. Rittershusius* inde ab *Eberhardo*, qui ludis Trojanis an. 1296. *Svvinfurti* celebratis interfuisse fertur, justa serie deduxit. *Annal. l. 1. c. 30. §. 4.*

2. Hoc seculo ad altiorem gradum emersit, virtute ac meritis trigæ fratrum Excellentissimorum: *Francisci*, *Melchioris*, & *Hermanni*; quos *Sebastianus Hazfeldius* è *Lucia Sickingensi* suscepit. Primus ex illis *Franciscus*, Clericatum amplexus, summis honoribus cumulatus, & ad *Principale* usque fastigium provectus fuit; namque an. 1631. *Episcopus Herbipolitanus* & *Dux Franciæ Orientalis*, biennio verò post *Bambergensis* etiam *Diœceseos Antistes* creari meruit, & utrumque Episcopatum usque ad an. 1642. quo vitam cum morte commutavit, egregia fama rexit. *Melchior* & *Hermannus* militare vitæ genus dele-

gerunt, clarumque nomen consecuti sunt; *Melchiorem* inprimis virtus & multarum rerum usus *Imperatoribus Ferdinando* II. & III. charum reddiderunt, à quibus inter bellicæ rei arbitros cooptatus, ab illo autem *Comitis* quoque axiomate auctus est, cujus quidem Cæsar fratrem etiam ejus *Hermannum* ejusque posteros participes esse voluit.

3. Eodem tractu temporum stirps vetustissima *Comitum de Gleichen* exaruit, cujus quædam possessiones ad *Moguntinam* Ecclesiam ex lege feudali devolvebantur; has *Anselmus Casimirus*, qui tum rerum ibi potiebatur, *Melchiori* & *Hermanno Comitibus Hazfeldiis* eorumque descendentibus masculis an. 1639. d. 30. Jul. ritu beneficiario contulit, nominatim castrum *Gleichen*, vicum *Wandersleben*, lacum amplum castro contiguum, aliaque quæ in *tabula investitoria*, quam *Gastelius* recensuit, enumerantur. Atque horum feudorum respectu cùm Hazfeldii non titulum tantùm *Comitum de Gleichen* usurparent, sed & *superioritatem* & *immedietatem*, *jusque voti ac sessionis inter Comites Imperii* sibi sumerent, adversati eis sunt, & omni, quod ajunt, pede contra steterunt *Duces Saxoniæ* è *Vinariensi* linea: hi enim, quod Comitatus Gleichensis, illaque ipsa feuda Moguntina Hazfeldiis concessa in *Thuringia* sita essent, jus superioritatis sibi, qui directum dominium

De Stat. nov. Eur. c. 31, p. 890.

in

in maximam Gleichensis Comitatus partem haberent, competere contendebant, & dictitabant, ipsos *Comites Gleichenses* non alio quam *Landsassiorum* loco habitos, eaque propter à Ducibus Saxoniæ semper & ubique exemptos fuisse. His etiam rationibus effecerunt, ut in comitiis an. 1641 *Ratisbonæ* habitis *Comites Wetteravici* Hazfeldios in ipsorum classem recipere initio tergiversarentur; licet postea eos admittendos decreverint, sed cum clausula, salvo scilicet jure, & citra præjudicium tertii cujuscunque, unde etiam *Recessibus Imperii* hactenus subscripserunt.

4. Præter illa verò Gleichensia feuda, multas etiam in *Wetteravia* & *Franconia* ditiones Hazfeldii possident, atque illic quidem castrum *Wildenberg* & *Cruttorf*, prope Siegenum, cum adjectis agris; hic autem dominium *Rosenbergense*, in quo oppidum *Stetten*, cum arce contigua *Halderberg*, præterea *Waldenhofen* eximium castrum cum vico adjacente eminent; quæ omnia, post extinctam an. 1632 *Rosenbergicam* familiam, ad *Ecclesiam Herbipolitanam* jure feudali delapsa, ab hac *Hazfeldiis* collata fuerunt. Porrò in Silesia Dynastiæ *Trachenbergensis*, quæ *Schafgotschio* criminis læsæ Majestatis postulato confiscata fuit, partem haud mediocrem, beneficio Cæsaris indeptam, tenent.

5. Cæ-

5. Cæterum *Melchior C. Hazfeldius*, cum an. 1657. copias Austriacas auxiliares in Poloniam adversus Suecos ductasset, Cracoviam his iterum extorsisset, aliaque fortiter ac prosperè egisset, anno sequenti morbo correptus est, quo in castro suo *Trachenberg* in Silesia d. 9. Jan. vitam, quam an. 1593. d. 10. Oct. acceperat, & in cœlibatu peregerat, amisit. *Hermannus* frater ejus, qui an. 1603. d. 12. Jul. lucem primùm vidit, ætatem usque ad septimum & septuagesimum seculi produxit; quo, mense Octobri vivis exemptus est. Habuit is conjugio *Mariam Catharinam*, *Wolfgangi Dieterici Camerarii de Worms B. de Dalburg* & *Magdalenæ Cronbergiæ* gnatam, cum qua liberos novem genuit. Filii quatuor fuere, è quibus *Melchior* in militia Belgica obiit, reliqui tres superant hoc ordine:

6. FRANCISCUS, S. R. J. *Comes de Hazfeld & Gleichen, Dominus Dynastiarum Trachenberg, Blanckenheim, Cranichfeld, Wildenberg, Cruttorf, Schœnsten, Haldeberg, Stetten & Rosenberg*, Canonicus Capitularis Ecclesiarum Cathedralium *Moguntinæ, Trevirensis*, & *Herbipolitanæ*.

7. HEINRICUS, *Comes de Hazfeld & Gleichen* &c. Is propagationi familiæ operam dat, ducta conjuge *Catharina Elisabetha*, *Philip-*

Philippi Ervvini B. de Schœnborn è *Maria Ursula Greiffenclauin de Vollraths* filia; è qua aliquot liberorum parens factus est, quorum hanc syllogen accepimus:

I. *Maria Anna.*
II. *Lucia.*
III. *Theresia.*
IV. *Sophia.*
V. *Franciscus.*
VI. . . . . .
VII. *Melchior.*

8. SEBASTIANUS *C. de Hazfeld & Gleichen* &c. ἄγαμος adhuc vivit.

9. Filiarum *Hermanni* nomina hæc sunt:

Lucia, *Christiani C. Hohenloici* in *Schillingsfurst* vidua.

Maria, nupta *Ludovico Gustavo C. Hohenloico*, Christiani fratri, jam defuncta.

Catharina.

Elisabetha.

Anna, elocata *Philippo Adamo Klüppel ab Elckershausen.*

10. *Scutum* Comitum Hazfeldiorum *bis transversim & semel ad perpendiculum secatur*, sexque omnino laterculis *constat*: 1. *argenteus* continet *aquilam nigram expansis alis*, quam diversimodè exprimi vidi, vel *Silesiacam* referentem, *pectori ejus lumula argentea* inseri-

inscripta, vel *bicipitem & coronatam* aquilæque *Imperiali* similem, ut adeò vel *Cæsareæ gratiæ* symbolum esse, vel *Trachenbergensem Dynastiam in Silesia* innuere videatur; 2. *cœruleus leonem argenteum lingua cruenta, corona aurea*, Gleichense δείγμα, *exhibet*; 3. *aureus duas figuras nigras dorso sibi cohærentes & transversim locatas* continet; eique subjectus 5. latercul.s *argenteus tres flores rubeos refert, conjunctim autem* Hazfeldiorum tesseram familiarem *designant*; 4. *argenteus rosam rubeam* exhibet, eique subst.ata extrema area *transversim secta parte superiore argentea palos duos rubeos, inferiore rubea palos duos argenteos continet, & conjunctim* Rosenbergiorum insignia *repræsentant*. Galeis *tegitur* tribus *coronatis*: primam *premit aquila vel* Imperialis *vel* Silesiaca; mediæ *insistit leo* Gleichensis, *corona, qua pluma triplici, extremis cœruleis, media argentea, ornata est, redimitus*; tertia Hazfeldio-Rosenbergica *sustinet hermam virilem, amictu nigro, cui rosa rubea impressa, collari candido, mitra nigra ora reducta argentea, cujus utrumque latus stipat caput olorinum cum collo*, hinc *rubeum*, isthinc *argenteum*.

CAP.

CAP. VII.
DE COMITIBUS AB ISENBURG.

I*Senburgica* gentis, à castro familiari non procul *Rheno* ita dictæ, incunabula, vetustatis atque oblivionis tenebris operta, nemo hactenus, quantum quidem constat, eruere sustinuit; neque quisquam adhuc extitit, qui *Heinrici Comitis Isenburgi*, an. 1290 mortui, majores justa serie recensuerit: quamquam enim jamdum seculo duodecimo *Hessonis Comitis & Domini de Isenburg* certa memoria occurrat, nec desint, qui ejus progeniem usque ad prædictum *Heinricum* enumeraverunt; commissa tamen fuit ab istis μετάβασις εἰς ἄλλο γένος, dum nostros Isenburgios cum illis confuderunt, qui *Isenburgum ad Ruram* incoluerunt.

2. *Heinrico*, à quo *Rittershusiana* etiam *tabulæ* initium ducunt, filii tres tribuuntur, nempe: *Gerlacus*, *Ludovicus*, & *Eberhardus*. Ex his *Ludovicus* rami *Budingensis* fator indubius habetur; alterum ramum *Nieder Isenburgicum* dictum *Rittershusius* à *Gerlaco*, *Spenerus* autem documentis familiæ subnixus ab *Eberhardo* derivant; hic in graduum etiam enumeratione ab illo discordat. Ab utriusque verò deductione iterum abit illa, quam

Op. Har. l. 3. c. 55.

Ill. Co-

III. *Comiti Friderico de Wied* acceptam refero isto ordine, ut *Gerlaco* genitus sit *Salentinus*, qui *Eberhardi* patrui filiam uxorem habuerit; pater ex ea *Dieterici* & *Lotharii*, à quibus ditio avita in partes duas divisa fuerit, mediante via regia, quæ à *Rachdorf* & *Breitenau* Rhenum versus ducit; ita ut *Dieterico* illa pars, quæ *Monzaborium* versus sita est, cesserit, *Lothario* altera. *Dietericus Gerlacum* genuit, filiarum duarum patrem, *Adelhaidis* scilicet & *Elisabethæ*; quarum hæc *Wilhelmo C. de Wied* elocata, partem *Isenburgicæ* ditionis ipsi attulit; illa verò *Salentino* agnato suo, *Lotharii* filio an. 1366. nupsit, quem *Cuno Archiepiscopus Trevirensis* feudis masculinis, à socero relictis, investivit.

3. *Salentino* & *Adelheide* natus est *Salentinus* II, maritus *Margaritæ C. Solmensis*, & pater *Salentini* III, cui uxor tribuitur *Maria Isenburgia*, dominii *Grensau* hæres, filius *Gerlacus*, qui è *Judita Eppsteinia* filium cognominem suscepit, genitorem ex *Hildegardi de Syrck* filiorum trium: *Gerlaci*, *Salentini*, & *Antonij*. Ex his *postremus*, Gubernator Ducatus Luzenburgici, an. 1531. *improlis* obiit, & fratris sui *Salentini Dn. in Neumagen & Johannesberg* ex *Elisabetha Hunoldsteinia* filias hæredes scripsit: nimirum *Annam Francisco C. de Manderscheid* nuptam, cui dominia *Bernisch*, *Zolvern* & *Differdingen* attulit; &

Johan-

Johannettam, *Wilhelmo de Sain C. de Witgenſtein* elocatam; quem dynaſtia *Neumagen* auxit. *Gerlacus* ex *Anaſtaſia C. de Mœrs* procreavit *Heinricum*; *Johannem* Electorem Trevirenſem, an. 1556. mortuum; *Gerlacum*, & *Bertramum*, Canonicos; cum *Wilhelmo* Equite Teutonico. *Heinricus*, parentis ſucceſſor, è *Margarita Wertheimia*, *Johannem*, *Salentinum*, & *Antonium* genuit. E quibus *Johanne*, *Ericæ Manderſcheidiæ* marito, an. 1565. & *Antonio*, cui *Penelope Brederodia* conſors fuit, an. 1577. *ſine prole* mortuis, *Salentinus*, qui *Archiepiſcopus Colonienſis & Epiſcopus Paderbornenſis fuerat*, abdicata tiara, regimen aviti Comitatus ſuſcepit; & ducta in matrimonium *Antonia Wilhelma Arembergica* genuit *Erneſtum* & *Salentinum*. Quorum *hic* Cæſari militans in Bohemia an. 1618 occubuit. *Erneſtus*, an. 1584 natus, *Comes Iſenburgii*, *Grenſavie* &c. *Aurei Velleris Eques*, pro Philippo IV. Rege Catholico rei tormentariæ Præfectus, Provinciarum Namurci & Arteſiæ Gubernator Generalis, Exercitus Regii in Germania inferiore Archiſtrategus, Supremus denique ærarii Regii Præpoſitus, nullis è duabus uxoribus *Carolina Arembergica* & *Anna Maria Hohenzolleriana* relictis liberis, an. 1664. d. 30. Maji vitam lineamque finivit; poſtquam hæredem *in allodialibus* nuncupaſſet *Philippum Arembergium*, Co-

mitem de Beaumont. In dominium autem *Grenſavienſe*, aliaque feuda Trevirenſia, ſucceſſio ad *Comites de Wied* vigore inveſtituræ ſimultaneæ ſpectabat, qua tamen ab Electore Trevirenſi, qui ea tanquam caduca ad Eccleſiam revocavit, excluſi hactenus fuerunt.

4. Quod ad alteram lineam *Ober-Iſenburgicam* ſive *Budingenſem* attinet, condidit eam *Ludovicus*, prout dictum eſt, cui ab uxore *Hedvvige Budingenſi* pars hujus dominii obtigit, cujus etiam reliquæ portiones proceſſu temporum, vario jure, & non uno contractu, ad ejus poſteros pervenerunt. Filios habuit, præter alios, *Heinricum*, cui *Liſa de Hohenfels* uxor, & *Lotharium*, antea Eccleſiaſticum, ſed dein *Iſengardis Munzenbergiæ* maritum. Eo nati *Heinricus* & *Philippus*, è quibus hic *Grenſavios* proſevit, quorum hæreditas ad *Iſenburgi inferioris Comites* devenit. *Heinrico* ex *Adelhaide Hanovica* filius fuit *Johannes*, avus *Dietheri*, qui ad an. 1461. ſuperfuit, & cum uxore *Eliſabetha C. Solmenſi*, vigore Falkenſteiniæ diviſionis, quædam in *Triquernatibus* (Drenetch) & *Wetteravia* accepit; verùm ob Saynenſium communionem filius ejus *Ludovicus* neceſſe habuit pretio eadem comparare. Hic alia etiam Comitatui avito augendo coemit, fratremque habuit *Dietherum Archiepiſcopum Moguntinum*, cui grave cum æmulo Adolpho Naſſovio bellum exu-

Spon. l. c. §. 5.

dan-

dandum fuit; nec nisi eo mortuo quieta dignitatis possessio obtigit. *Ludovicus*, anno 1511. defunctus, tres post se reliquit filios: *Dietherum*, *Philippum* & *Johannem*, qui unionem hæreditariam an. 1517. sanxerunt. Ex eis *Dietherus* cœlebs decessit, à reliquis lineæ duæ ortæ sunt: *Kelsterbacensis* & *Birsteinensis*. In illa *Philippus Antonium* genuit, qui, post *Elisabetha Wiedensis* uxoris suæ mortem, *Catharinam Gumpelin de Gelenhaar*, agricolæ Isenburgici filiam, an. 1551. in thorum adscivit, atque ex ea sustulit *Johannem Ottonem*; qui parente mortuo ab ejus hæreditate exclusus, & pro illegitimo habitus, Archiepiscopalem sedem Moguntinam tanquam Judicem Ecclesiasticum ex constitutione Canonica adiit, petiitque, ut legitimus pronunciaretur, adversario, & quorumcunque interest, ad videndum citatis. Emanarunt etiam è Moguntia aliquot adversus C. Isenburgicos citationes, quas tamen illi parvi pendere visi sunt.

5. E legitimo *Antonii* conjugio prodiere *Georgius*, *Wolfgangus* & *Heinricus*, qui successivè ditionibus præfuerunt, sed liberis caruere. Ex illis postremus *Heinricus Triquernatem* ditionem, haud procul Francofurto dissitam, & complectentem pagos *Langen*, *Mœrfeld*, *Egelsbach*, *Nauheim*, *Gimsheim* & *Kelsterbach*, Hassiæ Landgraviis

pro ſumma 356177 florenorum vendidit; quod tanquàm pactis familiæ adverſum agnati impugnavere, & litem in Camera Spirenſi intentarunt: ubi lata quidem an. 1610. fuit ſententia pro Iſenburgicis, & reſtitutio locorum venditorum cum fructibus perceptis Haſſiacis injuncta; ſed hi, remedio *reviſionis* uſi, in poſſeſſione eorundem permanſerunt. Poſteà cum ingruente calamitate bellica Iſenburgii criminis læſæ Majeſtatis & fractæ pacis poſtulati ac damnati fuiſſent, Ferdinandus II. Imperator integrum Comitatum Iſenburgicum, cum omnibus regalibus ac juribus, *Georgio Landgravio Darmſtadienſi* an. 1635. donavit, & per inveſtituram contulit; unde Comites, qui illa tempeſtate maximam partem minorennes erant, omnibus fortunis exuti eò anguſtiarum redigebantur, ut quocunque modo cum Landgravio tranſigere neceſſe haberent. Itaque an. 1642. in comitiis Ratisbonenſibus hæc transactio inita, atque à Cæſare confirmata eſt, ut omnis Comitatus Iſenburgiis reſtitueretur, pagis tribuscum dimidio exceptis; ſed reſervata Darmſtadienſibus Landgraviis expectativa, ſive ſucceſſione, in caſum deficientium maſculorum, nec non jure tituli. Hanc transactionem, utpote duro neceſſitatis telo extortam, reſcindi Comites Iſenburgici maximo hactenus opere, incaſſum tamen, petierunt.

6. In

6. In *Birſteinia* linea *Johannes*, ejus autor, complures habuit filios, è quibus ſolus *Philippus* ſtemma propagavit per gnatum *Wolfgangum Erneſtum*, qui *communis* è familia viventium *parens* extitit. Hic è prima & tertia conjuge *Anna Gleichia* & *Juliana Witgenſteinia* filios, qui ad maturitatem pervenere, ſex genuit: *Wolfgangum Heinricum*, *Philippum Erneſtum*, *Philippum Ludovicum*, *Wilhelmum Ottonem*, *Ludovicum Arnoldum*, & *Johannem Erneſtum*. Ex his *Philippus Ludovicus* patris fata prævertit, filio unico cognomine poſt ſe relicto. Parens verò quinto ante obitum anno, qui ſeculi octavus & viceſimus fuit, diviſionem ditionum inter filios nepotemq; inivit, inæquales conſtituens partes, ita ut ſemper ætate potiori meliorem portionem aſſignaret; nihilo tamen minus hanc parentis diſpoſitionem filii nepotesque reveriti ſunt, ac ratam habuere. Verùm *Philippus Erneſtus* & *Wilhelmus Otto* improles deceſſerunt, ille an. 1635. hic a. 1667. d. 19. Apr. *Ludovicus Arnoldus* cum nepote, ex fratre *Philippo Ludovico*, etiam ἄγαμος obierunt, hic an. 1636. ille an. 1662. A reliquis duobus *Wolfgango Heinrico* & *Johanne Erneſto* lineæ duæ, quibus hodiè familia diſtinguitur, nempè *Offenbacenſis* & *Budingenſis*, provenerunt.

7. Illius autor *Wolfgangus Heinricus*, an.

1635. mortuus, ex uxore *Maria Magdalena Nassovia*, quæ an. 1654. fatis concessit, complures suscepit liberos; filias quinque, è quibus duas in ipso ortu vita destituit: *Ernestina, Hermanno Adolpho C. Lippiæ* nupta, an. 1665. decessit; reliquæ duæ *Philippina, Christiani C. de Sain & Witgenstein* vidua, & *Maria Eleonora*, innupta, superare dicuntur. Filii sex fuere: nempè *Wolfgangus Ernestus*, *Joh. Ludovicus*, *Christianus Mauritius*, *Wolfgangus Heinricus*, *Fridericus Adolphus* & *Carolus Ludovicus*. Ex his *penultimum* primo vitæ anno mors intercepit. *Natu maximus* an. 1642. cœlebs fati legem implevit. Inter reliquos anno demum 1652 grave dissidium exarsit, cum *natu minores* à *Johanne Ludovico* postularent, ut ditionem paternam (quæ castrum atque oppidum *Offenbacense*, præfecturam *Ronneburg* & *Triquernatum* partem continebat) æqua secum lance divideret, *mandatumque pœnale* & aliquot *Decreta Imperatoria* ea propter extraherent; quod ille iniquo oppido animo tulit, adeò ut fratribus milites, ab Electore Palatino mutuatos, custodes adderet: unde etiam adversus Palatinum Decretum ab aula Cæsarea emanavit, quo ille milites suos revocare & libertati Comitum velificari jussus fuit. Sustulit tandem dissidii hujus fraterni causas mors omnia dirimens, postquam eos, qui ad divisionem pro-

provocaverant, rebus humanis exemit; namque *Carolus Ludovicus*, natu minimus, anno 1662. ἄγαμος obiit; *Christianus Mauritius* an. 1664. d. 25. Febr. vitam finivit, nulla ex conjuge *Magdalena Nassovia* prole suscepta; *Wolfgangus* denique *Heinricus* an. 1672. d. 17. Oct. cœlebs fato functus est.

8. Superat autem, & familiæ caput nunc audit

JOHANNES LUDOVICUS *Comes ab Isenburg & Budingen*, natus an. 1621. Is primis nuptiis *Mariam Julianam Albertinam, Alberti C. Hanoviæ in Munzenberg* filiam, amitinam suam; secundis *Ludovicam, Ludovici Heinrici Pr. Nassovio-Dillenburgici & Catharinæ Saino-Witgensteinicæ* gnatam, anno 1666. è vivis sublatam, sibi copulavit. E priore conjugio nullos, è posteriore undecim liberos genuit, hac serie:

I. *Mariam Catharinam*, n. 20. Apr. 1647. †. 14. Mart. 1679.

II. *Heinricum Ludovicum*, n. & †. 26. Maji 1648.

III. *Philippinam Ludovicam*, n. 9. Jul. 1649. } innuptas.

IV. *Sophiam Elisabetham*, n. 10. Jul. 1650. } innuptas.

V. *Carolam Amaliam*, n. 21. Aug. 1651. elocatam an. 1674. *Georgio Wilhelmo C. de Witgenstein in Berleburg.*

VI. *Carolum Ludovicum*, n. 27. Jul. 1653. †. 5. Dec. 1675.

VII. *Ernestinam*; n. & †. 13. Aug. 1654.

VIII. *Iohannem Philippum*, nat. 4. Dec. 1655. Is anno 1678. d. 9. Jul. nuptias *Landsbergæ* celebravit cum *Carola Amalia*, *Friderici Ludovici C. Palatini Bipontini* & *Julianæ Magdalenæ Palatinæ* filia.

IX. *Wilhelmum Mauritium*, nat. 24. Jul. 1654. Hic an. 1679. d. 3. Nov. thalamo sibi sociavit *Annam Amaliam*, *Johannis Ernesti* propatrui sui in *Budingen* gnatam, è qua an. 1680. m. Aug. filiolam suscepit *Ludovicam Carolam.*

X. *Wilhelminam Iulianam*, nat. 8. Sept. 1658. †. 26. Apr. 1675.

XI. *Christinam*, n. 25. Dec. 1660.

9. In *Budingensi* linea familiam nunc ducit

JOHANNES CASIMIRUS, *Comes ab Isenburg & Budingen*, *Johannis Ernesti*, qui ramum condidit, atque an. 1673. d. 8. Oct. è vita discessit, ac *Mariæ Carolæ Erpacensis*, quæ superstes est, & filiorum tutelam ditionisque regimen gerit, filius, in lucem editus an. 1660. d. 10. Jul.

10. Fratrum ejus ac sororum, tam viventium, quàm mortuorum, sylloge hæc est:

I. *Georgius Ernestus*, n. 10. Jul. 1651. †. 16. Mart. 1652.

II. *Jo-*

II. *Johannes Ludovicus*, n. 5. Aug. 1652. †. 5. Apr. 1654.

III. *Anna Amalia*, n. 13. Oct. 1653. nupta an 1679. *Wilhelmo Mauritio*, agnato in *Offenbach.*

IV. *Philippus Ernestus*, nat. 28. Apr. 1655. †. *Marpurgi*, cum esset Universitatis *Rector Magnificentissimus*, an. 1672. d. 22. Sept.

V. *Elisabetha Juliana*, n. 8. Jul. †. 16. Sept. 1656

VI. *Fridericus Wilhelmus*, n. 27. Jan. 1658. occubuit in oppugnatione *Philipsburgi* d. 21. Jun. an. 1676.

VII. *Wolfgangus Ernestus*, n. 15. Mart. 1659. extinctus in obsidione *Stadæ*, morbo militari, d. 20. Jun. 1676.

VIII. *Ferdinandus Maximilianus*, n. 14. Dec. 1661.

IX. *Georgius Albertus*, n. 1664.

X. *Ludovica Albertina*, n. 19. Aug. 1665.

XI. Denique *Carolus Augustus*, n. 17. Jan. 1667.

11. *Scuto* Comites Isenburgici *simplici* [illegible]runtur, nempe *argenteo, cui inductæ sunt fasciæ duæ nigræ; tecto* galea una *& jugo expansarum alarum nigrarum*, quarum singulæ *septenis foliis tiliæ aureis* sparguntur. Laciniæ dependent *argenteæ & nigræ.*

12. Referuntur ad extremum Comites ab Isenburg & Budingen ad *Circulum Rhenanum superiorem*, & in religione *Reformatorum* dogmata sequuntur.

CAP. VIII.

DE COMITIBUS DE LEININGEN ET DAGSBURG.

CUm duæ sint familiæ, quibus à *Leiningensibus* ditionibus, in Palatinatus & Episcopatus Wormatiensis ac Spirensis confiniis sitis, nomen impositum est, discerni consueverunt cognomine *Dagsburgio* & *Westerburgio*: Illa, *Dagsburgia* scilicet, originaria est, nullique stirpi sui ordinis vetustate concedit. Quippe repertum fuit anno seculi superioris sexto & nonagesimo in *Bipontino tabulario* documentum, quod *Emicouem Comitem Leiningensem* an. C. 210. cum aliis Comitibus *Osvvaldo Straubergico*, *Ernesto Braunbergico*, ad Imperatorem *Severum* Moguntiam profectum esse, testabatur. *Wiprechtus C. Leiningensis*, ludis equestribus Magdenburgicis an. 942. iterumque una cum filio suo *Friderico* Constantiensibus an. 948. interfuisse memoratur. Eundem *Wiprechtum* in expeditione Heinrici Aucupis adversus Hunnos a. 935. præfectura equitum fun-

functum esse Cl. *Rittershusius in Exegesi* refert; quo loco id etiam tradit, *Scheiffardum*, à quo tabulam Genealogicam familiæ orditus est, *Wiprechti* illius nepotem, & S. *Heriberti, Episcopi Colonienſis*, ac fundatoris monasterii *Tuitſch*, è regione urbis Coloniæ siti, an. 1020. mortui, fratrem, maritumque *Margaritæ, Rudolphi Magni M. Badenſis* filiæ, fuisse. Pag. 162.

2. A *Scheiffardo* sexto distat gradu *Fridericus* III. cui uxores duæ tribuuntur: prima *Elisabetha Appermontana*; secunda Johanna *Dagsburgia*; ex utraque filium suscepit, è priore *Fridericum* IV. è posteriore *Joffredum*, à quibus lineæ duæ ortæ sunt. *Friderici* IV. cui *Leiningiæ* ditiones cessere, posteritas masculà in abneptibus *Hessone II. Landgravio Leiningio*, cui *Elisabetha Bavariæ Ducissa* conjux fuit, & *Friderico*, qui an. 1448. cœlebs obiit, extincta est, successione per eorum sororem *Margaritam* ad *VVesterburgiam* gentem, frustra obstrepentibus agnatis, delata.

3. *Joffredus*, cui hæreditate materna Comitatus *Dagsburgicus*, à castro Alsatiæ in *Vogaso* sito ita dictus, obtigit, lineam, quæ appellationem inde traxit, condidit; atque è duplici matrimonio filios præcipuè duos, *Fridericum* & *Emiconem*, suscepit. Ille cum uxore Comitissa *Rixingensi* Comitatum hunc in Lotharingiæ finibus nactus est, progeniemque habuit, quæ in quintam usque gene-

Pag. 164.

generationem duravit, & in *Exegesi Rittershusiana* videri potest. Demum *Haman C. Leiningiæ & Rixingiæ* genuisse fertur *Elisabetham*, *Emiconi Daunio Falkensteinio* nuptam, matrem *Hamani*; quo nata fuerit *Barbara Daunia*, *Simoni Weckero C. Bipontino* primis nuptiis elocata, cui filiam peperit *Amaliam*, quæ marito *Philippo C. Leiningio & Westerburgio*, præter alias prætensiones, *Rixingam* etiam attulit. *Emico*, Friderici Rixingensis frater, reliquos *Dagsburgios* prosevit: ejus nepos *Emico* VII. ducta *Anna Huberti Dn. de Autel & de Aspermont* filia, Dynastiam *Asperimontanam*, non procul Metis dissitam, dotis loco accepit, & ad posteros transmisit; quibus tamen Asperimontani collateralis lineæ controversiam postea moverunt, & hoc demum seculo *Carolus Asperimontanus*, socer Caroli Ducis Lotharingiæ, novam litem intentavit; in qua etiam per sententiam in *Curia Parisiensi* latam superior discessit, Leiningiique jussi sunt *Asperimontium* cum fructibus, ab an. 1566. perceptis, illi restituere. *Emiconis VII.* nepos *Emico IX.* in conjugio habuit *Catharinam C. Nassoviam in Saarvverden*, à qua posteri jus sibi in *Saarvverdanum* Comitatum quæsitum iverunt: cum enim Philippus Adolphus & Johannes, Comites Nassoviæ in Saarwerden, Catharinæ fratres, liberis carerent,

Spon. Op. Har. l. 3. c. 45. §. 2.

Jo-

Johannes, qui cæteris superstes mansit, Comitatum in agnatos Philippum & Adolphum, per donationem inter vivos, an. 1571. transtulit, præterita Catharina sorore sua, quod ex pacto hæreditario familiæ facere omninò potis erat, præsertim quia Catharina omni hæreditati, conscio marito, juratò renuntiaverat; nihilotamen secius Leiningenses Nassoviis negotium ea propter, incassum quidem, exhibuerunt. Fuit cæteroquin *Emico IX. communis* eorum, qui ex hac stirpe nunc vivunt, *parens*, & per filios *Johannem Philippum* atque *Emiconem* X. ramos duos, *Hartenburgicum* scilicet & *Dagsburgicum* sive *Falkenburgicum*, prosevit.

4. *Johannes Philippus*, *Hartenburgici* conditor, è filio posthumo *Emicone* XI. nepotes habuit, *Johannem Philippum* & *Fridericum*, è quibus *hic* mascula sobole caruit, *ille*, anno 1643 fato functus, filios tres post se reliquit: quorum natu minimus *Adolphus Christianus* in pugna ad *Vallem Mariæ* an. 1645 commissa occubuit; medius *Johannes Philippus* in castro *Emichsburg*, quod *Bockenheimij* est, habitavit, & bis maritus: primò *Agnetis VValdeccia*; secundùm *Elisabetha Carola Solmensis*, an. 1666 mortalitatem exuit, relictis filiabus duabus, *Margarita* è conjuge priore, & *Maria Magdalena* è posteriore susceptis, quæ innuptæ superare dicuntur.

5. Pri-

5. Primogenitus vitali aura adhuc vescitur, nempe

FRIDERICUS EMICO, *Comes in Leiningen & Dagsburg, Dn. Aspermontij*; susceptus is est in lucem d. 9. Febr. an. 1621. Domicilium *Hartenburgi*, quod Wormatia haud multùm distat, fixit, atque an. 1644. *Sibyllam, Christiani C. Waldeccii & Elisabethæ Nassoviæ* filiam, connubio sibi junxit; è qua sobolem egregiam genuit, filios duos, gnatas sex.

6. Ex illis potior nascendi sorte est

EMICO XIII. *Comes in Leiningen & Dagsburg* &c. nat. d. 6. Febr. an. 1649. Hic *Bockenheimium* incolit, & primis nuptiis an. 1676 duxit *Carolam Sophiam, Caroli Magni Marchionis Badæ* ex *Maria Juliana C. ab Hohenloe* filiam; quæ anno sequenti vivis excessit, postquam *filiolam* haud diu matri superstitem enixa esset. Secundis nuptiis an. 1678. d. 7. Nov. Landsbergæ sibi copulavit *Elisabetham Christinam, Friderici Ludovici C. Palatini Bipontini & Julianæ Magdalenæ Palatinæ* gnatam; è qua filias duas *Fridericam Elisabetham & Emichiam* suscepit,

7. *Iohannes Fridericus*, illius frater unicus, anno 1661. auram vitalem hausit.

8. *Sorores* eorum, quas sex esse dixi, hæ sunt:

I. *Ma-*

I. *Maria Elisabetha*, n. 10. Maji 1648, uxor secunda *Friderici C. ab Alefeld*, *in Langenland & Rixingen*, *Baronis de Morsburg*, *Dynastæ hereditarii in Grauvenstein*, *See- & Ballegaard & in VViltniß*, *Equitis Ordinis Elephantiaci*, *Regis Daniæ Magni Cancellarii*, *Consiliarii Sanctioris consilii*, *Præsidis in Senatu Status & Cancellariæ*, *& Supremi Præfecti in Dietmarsia.*

II. *Christiana Magdalena*, n. 8. Oct 1650. nupta *Christiano C. de Sain & VVitgenstein in Homburg.*

III. *Dorothea Sibylla*, n. 6. Febr. 1652.

IV. *Carola Sibylla*, *Friderici VVilhelmi C. de VVitgenstein in Vallendar* consors.

V. *Sophia.*

VI. *Polyxena.*

9. *Dagsburgici* sive *Falkenburgici* rami fator *Emico* X filios duos habuit: *Johannem Ludovicum* & *Philippum Georgium*, à quibus totidem palmites *Heidesheimensis* & *Dagsburgicus* promanarunt. Ex hoc solus superat

JOHANNES CASIMIRUS, *Comes in Leiningen & Dagsburg*, *Dn. Asperimontii*, *Philippi Georgii* & *Annæ Erpacensis* filius, natus d. 11. Majian. 1619. Is *Cameræ Imperialis Spirensis Præses* nunc est, & cœlibem vitam ducit.

10. *Jo-*

10. *Johannes Ludovicus*, qui *Heidesheimij* habitavit, atque an. 1625. naturæ debitum explevit, è conjuge *Maria Catharina Sulzia* præcipuè genuit, *Polyxenam*, quinquies maritatam, (post tres enim viros, in *Rittershusiana tabula* notatos *Carolo C. de Scherfenberg*, & denique *Carolo Friderico C. & Dn. in Daun* nupsit) nunc vivis exemptam; & *Emiconem* XII. Hic, an. 1658. vita defunctus, liberos aliquot utriusque sexus, è duplici conjugio (1.) *Christinæ Solmensis*, (2.) *Dorotheæ Waldeciæ* susceptos, post se reliquit. E priore prodiit *Georgius Wilhelmus*, qui *Annam Elisabetham, Wilhelmi Wirichij C. Falckensteinij* filiam, uxorem duxit, atque anno circiter 1672. supremum diem obiit, pater filii, & filiarum duarum. Ille hoc gerit nomen,

JOHANNES CAROLUS AUGUSTUS, *Comes in Leiningen & Dagsburg*, &c.

11. Sororum ejus natu major *Wilhelmina Elisabetha*, altera *Polyxena Iuliana* appellatur.

12. E liberis, quos Emico XII. è posteriore matrimonio procreavit, filii duo, totidemque gnatæ superstites sunt. Inter illos prior ætate est

EMICO CHRISTIANUS, *Comes in Leiningen & Dagsburg*, &c. natus d. 29. Mart. an. 1642. Is fœdere jugali sibi sociavit *Ludovi-*

dovicam Christinam, Wilhelmi Wirichij C. Falkenſteinij filiam, è qua decies pater factus eſt: gnati tres fuere immatura morte extincti; filiarum nomina hæc ſunt:

I. *Eliſabetha Dorothea Wilhelmina.*
II. *Dorothea Catharina Carola.*
III. *Chriſtina Helena Iuliana.*
IV. *Dorothea Polyxena.*
V. *Chriſtina Ludovica.*
VI. *Friderica Auguſta Sophia,*
VII. *Chriſtina Philippina.*

13. *Iohannes Ludovicus*, Emiconis Chriſtiani germanus, an. 1643. d. 26. Febr. lucem vidit, & *Sophiam Sibyllam*, *Johannis Ludovici C. de Leiningen & Weſterburg* è *Chriſtina Wiedenſi* gnatam, ſibi copulavit, filiumque genuit *Carolum Ludovicum.*

14. E ſororibus illorum major natu, *Alexandrina Iuliana*, primis nuptiis *Georgio Landgravio Haſſiæ*, ſecundis *Carolo Landgravio in Rheinfels* in manum convenit; altera, *Iohanna Polyxena*, *Georgio Eberhardo Pincernæ in Limburg* an. 1680. nupſit.

15. *Scuto* Comites in Leiningen & Dagsburg *quadripartito* utuntur; cujus quadra 1. & 4. *cærulea tres argenteas aquilas*, imminente deſuper *faſciola rubea (lambel)* defert, quæ teſſera *familiaris* eſt; 2. & 3. *argentea limbo rubeo cincta leonem nigrum continet,* *Spen. Op. Har. l. 3. c. 45.*

superinductis octo sceptris aureis liliatis, in crucem & decussim dispositis, quod symbolum *Dagsburgicum* est. Toti incumbit *parmula rubea*, *cruce argentea* impressa, quo dominium *Asperimontanum* denotatur. *Galeæ tres* incumbunt: prima *Leiningia* sustinet *arborem viridem*, *floscul is argenteis* impressas; tertia *Asperimontana* coronata *sexangularem tabulam rubeam* sustinet, *argentea cruce* notatam, *singulis angulis totidem globulis*, *& pennis pavoninis* ornatam.

CAP. IX.

DE COMITIBUS IN LEININGEN ET WESTERBURG.

GEntem *VVesterburgicam*, à castro *VVesterburg* in illo Wetteraviæ tractu, quem den Westerwald appellant, sito, sic dictam, Vir amœnissimi ingenii *Christianus VVeise*, in *schediasmate curioso de lectione Novellarum*, à *Sigfrido Domino de Runkel* deduxit, filios tres ei tribuens: *Sigfridum Electorem Colonien sem*, fundatorem arcis *Brœlii* an. 1290. *Heinricum*, & *Sigfridum* II. Ab *hoc*, qui in divisione hæreditatis paternæ *Dominus de Runckel* factus est, *Comites Wiedanos* defluxisse tradit; *Heinricum* autem, cui *VVesterburg* obtigit, *Westerbur-*

Pag. 11.

burgiorum fatorem constituit. Huic ex uxore *Agnete, Gerhardi C. de Limpurg* filia, præter gnatas duas *Amœnam*, Præpositã in *Recklingshausen*, & *Berchtam*, *Gerlaco C. Nassovio* nuptam, filii duo fuisse memorantur, videlicet: *Johannes, Cunigundæ C. Sainensis* maritus, & filiarum duarum, *Anastasiæ* & *Cunigundæ*, quæ *Johannis C. de VVied* conjux fuit, parens; & *Rainhardus*. Hicè *Catharina, Adolphi C. Nassovii* gnata, filium *cognominem* suscepit, qui post *Elsæ de Runckel* primæ conjugis obitum *Margaritam Leiningiam* connubio sibi junxit.

2. Ea *Friderici* VII. qui cum *Landgravii Leiningensis* titulo *Principalem* dignitatem obtinuisse fertur, filia, *Hessonis* autem soror fuit, quo absque liberis an. 1467. mortuo, *Reinhardus Westerburgicus* jure uxorio ditiones ejus invasit, & ope *Friderici Victoriosi Electoris Palatini* occupavit: huic verò, ob præstitam sibi operam, *dimidiam* ditionum *Leiningensium partem* cedere ingratiis coactus est, *alteram medietatem* ad filium *Cunonem*, qui *Leiningense* nomen cum *Westerburgio* conjunxit, transmisit. Licet autem *Hessonis* agnati, *Leiningenses* nempè *Dagsburgii* verbis & armis omnia sint experti, ut sibi ejus successionem assererent; & Westerburgios ab ea arcerent, id etiam perfecerint, ut Palatinus horum adjutor proscriberetur; nihil tamen

men exinde emolumenti ad ipsos redundavit.

3. *Cuno, Comes in Leiningen & Westerburg*, è filio *Reinhardo* nepotem cognominem habuit, à quo, omnes qui hodiè è familia vivunt, communem sanguinem ducunt: Is enim ex uxore *Maria Kœnigsteinia* filios tres genuit: *Reinhardum*, *Georgium*, & *Philippum*. Primogeniti propago in primo statim gradu exaruit; à reliquis rami duo prodiere: *Westerburgicus* & *Leiningensis*.

4. Prioris fator *Georgius* parens *Christophori* fuit, cujus progeniem, in *tabula Rittershusiana* omissam, in *Spicilegio* recensuimus. Eo autem & *Walburgi C. de Wied* natus est GEORGIUS WILHELMUS, *Comes in Leiningen, Dominus in Westerburg*. Is lucem vitalem primum aspexit anno 1619. d. 13. Febr. atque 1644. d. 7. Maji fœdere jugali sibi sociavit *Sophiam Elisabetham, Simonis C. Lippiæ & Mariæ Margaritæ C. de Waldeck* gnatam; è qua numerosam & florentissimam sobolem suscepit, hac serie:

I. *Wilhelmum Christianum*, n. 5. Febr. 1645. †. 24. Maji 1646.

II. *Simonem Philippum*, n. 4. Apr. 1646. Hunc virtute ætateq; florentem fatorum malignitas abstulit, & acerbo funere demersit d. 26. Maji an. 1670.

III.

III. *Iohannam VValburgin*, n. 3. Jun. 1647. Eam, præclaris animi corporisque dotibus præditam, *Augustus D. Saxoniæ Administrator Magdenburgicus* an. 1672. d. 29. Jan. in thorum adscivit & moriens viduam, luculento dotalitio instructam, reliquit.

IV. *Fridericum VVilhelmum*, n. 8. Sept. 1648. Hic, in aula *Augusti D. Saxoniæ* fororii sui *Marescalli* munere antehac functus, nunc in conjugio vivit *Theresiæ, Johannis Alberti C. de Ronov & Biberstein & Elisabethæ Bibersteiniæ* gnatæ, è qua filiolum genuit *VVilhelmum Fridericum*.

V. *Mariam Christinam*, n. 28. Jan. 1650. nuptam an. 1673. *Heinrico III. Rutheno Juniori in Lobenstein*.

VI. *Sophiam Magdalenam*, n. 23. Mart. 1651. atque *Ottoni Ludovico L.B. à Schœnburg in Hartenstein* nuptum collocatam.

VII. *Carolum Ludovicum*, n. 28. Sept. †. 16. Oct. 1652.

VIII. *Elisabetham Eleonoram*, n. 4. †. 24. Oct. 1653.

IX. *Iohannem Antonium*, n. 13. Mart. 1655. cœlibem adhuc & militiam sectantem.

X. *Christophorum Christianum*, n. 11. Mart. 1656. Is an. 1678. uxorem duxit *Elisabetham Julianam, Jodoci Hermanni C. Lip-*

pia ex *Elisabetha Juliana Witgensteinia* filiam, matruelem suam.

XI. *Heinricum Adolphum*, n. 17. Aug. 1657. †. 21. Apr. 1658.

XII. *Iohannam Elisabetham*, n. 27. Jan. 1659. nuptam *Georgio Hermanno Reinhardo C. de Wied.*

XIII. *Annam Augustam*, n. 8. Apr. 1660. †.

XIV. *Georgium Ludovicum*, n 23. Jan. †. 5. Febr. 1662.

XV. *Angelicam Catharinam*, n. 24. Apr. 1663. elocatam *Carolo Friderico C. de Wasaburg, Gustavi Adolphi Sueciæ Regis* nepoti.

XVI. *Heinricum Fridericum Ernestum*, n. 1. Febr. 1665.

XVII *Georgium*, n. 23. Mart. 1666.

XVIII. *Iulianam Eleonoram*, n. 14. Dec. 1667.

XIX. Denique *Margaritam Sibyllam*, n. & †. an. 1669.

5. *Leiningensis* rami conditor *Philippus*, cum uxore prima *Amalia*, *Simonis Weckeri C. Bipontini*, *Dn. in Liechtenberg* filia, castra *Rausohenburg*, *Obernbrunn*, aliaque prædia allodialia, nec non Comitatum *Rixingensem*, varias hactenus familias pervagatum, nactus est, & ad filium *Ludovicum* transmisit. Huic gnati tres fuere, videlicet, *Philippus*, *Johannes Casimirus*, & *Ludovicus Emico*. Ex his

medius

medius posteritate caruit; à reliquis palmites *Grunstadensis* & *Obernbrunnensis* provenere. Hujus fator *Ludovicus Emico* ex *Esthere Ebersteinia* præter alios liberos suscepit *Mariam Julianam*, quæ primò *Philippo* agnato in *Westerburg*, secundò *Friderico C. de Wied* nupsit; & *Johannem Ludovicum*: is *Sibyllam Christinam C. Wiedanam* in matrimonium duxit, atque an. 1665. è vita migravit, non nisi duplici sobole sexus sequioris post se relicta, nempè: *Ludovica Christina*, an. 1656 nata; & *Sophia Sibylla*, conjuge *Johannis Ludovici C. Leiningensis in Dagsburg*.

6. *Philippus*, qui *Grunstadensem* ramum condidit, *Præses Cameræ Imperialis Spirensis* fuit, & Comitatum *Rixingensem* cum Dynastia *Mœrsperg* & pertinentiis *Adolpho Johanni Comiti Palatino* pro 121500 thaleris vendidit; qui contractus acerrimæ & feralis propemodum altercationis causa atque origo extitit, cum alter alterum non præstitarum bona fide conditionum, utriusque partis contrahentis consensu latarum, & tantum non doli mali insimularet. Decessit *Philippus* an. 1664. d. 25. Sept. relicto filio unico, ex *Agatha Catharina Limpurgia* genito.

7. Is est LUDOVICUS EBERHARDUS, *Comes in Leiningen, Dn. in Westerburg & Forbach.* Postquam hic pa-

rente defuncto ditionis regimen suscepit, non ita multò post etiam patruelis *Obernbronnensis* successionem adiit. Sed an. 1669. ab *Adolpho Johanne C. Palatino*, ob causam *Rixingensem*, malis multatus est modis; quippe qui noctu, quæ diem 6. Mart. excepit, improviso impetu, & hostili armata quevi castrum *Obernbrunn*, quod tum Comes incolebat, invasit, id effractis foribus occupavit, strepitu tumultuque omnia miscuit; atque eò angustiarum illum redegit, ut periculoso saltu per fenestram in terram se præcipitem daret, & pedibus salutem quæreret. Connubio sibi junxit *Carolam, Wilhelmi Ludovici C. Nassovio Saræpontani* & *Annæ Amaliæ M. Badensis* filiam; quam, aliquot jam liberorum parens ex ea factus, repudiasse, & extraneam in thorum adsciviſse fertur; tandem verò cum Ecclesia etiam, in qua natus, educatus, & Vir factus erat, divortium fecit, & ad Pontificios transiit.

8. Liberorum, quos è legitima conjuge suscepit, sylloge hæc est:

1. *Philippus Ludovicus*, natus an. 1652. Is patris in religione inconstantiam imitatus, *Lutetiæ Parisiorum* an. 1671. *Romanis* sacris se devovit, uxoremque duxit filiam *Marchionis de Ruzé*, qui Subpræfecti munere in Alsatia nomine Regis Galliæ functus est. Nupera tempestate bellica, cùm

cúm Gallorum partibus se applicasset, Electori Palatino negotium facessere cœpit, & ditiones Leiningenses, quas Fridericum Victoriosum ob navatam Reinhardo Westerburgio operam obtinuisse dictum fuit, sibi vindicare molitus est.

II. *Ludovica Carola*, n. an. 1655. vixit hæc aliquandiu in aula Ser. Marchionis Brandenburgici Onoldini,

III. *Leopoldus Ludovicus* n. an. 1656.

IV. *Agatha Iuliana*, n. an. 1657. †.

V. *Wilhelmus Fridericus*, n. an. 1659. †.

9. *Scutum* Comitum Leiningensium in Westerburg *quadripartitum* vidi, ita ut 1. & 4. area *Leiningensem* tesseram jam delineatam, 2. & 3. *Westerburgicum δεῦγμα* exhibeat: hoc *cruce aurea* constat in solo *rubeo*, cujus *quatuor anguli quintenis cruciculis aureis sparsi* sunt. *Galeæ* incumbunt *tres*: prima *arborem Leiningiam* sustinet; mediæ *jugum alarum coccinearum*, tessera *Westerburgica* exornatarum, imponitur; postrema *cauda pavonina* superbit.

10. Referuntur Comes *Leiningenses*, tam *Dagsburgici*, quàm *Westerburgici*, ad Circulum *Rhenanum superiorem*: in sacris autem maximam partem *Evangelicorum* dogmata sequuntur.

CAP. X.

DE COMITIBUS A MANSFELD.

ILlustrissimi *Comites de Mansfeld* à *Quernifurtensibus*, qui *Nobiles Domini* quondam appellabantur, genus ducunt: hi verò Comitatum *Mansfeldicum*, Magdeburgica & Mœrsburgensi Diœcesibus, Anhaltino Principatu, Saxonia, Thuringia, & Schwarzburgio atque Stolbergio Comitatibus inclusum, & ad Circulum *Saxonicum superiorem* pertinentem, partim emptionis titulo, partim affinitatis jure nacti sunt. Nimirum *Burkhardus* I. è prisca & clarissima *Mansfeldie* Comitum stirpe prognatus, & pronepos *Hoieri* I. (quem fortitudo & fides erga Imperatorem Heinricum V. egregiaque mors, qua pro ipso strenuè dimicans in pugna ad *Welphsholz* an. 1115. d. 11. Febr. commissa, defunctus est, perpetuæ commendarunt memoriæ) filias duas ex *Elisabetha C. Schwarzburgica* susceperat, *Gertrudin* scilicet & *Sophiam*; quarum priorem suo è fratre nepoti *Burkhardo* II. alteram *Burkardo* III. *Nobili Domino in Quernfurth* & *Burggravio Magdenburgensi* nuptum collocavit. *Gertrudis* marito filios quatuor peperit, nempe: *Hermannum*, *Ruprrtum*, *Heinricum*, & *Bussonem*.

E qui-

E quibus solus *Busso* prolem habuit; *Rupertus* in *Archiepiscopum Magdenburgensem* electus fuit, atque an. 1268 obiit; reliqui duo *Hermannus* & *Heinricus* sobole destituti castrum & dominium *Mansfeld*, Burkardi *Quernfurtensis* filiis, *Burkardis* IV. & V. matruelibus suis an. 1264. vendiderunt; cumque non ita multò post mascula Mansfeldiorum stirps in *Bussonis* filiis, *Bussone* & *Ruperto*, exaruisset, *Quernfurtenses* pleno jure possessiones *Mansfeldicas*, *Comitisque* axioma sibi vindicarunt.

2. *Burkardo* IV. Nobili Domino in Quernfurth, Comiti de Mansfeld & Burggravio Magdenburgico, filii duo fuere: *Burkardus* VI. & *Gerardus*. Hi paternam hæreditatem ita inter se diviserunt, ut *Burkardus* Comitatum *Mansfeldensem*, cum titulo *Burggravii Magdenburgici*; (quo tamen ejus posteri abstinuerunt) *Gerardus* autem *Quernfurtense* dominium sortirentur. Hujus progenies duravit ad *Brunonem*, qui, postquam turbato mortalitatis ordine filios & nepotes extulisset, an. 1496 vitam lineamque finivit. Ejus ditionem agnati Comites Mansfeldiæ ad *Archiepiscopatum Magdenburgicum* delabi passi sunt, quos negligentiæ propterea *Spangenbergius* arguit: hoc verò seculo per pacem Osnabruggensem ad *Electorem Saxoniæ* ea pervenit. *Chron. l. 2. c. 341.*

3. *Bur-*

3. *Burkardi* VI. *Comitis Mansfeldiæ* propago hodienum viret; is castrum *Seburg* à Conrado de Wernigroda, & castrum *Bornsted* ab Erico de Gartersleben, pretio sibi comparavit, atquean. 1311. moriens filium reliquit, è *Sophia, Heinrici C. de Wettin* gnata susceptum, *Burkardum* VII. emptorem castri *Schraplau*, & patrem ex *Oda de Wernigroda*, filiarum duarum, *Sophiæ* & *Agnetis*, quarum illa *Gerardo Dn. Querfurtensi*, hæc *Comiti Stolbergio* elocatæ fuerunt; & filiorum novem, nempe: *Gebhardi* II. *Sigfridi* II. *Ottonis* I. *Alberti* I. Episcopi Halberstadiensis, *Burkardi* VIII. qui monasticam professus est, *Alberti* II. *Busonis*, *Prozonis*, & *Friderici*. Ex his solus *Gebhardus* II. stemma propagavit: is enim, ducta in uxorem *Duttradi de Falkenstein*, filios sex genuit: *Albertum* III. *Bussonem* IV. *Guntherum* I. *Burkardum* IX. *Hojerum* IV. & *Gebhardum* III. Inter hos *Busso* IV. quinto post parentis obitum, qui in an. 1382. incidit, anno Comitatum *Arnstein*, ad silvam Hercyniam, à Comitibus Reinsteiniis mercatus est, & ex *Agnete Brunsuicensi*, vidua *Erici C. Hojæ*, suscepit, præter alios, *Guntherum* II. *Albertum* IV. & *Volrathum* I. trium linearum autores. Sed *Guntheri* & *Volrathi* posteritas extincta est; ille *Mœrungen* ab Heinrico C. ab Hohenstein emit, & an. 1412. fato functus filium reliquit, ex *Elisabetha C. de Lin-*

dau

dau & Ruppin genitum, *Gebhardum* V. anno 1438. mortuum, quo natus est *Gebhardus* VI. qui *Heldrungam* emptionis titulo à Johanne C. ab Hohenstein an. 1484. acquisivit, & sequenti anno cum Saxoniæ Ducibus ob *metalli fodinas* suo agnatorumque nomine transegit; ita ut quibus hucusque ab Imperatoribus investiri consueverant, eas imposterum à Ducibus Saxoniæ, ritu fiduciario, acciperent; quam transactionem ratam habuit Fridericus Imperator. Perfunctus est *Gebhardus* VI. vitæ munere an. 1492. cùm filium *Philippum*, quem unicum habuit, ad plures præmisisset. *Volrathi* posteritas citius & quidem in ejus filiis, *Bussone* VII. & *Volratho* II. qui sobole masculâ carebant, defecit.

4. *Alberto* IV. & *Elisabetha Anhaltina* natus est *Guntherus* III. à quo Cl. *Rittershusius* in *tabulis* Genealogiam stirpis inchoavit. Is unà cum agnatis coævis persuaderi se ab Archiepiscopo Magdenburgico est passus, ut Comitatum Mansfeldicum Ecclesiæ Magdenburgicæ *in clientelam* an. 1446. subderet, quemadmodum *Spangenberg* refert. E prima conjuge *Margarita Hohensteinia* filios duos *Albertum* V. & *Ernestum* I. totidem linearum autores, genuit. Eorum posteri, cùm numero magis quàm opibus sese augeri animadverterent, atque animo fortè prævi-

Chron. l. 1. c. 139.

derent,

derent, quæ & quantæ distractiones alienationesque avitarum ditionum, crescente indies familia, sint subsecuturæ, cupientes tempestivo remedio venienti occurrere morbo, de *pacto hæreditario* inter se convenerunt; quod an. 1520 sancitum præter alia statuebat, ne quis gentilium quidquam avitarum ditionum vel pignoris, vel venditionis titulo in alienas manus transferret. Verùm enim verò quam parvo temporis intervallo obliteratum fuerit hoc pactum, & quantopere in angustum tam illustris familiæ opes per frequentissimas oppignorationes & alienationes nunc redactæ sint, in propatulo est; & è catalogo castrorum, oppidorum, & pagorum à Mansfeldiis sensim oppignoratorum ac venditorum, quem *Zeilerus* in *Topographia Saxoniæ* recensuit, colligere licet.

Spangenb. Chron. l. 1. f. 316.

pag. 20.

5. *Ernestus* I. lineam condidit, quam *ulteriorem* (die Hinder-Oertische) vocabant: ejus filii *Gebhardus* VII. & *Albertus* VII. primi è familia *Evangelicam* religionem amplexi sunt, & novos ramos proseverunt; sed *Gebhardi* posteritas in secunda generatione defecit; *Alberti* propago ad nostram usque ætatem duravit, & quoad mares in *Christiano Friderico*, qui an. 1666. d. 20. Dec. nullis ex *Elisabetha Lippiensi* liberis genitis decessit, extincta est. Superesse ferunt fœminas duas,

vide-

videlicet: *Agnetem Magdalenam, Erneſti Ludovici*, qui *Chriſtiani Friderici* frater major natu fuit, & *Agnetis Ruthenæ* filiam, anno 1629. d. 14. Dec. natam; & *Barbaram Magdalenam, Davidis & Julianæ Ruthenæ* filiam, an. 1618. d. 12. Jan. geniram, quæ primis nuptiis an. 1637. *Johanni Georgio* agnato in *Eisleben*, ſecundis an. 1654. *Antonio Dn. de Werthern*, tertiis an. 1680. *Georgio Andreæ Schvvabio B. de Liechtenberg* nupſit, nuncque iterum vidua eſt.

6. Linea *citerior* (die Vorder Oertiſche) natura, fœcunditate & diuturnitate, ſplendore etiam altera potior fuit. Ejus autor *Albertus* V. an. 1484. vivis exemptus, filios tres poſt ſe reliquit: *Guntherum* IV. *Erneſtum* II. & *Hojerum* VI. è quibus medius *Erneſtus*, qui d. 6. Dec. an. 1479. natalem habuit, & in diviſione patrimonii *Heldrungam* accepit, ſtirpem propagavit, & *communis* eorum, qui nunc è familia ſuperant, *parens* factus eſt. E duplici enim conjugio numeroſam prolem ſuſcepit, è priore *Barbara Querfurtenſis* novem liberos, nempe: *Cutharinam, Philippum, Chriſtophorum, Agnetem, Barbaram, Æmiliam, Erneſtum, Margaritam*, denique iterum *Margaritam*. Inter fœminas *duæ poſteriores* in prima ætate deceſſere; reliquæ viris nupſerunt, ceu in *tab. Rittersh.* videre eſt. E maribus *Philippus*

pus ramum *Bornstedensem*, à castro, quod ipse instauravit, sic appellatum, profevit; *Christophorus*, Clericus factus, an. 1535. d. 26. Aug. obiit; *Ernestus* Decanus Ecclesiæ Cathedralis Magdenburgicæ fuit, & an. 1551. *Halberstadii*, dum Magdenburgum obsidione premebatur, è vita migravit. E secundo *Ernesti* II. matrimonio, quod *Dorothea Solmensis* tenuit, tredecim liberi prodiere. Filii octo fuere, è quibus *Johannes Hojerus* I & *Joh. Ulricus* in pueritia mortem obierunt; *Johannes Gebhardus* ad dignitatem *Archiepiscopi Colonienſis* evectus est; *Joh. Ernestus* non nisi filiam unicam reliquit; à reliquis autem novi propullularunt rami, nempe à *Johanne Georgio Eislebiensis*, à *Petro Ernesto Belgica sive Heldrungensis*, à *Johanne Alberto Arnsteinensis*, & denique à *Johanne Hojero* II. *Arterensis*. Inter hos fratres & agnatos cum dissidium de finibus ac hæreditate ortum esset, evocatus est ab eis Megalander *Lutherus*, ut id sua prudentia & integritate componeret, qui etiam, ut obsequium patriæ & nutritiis suis probaret, *Islebiam* venit; jamque officio, ad quod accersitus fuerat, ritè functus, postquam rei quoque Ecclesiasticæ & Scholasticæ restaurandæ multa salubria in medium consuluisset, valetudine, qua jam anteà tenuiore utebatur, ingravescente, d. 18. Febr. an. 1564.

Sbangenb. Chron. l. 1. c. 377. Sleid. Comment. l. 16. f. 437.

1564. animam, quo loco acceperat, Deo reddidit.

7. Ex enumeratis autem ramis, tres, *Heldrungensis* scilicet, *Arnsteinensis* & *Arterensis*, exaruerunt, neque ad secundam generationem superarunt. At *Petri Ernesti* si minus progenies, vivit tamen vivetque memoria præclaris virtutibus parta, quibus promeruit, ut ab Imperatore Maximiliano ad *Principale* fastigium eveheretur; Carolo V. etiam Cæsari ac Philippo Regi ob militarem scientiam ac fidem peræque charus fuit, eorumque nomine *Lucemburgensem* Ducatum rexit, eamque existimationem consecutus est, ut ab Alexandro Parmensi, in Angliam transmissuro, *Supremus Provinciarum Belgicarum Gubernator, armorumque Dux* designaretur. Concessit naturæ octogenario major an. 1604. cum filium ejus γνήσιον *Carolum* fata præripuissent: is militari gloria, & (*Grotio* teste) *magnis semper inimicitiis apud Belgas spectatus, ut qui Parmensi, Ibarræ & Fontano contendit, specie honoris sepositus, sociis cum cohortibus, quas Philippus Imperatori miserat, Turcam, eo tempore valescentem, in Pannoniis oppugnatum iit.* Summo propterea honore á Rudolpho II. Cæsare habitus, &, ut major ejus esset eo in bello sub Matthia Archiduce auctoritas, *Princeps Imperii* sollemni ritu creatus fuit; sed veterem virtutem & artes

Fam. Str. Dec. 2. l. 9. p. 637.

Hist. l. 4. p. 291.

artes, scientiorem in hostem exercitas, haud diu usurpavit, morbo in obsidione *Strigonii* correptus, & *Comorræ*, quò transportabatur, d. 14. Aug. an. 1595. absumptus; nullis è triplici matrimonio liberis genitis. Ejus ingenium & mores graphicè incomparabilis *Thuanus* expressit.

Hist. l. 114. p. 611.

8. Neque verò prætereundus hoc loco mihi videtur *Ernestus Mansfeldius*, Petri Ernesti filius *nothus*, militari fama & Vatinianis in domum Austriacam odiis, quæ ex injuria fraudati sibi ab Hispanis in Belgio stipendii conceperat, notissimus; quo nemo magis enixè Palatini partes juvit, in tuenda Bohemia, in recuperando Palatinatu, sæpeque renovando bello; nemo Austriacas provincias graviore damno afflixit. Tandem à *Gabriele Bethlem* Principe Transilvaniæ, cum quo vires sociaverat, desertus, dum per Dalmatiam Venetias tendit, *Vracovizij*, ignobili Bosniæ loco, morte, cui in tot discriminibus insultaverat, an. 1626. oppressus fuit; adeò ut notante Tacito nostri ævi *Baptista Nanio*, dici posset, *eum à fortuna nascendo pariter & moriendo deceptum fuisse.*

Hist. Ven. Part. 1. l. 6. p. 331.

9. Superstunt itaque rami duo, quibus hodiè stirps Mansfeldia distinguitur, videlicet *Bornstedensis* & *Eislebiensis*. Illius sator *Philippus* I. è filio *Brunone* undecim habuit nepotes, quos ob natales eorum in *tab. Rit-*

ters-

tershus. omissos recensebo: (1.) *Philippum*, n. an. 1572. †. 1584. (2.) *Agnetem*, n. an. 1573. Decanissam Gandersheimensem, †. 8. Apr. 1647. (3.) *Fridericum*, n. an. 1574. cæsum in bello Argentinensi, d. 17. Dec. an. 1592. (4.) *VVolfgangum*, n. an. 1575. (5.) *Brunonem*, n. 1576. de quibus posteà. (6.) *Justum*, n. an. 1577. †. in bello Belgico. (7.) *Elisabetham*, n. an. 1578. d. 18. Aug. †. 1622. d. d. 22. Jul. (8.) *Annam*, n. an. 1580 *Ernesti C. Solmensis* conjugem, †. 1620. (9.) *Joachimum Fridericum*, n. 19. Apr. 1581; is apud Carolum Sueciæ Regem Ducis militaris munere functus est, postcaque *Fridcburgi* habitavit, & an. 1623. d. 29. Apr. fatis concessit. (10.) *Christinam*, n. 1. Maji 1586. ea Agneti sorori suæ in Decanatu Gandersheimensi successit, quo tamen deinde se abdicavit, & *Islebiæ* an. 1655. d. 1. Maji naturæ debitum persolvit. (11.) *Philippum*, nat. an. 1589. Hic cum *VVolfgango* & *Brunone* fratribus novos condidit palmites: *VVolfgangus* enim, qui militari laude conspicuus, & *Electoris Saxoniæ Generalis Locumtenens*, posteà *Cæsaris Consiliarius*, *Cubicularius*, *Campi Marescallus & Præfectus Supremus castri Javarinensis* fuit, ex uxore *Sophia Schenckia de Priesnitz & Tautenberg* sexies pater factus est. *Filiæ* tres fuere (1.) *Sophia Agnes*, n. 14. Nov. 1619.

nupta an. 1640. *Maximiliano Principi Dietrichſteinio*, & mortua an. 1677. d. 20. Jan. (2.) *puella* in utero extincta. (3.) *Chriſtina Eliſabetha Johannis Franciſci Trautſonij C. de Falckenſtein* conjux, vivis itidem exempta. *Filii* totidem, nempe *Bruno* III. n. & †. anno 1623. *Burkardus*, n. 1627. †. 11. Febr. 1628; & *Carolus Adamus*. Is *Schlukenaviæ*, quod oppidum, in Bohemiæ & Miſniæ confiniis ſitum, parens ejus Cæſaris beneficio obtinuerat, an. 1629. in lucem prodiit, & juventutis annis in Belgio exactis, an. 1655. m. Jan. connubio ſibi junxit *Mariam Thereſiam Ignatiam, Maximiliani Pr. Dietrichſteinij* ſororii ſui filiam; quam cùm poſt triennium, nulla ex ea prole ſuſcepta, amiſiſſet, Hamburgum ſe contulit, tandemque *Horneburgi* in Bremenſi Ducatu morbillis infeſtatus, d. 20. Mart. an. 1662. expiravit.

10. *Bruno* II. *Supremi Hippocomi* munus in aula Cæſarea obiit, & ad *Romana* ſacra deflexit; conjugium bis contraxit, prius cum *Maria Manriquez de Lara*, genere Hiſpana; poſterius cum *Maria Magdalena C. Tœrringenſi*: è priore filiam unicam *Mariam Franciſcam* brevis ævi ſuſtulit, è poſteriore gnatam itidem unicam, cum filiis tribus; ex his natu minimus *Franciſcus Bruno* haud diu vixit, reliqui duo ſuperant.

11. Potior naſcendi ſorte eſt

FRAN-

FRANCISCUS MAXIMILIANUS, *Comes & Dominus in Mansfeld, Nobilis Dynasta in Heldrungen, Seeburg & Schraplau, Dominus Dynastiarum Bobezisch, Neuhaus & Arnstein, S. Cæs. M. Camerarius actualis, Consiliarius Aulico-Imperialis & cohortis prætoriæ bipenniferæ Præfectus, Eques Aurei Velleris* creatus an. 1681. Susceptus est in lucem *Viennæ*, d. 22. Nov. an. 1639. & nuptiis sibi an. 1663. d. 25. Nov. junxit *Marianam Elisabetham, Caroli Leonhardi C. ab Harrach & Mariæ Franciscæ Eggenbergiæ* filiam, plurium liberorum ex ea infelix, dum cuncti in tenera ætate extincti, parens factus, quorum syllogen hanc accepimus:

I. *Franciscus Joseph Wenceslaus*, n. 28. Sept. 1666. †. 1667.

II. *Puellus* in utero extinctus, editus d. 27. Apr. 1668.

III. *Maria Margarita Franciscæ*, n. 5. Jul. 1669. †. 1672.

IV. *Franciscus Hojerus Wenceslaus*, n. 20. Jul. 1670. †. 1676.

V. *Heinricus Franciscus Augustus*, n. 28. Aug. 1672. †. 1674.

VI. *Maria Claudia Anna Franciscæ Dominicæ*, n. 6. Dec. 1674. †. 1676.

12. HEINRICUS FRANCISCUS, *Comes & Dn. in Mansfeld* &c. illius germanus frater, in exercitu Cæsareo *legionem* du-

davit, nuperque *legatione* apud *Regem Galliæ* functus est, nunc vero eodem sub titulo in *Hispania* versatur. Copulavit sibi matrimonio an. 1679 *Mariam Ludovicam*, *Caroli C. Asperimontii* & *Mariæ Franciscæ de Coucy-Mailly* filiam, *Caroli D. Lotharingiæ* viduam, è qua sobolem procreasse fertur.

13. *Francisca*, illorum soror, *Georgio Achatio C. de Losenstein*, Supremo in aula Cæsarea quondam Stabuli Præfecto, in manum convenit.

14. *Philippus* II. *Wolfgangi* & *Brunonis* II. frater, *Cæsareus Consiliarius*, *Campi Marescallus* & *Gubernator Javarinensis* extitit, & an. 1657. d. 8. Apr. fati legem explevit; è prima uxore *Maria* agnata, *Ludovici Landgravii Hassiæ* vidua, prolem nullam, è secunda verò *Margarita Catharina Poppelia de Lobkovvitz* liberos octo genuit; è quibus tertiogenitus *Maximilianus Philippus*, Supr. Excubiarum Præfectus Viennæ an. 1664. mortalitate interceptus est; reliqui in Bohemia cœlibes superare feruntur; familiam inter eos ducit

FERDINANDUS HOJERUS, *Comes & Dn. in Mansfeld*, *Dynasta in Heldrungen* &c.

15. Fratres duos habet *Carolum* & *Georgium Albertum*. Sororum nomina hæc sunt:

sunt: *Maria Clara*, *Polyxena Susanna*, *Francisca Margarita* & *Anna Carolina*; ex his duas viris Bohemis nupsisse, duas verò monasticam professas esse rescivimus.

16. Restat ramus *Eislebiensis*, cujus autor *Johannes Georgius* I. multam habuit prolem, è qua solus *Justus*, qui tertio ætatis anno oculorum lumina amisit, liberos generavit ex *Anna de Kœnitz* conjuge sua, & quidem præter alios *Johannem Georgium* II. quo & *Barbara Magdalena* agnata, uxore ejus secunda, natus est

JOHANNES GEORGIUS III. *Comes & Dn. in Mansfeld, Nob. Dynasta in Heldrungen, Seeburg & Schraplau, Dn. in Arnstein.* Is nunc solus è familia *Evangelicæ* religioni adhæret, & auram vitalem hausit d. 22. Jul. an. 1640. in thorum autem 1667. d. 20. Oct. adscivit *Sophiam Eleonoram, Ottonis Alberti L. B. de Schœnburg & Ernestinæ Ruthenæ* filiam, cum qua sterile ipsi est matrimonium.

17. Fratrem habet nullum, sororem verò superstitem unicam *Magdalenam*, n. d. 16. Aug. an. 1638 altera *Anna Juliana* an. 1660 diem obiit.

18. *Scutum* Comitum de Mansfeld *quadripartitum* est: prima & extrema areola iterum in *quadras* dividitur, ita ut 1. & *Spen. Op. Hal. l. 2. c. 59.*

4. *ternis ex argento & minio fasciis* exaretur, *Quernfurtensi* symbolo notando, 2. & 3. *argentea sex rhombos rubeos duplici ordine dispositos* contineat, quæ tessera est *Mansfeldica;* secunda area *nigra aquilam argenteam rostro & cruribus aureis* refert, *Arnsteinense* emblema; tertia *cærulea leonem aureum coronatum lingua rubea, & baltheum toti areæ inductum, duplici serie ex argento & minio tessellatum,* exhibet, designandæ *Heldrungensi* Dynastiæ. *Galeæ* incumbunt *duæ, prior* Mansfeldio-Quernburgica *octo vexilla, ex utroque latere quaterna, rubeis & argenteis lineis fasciata, & è lanceis aureis suspensa* sustinet; *super alteram* Arnsteinio-Heldrungensem *inter jugum alarum, quarum illa nigra est, hac argentea, leo exoritur aureus coronatus, eminentibus è corona plumis aurea, argentea & rubea. Phaleræ* circumfluunt, hinc *argentea & rubea,* isthinc *nigræ & argentea.*

CAP. XI.

DE COMITIBUS A NASSAU SARBRÜCK.

NAssoviorum clarissimam ab omni memoria gentem in stirpes duas jam dum seculo tertio & decimo abiisse, nempe in *Weilburgensem* & *Dillenburgensem*, sive uti nunc vulgò appellantur, *Saræpontanam* & *Catime-*

timelibocenſem, *ſuperius* dictum fuit, eo loco, quo hanc, *Catimelibocenſem* ſcilicet, quæ ob *Principale* axioma, aliosque ſplendores alteram nunc dignitate antecedit, enumeravi. Quamquam *Saræpontani* hujus prærogativæ palmam agnatis ægrè concedunt, utpote qui non tantùm naturæ prioritatem ſibi vindicant, ſed & dignitate ſi non potiores, ar certè pares haberi volunt; quod arguunt *libelli memoriales*, quos iterata vice in præſentibus comitiis exhibuerunt, poſtulantes opere maximo, ut in priſtinam dignitatem *Principalem*, ab Imperatore Carolo IV. *Johanni C. Naſſovio Weilburgenſi* collatam, licet à poſteris ejus modeſtiæ ſtudioſis non ſemper uſurpatam, reſtituerentur, & ad ſeſſionem, votumque inter Principes Imperii admitterentur. Hæc autem è *Diplomate Caroli* IV. verba citabant: *Te Johannem C. Naſſ. cariſſimum conſanguineum noſtrum & hæredes tuos legitimos in perpetuum, Dei invocato nomine, illuſtramus, honoramus, libertamus, exaltamus, & Illuſtres Principes Comites creamus, ordinamus, facimus, ut videlicet Principes Comites exiſtatis, & in Collegio Principum, qui vulgari theutonico* Gefürſtete Grafen *dicuntur, computemini, nec non omnibus & ſingulis privilegiis, honoribus, libertatibus, exemptionibus, gratiis & indultis gaudeatis expreſſe, quibus* Lib. 5. c. 6.

Illustres Principes Comites Sacri Imperii fruiti sunt hactenus &c.

2. Conditor *Weilburgicæ* stirpis *Walramus* fuit, *Heinrici Divitis* filius, qui in divisione patrimonii *Idstein* & *Weilburg* nactus est, & sub Rudolpho I. Imperatore *Prætorio* fuit *Præfectus*, pater *Dietheri* Archiepiscopi Trevirensis, & *Adolphi*, qui ad *Imperiale* fastigium an. 1292 evehi meruit, neque dum spiraret, inde se deturbari passus est. Filios habuit *Rupertum*, Wenceslai VI. Bohemiæ Regis generum, & *Gerlacum*. Hoc geniti sunt *Gerlacus* Archiepiscopus Moguntinus, *Adolphus* & *Johannes*, à quibus *rami duo* orti sunt. *Adolphi* quidem posteritas mascula, à *Wisbaden* & *Idstein* cognominata, sub seculi, quo agimus, initium defecit in *Johanne Ludovico* II. qui an. 1605. immatura morte extinctus est; hæreditate ejus ad agnatos proximos *Weilburgenses* rami devoluta, cùm eam *Moguntinus* Archipræsul titulo caducitatis sibi vindicare nequiequam contendisset.

3. *Johannes* *Weilburgensem* ramum provexit, & ducta in matrimonium *Johanna*, *Johannis Comitis Saræponti* filia & hærede, hunc *Austrasiæ* Comitatum in familiam intulit, & cum ditione avita ad filium *Philippum* transmisit, patrem *Johannis* & *Philippi*. *Johanne*, qui in partitione ditionum *Sarepontum*

pantum sortitus fuit, natus est *Johannes Ludovicus*. Huic cum uxore secunda *Catharina*, *Johannis C. de Mœrs & Sarvverden* filia unica, pars dimidia Comitatus *Sarvverdani* obtigit, intercedente pacto, quod cum patruele *Catharina*, *Johanne Jacobo*, qui mente captus & ad regendum Comitatum ineptus erat, auspice *Antonio D. Lotharingiæ* an. 1512 inivit; hac addita conditione, ut altera etiam dicti Comitatus medietas, post *Johannis Jacobi*, utpote postremi è maribus gentis suæ, fata, ad sese delaberetur. Verùm mortuo an. 1527. Johanne Jacobo, Antonius D. Lotharingiæ accensus cupiditate potiundi oppidi *Sarvverden* & *Bockenheim*, quæ sibi ob situs commoditatem valdè opportuna fore cernebat, prætereaque sciebat *Metensi* Ecclesiæ jure beneficiario obnoxia esse, cœpit ope fratris sui, qui ea tempestate Metensem Episcopatum tenebat, illa impugnare, prætexens ea feuda pure masculina esse, cùm tamen merè sint hæreditaria; causæque cognitionem *Wichtensi* tribunali subjecit. Protracta est lis hæc ad nostra usque tempora, cùm *Johannes Nassovius*, *Johannis Ludovici* & *Catharinæ Sarvverdanæ* filius ἀγαμος, tabulis supremis *Albertum* & *Philippum* agnatos suos hæredes scripsisset, præterita sorore sua germana *Catharina*, *Emiconi* XII. *C. Leiningensi* nupta, cujus etiam posteri deinceps in litem

Sar-

Sarwerdanâ interveniendo sese immiserunt. Sed *Nassovij* à foro Wichtensi ad *Cameram Imperialem* provocarunt, ubi tamen causa cecidérunt; lataque fuit an. 1629. sententia, qua *Sarwerda*, *Bockenheim* & *Wiebersweyler*, tanquam *feuda masculina Metensia*, unà cum *fructibus*, *à die litis inchoatæ perceptis*, Lotharingis adjudicabantur. Hi itaque sine mora in eorum possessionem involarunt, & totum Comitatum occuparunt, nullo discrimine usi, feudaque Imperialia ac Trevirensia cum Metensibus permiscentes. Accidit posteà ut *Homburgense* etiam castrum, quod ad Saræpontanum Comitatum pertinet, & *feudum Imperij* est, in Lotharingi potestatem perveniret, postquàm id ardente in Germania bello Cæsarei occupassent, & Duci tradidissent: in quod quidem, non minus ac in Comitatum Sarwerdanum, ut restituerentur Comites Nassovii omnem moverunt lapidem, & in *pacificatione Westphalica* effecerunt, ut in catalogo restituendorum ipsorum ratio habita fuerit, ceu è paragrapho *Comitibus Nassau Saræpontanis restituatur &c.* patet. Obstitit tamen *Caroli D. Lotharingiæ* pervicacia, quo minus optatæ pacis commodis fruerentur, suasque ditiones, quibus tanto temporis intervallo caruerant, recuperarent; usque dum in præsentibus comitiis, intercessione Cæsaris & Ordinum Imperii

rii, hæc cum Duce Lotharingiæ *transactio temporaria* an. 1670. sancita fuit, ut ille feuda Metensia, nominatim *Sarwerden*, *Bockenheim* & *Wiebersweyler* tetineret, donec *revisorium* ad finem perductum fuerit; reliqua verò ad Comitatum Sarwerdanum pertinentia, unà cum Vogteia *Herbizheim* & castro *Homburg* Nassovius restitueret, incolamen præsidium haberet, & suis sumptibus aleret tamdiu, dum pecunia, de cujus summa conventum fuit, ab Imperio ipsi persolveretur: quæ etiam omnia à Commissariis, quos Ordines designaverant, executioni mandata fuerunt. *Recessum Restitutionis* hujus aliaque eò spectantia in *Gastelii Tractatu de Statu Europæ novissimo* legere licet. Cap. 31. §. 46. Verùm enim verò, quæ brevi temporis spatio interjecto, turbæ illis in oris exortæ sunt, à Gallis concitæ, ex Nassovios etiam de statu suo dimoverunt.

4. Revertendum nunc est ex hoc diverticulo in viam: *Philippus*, *Johannis Saræpontani* frater, qui *Weilburgum* nactus stirpem propagavit, filium habuit *Johannem*, patrem *Ludovici*; (cui an. 1474 natalis fuit) hoc genitus est *Philippus*, cujus gnati *Albertus* & *Philippus* Saræpontanam & Sarwerdanam hæreditatem ex testamento *Johannis* agnati creverunt. *Philippus* unicæ tantum filiæ, *Albertus* autem numerosæ sobolis parens

rens factus est. Filii tres præcipuè fuere, *Ludovicus*, *Wilhelmus* & *Johannes Casimirus*. *Hic* gnatam unicam, in Wirtenbergensem domum elocatam, genuit: *Iste* filias duas suscepit, è quibus *Anna* innupta ætatem peregisse videtur, altera *Elisabetha Juliana* (nec *Catharina*, ceu in *tabula* legitur) an. 1598. nata, raro in Reformata Ecclesia exemplo *fratribus duobus* in familia *Saino-Witgensteinia* nupsit; primò *Ludovico Casimiro in Berleburg*, hocque mortuo *Georgio*, cum quo quidem adhuc in vegeta senectute superstes esse perhibetur. *Ludovicus* agnato *Johanni Ludovico* in *Wisbadensi* & *Idsteinensi* ditionibus successit, & è filiis tribus, *Wilhelmo Ludovico*, *Johanne* & *Ernesto Casimiro* totidem ramos profevit; nempè *Sarbruccensem*, *Idsteinensem* & *Weilburgensem*, quorum hac ætate propagines virent.

5. *Wilhelmus Ludovicus Sarbruccensis* ramî conditor an. 1640. fatis concessit, postquam è conjuge *Anna Amalia Badensi* liberos septem procreasset; filias tres, *Annam Julianam*, *Friderico C. Palatino Bipontino* nuptam, & d. 29. Nov. an. 1667. mortuam; *Carolam*, *Ludovici Eberhardi C. Leiningio Westerburgici* conjugem; & *Mariam Sibyllam*, *Augusto D. Holsatia* è *Sunderburgica* linea elocatam, & an. 1675. defunctam. Filii quatuor fuere, è quibus primogenitum *Gratonem*, dum

Prin-

Principi Arausionensi stipendia faciebat, fata an. 1642. rapuerunt; à reliquis tribus totidem propullularunt palmites, *Ottvvileranus* scilicet, *Sarbruccensis* & *Usingensis*.

6. *Primi* fator adhuc vitali aura fruitur: is est

JOHANNES LUDOVICUS, *Comes Nassoviæ, Saraponti, & Sarvverdæ, Dominus Lahræ, Visbadæ & Idsteinii.* Prodiit in lucem an. 1625. d. 23. Maji. Sedem *Ottvvile* in Westrasia habet, conjugem verò *Dorotheam Catharinam, Christiani C. Palatini in Bischvveiler* & *Magdalenæ Catharinæ Bipontinæ* gnatam, è qua complures liberos sustulit, hac serie:

I. *Christianum Ludovicum*, n. & † a. 1650.

II. *Fridericum Ludovicum*, n. 3. Nov. 1651. Is unà cum fratribus duobus Ordinibus fœderati Belgii militavit, & an. 1678. è Batavia in *Daniam* profectus est, *Christianam*, filiam *Friderici Ahlefeldii C. Langenlandiæ & Rixingæ*, Supremi Regni Cancellarii, è priore conjuge *Margaritæ Dorotheæ Ranzovia* natam, ampla dote instructam (quæ ante hac desponsata fuerat *Leopoldo Georgio Langr. Hassiæ in Homburg*, verùm ante nuptias fatis rapto) in matrimonium ducturus.

III. *Annam Catharinam*, n. 20. Febr. 1653. Hæc *Friderico Wilhelmo Rheingravio*

in

in Daun desponsata, eo ante nuptias interempto, ejus fratri germano *Johanni Philippo* in manum convenit.

IV. *Wolradum*, n. 7. Nov. 1656.

V. *Carolum Sigfridum*, n. an. 1659. †. an. 1677.

VI. *Ludovicum*, n 26. Febr. 1661.

VII. *Ludovicam*, n. 27. Oct. 1662.

VIII. *Mauritium*, n. 17. Sept. 1664. †. 26. Jul. 1666.

7. *Sarbruccenſis* palmitis autor. *Guſtavus* e *Adolphus*, Joh. Ludovici frater, *Sarapontum* incoluit, & nupero bello Gallico, cum intemerata ſua erga Cæſarem fide iram Gallorum in ſe derivaſſet, multa paſſus eſt; neque enim iſti ſatis habuere, irruptionem in ejus ditiones feciſſe, oppida expugnaſſe, prædas egiſſe, ſubditos expilaſſe; ſed ipſum etiam Comitem in propriis ædibus improviſo impetu & contra datam fidem adorti, comprehenderunt, & *Metas* abduxerunt; ubi aliquandiu detentus fuit: tandem verò libertati redditus in exercitu ab Imperio pro publica ſecuritate conſcripto, munus *Generalis Excubiarum Præfecti* petiit atque obtinuit; ſed non ita multò poſt, dum prope *Kochersbergam* in Alſatia in conflictu adverſus Gallos inter primores promptius dimicat, graviter vulneratus, d. 9. Oct. an. 1677 animam efflavit, relictis ex *Eleonora Clara*, *Cratonis C.*

ab

ab Hohenloe in Neuenstein filia, an. 1662. ducta, filiis tribus & gnata unica.

8. Inter illos prima nascendi sorte tenet LUDOVICUS CRATO, *Comes Nassoviæ Saraponti & Sarvverdæ* &c. genitus an 1663.

Sequuntur *Carolus Ludovicus*, n an. 1665. & *Gustavus Adolphus*, n an. 1667

Sororeorum unica, *Sophia Amalia*, an 1666 lucem vidit.

9. Postremus, è *Wilhelmi Ludovici* filiis, qui Usingam pro domicilio obtinuit, est VOLRADUS, *Comes Nassoviæ, Saraponti & Sarvverdæ* &c. Is an. 1635. d. 24. Febr. in lucem prodiit, & adultior factus animum ad militare studium adjunxit, atque ab Ordinibus Fœderati Belgii *Equitatui* & *Bergopzomio* præfici meruit. Matrimonium contraxit a 1679. mense Februario Mechliniæ cum *Catharina Francisca Isabella de Crouy, Eustachii C. de Rœux* filia, è qua prolem jam dum suscepisse fertur.

10. *Idsteinensis* rami sator, *Johannes*, è duplici conjugio *Sibyllæ Magdalenæ Badensis*, quæ an. 1644. diem obiit, & *Annæ Leiningiæ*, anno 1668. defunctæ, numerosam sobolem procreavit, moriens tamen marem tantùm unicum post se reliquit; is est

GEORGIUS AUGUSTUS SAMUEL *Comes Naſſoviæ, Saraponti & Sarvverdæ, Dn. Lahræ, VVisbadæ & Idſteinii*; hauſit auram vitalem an. 1665. & ſub tutela *Johannis Caſimiri C. Leiningio-Dagsburgici* avunculi ſui, nec non *Volradi Naſſovii* patruelis ſui, (qui nuper demum *Johanni Auguſto C. Solmenſi* mortuo ex decreto Cameræ Spirenſis ſuffectus fuit,) adoleſcit.

11. Ejus fratres & ſorores, quorum catalogum mancum *tabul. Rittershuſ.* exhibuit, omnes recenſebo: illi autem numerum decimum quintum explevere, quorum ſex è priore, novem è poſteriore *Johannis* conjugio prodierunt.

I. *Anna Ottilia*, n. 1630. †. 1632.

II. *Guſtavus Adolphus*, n. 1632. occubuit in prœlio ad *fanum S. Gotthardi*, d. 1. Aug. an 1664.

III. *Fridericus Ludovicus*, n. 1633. †. 1656.

IV. *Bernhardina Sophia*, n. 1634. † 1642.

V. *Iohannes*, n. 1638. †. 1658.

VI. *Sabina Iuliana*, n. & †. 1639.

VII. *Carolus*, n. 1649. † 1651.

VIII. *Chriſtina Eliſabetha*, n. 1651. †.

IX. *Eleonora Ludovica*, n 1653 †.

X. *Erneſtina*, n. 1654. †. 1655.

XI. *Georgius VVilhelmus*, n. 1656 †. 1657.

XII. Jo-

XII. *Iohanna*, n. 1657. uxor secunda *Christiani Ludovici C. Waldeccii.*

XIII. *Sibylla Carola*, n 1658. † 1660.

XIV. *Dorothea Amalia*, n. 1661 nupta *Ludovico Friderico C. de Wied in Dierdorf.*

XV. *Philippus Ludovicus*, n. 1662. †. 1664

12. Restat ramus *Weilburgensis*, cujus autor *Ernestus Casimirus* ex *Anna Maria VVitgensteinia*, præter gnatam *Mariam Eleonoram*, *Casimiro C. Eberstеinio* nuptam, & an 1678. m. Dec. mortuam, filium unicum suscepit *Fridericum*, natum d 15 Apr an 1640. Is connubio sibi sociavit an 1663 mense Junio *Elisabetham Christianam*, *Ernesti C. Sainio-VVitgensteinici* gnatam, & an. 1675. m. Sept. fato perfunctus filios duos post se reliquit, inter eos major natu est

JOHANNES ERNESTUS, *Comes Nassoviæ, Saraponti & Sarrverdæ, Dn. Lahræ, VVisbadæ & Idsteinii*, genitus an. 1664.

Fridericus VVilhelmus, ejus frater, lucem vitalem aspexit an. 1665.

13. *Scutum* Comitum, quos jam recensui, *duabus lineis transversis* in *tres partes* distinguitur, cujus *duæ superiores* tres areas, infima *duas* tantùm complectuntur. Area 1. *cærulea argenteis cruciculis sparsa, ejusdem me-* *Spen. Op. Her. l. 3 c. 26. §. 11.*

talli leonem auro coronatum, exserta lingua cruenta, Sarræpontanum δῆγμα, *continet*; 2. *nigra aquilam bicipitem argenteam, rostro & cruribus aureis*, Sarwerdanum symbolum, *exhibet*; 3. *aurea, inducta fascia nigra*, Mœrsium Comitatum *designat*; 4. *aurea pardos duos gradientes refert*, & Comitatum Weilnau *notat*; 5. parmulam gentilitiam Nassovicam *continet*; 6. *viridis, decussim aureum, quem duodecim cruciculæ aureæ, angulis ternis adscriptæ, comitantur, exhibet*, & dominium Mehrenberg *indicat*; 7. *aurea leonem nigrum*, Malbergense emblema, *repræsentat*; 8. denique *aurea fasciam rubeam*, Lahranum δῆγμα, *continet*.

14. Huic scuto *galeæ septem* imponuntur: 1. Mehrenbergica, *diademate tortili ex cocco & auro tecta, sustinet quadram viridem decussi & crucicolis insignem, cujus extrema pennæ rubeæ ornant*; 2. Sarwerdo-Mœrsensis *coronata exhibet cum collo caput aureum lupi, millo furvo, limbo, spiculis & annulis argenteis*; 3. Sarræpontana *jugum alarum, quas superius argentum, inferius ater color tingit, sustinet; medium locum* Nassovica *cassis occupat*; 5. Weilnaviensis *jugum alarum complicatarum, impressa in aureo orbe duorum pardorum imagine, refert*; Lahranam *premit herma juvenilis rubro indutus, & caput pileo orientali rubeo tectus, cnatis brachiorum loco cornibus aureis*; 7. deni-

7. *denique* Malbergensi *tabula aurea leone nigro, & undique nigris plumis decorata incumbit.* Quæ circumvolitant *phaleræ*, utroque metallo, cœruleo, rubeo & nigro colore tinguntur.

15. Referuntur Comites Nassovio-Saræpontani ad Circulum *Rhenanum superiorem*, & in sacris *Augustanæ Confessionis* normam sequuntur.

CAP. XII.

DE COMITIBUS ORTENBURGICIS.

Ortenburgicos Comites à multis seculis in *Bojoaria* clarissimos, *Artenbergicos* olim dictos fuisse vetera monumenta testantur; haud dubiè ab arce *Artenberg*, quam in *Vindelicia inferiore* inter confluentes *Oeni* & *Danubij* extitisse, *Aventinus* retulit. In arbore etiam Genealogica, quam Ill. Comes *Christianus* æri affabrè incidi an. 1679. curavit, primus, qui allegatur, *Ortliebus ab Artenberg* audit, cæsus in prœlio, quod adversus Carolum Martellum an. 740. ad *Feulenforst* prope Abenspergam commissum fuit. *Annal. Boic. L. 7.*

2. Certa & continua familiæ deductio à *Friderico C. Spanheimio & Ortenburgio*, à quo etiam *tabula Rittershusiana* telam orditi sunt,

initium ducit. Huic autem fratres tribuuntur *Sigardus* ἄπαν & *Hartvvicus*, quem *Salisburgenſem Archiepiſcopum* ab an. 989. ad an. 1020. poſteà ſuperſtitioſa hominum opinio in cœleſtium concilio collocavit: uxor autem *Richarda*, *Heinrici D. Carinthiæ*, de ſtirpe *Comitum de Muerzthal*, filia, cum qua amplas poſſeſſiones, inprimis Comitatum *Lavantinum* accepit, arcemque *Ortenburgicam*, ad perpetuam Danubianæ Rhenenſisque dominationis memoriam, extruxit, quemadmodum Celeb. *Spenerus* (qui hujus familiæ hiſtoriam præ cœteris prolixè & dilucidè exſecutus eſt,) ex autore manuſcripto refert.

Op. Her. l. 3. c. 48.

3. *Engelbertus* II. *Friderici* nepos, *Iſtriæ Marchio* fuit, & ex *Hedvvige*, *Heinrici de Eppenſtein Ducis Carinthiæ* gnata, præter alios *Heinricum* genuit, qui ab avo materno adoptatus *primus* è familia *Dux Carinthiæ* extitit; ſed prole deſtitutus novum axioma ad *Engelbertum* III. fratrem ſuum transmiſit. Hoc nati ſunt *Ulricus*, *Engelbertus*, *Rapato* & *Hartvitus*. E quibus *Engelbertus Marchio Iſtriæ & Craynburgi* fuit, mortuus an. 1190. *Hartvicus Epiſcopus Ratisbonenſis*; reliqui duo lineas condiderunt *Carinthicam* & *Bavaricam*. Ducatus quidem *Carinthiæ* in *Ulrici* poſteris ultra generationem tertiam non permanſit, ſed poſt *Ulrici* III. qui illius pronepos fuit & ſobole caruit, fata, ad *Ottocarum*

rum Regem Bohemiæ, ejus avunculum, transiit; præteritis filiis *Hermanni*, qui Ulrici III. patruus erat, & reliquam *Ortenburgicam* stirpem in *Carnis* propagavit. Ea verò post secula duo cum *Friderico Comite in Ortenburg & Sternberg*, an. 1420. mortuo, itidem extincta est, ditione ad *Cilia* Comites, è *Catharina*, *Friderici* sorore, prognatos ex pacto mutuæ successionis, delapsa. Cum autem, triginta & quod excurrit annorum spatio interjecto, horum etiam Comitum familia cum *Ulrico* à *Corvino* an. 1456. cæso interiisset, Ortenburgica in Carinthia ditio cum reliqua Cilejensium hæreditate ad *Austriacos*, nominatim ad *Fridericum III. Augustum*, ex testamento devenit; cujus pronepos Ferdinandus I. Imperator Ortenburgicum Comitatum *Gabrieli Salamancæ*, genere *Hispano*, *Baroni in Freyenstein & Carlspach* benè de se merito an. 1524. feudi titulo concessit. Hujus stirps mascula, posteaquam anno seculi, quo agimus, quadragesimo exaruit, ditionesque iterum ad Austriacos relapsæ sunt, pretio deinceps addictæ fuerunt fratribus *Widmanniis*, Venetæ Nobilitati paulò ante, intervenientе consueta argenti summa, adscriptis: quippe qui pecuniis, quas ingentes parens eorum ex negotiatione fecerat, affluebant, aliaque jam dum latifundia in Carinthicis oris possidebant. Ab illis verò posteà ad

Principem Portianum eodem titulo emptionis venditionis Comitatum Ortenburgicum perveniſſe, atque in ejus poſteris adhuc hærere accepimus.

4. Quod *Bavaricam* lineam attinet, ea autorem habuit *Rapatonem*, *Ulrici I. Ducis Carinthiæ* fratrem, *Eliſabethæ C. de Sulzbach* maritum, & filiorum duorum *Heinrici* & *Rapatonis* II. patrem. Hic *Marchio Craynburgi*, & *Comes Palatinus Bavariæ*, poſtquam Ottoni Wittelſpachio ob parricidium in Philippo Cæſare commiſſum aqua & igni interdictum eſſet, beneficio Ottonis IV. Auguſti fuit; filiosque genuit *Hartmannum* Marchionem in Craynburg & *Rapatonem* IV. Comitem Palatinum. *Ille* prole caruit; *hic* filiam *Eliſabetham* habuit, conjugem *Hermanni C. de Werdenberg*, qui, quod eum patruus uxoris in adeunda hæreditate ſoceri impediret, omnia caſtella ſua in Bavaria *Ottoni Duci Bavariæ* vendidit.

Hund. Bayr. Stammbuch part. 2. p. 24.

5. *Heinricus*, Rapatonis frater, *Comes Ortenburgicus*, præter alios, filios reliquit *Rapatonem* III. *Comitem in Ortenburg & Murach*, qui omnes poſſeſſiones, quas intra *Danubium* & *ſylvam Bohemicam* cum caſtro *Murach*, & vico *Viechtach*, ex hæreditate paterna & materna acceperat, *Ludovico D. Bavariæ* a. 1272. vendidit. Ejus è filio *Aleramo I.* nepos *Heinricus IV. Agnetem*, *Alrami C. ab Hals* filiam

lb. pag. 33.

lb. p. 35. & 36.

liam, uxorem duxit, cujus fratre *Leopoldo* ultimo suæ gentis mortuo, ejus hæreditatem unà cum Johanne Leuchtenbergensi adiit, & in sortem accepit *Lenberg*, *Paumgarten*, *Thann*, *Harbach*, *Genckhoven in Pina*, & curtim in *Moringen* cum decimis. *Heinrico* IV. nati sunt *Alramus*, *Attila* & *Georgius*; priorum progenies in neptibus Alrami *Veronica*, uxore *Wolfgangi Dn. de Waldsee*, & Attilæ *Margarita*, *Heinrico Nothaft de Wernberg* nupta, terminata est. Georgius *Heinricum* V. genuit, avum ex *Heinrico* VI. *Sebastiani*. Hic, ducta in matrimonium *Maria*, *Johannis Dn. de Rorbach* & *Comitis Neoburgi ad Oenum* filia, socero defuncto ejus ditiones militari manu occupavit, sed à Cæsareanis copiis in ordinem coactus, acceptis aliquot aureorum millibus, juri suo renuntiavit. Cæterum è filiis tribus: *Ulrico*, *Wilhelmo*, & *Christophoro*, totidem ramorum fator extitit. Sed *Wilhelmus* natos natorum non habuit. *Christophorus* cum uxore *Anna*, *Friderici Holupp Dynastæ in Mattighoven & Neydeck* filia, dominium *Neydeccense* nactus est, & ex ea suscepit *Joachimum*; quo autore & impulsore *unio hæreditaria* & certa pacta, ad familiæ conservationem collimantia, inter gentiles an. 1565. sancita, eademque à Maximiliano II. Augusto corroborata fuere. Ipse verò, cùm turbato mortalitatis ordine filium nepotem-

que extulisset, anno seculari vitam ramumque terminavit.

6. Diuturnior ac fœcundior *Ulrici* propago fuit: is è *Veronica*, *Johannis L. B. ab Aichberg* filia, cum qua dominium *Seldenau* dotis loco accepit, gnatos duos genuit *Carolum* & *Alexandrum*; ille quidem nullos è gnato *Leonhardo* vidit nepotes; hic autem *Johannem* & *Ulricum* procreavit. Prior pater fuit *Heinrici*, quo nati sunt *Fridericus Casimirus*, *Johannes Philippus* & *Heinricus*, qui omnes cœlibes decesserunt; *postremus* enim in pugna ad *Floriacum* an. 1622. occubuit; *medius* sub Rege Sueciæ legionem ductavit, cumque a. 1631. d. 13. Jun. post profligatam ad *Werbenam* turmam equitum Cæsareorum, pulvere & sudore perfusus, ut calidum corpus ablueret, in Albim descendisset, morbum è subita mutatione contraxit, quo *Berolini* paucis pòst diebus exanimatus est; *Fridericus Casimirus*, quem agnatus *Joachimus* adoptaverat, an. 1658. è vivis excessit.

7. Ab *Ulrico* descendunt, qui in præsentia ex hac stirpe superant, inter quos *Senior familiæ*, *Regensq; Comes est*

CHRISTIANUS *Antiquioris prosapiæ* (deß Aeltern Geschlechts / quo titulo ad differentiam Salmancidarum & Widmanniorum Comitum Ortenburgicorum uti cœperunt) *Comes in Ortenburg*, *Dominus in Seldenau*

nau, *Neydeck & Eggelheim*, *Electoris Bavariæ Consiliarius*, *Camerarius*, *& Vicarius in Ducatu Palatinatus Superioris*. Is an. 1616. d. 20 Nov. in lucem prodiit, & patrem habuit *Georgium*, Ulrici filium, matrem *Annam Mariam Leiningiam*. Connubio sibi junxit *Mariam Catharinam*, *Johannis C. Fuggeri & Mariæ Eleonoræ Hohenzollerianæ* filiam, è qua sobolem nullam sustulit.

8. Sustentat autem spem familiæ ejus è fratre nepos GEORGIUS PHILIPPUS, *antiquioris prosapiæ Comes in Ortenburg*, &c. *Georgij Reinhardi*, an. 1666. d. 4. Sept. mortui, filius unicus, ex *Esthere Dorothea C. Criechingensi* an. 1655. d. 10. Sept. in lucem susceptus. Hic pii parentis, externa magis professione quàm animo Romanis sacris addicti, sedula cura rudimentis Evangelicæ fidei imbutus, post ejus præmaturam mortem à provida matre, ne in Pontificiorum manus incideret, & fidei purioris jacturam faceret, unà cum sororibus ad Eberhardum D. Wirtenbergensem missus fuit; à quo benignè exceptus in Tubingensi Academia aliquandiu substitit. Nunc autem peregrinationi vacare perhibetur.

9. Sorores ejus *Anna Sibylla* & *Anna Elisabetha* innuptæ è vita migrarunt, illa anno 1672. hæc an. 1673.

10. *Scutum* Comitum illorum *quadripar-*

titum

Spen. l. c. *titum* est: area 1. & 4. *rubea baltheum diagonalem dextrum argenteum, utrinq; alternatim pinnatum* exhibet & *Ortenburgum in Bavaria* denotat; 2. & 3. *argentea*, continet *triangulum rubeum ex angulis laterculi inferioribus in supremum capitis marginem lineis nonnihil curvatis ductum, inscriptis alis tribus, quæ in argento rubent, infima in minio candet*: hoc symbolo *Ortenburgum in Carinthia* designari credunt. *Galeæ* imponuntur *tres coronatæ, prima* gentilitia *sustinet jugum alarum nigrarum complicatum & foliolis aureis sparsum; mediæ* insilit *pavo caudam in orbem extendens; extremæ* incumbit *stella aurea inter alas argenteam & rubeam posita. Phaleræ* circumvolitant primam caitidem *aureæ & atræ*, cœteras *rubeæ & argenteæ.*

11. Non prætereunda extremo loco est controversia, quæ Comitibus Ortenburgicis à Ducibus Bavariæ de *immedietate* seculo superiore mota, & per sententiam an. 1573. d. 4. Mart. in *Camera Imperiali* latam, definita fuit; qua Comites, quantum quidem Ortenburgicum Comitatum attinet, pro *Comitibus immediatis Imperij* declarati sunt, Ducibus autem perpetuum silentium impositum est. Unde non solum inter Imperii Ordines in Matricula recensentur, sed & Recessibus Imperii subscribere, & in diætis *Circuli Bavarici*, sub quo comprehenduntur, comparere solent. CAP.

CAP. XIII.

DE COMITIBUS RHENI ET SILVARUM.

ANtiquissima *Rhein- & Wildgraviorum* stirps, de cujus origine conjunctione & incrementis *superiùs* occasione *Principis Salmensis* quædam dicta fuere, in ramos duos capitales *Mærchingensem* & *Dauhnium* abiit; quos *Johannes* VI. & *Johanna Sarvverdana* multarum ditionum hæres proseverunt per filios *Johannem* VII & *Philippum*. Ex utroque autem ramo plures subinde propullularunt palmites: *Mærchingensis in Johannis* VII. (qui annum 1492 natalem habuit) filiis *Johanne* VIII. & *Thoma Mærchingensem* *speciatim* sic dictum & *Kirburgensem* palmites edidit, è quibus tamen *posterior* citò exaruit, cum ejus conditor *Thomas* an. 1553 fato functus non nisi sequioris sexus sobolem post se reliquisset. Restauratus ille deinceps est ab *Ottone:* is etenim *Johanne* VIII. an 1538. natus & an. 1579. mortuus ex *Ottilia Nassovia* numerosæ prolis parens fuit, & inter alios *Johannis* IX. & *Johannis Casimiri*, è quibus hic *Kirburgum* sortitus, progeniem inde cognominatam habuit; gnatas nempe sex, filios duos. Ex illis *Lib. 5, c. 5.*

lis quatuor ad justam ætatem pervenere: (1.) *Sophia Juliana*, quæ an. 1665. d. 19. Aug. innupta mortem obiit, (2.) *Anna Catharina*, conjux *Eberhardi D. Wirtembergici* & an. 1655. defuncta, (3.) *Anna Claudia*, nupta *Johanni Jacobo C. de Rappoltstein* atque an. 1673. d. 8. Jun vivis exempta, & (4.) *Agatha Alberto Ludovico C. Criechingensi* elocata.

2. E filiis *Johannis Casimiri* major natu, *Johannes Ludovicus*, Locumtenens Chiliarchæ *Tupadelii* fuit, & an. 1641 in velitatione ad *Quedlinburgum* globo trajectus occubuit; alter *Georgius Fridericus* matrimonium bis contraxit: prius cum *Anna Elisabetha C. de Stolberg*, quæ an. 1671. d. 16. Dec. naturæ concessit, posterius an. 1673. cum *Johanna Elisabetha Falckensteinia*, *Georgii Wilhelmi C. Leiningio-Dagsburgici* vidua. Ex hac liberos nullos, ex illa verò filias tres, an. 1681. d. 3. August. vitæ munere perfunctus, post se reliquit, nimirum

I. *Mariam Agatham*, n. 1641 & *Hermanno Francisco C. in Manderscheid & Keil* elocatam.

II. *Annam Elisabetham*, n. 1642. nunc viduam *Ernesti Ludovici C. Criechingensis.*

III. *Fridericam Iulianam*, n. 1650. nuptam an 1673 *Leopoldo Philippo Wilhelmo* agnato in *Grumbach.*

Atque hanc fœminarum trigam, post patri

tris fata, in ejus ditionem à *Simone* Ministro Gallico, remoto agnato Mœrchingensi, legitimo in feudis successore, immissam fuisse, nuntiatum est.

3. *Johannes*, Johannis Casimiri Kirburgensis frater natu major, *Mœrchingensem* lineam continuavit, pater ex *Anna Catharina Crichingensi* aliquot liberorum, è quibus filiæ duæ *Dorothea Diana* & *Anna Amalia* mulieres factæ sunt, ceu è *tabula* pater, nunc autem vivere desierunt, *prior* quidem an. 1672. d. 19. Dec. *altera* verò an. 1676. tertia *Maria Elisabetha* innupta an. 1679. superstes adhuc fuit. E filiis inclaruerunt *Otto Ludovicus* & *Johannes Philippus*, strenui bellatores, & militaris disciplinæ admodum periti: hic sub Duce Vinariensi *Generalis Excubiarum Præfectus* in pugna ad *Rheinfeldam* an. 1638. desiderarus fuit, cum biennio antè filius ipsi unicus è *Maria Juliana Erpacensi* natus esset *Bernhardus Ludovicus*, qui vicesimo ætatis anno in Polonia pro Suecis militans occubuit. *Otto Ludovicus* militiæ equestris Suecicæ *Generalis* fuit, atque an. 1634. post res in Alsatia superiore fortiter & prosperè gestas, d. 6. Oct. *Spiræ Nemetum* fatorum legem implevit, uxore sua *Anna Magdalena Hanoica*, quam *Lotharii B. Criechingensis* viduam duxerat, quæque an. 1672. demum obiit, gravida relicta, ea mensibus expletis filium peperit,

rit, qui solus ramum *Mœrchingensem* nunc sustinet.

4. Iseſt JOHANNES X. *Comes Rheni & Silvarum, Comes in Salm, Dominus in Vinstingen.* Prodiit in lucem d. 17. Apr. an. 1635. Cùm bello tricennali ditione sua à Carolo D. Lotharingiæ spoliatus fuisset, eò quod patruus agnatique in Suecorum ac Gallorum castris militabant, habita ejus in *Instrumento Pacis* est ratio, mandatumque, ut in Dynastiam *Mœrchingen cum pertinentiis & cætera omnia jura à vicinis usurpata* restitueretur; cunctante verò & novas semper moras interponente Duce Lotharingiæ, demum an. 1659. Deputatis Imperii Statibus Francofurti *libellum memorialem* exhibuit, & pro exarandis ea propter literis *interventionalibus* ad Regem Galliæ rogavit; cui petitioni cum illi locum dedissent, tandem sua recepit; nuperis autem turbis Gallicis in novum iterum discrimen incidit. Connubio sibi junxit an. 1669 d. 27. Dec. *Elisabetham Johannam, Leopoldi Ludovici C. Palatini in Veldenz*, & *Agathæ Christinæ Hanovicæ* gnatam, è qua prolem non suscepit, neque etiam ejus contubernio uti dicitur.

5. *Dauhnium* ramum quod concernit, diductus is est in palmites tres: *Neufvillensem, Grumbacensem*, & *Dauhnium* speciatim

sic

sic dictum, à nepotibus *Philippi*, qui ramum condidit, è *Philippo Francisco* & *Maria Ægyptiaca Oetingensi* prognatis; videlicet: *Friderico*, *Johanne Christophoro*, & *Adolpho Heinrico*. *Neufvillensis* iterum divisionem passus est: *Fridericus* enim, an. 1608. defunctus, inter plures alios filios duos habuit, mascula progenie auctos: *Philippum Ottonem* & *Fridericum Magnum*. Ab *illo* descendunt *Principes Salmenses*, de quibus *superiùs* actum fuit. *Hic* Ordinibus fœderati Belgii operam suam addixit, & *Trajecto ad Mosam* usque ad extremum vitæ spiritum præfuit, hunc autem an. 1673 d. 25. Jan. edidit. In thalamum induxerat *Margaritam*, *Jacobi Taisart*, *Baronis de Tournebeuff* filiam, è qua gnatos duos, *Fridericum* & *Carolum Florentinum* suscepit. *Prior* Equitum Magister auspiciis Batavorum fuit, & anno 1665 m. Nov. scelere tubicinis *Comitis de Langerac* vitam amisit. *Lib. V. c. 5.*

6. *Carolus Florentinus* copias pedestres Ordinum Generalium ductavit, & nupero adversus Gallos bello multa egregia fortitudinis documenta edidit; sed dum *Trajectum ad Mosam*, à Gallis occupatum, recuperare niteretur, & obsidionem magno acrique conatu urgeret, grave vulnus accepit, quo, *Petershemium* deportatus, post diem primum & vicesimum, qui fuit 4 Sept. an. 1676.

expiravit, magno sui desiderio relicto. Matrimonium ejus tenuit *Maria Gabrielis Lalana, Alberti Francisci C. ab Hochstraten* filia, & ob fratris unici amentiam hæres; quæ maritum ad *Pontificiorum* sacra abduxit, eique cum filio sedecim circiter annorum, duabusque gnatis superfuit. Nomina liberorum rescisce non fuit integrum; filiarum autem alteram *Philippo Carolo Friderico Spinolæ C. de Brouay* nuptui collocatam esse accepimus.

7. *Grumbacensis* palmitis sator *Johannes Christophorus* ex uxore *Dorothea Masnfeldia* filios tres genuit, è quibus *Johannes* familiam propagavit, pater ex *Anna Juliana Mansfeldia* filiarum duarum & marium trium; illarum altera *Dorothea*, virgo decessit, altera *Juliana, Georgio Wilhelmo C. Palatino* desponsata, ab eodem paucis post diebus, vitio, quod *Johannes Ludovicus* agnatus ipsi obtulerat, cognito, repudiata fuit, dudumque vivis excessit. E filiis *Adolphus* solus in conjugio vixit, ducta *Anna Juliana, Wolfgangi Fridrici* agnati in *Dauhn* filia; è qua liberos quindecim sustulit, & an. 1668. d. 16. Nov. vitam cum morte commutavit. Filii ejus sex fuere: quorum natu maximus *Georgius Fridericus* superstes quidem est, sed lingua & mente captus; *Johannes Adolphus* & *Adolphus Heinricus* natu minimi (ille an. 1657. d. 26. Nov.

Nov. hic an. 1663. d. 19. Oct. natalem habuit) in prima ætate extincti sunt; reliqui mox enumerandi superant. E filiabus quatuor vita excesserunt, videlicet *Maria Magdalena*, n. 20. Oct. 1645. *Elisabetha*, n. 4. Nov. 1646. *Christina Amalia*, n. 30. Nov. 1648. & *Dorothea Sophia*, n. 24. Apr. 1651. Cæteræ quinque in vivis adhuc sunt.

8. Potiores itaque partes inter superstites nunc tenet, & *Grumbaci* imperat LEOPOLDUS PHILIPPUS WILHELMUS, *Comes Rheni & Silvarum, Comes in Salm, Dn. in Vinstingen*, natus an. 1642. d. 16. Dec. Sociavit sibi jugali fœdere *Fridericam Julianam* agnatam *Georgii Friderici Kirburgensis* & *Annæ Elisabethæ Stolbergiæ* gnatam, ex qua hactenus genuit

I. *Fridericam Agatham Elisabetham*, n. 25. Maji an. 1674.

II. *Carolum Ludovicum Philippum*, n. 27. Maji, an. 1678.

9. Fratres illius, *Fridericus Wilhelmus*, nat. 11. Oct. 1644. & *Iohannes Georgius*, n. 11. Nov. 1647. vivunt cœlibes; ille in *Rheingrafenstein*, hic in *Greevveiler*.

10. Sororum quinque superstitum nomina hæc sunt: (1.) *Juliana* n. 1. Febr. 1650. nupta d. 4. Jul. 1670. *Rudolpho Wilhelmo Dn. de Stubenberg*, & an. 1677. d. 28. Jan. vidua

facta. (2.) *Anna Amalia*, n. 9. Dec. 1652. (3) *Anna Dorothea*, n. 31. Mart. 1654 (4) *Eleonora Christina*, n. 24 Maji 1656. (5) *Anna Elisabetha*, n 13. Jul 1660.

11. Recensendus superest *Dauhnius* palmes: hujus conditor *Adolphus Heinricus* ex uxore *Johanna Nassovia* genuit, præter alios liberos, filiam *Elisabetham*, ter maritatam, atque an. 1656. mortuam; & gnatum *Wolfgangum Fridericum*. Is matrimonium bis contraxit, prius cum *Elisabetha Solmensi*, a 1636. d. 25. Jul. defuncta, posterius cum *Johanna Hanovia*; cui quidem non diù supervixit, sed an. 1637. d. 24. Oct. octavo & quadragesimo ætatis anno naturæ debitum persolvit. E secunda conjuge liberos nullos, è prima verò septem suscepit, filios nimirum quatuor, gnatas tres. Harum duæ è seculo exierunt; nempe *Anna Juliana*, *Adolpho* agnato *Grumbacensi* elocata, an. 1669. & *Amalia Margarita*, Canonissa Gandersheimensis, an. 1674. Tertia *Ludovica*, d. 9. Nov. an. 1631. nata, vivit in conjugio *Georgii Augustini Dn. de Stubenberg*, cui an. 1663. d. 12. Jul. nupsit. (Notandum: *Elisabetham*, quæ in *tab. Rittershus.* inter *Wolfgangi Friderici* filias recensetur, expungendam esse, utpote inter illius sorores jamdum enumeratam.)

12. E filiis *Wolfgangi Friderici* tres patris

fata

fata præverterunt, primogenitus autem *Johannes Ludovicus* ei in regimine ditionis successit. Is primis nuptiis sibi junxit *Elisabetham* agnatam, *Johannis Georgii è Neufvillensi* linea filiam & præcipuam hæredem, vigore testamenti à patre, mascula prole destituto, an. 1647. conditi; quod tamen posteà ab agnatis impugnatum fuit, quemadmodum *Sprengerus* in *Lucerna moderni Status Imp.* retulit. Secundas nuptias *Johannes Ludovicus* celebravit cum *Eva Dorothea Hohenloica*, quæ marito annos quatuor supervixit, & anno demum 1678. d. 5. Febr. mortalitatem exuit, cum ille an. 1674. m. Nov. *Viennæ* rebus humanis exemptus fuisset. E conjugio priore liberi quinque, è posteriore sex provenerunt: primogenitus *Fridericus Wilhelmus*, (qui erroneè *Philippus* in *tabula* vocatur) à Lotharingicis militibus, turbis superioribus, trucidatus est. *Heinricus Ludovicus* in infantia, *Leopoldus* autem *Wilhelmus* octavo & decimo ætatis an. obierunt. *Carolus Ludovicus* & *Wolfgangus Philippus*, è secundo matrimonio nati, itidem decesserunt; ille nona, à nativitate, septimana, hic ætatem ad tertium & decimum annum produxit: inter sorores autem horum germanas *Juliana* vivere desiit, reliquæ tres superant: np. (1.) *Eleonora Sophia Dorothea*, n. an. 1653. nupta *Heinrico Casimiro*, *Pincer-*

pag 643. & 658.

na Limburgico, in Suntheim, nunc vidua, (2.) *Dorothea Walpurgis*, n. 2. Aug. 1654. & (3.) *Iohanna Philippina*, n. 6 Aug. 1667. innuptæ.

13. E priore *Johannis Ludovici* conjugio superstites sunt: *Anna Sibylla Florentina*, n. an. 1648. nupta *Philippo Godofredo C. de Castel*, quo an. 1681 orbata fuit, & filius unicus, nunc *Dauhnii* regens, nempe JOHANNES PHILIPPUS *Comes Rheni & Silvarum, Comes in Salm, Dn. in Vinstingen:* is an. 1645. lucem aspexit, & *Annam Catharinam, Johannis Ludovici C. Nassoviæ in Ottweiler*, è *Dorothea Catharina Palatina*, filiam, fratri ejus majori natu desponsatam, in thorum induxit, atque ex ea hactenus procreavit

I. *Ludovicum Philippum*, n. 23. Nov. 1672.
II. *Sophiam Dorotheam*, n. 28. Jun. 1674.
III. *Carolum*, n. 21. Sept. 1675.
IV. *Christianum*, n. 11. Nov. 1677. †.
V. *Philippum Magnum*, n. 14. Febr. 1679.
VI. *Christianum Ottonem*, n. 14. Apr. 1680.

14. *Scuto* Rheingravii communi, eodemque cum *Principe Salmensi*, quod *suprà* delineatum fuit, utuntur; sub *Circulo* etiam eodem, quo ille, *Rhenano* scilicet *superiore* compre-

prehenduntur: id de cœtero eximium habent, quod *Palatinatus ad Rhenum Mareſcalli hæreditarij* audiunt. *Auguſtanam* denique confeſſionem omnes, ſola *Neufvillenſi* linea excepta profitentur.

CAP. XIV.

DE COMITIBUS RUTHENIS A PLAWEN.

QUæ in *Nariſcorum*, ſive *Variſcorum*, regione à multis jam ſeculis imperitat, illuſtriſſima *Ruthena* gens, ea in cenſu antiquiſſimarum ſemper fuit habita; traditque autor haud proletarius, vix ſibi familiam in Germania cognitam eſſe, quæ *Ruthenam*, *Zolleranam* & *Stolbergicam* vetuſtate ſuperet: neque enim ſolum nomen *Dominorum de Plawen* reperiri inte Comites ac Præſides provinciarum, quos Carolus M. poſt Saxones debellatos, Germaniamque in unum corpus coactam, inſtituit; ſed ipſa quoque diplomata Cæſarea, quibus familia ſuperbit expreſſis verbis teſtari, *Nobiles Dominos de Plawen S. R. Imp. Advocatos ex nobiliſſima & antiquiſſima proſapia Romanorum veteranorum ortos & propagatos eſſe.*

2. Quo verò temporum tractu *Advocati* appellari cœperint, *Alb. Cranzius* indicare videtur: *terra*, inquiens, *eſt Advocatorum*, *Saxon. l. 9. c. 31.*

non longe à Saxonia superiore, quam Primus Heinricus Romanorum Rex subjecit monasterio Dominarum in Quedlenburg, constituens quatuor per terræ angulos totidem Advocatos nobiles, qui Barones dicuntur de Wyda, de Gera, de Russe, de Plavven. Nec desunt, qui suspicantur, in hujus beneficii, ab *Heinrico Aucupe* accepti, memoriam factum fuisse, ut omnes deinceps & singuli ex hac gente *Heinrici* nomine insigniri consueverint. Quamquam vulgatior opinio id nominis ab *Heinrico VI. Imp.* derivare amat, in cujus, utpote consanguinitate sibi conjuncti, memoriam *Bertha, Heinrici Divitis Dn. à Plavven* conjux, precibus à marito impetraverit, ut filiis quatuor, quos ex ipsa suscepit, *Heinrici* nomen inderet, constitueretque, quo id ipsum omnibus ac singulis eorum posteris masculis proprium ac sollemne esset. Hanc ipsam nominis impositionem *Paulus Langius Cygneus, Monachus Bozavienſis*, in *Chronico Ziticenſi*, rationem tamen sicco prætiens pede, recensuit, cujus verba hoc loco referre operæ pretium erit: *Anno Domini MCXCIII. Heinricus nobilis Dominus de Wyda, & totius terræ Advocatus, præpotens possessor & dominator fundavit monasterium Ordinis Præmonstratenſium, non longe ab oppido Wyda, quod dicitur Milphurt in propria sua possessione; & magnificè locupletando & providendo exaltavit, stabilivit-*

Pag. 701. edit. Pistor.

livitq;. Idem denique Heinricus Senior dictus fuit tanquam excellenti titulo Advocatus, seu vulgariter, Voit de Wyda, *& ita posteri ejus per multa tempora. Nam totam terram Advocatorum, quæ & tunc sicut & nunc* das Voitland *dicebatur & dicitur, possedit. Uxorem habuit Berchtam Comitissam de Tyrol, quæ peperit ei quatuor filios, qui omnes Heinrici dicti sunt; quorum primus post eum sedit in Wyda, secundus in Groyt seu Greiz, dictus Heinricus Reusse, tertius in Plavven, quartus in Gera.* Paulo post: *Notandum est, quod supra dictus Heinricus, Senior videlicet dictus est Heinricus de Weida, eò quod ipse & pater suus transtulerunt à monte S. Viti civitatem nunc trans Elsteram positam: Nam antea vocabantur Comites de Gisberg.*

3. Quæ verò *Rutheni* cognominis sit origo, minùs liquet; neque enim *Heinrici Divitis* filius secundogenitus primus id usurpasse dici potest, cùm ante ejus ætatem illud in usu fuisse, præter citatum *Cranzij* locum, alia etiam Historiarum monumenta testentur; quæ *Russonem* quendam *de Plavven* acerrimo prœlio, an. 1115. apud *Wœlphesholz* commisso, quo Heinricus V. Imp. à Lothario Saxone cladem passus est, interfuisse memorant.

4. Genealogiam gentis, quæ haud ita pridem auspiciis inclutæ familiæ augusta

forma æri inciſa prodiit, mihi autem nondum viſa eſt, *Rittershuſius* ab *Heinrico Comite de Oſteroda*, *Domino in Plavven* inchoavit; cui filios duos *Heinricum Seniorem Advocatum de Weida*, & *Heinricum Juniorem Advocatum de Plavven* tribuit; illi iterum gnatos aſſignat *Heinricum Advocatum de Weida* & *Heinricum Advocatum de Plavven*, alteri verò *Heinricum Advocatum de Gera*. Verùm hic etiam, ſi *Langio* fides, *Heinrico Seniore* ſive *Divite* natus eſt: ita ut quemadmodum à primo *Heinrici Senioris* filio *Advocati de Weida* deſcenderunt, ita à quarto, quem *Rittershuſius* fratris ejus filium dixit, *Advocati de Gera* deſcendiſſe videantur; quod ab acutiſſimo quoque *Spenero* obſervatum fuit. Sed utraque linea *Weidenſis* & *Gerana* ſeculo ſuperiore defecit. Quem alterum *Heinrico Diviti* Rittershuſius tribuit filium *Advocatum de Plavven*, idem fortè eſt, qui Langio tertius. Huic nepotes tres tribuuntur, quorum medius improlis fuit, major autem & minor ſtirpem propagarunt. Illius nepos *Burggraviatum Miſniæ* in lineam ſuam intulit, qui unà cum *Comitatu Hartenſtein* & *Principali* axiomate, regalibusque ei annexis, ab Imperatore *Sigismundo* an. 1426. ipſi collatus fuit, nec niſi cum ejus progenie, quam *Heinricus* ſeptimus *Burggravius*, primi atnepos, a. 1572. cum vita finivit, in familia expiravit.

Op. Har. l. 1. c. 81. §. 3.

5. Mi-

5. Minoris *Heinrici Advocati Plavensis* propago hodienum viret; ejus enim atnepotem *Heinricum*, qui *Junior* cognominatus, & ab an. 1486. usque ad an. 1549. vita fruitus est, omnes, quotquot è familia nunc superstites sunt, *communem parentem* agnoscunt. Is autem è conjuge *Æmilia Mansfeldia* filios præcipuè tres habuit, *Heinricos Seniorem, Medium*, & *Juniorem*, totidem linearum satores; quarum tamen *media* primam generationem non superavit, sed an. 1634. defecit. *Senior* & *Junior* adhuc florent, & qui ex illa prognati sunt omnes & singuli *Seniores*, qui ex hac *Iuniores* cognominari solent, addito, ne ὁμωνυμία nominis incertam reddat gentis historiam, aut numero ex ordine nativitatis, aut nomine loci, quem quisque incolit. Dynastiæ verò, quas linea *Senior* tenet, sunt: Ober- & Vnter-Gratz / nec non *Burck*; quas *Junior* possidet: *Gera*, *Schleiz*, *Lobenstein* & *Salburg*. *Cranichfeldia*, quam ab immemoriali tempore familiam feudo Imperiali obtinuisse diploma Cæsareum, à *Spenero* recensitum, testatur, *Ibid.* §. 7. ad utramque jure communi pertinet. Universæ de cætero ditiones ad *Circulum Saxonicum superiorem* referuntur.

6. *Senioris* lineæ conditor filios *quinque* habuit, è quibus *secundus* & *quintus* illam continuarunt; sed illius posteritas in nepo-

nepotibus iterum defecit. Huic filii itidem *quinque* nati fuerunt, quorum *tres* majores natu cœlibes decesserunt, *quartus* autem & *quintus* ramos proseverunt, prior *Graizensem*, alter *Burckensem*. Graizensis fator *Heinricus* IV. ex *Juliana Elisabetha Rheingravia*, præter gnatas duas, (*Mariam Sibyllam*, *Heinrico* X. Juniori agnato nuptam, & an. 1673. d. 21. Maji mortuam, nec non *Elisabetham Christiano Dn. à Schœnburg* elocatam, & an. 1675. defunctam) filios totidem genuit; è quibus *secundus* brevis ævi fuit, *prior*, cujus nomen sequitur, superstes est.

7. HEINRICUS I. *linea Senioris Ruthenus Comes ac Dn. de Plavia, Dominus in Greiz, Cranichfeld, Gera, Schleiz & Lobenstein*, totius Stemmatis in præsentia *Senior*, Cæsareæ M *Consiliarius*, *Colonellus* & *Supremus Excubiarum Magister*, *Eques Imperii* & *Ordinis Johannitici*, prodiit in lucem an. 1627. Duxit primis nuptiis *Magdalenam Sibyllam*, *Georgii Burggravii de Kirchberg* & *Dorotheæ Magdalenæ Rathenæ* filiam, è qua liberos undecim genuit hac serie:

I. *Heinricum* VI. *Colonellum* Reip. Batavorum, natum an. 1649. d. 7. Aug. maritum *Amaliæ Julianæ Ruthenæ*, *Heinrici* V. *Senioris* filiæ, & *Ferdinandi B. de Biberstein in Forst*

Forſt viduæ, an. 1674. ductæ, è qua filiæ unicæ *Ferdinandinæ Carolæ*, an. 1675. d. 13. Jul. pater factus eſt.

II. *Eliſabetham Dorotheam*, n. 15. Apr. 1651. †. 19 Mart. 1665.

III. *Magdalenam Chriſtianam*, n. 3 Aug. 1652.

IV. *Heinricum* VII. n 11. Dec. 1653. †. 23. Jun 1676

V. *Margaritam Sophiam*, n. 7 Jan. 1655.

VI. *Mariam Iulianam*, n. 4. Febr. 1656.

VII. *Heinricum* VIII. n. 31. Jan. 1657. †. 21 Jan. 1675.

VIII. *Heinricum* IX. n. 12. Aug. 1658. †. 12. Jan. 1675.

IX. *Heinricum* X. n. 7. Aug. 1659. †. 30. Jan. 1675.

X. *Heinricum* XI. n. 1665. †. 1668.

XI. *Heinricam Carolam*, n. 29. Oct. 1666. †. 1668.

8. Poſt *Kirchbergiæ* obitum duxit *Heinricus* I. ſecundis nuptiis *Sibyllam Julianam*, *Chriſtiani Guntheri C. Schvvarzburgici in Arnſtad*, & *Sophiæ Dorotheæ Merſpurgiæ* gnatam, è qua ſuſcepit

I. *Heinricum* XII. n. 17. Jun. 1669. † 7. Oct. 1678.

II. *Sophiam Iulianam*, n. 15. Dec. 1670.

III. *Claram Dorotheam Heinricam*, n. 24. Dec. 1671.

IV. *Jo-*

IV. *Iohannam Carolam*, n. 12 Oct. 1672.
V. *Elisabetham Dorotheam*, n. 9 Sept. 1673.
VI. *Heinricum* XV. n. 2. Jan. 1676.
VII. *Christianam Eleonoram*, n. 13 Mart. 1677.
VIII. *Heinricum* XVI. n. 4 Oct. 1678.

9. Qui *Burckenfem* ramum profevit *Heinricus* V. an. 1667. d. 7 Mart vivis exemptus, ex *Anna Maria Rheingravia* liberorum octo pater factus est; fœminæ tres fuere, quarum duæ breve vitæ spatium sortitæ sunt, tertia *Amalia Juliana*, nat. 6 Oct 1636 vivit in conjugio agnati *Heinrici* VI. cui post *Ferdinandi Biberfteinii* prioris mariti fata, ceu jam dictum est, nupsit. E filiis masculis *tertius* brevis ævi fuit; *primus* Tribunus Equitum in Belgio meruit, & an. 1659. in oppido *Charleroy* duello congressus occidit. *Quartus* Colonellus & Generalis Excubiarum Præfectus in exercitu Ducum Lunæburgensium, & Gubernator *Brunfuigæ* fuit, atque in expeditione Gallica an. 1675. d. 21. Febr. febri maligna extinctus est, felicitis ex *Anna Dorothea B. de Ruppa* filiis duobus posteà nominandis. Reliqui duo superant.

10. HEINRICUS II. *Senioris lineæ Ruthenus Comes & Dn. de Plavven* &c. hausit auram vitalem an. 1634. d. 8. Jan. & connubio sibi junxit agnatam *Elisabetham Sibyllam*, *Hein-*

Heinrici II. Sen. & *Magdalenæ à Putbus* filiam, quæ non nisi fœmellas duas marito peperit:

I. *Annam Magdalenam*, n. 26. Jul. 1656. † 2. Febr. 1657.

II. *Evam Æmiliam*, n. 23. Jan. 1667.

11. HEINRICUS V. *Sen. lin. Ruthenus Comes & Dn. de Plavven* &c. *Colonellus Ordinum fœderati* Belgii, natus est an. 1645. d. 19. Apr. atque an. 1678. connubio sibi sociavit Cellæ Lunæburgicorum *Angelicam Desmier*, *Alexandri Dn. ab Olbreuze* & *Jacobinæ Poussard* filiam, Ducissæ Cellensis sororem.

12. HEINRICUS XIII. *Sen. lin Ruthenus Comes & Dn. de Plavven* &c. *Heinrici* IV. & *Annæ Dorotheæ B. de Ruppa* filius natu major, lucem vitalem hausit an. 1672. *Heinricus* XIV. ejus frater, an. 1673. natalem habuit.

13. Recensui lineam Seniorem, veniendum est ad *Iuniorem*: hujus autor *Heinricus Junior*, cùm an. 1572. satis concessisset, uxorem *Dorotheam Solmensem* gravidam post se reliquit, quæ posteà filium enixa est, *Posthumum* cognominatum. Is numerosæ soboli parens fuit, & è conjugio secundo *Magdalenæ Schvvarzburgicæ* filiorum præcipuè quatuor, *Heinricorum* II. in *Gera*, III. in *Salburg*, IX. in *Schleiz*, & X. in *Lobenstein*. Ex his

his *Schleizenſis* ætatem in cœlibatu peregit, & an. 1669. d. 9. Jan. mortem obiit; à cæteris tribus totidem rami orti ſunt.

14. Primum nunc locum nativitatis ordine obtinet

HEINRICUS I. *Junioris lineæ Ruthenus Comes & Dn. de Plavven, Dn. in Graiz, Cranichfeld, Gera, Schleiz & Lobenſtein.* Susceptus est in lucem ab *Heinrico* III. *Salburgenſi* & *Juliana Eliſabetha Rheingravia* an. 1639. d. 26. Mart. Post patrui *Heinrici* IX. fata domicilium Salburgo *Schleiziam* transtulit, Marchionis Brandenburgici Beruthini Consiliarius & Capitaneus Provincialis Curiensis (zum Hoof) fuit. Matrimonium prima vice contraxit a. 1662. d. 9. Febr. cum *Esthere, Julii III. C. ab Hardeck*, ex *Johanna Susanna* agnata, filia, è qua genuit

I. *Mariam Catharinam*, n. 2. Maji 1663. †. 13. Jun. e. a.

II *Magdalenam Iulianam*, n. 16. Jul. 1664. †. 29. Jun. 1665.

III. *Evam Mariam*, n. 4. Aug. 1666. †. 12. Jul. 1667.

IV. *Æmiliam Agnetem*, n. 11. Aug. 1667. nuptam an. 1682. *Erdmanno Sigfrido C. de Promnitz.*

V. *Heinricum*, XI. n. 12. Apr. 1669.

VI. *Sophiam Magdalenam*, n. 28. Aug. †. 12. Nov. 1671.

VII.

VII. *Susannam Mariam*, n. 5. Jun. 1673. †. 13. Maji 1675.

15. Mortua an. 1676. d. 21. Sept. *Esthere Hardeccensi*, duxit *Heinricus* I. sequentis anni d. 23. Aug. illius agnatam *Maximilianam*, *Philippi C. Hardeccensis* & *Evæ Mariæ Sinzendorfiæ* gnatam, cujus contubernio annuo tantùm spatio fruitus est, oppressa enim fuit morte an. 1678. d. 27. Aug. cum d. 22. ejusdem mensis filiolum *Heinricum* XIX. postridiè nativitatem iterum extinctum, peperisset. Ad tertia itaque vota *Heinricus* I. transiit, & thoro an. 1680. induxit *Annam Elisabetham*, *Rudolphi C. Sinzendorfii* & *Evæ Susannæ Zinzendorfiæ* gnatam, quam itidem hoc ipso anno 1683. filiorum duorum matrem (ceu accepimus) factam, fatorum iniquitas rapuit.

16. Qui illum nascendi sorte excepit *Heinricus* II. *Geranus* Βεαχύβιος fuit; succedit ergò *Lobensteinensis*

HEINRICUS III. *Iun. lin. Ruthenus, C. & Dn. de Plavven* &c. *Heinrici X. in Lobenstein*, an. 1671. d. 28. Jan. defuncti, è *Maria Sibylla* agnata, filius primogenitus, natus an. 1648. d. 16. Sept. Is fœdere jugali an. 1673. d. 22. Oct. sibi sociavit *Christinam Mariam*, *Georgii Wilhelmi C. Leiningio-Westerburgici* & *Sophiæ Eleonoræ Lippiensis* gnatam; è qua pater factus est sequentium liberorum:

I. *Heinrici* XV. n. 24. Sept. 1674.
II. *Mariæ Sophiæ*, n. 12. Nov. 1675.
III. *Heinrici* XVII. n. 13. Dec. 1676.
IV. *Christianæ Elisabethæ*, n. 16. Jan. 1678.
V. *Heinrici* XXI. n. an. 1679.

17. HEINRICUS IV. *Iun. lin Rhuthenus C. & Dn. in Plavven* &c. *Geræ* sedem habet; is editus est in lucem an. 1650. d. 13. Mart. à parentibus *Heinrico* II. in *Gera*, Stemmatis totius *Seniore*, qui an. 1670. d. 28. Maji mortalitatem exuit, & *Catharina Elisabetha Schvvarzburgica*. Nuptias an. 1672. d. 19. Jun. celebravit cum *Anna Dorothea*, *Antonii Guntheri C. Schvvarzburgici* in *Sondershausen*, & *Mariæ Magdalenæ Palatinæ* gnata; è qua procreavit

I. *Heinricum* XIII. n. 18. Maji 1673. †. 13. Jun. 1674.
II. *Heinricum* XIV. n. 25. Aug. †. 29. Oct. 1674.
III. *Heinricum* XVI. n. 19. Mart. 1676. †. Nov. 1677.
IV. *Heinricum* XVIII. n. 21. Mart. 1677.
V. *Heinricum* XX. n. 23. Nov. 1678.

18. *Heinricus* V. *Rhutenus*, *Lobensteinensis* frater, *Capitaneus* sub Principe Saxo-Gothano, an. 1672. d. 31. Jan. fatorum legem implevit. *Heinricus* VI. è *Geranis*, & VII. è *Lobensteinensibus* brevis ævi fuere.

19. HEIN-

19. HEINRICUS VIII. *Iun. lin. Ruthenus*, frater *Lobenſteinenſis*, an 1652. d. 20. Maji natus, vivit in conjugio L. *Baroniſſæ de Bodenhauſen*, quam an. 1679. duxit.

20. *Heinricus* IX. ejus frater, brevi vitæ uſura gaviſus eſt.

21. Reſtat HEINRICUS X. *Jun. lin. Ruthenus*, itidem *Lobenſteinenſis* frater, isque natu minimus; hic auram vitalem an. 1662. m. Nov. hauſit, & cœlibem adhuc vitam ducit.

22. Fœminæ è *Juniore* linea ſuperſtites, ſextum implent numerum, omnes innuptæ; ex his duæ ſorores ſunt *Heinrici* IV. in *Gera*, nempe *Iuliana Dorothea*, n. 11. Febr. 1649. & *Chriſtiana Sibylla*, n. 9. Maji 1653. Reliquæ *Lobenſteinenſes* fratres habent, videlicet *Magdalena Dorothea*, n. 29. Aug. 1653. *Heinrica Iuliana*, n. 30. Nov. 1654. *Eleonora* & *Friderica Sibylla*, gemellæ, natæ 7. Sept. 1661.

23. *Scutum* Ruthenicum *quadripartitum* eſt; area 1. & 4. *nigra leonem aureum rubeis corona, falculis & lingua* exhibet, quod vetus θῆγμα *Ruthenorum* eſt; 2. & 3. *argentea gruem auream* continet, notando dominio *Granichfeldenſi*. *Galeæ* incumbunt *duæ*, *dextra* laciniis *argenteis* & *nigris* ornata *caput* & *collum moloſſi*, cujus anterior pars *argentea*, poſterior

nigra est, sustinet; *sinistræ* insistit *grus octo taeniis diagonalibus distincta*, quarum tres *cocco*, totidem *argento*, duæ *auro* alternatim tinguntur, laciniis dependentibus *rubeis* & *aureis*.

CAP. XV.

DE DYNASTIS A SCHOENBURG.

ILlustrissimi *Schœnburgii* jam à longo tempore inter immediatos Imperii Ordines, & *Circuli Saxonici superioris* membra locum obtinent, tractumque in Germania *Misniæ* & *Voitlandiæ* interjectū possident. Eorum antiquitatem qui extollere satagunt, jam dum Caroli M. ævo eos floruisse perhibent: Vulgatior sententia à priscis *Bohemiæ Ducibus* eos derivare amat, & *Theobaldum*, Wladislai, quem Imperator Fridericus Barbarossa an. 1159. Regem Bohemiæ dixit, fratrem, familiæ autorem constituit, per filium *cognominem*, à quo castrum gentilitium *Schœnburg* extructum fuerit. Quo autem monumento historico hæc opinio nitatur, mihi non liquet: quamvis enim crebram & præclaram *Theobaldi* hujus mentionem apud Scriptores rerum Bohemicarum repererim, nullus tamen visus adhuc mihi est, qui in ejus poste-

ris

ris *Schœnburgios* enumeraverit; id potiùs memorant, *Theobaldum*, Wladislai Regis fratrem, *Svvihoviæ* stirpis, quæ hodienum in Bohemia viget, fatorem extitisse; fidem asserto faciam verbis *Bohusl. Balbini*, Viri eruditissimi atque integerrimi sui ordinis; sic autem is in *Epitome rerum Bohem.* fatur: *Wladislaus Theobaldi, fratris sui natu minimi, bellicam virtutem, quam in Praga defendenda satis probaverat, remuneraturus, an. 1143. eidem ac posteris regionem Clatovienſem & Prachenſem in Bohemia donavit; ab hoc Theobaldo (qui postea in castro Rabi sedem fixit) illustrissima gens* Swihowskiorum *ritè ac legitimè linea semper masculina ad nos usque descendit.* Posteà de ejus nepote *Theobaldo* III. (quem itidem inter *Schœnburgiorum* majores communiter numerant) regnum adversus Przemyslaum Ottocarum, instinctu Dieterici M. Misniæ, affectante verba faciens, eum *primæ & Regiæ Nobilitatis apud Bohemos, juvenem ex Svvihoviorum familia*, appellat. Id quidem, prælaudato Viro indice, mihi constat, habuisse olim *Schœnburgios* aliquas in Bohemia possessiones, nominatim arcem *Hassenstein*, quæ demum Wenceslai Imperatoris ac Regis jussu eis erepta in *Poppeliorum* ditionem transiit; quemadmodum *superiùs* dictum fuit. *Lib. 3. c. 10. p. 226.* *Ibid. c. 13. p. 250.* *Lib. V. c. 4.*

2, Qui hodiè è familia superstites sunt

communem parentem agnoscunt *Ernestum*; is *Viti Domini in Schœnburg*, à quo *Rittershusius* tabulam orditus est, abnepos fuit, & ab an. 1483. usque ad an. 1534. vixit, Dominus Dynastiarum *Glaucha*, *Hartenstein*, *Waldenburg* & *Liechtenstein*, quibus uxorio jure oppidum *Penick*, ad *Muldam Schneebergicam* situm, adjecit; habuit autem in conjugio *Amaliam*, *Hugonis ultimi Burggravij Leisnicensis* filiam. E gnatis tribus, *Georgio*, *Hugone*, & *VVolfgango*, totidem lineas prosevit, nempè *Glauchensem*, *VValdenburgicam* & *Penicensem*. Verùm *Georgius*, qui an. 1522. natus atque an. 1585. mortuus est, è filio *Johanne Hoyero*, licet maritato, sed ante patrem defuncto, nullos vidit nepotes. Ejus liberis in *tab. Rittershus.* enumeratis addi debet *Margarita*, è secundo conjugio anno 1558. genita, *Johanni Georgio C. Solmensi* in *Laubach* elocata & an. 1606. extincta.

3. *VValdenburgicus* ramus in tres iterum abiit palmites, videlicet *VValdenburgicum* speciatim sic dictum, *Hartensteinensem* & *Liechtensteinensem*; quos *Hugonis* filii condiderunt *Georgius*, *Hugo* II. & *Vitus*. *Georgii* quidem *VValdenburgici* posteritas in ejus filio *Hugone* iterum defecit; is enim vitam, quam an. 1591. d. 29. Jan. acceperat, an. 1644. d. 29. Dec. finivit, nullis è conjuge

ge sua *VValpurgi Eberſteinia*, (quæ in *tabula* per errorem alii *Hugoni, Hartenſteinenſis* filio tribuitur) liberis ſuſceptis.

4. *Hugo* II. *Hartenſteinenſis* palmitis ſator, an 1606. d. 23. Nov. fatis conceſſit, poſtquam è duplici conjugio, *Annæ Ruthenæ* & *Catharinæ Rheingraviæ*, multam prolem genuiſſet, quam, ob varia quæ in *tabula* circa eam addenda & emendanda veniunt, recenſebo. E *priore* quidem matrimonio liberi tres prodiere (1) *Georgius Heinricus*, qui an. 1587. obiit, (2) *Agnes Dorothea*, n. an 1584. †. an. 1586, (3.) *Anna Dorothea*, n. 28. Dec. 1586. & in infantia mortua. E *poſteriore* autem Hugonis II. conjuge duodecim nati ſunt: (1.) *Georgius Erneſtus*, †. an. 1597. (2.) *Johannes Wolfgangus*, (3.) *Hugo*, hos ambos *Lutetiæ Pariſiorum* an. 1616. mors abſtulit; (4.) *Otto Albertus*, de quo poſtea. (5.) *Anna Maria*, n. an. 1593. (6.) *Chriſtianus Heinricus* in cœlibatu mortuus, (7.) *Amalia*, n. 6. Nov. 1596. (8.) *Anna Ottilia*, n. 17. Mart. 1598. (9.) *Maria Juliana*, n 30. Apr. 1600. (10.) *Vitus*, n. 1. Nov. 1602. †. ἄγαμος 17. Dec. 1651. (11.) *Eliſabetha*, n. 17. Febr. 1605. †. 30. Maji 1639. denique (12.) *Agnes*, n. 27. Jul. 1606. nupta *Chriſtiano* agnato è *Pennicenſi* linea an. 1629. & mortua 3. Mart. 1643.

5. *Otto Albertus* palmitem propagavit

ducta in matrimonium *Erneſtina*, *Heinrici Ruthæi* Junioris poſthumi gnata, è qua liberos novem ſuſcepit, nimirum (1.) *Catharinam Magdalenam*, n. 1640. (2.) *Hugonem Heinricum*, n. an. 1641. hi in vivis eſſe deſiere; (3.) *Erneſtinam*, n. an. 1642. uxorem *Friderici Sigismundi C. Solmenſis*, (4.) *Ottonem Ludovicum*, ſuperſtitem, de quo paulo poſt, (5.) *Julianam Sophiam*, n. an. 1645. †. (6.) *Julianam Mariam*, n. 1646. d. 8. Dec. innuptam & ſuperſtitem, (7.) *Erneſtum Sigismundum*, n. an. 1647. †. (8.) *Agnetem Eliſabetham* n. an. 1648. hæc virgo in vivis eſt, & (9.) *Sophiam Eleonoram*, n. an. 1649. nuptam an. 1667. *Johanni Georgio C. Mansfeldiæ*.

6. OTTO LUDOVICUS *Dynaſta de Schœnburg*, *Dn. in Glaucha & Waldenburg*, qui nunc (ſi quidem parens ejus vivis excеſſit) *caput* eſt *familiæ*, prodiit in lucem an. 1643. d. 16. Sept. & connubio an. 1668. d. 12. Jan. ſibi junxit *Sophiam Magdalenam*, *Georgii Wilhelmi C. Leiningio-Weſterburgici* è *Sophia Eliſabetha Lippienſi* gnatam; è qua ſequentis ſobolis parens factus eſt:

I. *Sophiæ Magdalenæ*, n. 7. Sept. 1669.
II. *Mariæ Eliſabethæ*, n. 13. Jan. 1670.
III. *Ottonis Wilhelmi*, n. 8. Maji, †. 19. Aug. 1671.

IV. *Jo-*

IV. *Iohannæ Augustæ Carolæ*, n. 26. Apr. 1672

V. *Georgii Alberti*, n. 25. Maji 1673.

VI. *Fridericæ Christianæ*, n. 27. Sept. †. 6. Oct. 1674.

VII. *Annæ Iulianæ*, n. 23. Sept. 1675.

VIII. *Christianæ Theresiæ*, n. 17. Oct. 1676.

IX. *Ernestæ Eleonoræ*, n. 2. Nov. 1677.

7. *Liechtensteinensis* palmes in *Viti* ejus fatoris nepotibus exaruit, filius enim, quem unicum habuit, *Georgius Ernestus*, an. 1664. d. 23. Mart. mortuus, prolem ternam, quam è prima conjuge *Benigna Schwanbergia* genuit, turbato mortalitatis ordine extulit: namque *Georgius Fridericus* intra primos vitæ annos extinctus est, *Johannem Ernestum*, an. 1628. d. 1. Mart. natum scelerata latronum manus in Gallia an. 1648. d. 22. Oct. vita privavit, *Catharina* autem *Elisabetha*, *Sigismundo Sigfrido C. de Promnitz* an. 1647. elocata, an. 1650. d. 20. Oct. naturæ debitum reddidit. E secunda autem uxore *Sophia Maria*, *Johannis Georgii C. Solmensis* filia, (quæ vidua facta *Georgio Alberto M. Brandenburgico* in manum convenit) sobolem Georgius Ernestus nullam suscepit.

8. In *Penicensi* linea, *Wolfgangus* ejus auctor, filium *cognominem* habuit, qui multorum

liberorum, in tabula enumeratorum, parens fuit, è maribus septem in conjugio vixerunt, nempe *Wolfgangus Ernestus*, *Johannes Georgius*, *Otto Wilhelmus*, *Joh. Heinricus*, *Joh. Caspar*, *Christianus* & *Wolfgangus Heinricus*. Inter hos *Joh. Georgius*, qui *Rocksburgi* habitavit, & *Susannam*, *Joh. Albini C. Schlikii* filiam, uxorem habuit, *Otto Wilhelmus Benigna Schvvanbergia* maritus, & *Joh. Heinricus*, cui *Maria Sibylla Mansfeldia* thori consors fuit, improles decesserunt. *Johannes Caspar* bis conjugem duxit, primò *Elisabetham* agnatam, è qua, præter filiam *Maximilianam Elisabetham*, *Arvardo Wittenbergio* Ductori Suecico elocatam, filium genuit *Wolfgangum Fridericum*, qui *Annam Genovefam*, *Sigismundi Ludovici B. de Scherfenberg* filiam, in thalamum adscivit, sed ἄπαιδος an. 1655. è vita discessit. Secundis nuptiis Joh. Caspar an. 1636. sibi junxit *Sophiam Mariam*, *Heinrici III. Rutheni Junioris* filiam, è qua suscepit, *Evam Christianam*, *Elisabetham*, *Magdalenam Sophiam*, *Julianam Catharinam*, *Vitum Heinricum* & *Hugonem Wilhelmum*; ex his non nisi fœminæ duæ, nempe *Magdalena Sophia* & *Juliana Catharina*, agnatis *Samueli Heinrico* & *Wolfgango Heinrico* nuptæ, ad justam ætatem pervenerunt, cæteri præmaturè vita caruerunt. *Christianus*, an. 1664. d. 18. Aug. fato functus, itidem bis matrimonium con-

contraxit, prius an. 1629. cum *Agnete*, *Hugonis* agnati filia; posterius cum *Agnete Elisabetha*, *Heinrici IV. Rutheni Senioris* gnata; cum hac an. 1675. defuncta nullos, cum illa verò liberos octo genuit, videlicet (1.) *Catharinam Elisabetham*, nat. 28. Maji 1634. †. 25. Dec. 1636. (2.) *Sophiam Reginam*, n. 26. Apr. †. 16. Dec. 1635. (3.) *Agnetem Beatam*, n. 12. Apr. 1636. nuptam *Godofredo Ernesto* agnato in *Remmissan*. (4.) *Evam Catharinam*, n. 1. Sept. 1637 (5.) *Christianam Mariam*, n 19. Oct. 1638 & *Joachimo Andreæ C. Schlikio* elocatam. (6.) *Eleonoram Constantiam*, n. 19. Oct. 1639. †. 7. Apr. 1640. (7.) *Christianum Heinricum*, n. 21. Oct. 1640. †. 3. Maji 1641. & denique (8.) *Susannam Magdalenam*, nat. 27. Nov. 1641. †. 27. Sept. 1647.

9. A *Wolfgango Ernesto*, & *Wolfgango Heinrico* progenies superat, ille an. 1622. seculo valedixit, relicto post se filio unico, ex *Æmilia Veronica Pappenheimia* suscepto, is est

GODOFREDUS ERNESTUS *Dynasta de Schœnburg*, *Dn. in Glaucha & Waldenburg*; sedem habet in *Remmissan*, uxorem verò *Agnetem Beatam*, *Christiani* patrui sui filiam, è qua pater factus est

I. *Wolfgangi Ernesti.*
II. *Christiani Ernesti.*
III. *Philippi Ernesti.*

IV.

IV. *Agnetis.*
V. *Christianæ.*
VI. *Julianæ.*
VII. *Augusti Ernesti.*

10. *Wolfgangus Heinricus* penatibus suis induxit *Juditham Evam, Heinrici III. Ruthenni Sen.* filiam, atque an. 1657. d. 5. Dec. vitam cum morte commutavit, liberos verò quinque suscepit, gnatas nempe duas *Annam Juditham*, n. 24. Jun. 1641. nuptam Colonello *Luzelburgero*, & *Evam Susannam*, n. 9. Sept. 1644. Filii tres fuere, è quibus natu maximus *Wolfgangus Heinricus* n. 28. Maji 1637. sequentis anni d. 17. Maji iterum decessit, reliqui duo familiam nunc ornant.

11. Prior inter eos nascendi sorte est.

SAMUEL HEINRICUS, *Dynasta de Schœnburg, Dn. in Glaucha & Waldenburg*; Is auram vitalem hausit an. 1642. d. 26. Sept. & fœdere jugali sibi sociavit *Magdalenam Sophiam*, *Johannis Caspari* patrui filiam, è qua fœmella unica, *Sophia Maria*, an. 1676. d. 15. Mart. nata ei est.

12. WOLFGANGUS HEINRICUS, *Dynasta de Schœnburg* &c. illius frater, lucem aspexit an. 1648. d. 14. Jul. & connubio sibi junxit *Julianam Catharinam* agnatam, fratriæ sororem, quæ ei peperit

I. *Heinricam Sophiam*, n. 11. Maji 1670.

II. *Jo-*

II. *Iohannem Casparum*, n. 26. Dec. 1671.
III. *VVolfgangum Heinricum*, n. 13. Dec. 1672.
IV. *Magdalenam Eleonoram*, n. 24. Febr. 1674.
V. *Iulium Heinricum*, n. 6. Febr. 1675.

13. *Scuto* Schœnburgii uti solent simplici, *baltheis binis rubeis & argenteis* exarato; cui incumbit *galea coronata*, sustinens *jugum clarum scutariis baltheis* impressarum. *Laciniæ rubeæ* sunt & *argenteæ*. *Spen. Op. Har. l. 3. c. 13.*

CAP. XVI.

DE COMITIBUS SCHWARZBURGICIS.

FAmiliæ *Schvvarzburgicæ* origines, uti plerarumque illustrium in Germania stirpium, incertæ atque obscuræ sunt, quod quidem ruditati ne dicam? an simplicitati illorum seculorum, in quæ prima Imperii Germanici tempora inciderunt, tribuendum; utpote quibus frigente literatura optimus ac præstantissimus quisque facere quàm dicere, gladium vibrare quam stylum prehendere malebat. Dum itaque, quoties de primis clararum familiarum incunabulis agitur, traditiones ac opiniones regnant, diversæ utplurimum sententiæ emergunt, quod

quod in Schwarzburgica etiam usu venit; hanc enim nonnulli ad *Witekindum* quendam cognomento *Nigrum* referunt, qui à Carolo M. an. 779. captus, sacro fonte ablutus & *Ludovicus* nominatus fuerit, filiosque duos *Witekindum* & *Walpertum*, accepto verò baptismo *Carolum* & *Ludovicum* appellatos habuerit; eis cum Carolus Imp. tractum viginti milliarium in *Thuringico* saltu jure hæreditario possidendũ donasset, à Carolo *Schvvarzburgicam*, à Ludovico autem *Gleichensem* arces extructas fuisse, & utrumque progeniem inde cognominatam ex se genuisse ferunt. Alii Schvvarzburgicos à priscis Comitibus de *Kevernburg*, à castro hujus nominis, cujus rudera prope civitatem *Arnstad* adhuc visuntur, sic dictis, derivare amant, atque ex illis quendam extructa arce *Schvvarzburg*, à novo domicilio nomen mutasse perhibent: cui sententiæ inde robur addi solet, quod *Kevernburgenses* iisdem insignibus usi fuerint, quæ nunc *Schvvarzburgici* gestant, *aureo* scilicet *leone* in scuto *cæruleo*. Kevernburgensium porrò originem vel à Gothis, vel à Gallis, & quidem à *Lotharii* Regis filio sexto *Gundaro* sive *Guntharo* arcessunt.

Henning. Tom. IV. p. 323.

2. Antiqui splendoris sui familia duo illustria habet argumenta; primum idque præcipuum, quod ex ea *Guntherus* ad Augustam digni-

dignitatem an. 1349. eligi meruerit; alterum, quod peculiari elogio in *quatuor Comitibus Imperii*, Clivio, Cileiensi & Sabaudo æquiparati numerentur. Quamvis autem multi ex recentioribus, inter quos familiam ducit Incomparabilis *Conringius*, omnē de *Quatuor viratu Imperii* historiam ab antiquis in dulcedinem fabulæ compositam fuisse sentiant, nititur tamen titulus Schwarzburgicorum Comitum, der vier Grafen deß Reichs/ Diplomatibus Cæsareis, illo morimis, quod à Maximiliano I. an. 1518. in Comitiis Augustanis familiæ datum esse *Ahasver. Fritschius* in *Dissertation. de famil.* *Cap. 3. §. 2.* *Schwarzb.* refert.

3. Genealogiam stemmatis, quam *Henningius* inde à *Witekindo Nigro* enumeravit, *Rittershusius* à *Gunthero*, quem *Secundum* hujus nominis dicunt, inchoavit. Hic Philippo Cæsari fortem operam adversus Hermannum Landgravium navasse, & an. 1212. diem supremum obiisse fertur. Ejus filius *Heinricus* Fridericum II. in Palæstinam comitatus est, & prope Damascum insigni fortitudinis gloria inclaruit. Is atavus fuit *Guntheri Augusti*, quem quidem de Imperiali fastigio, ad quod ob insigne robur animi aliasque dotes evectus fuerat, sexto statim mense, mors insidiis æmuli accelerata deturbavit, & è medio sustulit. Num posteros

I. *Heinrici* XV. n. 24. Sept. 1674.
II. *Mariæ Sophiæ*, n. 12. Nov. 1675.
III. *Heinrici* XVII. n. 13. Dec. 1676.
IV. *Christianæ Elisabethæ*, n. 16. Jan. 1678.
V. *Heinrici* XXI. n. an. 1679.

17. HEINRICUS IV. *Iun. lin Rhuthenus C. & Dn. in Plavven* &c. *Geræ* sedem habet; is editus est in lucem an. 1650. d. 13. Mart. à parentibus *Heinrico* II. in *Gera*, Stemmatis totius *Seniore*, qui an. 1670. d. 28. Maji mortalitatem exuit, & *Catharina Elisabetha Schvvarzburgica*. Nuptias an. 1672. d. 19. Jun. celebravit cum *Anna Dorothea*, *Antonii Guntheri C. Schvvarzburgici* in *Sondershausen*, & *Mariæ Magdalenæ Palatinæ* gnata; è qua procreavit

I. *Heinricum* XIII. n. 18. Maji 1673. †. 13. Jun. 1674.
II. *Heinricum* XIV. n. 25. Aug. †. 29. Oct. 1674.
III. *Heinricum* XVI. n. 19. Mart. 1676. †. Nov. 1677.
IV. *Heinricum* XVIII. n. 21. Mart. 1677.
V. *Heinricum* XX. n. 23. Nov. 1678.

18. *Heinricus* V. *Rhutenus*, *Lobensteinensis* frater, *Capitaneus* sub Principe Saxo-Gothano, an. 1672. d. 31. Jan. fatorum legem implevit. *Heinricus* VI. è *Geranis*, & VII. è *Lobensteinensibus* brevis ævi fuere.

19. HEIN-

19. HEINRICUS VIII. *Iun. lin. Ruthenus*, frater *Lobenſteinenſis*, an 1652. d. 20. Maji natus, vivit in conjugio L. *Baroniſſæ de Bodenhauſen*, quam an. 1679. duxit.

20. *Heinricus* IX. ejus frater, brevi vitæ uſura gaviſus eſt.

21. Reſtat HEINRICUS X. *Jun. lin. Ruthenus*, itidem *Lobenſteinenſis* frater, isque natu minimus; hic auram vitalem an. 1662. m. Nov. hauſit, & cœlibem adhuc vitam ducit.

22. Fœminæ è *Juniore* linea ſuperſtites, ſextum implent numerum, omnes innuptæ; ex his duæ ſorores ſunt *Heinrici* IV. in *Gera*, nempe *Iuliana Dorothea*, n. 11. Febr. 1649. & *Chriſtiana Sibylla*, n. 9. Maji 1653. Reliquæ *Lobenſteinenſes* fratres habent, videlicet *Magdalena Dorothea*, n. 29. Aug. 1653. *Heinrica Iuliana*, n. 30. Nov. 1654. *Eleonora* & *Friderica Sibylla*, gemellæ, natæ 7. Sept. 1661.

23. *Scutum* Ruthenicum *quadripartitum* eſt; area 1. & 4. *nigra leonem aureum rubeis corona, falculis & lingua* exhibet, quod vetus σῆμα *Ruthenorum* eſt; 2. & 3. *argentea gruem auream* continet, notando dominio *Granichfeldenſi*. *Galeæ* incumbunt *duæ, dextra* laciniis *argenteis* & *nigris* ornata *caput* & *collum moloſſi*, cujus anterior pars *argentea*, poſterior

nigra est, sustinet; *sinistræ* insistit *grus octo tæniis diagonalibus distincta*, quarum tres *cocco*, totidem *argento*, duæ *auro* alternatim tinguntur, laciniis dependentibus *rubeis* & *aureis*.

CAP. XV.

DE DYNASTIS A SCHOENBURG.

ILlustrissimi *Schœnburgii* jam à longo tempore inter immediatos Imperii Ordines, & *Circuli Saxonici superioris* membra locum obtinent, tractumque in Germania *Misniæ* & *Voitlandiæ* interjectū possident. Eorum antiquitatem qui extollere satagunt, jam dum Caroli M. ævo eos floruisse perhibent: Vulgatior sententia à priscis *Bohemiæ Ducibus* eos derivare amat, & *Theobaldum*, Wladislai, quem Imperator Fridericus Barbarossa an. 1159. Regem Bohemiæ dixit, fratrem, familiæ autorem constituit, per filium *cognominem*, à quo castrum gentilitium *Schœnburg* extructum fuerit. Quo autem monumento historico hæc opinio nitatur, mihi non liquet: quamvis enim crebram & præclaram *Theobaldi* hujus mentionem apud Scriptores rerum Bohemicarum repererim, nullus tamen visus adhuc mihi est, qui in ejus poste-

ris

tis *Schœnburgios* enumeraverit; id potiùs memorant, *Theobaldum*, Wladislai Regis fratrem, *Svvihoviæ* stirpis, quæ hodienum in Bohemia viget, satorem extitisse; fidem asserto faciam verbis *Bohusl. Balbini*, Viri eruditissimi atque integerrimi sui ordinis; sic autem is in *Epitome rerum Bohem.* fatur: *Wladislaus Theobaldi, fratris sui natu minimi, bellicam virtutem, quam in Praga defendenda satis probaverat, remuneraturus, an. 1143. eidem ac posteris regionem Clatovienſem & Prachenſem in Bohemia donavit; ab hoc Theobaldo (qui postea in castro Rabi sedem fixit) illustrissima gens* Swihowskiorum *ritè ac legitimè linea semper masculina ad nos usque descendit.* Posteà de ejus nepote *Theobaldo* III. (quem itidem inter *Schœnburgiorum* majores communiter numerant) regnum adversus Przemyslaum Ottocarum, instinctu Dieterici M. Misniæ, affectante verba faciens, eum *primæ & Regiæ Nobilitatis apud Bohemos, juvenem ex Svvihoviorum familia*, appellat. Id quidem, prælaudato Viro indice, mihi constat, habuisse olim *Schœnburgios* aliquas in Bohemia possessiones, nominatim arcem *Hassenstein*, quæ demum Wenceslai Imperatoris ac Regis jussu eis erepta in *Poppeliorum* ditionem transiit; quemadmodum *superiùs* dictum fuit. *Lib. 3. c. 10. p. 226.* *Ibid. c. 13. p. 250.* *Lib. V. c. 4.*

2, Qui hodiè è familia superstites sunt com-

communem parentem agnoscunt *Ernestum*; is *Viti Domini in Schœnburg*, à quo *Rittershusius* tabulam orditus est, abnepos fuit, & ab an. 1483. usque ad an. 1534. vixit, Dominus Dynastiarum *Glaucha*, *Hartenstein*, *Waldenburg* & *Liechtenstein*, quibus uxorio jure oppidum *Penick*, ad *Muldam Schneebergicam* situm, adjecit; habuit autem in conjugio *Amaliam*, *Hugonis ultimi Burggravij Leisnicensis* filiam. E gnatis tribus, *Georgio*, *Hugone*, & *VVolfgango*, totidem lineas profevit, nempè *Glauchensem*, *VValdenburgicam* & *Penicensem*. Verùm *Georgius*, qui an. 1522. natus atque an. 1585. mortuus est, è filio *Johanne Hoyero*, licet maritato, sed ante patrem defuncto, nullos vidit nepotes. Ejus liberis in *tab. Rittershus.* enumeratis addi debet *Margarita*, è secundo conjugio anno 1558. genita, *Johanni Georgio C. Solmensi* in *Laubach* elocata, & an. 1606. extincta.

3. *VValdenburgicus* ramus in tres iterum abiit palmites, videlicet *VValdenburgicum speciatim sic dictum*, *Hartensteinensem* & *Liechtensteinensem*; quos *Hugonis* filii condiderunt *Georgius*, *Hugo* II. & *Vitus*. *Georgii* quidem *VValdenburgici* posteritas in ejus filio *Hugone* iterum defecit; is enim vitam, quam an. 1591. d. 29. Jan. acceperat, an. 1644. d. 29. Dec. finivit, nullis è conjuge

ge sua *VValpurgi Eberſteinia*, (quæ in *tabula* per errorem alii *Hugoni, Hartenſteinenſis* filio tribuitur) liberis ſuſceptis.

4. *Hugo* II. *Hartenſteinenſis* palmitis ſator, an 1606. d. 23. Nov. fatis conceſſit, poſtquam è duplici conjugio, *Annæ Ruthenæ* & *Catharinæ Rheingraviæ*, multam prolem genuiſſet, quam, ob varia quæ in *tabula* circa eam addenda & emendanda veniunt, recenſebo. E *priore* quidem matrimonio liberi tres prodiere (1) *Georgius Heinricus*, qui an. 1587. obiit, (2) *Agnes Dorothea*, n. an 1584. †. an. 1586, (3.) *Anna Dorothea*, n. 28. Dec. 1586. & in infantia mortua. E *poſteriore* autem Hugonis II. conjuge duodecim nati ſunt: (1.) *Georgius Erneſtus*, †. an. 1597. (2.) *Johannes Wolfgangus*, (3.) *Hugo*, hos ambos *Lutetiæ Pariſiorum* an. 1616. mors abſtulit; (4.) *Otto Albertus*, de quo poſtea. (5.) *Anna Maria*, n. an. 1593. (6.) *Chriſtianus Heinricus* in cœlibatu mortuus, (7.) *Amalia*, n. 6. Nov. 1596. (8.) *Anna Ottilia*, n. 17. Mart. 1598. (9.) *Maria Juliana*, n 30. Apr. 1600. (10.) *Vitus*, n. 1. Nov. 1602. †. ἄγαμος 17. Dec. 1651. (11.) *Eliſabetha*, n. 17. Febr. 1605. †. 30. Maji 1639. denique (12.) *Agnes*, n. 27. Jul. 1606. nupta *Chriſtiano* agnato è *Pennicenſi* linea an. 1629. & mortua 3. Martii 1643.

5. *Otto Albertus* palmitem propagavit

ducta in matrimonium *Erneſtina*, *Heinrici Ruthenī* Junioris poſthumi gnata, è qua liberos novem ſuſcepit, nimirum (1.) *Catharinam Magdalenam*, n. 1640. (2.) *Hugonem Heinricum*, n. an. 1641. hi in vivis eſſe deſiere; (3.) *Erneſtinam*, n. an. 1642. uxorem *Friderici Sigismundi C. Solmenſis*, (4.) *Ottonem Ludovicum*, ſuperſtitem, de quo paulo poſt, (5.) *Julianam Sophiam*, n. an. 1645. †. (6.) *Julianam Mariam*, n. 1646. d. 8. Dec. innuptam & ſuperſtitem, (7.) *Erneſtum Sigismundum*, n. an. 1647. †. (8.) *Agnetem Eliſabetham* n. an. 1648. hæc virgo in vivis eſt, & (9.) *Sophiam Eleonoram*, n. an. 1649. nuptam an. 1667. *Johanni Georgio C. Mansfeldiæ*.

6. OTTO LUDOVICUS *Dynaſta de Schœnburg*, *Dn. in Glaucha & Waldenburg*, qui nunc (ſi quidem parens ejus vivis exceſſit) *caput* eſt *familiæ*, prodiit in lucem an. 1643. d. 16. Sept. & connubio an. 1668. d. 12. Jan. ſibi junxit *Sophiam Magdalenam*, *Georgii Wilhelmi C. Leiningio-Weſterburgici* & *Sophiæ Eliſabethæ Lippienſi* gnatam; è qua ſequentis ſobolis parens factus eſt:

I. *Sophiæ Magdalenæ*, n. 7. Sept. 1669.

II. *Mariæ Eliſabethæ*, n. 13. Jan. 1670.

III. *Ottonis Wilhelmi*, n. 8. Maji, †. 19. Aug. 1671.

IV. *Io-*

IV. *Iohannæ Augustæ Carolæ*, n. 26. Apr. 1672.

V. *Georgii Alberti*, n. 25. Maji 1673.

VI. *Fridericæ Christianæ*, n. 27. Sept. †. 6. Oct. 1674.

VII. *Annæ Iulianæ*, n. 23. Sept. 1675.

VIII. *Christianæ Theresiæ*, n. 17. Oct. 1676.

IX. *Ernestæ Eleonoræ*, n. 2. Nov. 1677.

7. *Liechtenstejnenses* palmes in *Viti* ejus fatoris nepotibus exaruit, filius enim, quem unicum habuit, *Georgius Ernestus*, an. 1664. d. 23. Mart. mortuus, prolem ternam, quam è prima conjuge *Benigna Schwvanbergia* genuit, turbato mortalitatis ordine extulit: namque *Georgius Fridericus* intra primos vitæ annos extinctus est, *Johannem Ernestum*, an. 1628. d. 1. Mart. natum scelerata latronum manus in Gallia an. 1648. d. 22. Oct. vita privavit, *Catharina* autem *Elisabetha*, *Sigismundo Sigfrido C. de Promnitz* an. 1647. elocata, an. 1650. d. 20. Oct. naturæ debitum reddidit. E secunda autem uxore *Sophia Maria*, *Johannis Georgii C. Solmensis* filia, (quæ vidua facta *Georgio Alberto M. Brandenburgico* in manum convenit) sobolem Georgius Ernestus nullam suscepit.

8. In *Penicensi* linea, *Wolfgangus* ejus auctor, filium *cognominem* habuit, qui multorum

liberorum, in tabula enumeratorum, parens fuit, è maribus septem in conjugio vixerunt, nempe *Wolfgangus Ernestus*, *Johannes Georgius*, *Otto Wilhelmus*, *Joh. Heinricus*, *Joh. Caspar*, *Christianus* & *Wolfgangus Heinricus*. Inter hos *Joh. Georgius*, qui *Rocksburgi* habitavit, & *Susannam*, *Joh. Albini C. Schlikii* filiam, uxorem habuit, *Otto Wilhelmus Benignæ Schwanbergiæ* maritus, & *Joh. Heinricus*, cui *Maria Sibylla Mansfeldia* thori consors fuit, improles decesserunt. *Johannes Caspar* bis conjugem duxit, primò *Elisabetham* agnatam, è qua, præter filiam *Maximilianam Elisabetham*, *Arvardo Wittenbergio* Ductori Suecico elocatam, filium genuit *Wolfgangum Fridericum*, qui *Annam Genovefam*, *Sigismundi Ludovici B. de Scherfenberg* filiam, in thalamum adscivit, sed ἄπαιδ@ an. 1655. è vita discessit. Secundis nuptiis Joh. Caspar an. 1636. sibi junxit *Sophiam Mariam*, *Heinrici III. Rutheni Junioris* filiam, è qua suscepit, *Evam Christianam*, *Elisabetham*, *Magdalenam Sophiam*, *Julianam Catharinam*, *Vitum Heinricum* & *Hugonem Wilhelmum*; ex his non nisi fœminæ duæ, nempe *Magdalena Sophia* & *Juliana Catharina*, agnatis *Samueli Heinrico* & *Wolfgango Heinrico* nuptæ, ad justam ætatem pervenerunt, cæteri præmaturè vita caruerunt. *Christianus*, an. 1664. d. 18. Aug. fato functus, itidem bis matrimonium con-

contraxit, prius an. 1629. cum *Agnete*, *Hugonis* agnati filia; posterius cum *Agnete Elisabetha*, *Heinrici IV. Rutheni Senioris* gnata; cum hac an. 1675. defuncta nullos, cum illa verò liberos octo genuit, videlicet (1.) *Catharinam Elisabetham*, nat. 28. Maji 1634. †. 25. Dec. 1636. (2.) *Sophiam Reginam*, n. 26. Apr. †. 16. Dec. 1635. (3.) *Agnetem Beatam*, n. 12. Apr. 1636. nuptam *Godofredo Ernesto* agnato in *Remmissati*. (4.) *Evam Catharinam*, n. 1. Sept. 1637. (5.) *Christianam Mariam*, n. 19. Oct. 1638 & *Joachimo Andreæ C. Schlikio* elocatam. (6.) *Eleonoram Constantiam*, n. 19. Oct. 1639. †. 7. Apr. 1640. (7.) *Christianum Heinricum*, n. 21. Oct. 1640. †. 3. Maji 1641. & denique (8.) *Susannam Magdalenam*, nat. 27. Nov. 1641. †. 27. Sept. 1647.

9. A *Wolfgango Ernesto*, & *Wolfgango Heinrico* progenies superat, ille an. 1622. seculo valedixit, relicto post se filio unico, ex *Æmilia Veronica Pappenheimia* suscepto, is est

GODOFREDUS ERNESTUS *Dynastæ de Schœnburg*, *Dn. in Glaucha & Waldenburg*; sedem habet in *Remmissan*, uxorem verò *Agnetem Beatam*, *Christiani* patrui sui filiam, è qua pater factus est

I. *Wolfgangi Ernesti.*
II. *Christiani Ernesti.*
III. *Philippi Ernesti.*

IV.

IV. *Agnetis.*
V. *Christianæ.*
VI. *Iulianæ.*
VII. *Augusti Ernesti.*

10. *Wolfgangus Heinricus* penatibus suis induxit *Juditham Evam, Heinrici III. Ruthe-ni Sen.* filiam, atque an. 1657. d. 5. Dec. vi-tam cum morte commutavit, liberos verò quinque suscepit, gnatas nempe duas *Annam Juditham*, n. 24. Jun. 1641. nuptam Colo-nello *Luzelburgero*, & *Evam Susannam*, n. 9. Sept. 1644. Filii tres fuere, è quibus natu maximus *Wolfgangus Heinricus* n. 28. Maji 1637. sequentis anni d. 17. Maji iterum de-cessit, reliqui duo familiam nunc ornant.

11. Prior inter eos nascendi sorte est.

SAMUEL HEINRICUS, *Dynasta de Schœnburg*, *Dn. in Glaucha & Waldenburg*; Is auram vitalem hausit an. 1642. d. 26. Sept. & fœdere jugali sibi sociavit *Mag-dalenam Sophiam*, *Johannis Caspari* patrui fi-liam, è qua fœmella unica, *Sophia Maria*, an. 1676. d. 15. Mart. nata ei est.

12. WOLFGANGUS HEINRICUS, *Dynasta de Schœnburg* &c. illius frater, lu-cem aspexit an. 1648. d. 14. Jul. & connu-bio sibi junxit *Julianam Catharinam* agnæ-tam, fratriæ sororem, quæ ei peperit

I. *Heinricam Sophiam*, n. 11. Maji 1670.

II. Jo-

II. *Iohannem Casparum*, n. 26. Dec. 1671.
III. *Wolfgangum Heinricum*, n. 13. Dec. 1672.
IV. *Magdalenam Eleonoram*, n. 24. Febr. 1674.
V. *Iulium Heinricum*, n. 6. Febr. 1675.

13. *Scuto* Schœnburgii uti solent simplici, *baltheis binis rubeis & argenteis* exarato; cui incumbit *galea coronata*, sustinens *jugum alarum scutariis baltheis* impressarum. *Laciniæ rubeæ* sunt & *argenteæ*. *Spen. Od. Har. l. 3. o. 83.*

CAP. XVI.

DE COMITIBUS SCHWARZBURGICIS.

FAmiliæ *Schwarzburgicæ* origines, uti plerarumque illustrium in Germania stirpium, incertæ atque obscuræ sunt, quod quidem ruditati ne dicam? an simplicitati illorum seculorum, in quæ prima Imperii Germanici tempora inciderunt, tribuendum; utpote quibus frigente literatura optimus ac præstantissimus quisque facere quàm dicere, gladium vibrare quam stylum prehendere malebat. Dum itaque, quoties de primis clararum familiarum incunabulis agitur, traditiones ac opiniones regnant, diversæ utplurimum sententiæ emergunt, quod

quod in Schwarzburgica etiam usu venit; hanc enim nonnulli ad *Witekindum* quendam cognomento *Nigrum* referunt, qui à Carolo M. an. 779. captus, sacro fonte ablutus & *Ludovicus* nominatus fuerit, filiosque duos *Witekindum* & *Walpertum*, accepto verò baptismo *Carolum* & *Ludovicum* appellatos habuerit; eis cum Carolus Imp. tractum viginti milliarium in *Thuringico* saltu jure hæreditario possidendũ donasset, à Carolo *Schwvarzburgicam*, à Ludovico autem *Gleichensem* arces extructas fuisse, & utrumque progeniem inde cognominatam ex se genuisse ferunt. Alii Schvvarzburgicos à priscis Comitibus de *Kevernburg*, à castro hujus nominis, cujus rudera prope civitatem *Arnstad* adhuc visuntur, sic dictis, derivare amant, atque ex illis quendam extructa arce *Schvvarzburg*, à novo domicilio nomen mutasse perhibent: cui sententiæ inde robur addi solet, quod *Kevernburgenses* iisdem insignibus usi fuerint, quæ nunc *Schvvarzburgici* gestant, *aureo* scilicet *leone* in scuto *cœruleo*. Kevernburgensium porrò originem vel à Gothis, vel à Gallis, & quidem à *Lotharii* Regis filio sexto *Gundaro* sive *Guntharo* arcessunt.

Henning. Tom. IV. p. 323.

2. Antiqui splendoris sui familia duo illustria habet argumenta; primum idque præcipuum, quod ex ea *Guntherus* ad Augustam digni-

dignitatem an. 1349. eligi meruerit; alterum, quod peculiari elogio in *quatuor Comitibus Imperii*, Clivio, Cileiensi & Sabaudo æquiparati numerentur. Quamvis autem multi ex recentioribus, inter quos familiam ducit Incomparabilis *Conringius*, omnē de *Quatuor viratu Imperii* historiam ab antiquis in dulcedinem fabulæ compositam fuisse sentiant, nititur tamen titulus Schwarzburgicorum Comitum, der vier Grafen deß Reichs/ Diplomatibus Cæsareis, illo morimis, quod à Maximiliano I. an. 1518. in Comitiis Augustanis familiæ datum esse *Ahasver. Fritschius* in *Dissertation. de famil.* *Cap. 3. §. 2.* *Schwarzb.* refert.

3. Genealogiam stemmatis, quam *Henningius* inde à *Witekindo Nigro* enumeravit, *Rittershusius* à *Gunthero*, quem *Secundum* hujus nominis dicunt, inchoavit. Hic Philippo Cæsari fortem operam adversus Hermannum Landgravium navasse, & an. 1212. diem supremum obiisse fertur. Ejus filius *Heinricus* Fridericum II. in Palæstinam comitatus est, & prope Damascum insigni fortitudinis gloria inclaruit. Is atavus fuit *Guntheri Augusti*, quem quidem de Imperiali fastigio, ad quod ob insigne robur animi aliasque dotes evectus fuerat, sexto statim mense, mors insidiis æmuli accelerata deturbavit, & è medio sustulit. Num posteros

ros habuerit, non satis exploratum est; quos enim *Rittershusiana tabula* ei dat liberos, alii planè prætereunt, & Gunthero Augusto in proxima generatione alium *Guntherum* (qui *Rittershusio* illius nepos ex *Heinrico* filio est, & *Annam Leuchtenbergiam* in matrimonio habuit) substituunt; incerti tamen, utrum ex eo, an ex ejus fratre natus fuerit. In eo verò consentiunt, *Guntherum* hunc è *Leuchtenbergia* patrem extitisse *Guntheri Archiepiscopi Magdeburgensis* & *Heinrici*, qui stemma propagavit, avus è gnato *cognomine* nepotum septem, è quibus tres *Guntheri*, quatuor *Heinrici* nomen tenuerunt. Inter *Heinricos* natu maximus *Bremensem* & *Monasterienſem* Diœcesin rexit, cæteri itidem *Ecclesiastica* munia obierunt. *Guntheri* autem uxores duxerunt, & sobolem generarunt; *Senior* quidem unicæ tantùm filiæ, in *Anhaltinam* familiam elocatæ, parens fuit; *Junior* è gnato *Heinrico* nepotes etiam habuit, in quibus ejus posteritas defecit. *Medius* stemma continuavit, avusque *Guntheri* fuit, à quo qui nunc ex hac stirpe vivunt communem sanguinem ducunt. Is, præter alios liberos, quatuor præcipuè filios habuit, nempe *Guntherum*, *Johannem Guntherum*, *Wilhelmum* & *Albertum*. Ex his *Gunthero* rei militaris peritia, quam Maximiliano II. Imp. cùm ejus exercitum in Hungaria adversus Turcas duceret, probavit, cogno-

gnomentum *Bellicosi* peperit. Matrimonium ejus, quod cum *Catharina Nassovia* contraxit, sterile fuit; *Wilhelmus* etiam ejus frater, licet bis maritatus, prole caruit; à *Johanne Gunthero* autem & *Alberto* lineæ ortæ sunt: *Arnstadenses* & *Rudelstadenses*.

4. Prioris auctor *Joh. Guntherus* filios, qui ad justam ætatem pervenerunt, aliquot habuit; è quibus tamen unus tantùm, isque natu minimus, *Christianus Guntherus*, uxorem duxit, nempe *Annam Sibyllam* patruelem. Fuisse in eo prædicatur summa probitas, summa justitia, summa in egenos liberalitas; bellicæ etiam virtutis documenta in Hungaria adversus Turcas edidit. Mortalitatem an. 1642. exuit, postquam liberos novem ex se genuisset: è filiabus sola supersse fertur *Catharina Elisabetha*, *Heinrici II. Junioris Rutheni in Gera* vidua; *Sophia Elisabetha* vitam innupta an. 1677. d. 30. Sept. finivit. Filii præcipuè tres fuere, qui omnes in Libitinæ rationes jam venerunt; videlicet *Christianus Guntherus*, *Antonius Guntherus* & *Ludovicus Guntherus*. Primus, qui pietate in Deum & amore erga subditos *Probi* cognomen implevit, & *Arnstadium* incoluit, *Sophiam Dorotheam*, *Georgii C. de Mœrsburg & Beffort* filiam, in matrimonium an. 1645. duxit, & liberis sex ex ea procreatis an. 1666. d. 10. Sept. è vita discessit; secutus-

que eum est triennio post filius, quem unicum habuit, *Johannes Guntherus*, Tubingæ, ubi literis operam navabat, an. 1669 d. 29. Aug. præmatura morte oppressus; sequenti autem anno 1670. d. 2. Jan. fata quarto genitam è filiabus *Christinam Elisabetham* abstulerunt, ita ut ex illius progenie fœminæ tantùm quatuor, posteà nominandæ, nunc supersint.

5. *Antonius Guntherus* sedem *Sondershausæ* fixit, & magnanimitatis laudem consecutus est; habuit in conjugio *Mariam Magdalenam*, *Georgii Wilhelmi C. Palatini in Birckenfeld* gnatam; è qua decies pater factus an. 1666. m. Aug. naturæ debitum persolvit, postquam è liberis quatuor præmisisset: sex autem superstites post se reliquit, fœminas quatuor, mares duos.

6. Ex his familiam in præsentia ducit CHRISTIANUS WILHELMUS, *Quatuor Comitum Imperii Comes in Schwvarzburg & Hohnstein, Dn. in Arnstad, Sondershausen, Leutenberg, Lohra & Clettenberg.* Is auram vitalem hausit an. 1647. d. 16 Jan. atque an. 1673. d. 22. Aug. sollemni nuptu duxit *Antoniam Sibyllam, Alberti Friderici C. de Barby & Sophiæ Ursulæ Oldenburgicæ* gnatam; è qua num prolem suscepcrit, rescisscre non fuit integrum.

7. *An-*

7. *Antonius Gunther*, ejus frater unicus, prodiit in lucem an. 1653. d. 10. Oct.

8. *Sororum*, quarum quatuor esse dixi, nomina hæc sunt:

I. *Anna Dorothea*, n. 18. Aug. 1645. nupta *Heinrico IV. Juniori Rutheno in Gera*, amitino suo, an. 1672.

II. *Clara Iuliana*, n. an. 1648.

III. *Eleonora Sophia*, n. 14. Sept. 1650.

IV. *Maria Magdalena*, n. 29. Jul. 1655.

9. *Ludovicus Guntherus*, Christiani Guntheri I. filius natu minimus, domicilium in castro *Ebeleben* instituit, atque an. 1669. m. Nov. connubio sibi junxit *Concordiam*, *Johannis C. Saino-Witgensteinii* gnatam; ante annos autem non ita multos vivendi finem fecit, cum duplicem tantùm prolem infirmioris sexus suscepisset, nempe *Annam Augustam*, & *Concordiam*.

10. Sequuntur nomina filiarum quatuor *Christiani Guntheri II.* & *Sophiæ Dorotheæ Mœrsburgicæ*, quas superstites esse dixi:

I. *Sibylla Iuliana*, n. 20. Jul. 1646. uxor secunda *Heinrici I. Senioris Rutheni in Graiz*, an. 1672. ducta.

II. *Sophia Dorothea*, n. 8. Jun. 1647. nupta *Ernesto C. de Stolberg.*

III. *Clara Sabina*, n. 4. Jul. 1648.

IV. *Eleonora Catharina*, n. 4. Mart. 1653.

11. *Rudolstadensem* lineam, ad quam nunc sermo deflectit, *Albertus* condidit: is è prioreconjuge *Juliana Nassovia* multam sobolem, filios præcipuè duos genuit, *Carolum Guntherum*, & *Ludovicum Guntherum*. Ille *Annam Sophiam Anhaltinam* in matrimonio habuit, sed liberos nullos procreavit. Hic, pietatis laude inclutus, ex uxore *Æmilia Oldenburgica* quinquies pater factus est, atque an. 1646. d. 4. Nov. vitam cum morte commutavit: ex ejus liberis, quos omnes superstites reliquit, filiæ tres natu majores, nempe *Sophia Juliana*, *Ludomilla Elisabetha* & *Christiana Magdalena*, uno eodemque anno, qui seculi secundus & septuagesimus erat, fatis concesserunt, & posteriores quidem duæ (quarum natu major agnato *Sondershusano* desponsata fuerat) diem etiam eundem fatalem habuere, nempe 12. Mart. primæ verò d. 14. Febr. supremus fuit.

12. Duo itaque tantum ex *Ludovici Guntheri* liberis in vivis sunt, mas & fœmina; ille qui *Rudolstadii* nunc imperat, est ALBERTUS ANTONIUS. *Quatuor Comitum Imperii Comes in Schwvarzburg & Hohnstein, Dn. in Arnstad, Sondershausen, Leutenberg, Lohra & Clettenberg*, natus an. 1641. d. 2. Mart. matrimonium ejus tenet *Æmilia Jnliana, Alberti Frideri-*

derici C. de Barby, & *Sophiæ Ursulæ Oldenburgicæ* gnata, an. 1665. d. 7. Jun. ducta, è qua sustulit

I. *Ludovicum Fridericum*, n. 4. Nov. 1667.

II. *Albertinam Antoniam*, n. 15. † 17. Sept. 1668.

13. *Maria Susanna*, illius soror, an. 1646. d. 17. Jan. in lucem prodiit, & innupta est.

14. *Scuto* Comites modo recensiti utuntur *quadripartito*, mediante *cruce aureis & cæruleis taniis* exarata: area 1. & 3. bipartitæ *Arnstadense* & *Sondershusanum* symbola alternatim repetunt; illud *aquilam nigram in solo aureo*, hoc *in argenteo par cornuum rubeorum cervinorum, cum cranii aliqua parte*, repræsentant; incumbit eis parmula *Schvvarzburgicorum* gentilitia, eademque *cæruleo leonem aureum* continens. Area 2. & 4. iterum bipertitæ *Hohnsteiniam* & *Lauterbergiam* tesseras repetunt, illa *tessellis argenteis & rubeis* constat, hæc *superiore sui parte cæruleo leonem gradientem aureum*, *inferiore aurea fascias duas cæruleas* refert: incumbit eis scutulum *argenteum, cervo rubeo vel nigro ornatum*; quod *Clettenbergium* emblema esse creditur. Pedem clypei argenteum occupat *furca* & *pecten minio* tinctus; eo munus *Hippocomi Imperii*, quod penes *Leutenbergicos* Schvvarzburgiorum agnatos quondam fuerit, desi- *Spen. Op. Har. l. 3. c. 34.*

gnari, Celeb. *Spenerus* censet. *Galeis* hoc scutum *tribus* tegitur, iisdemque *coronatis*: in prima *inter duo cornua rubea aquila nigra* apparet, mediæ insistit *Schvvarzburgicus leo corona, pennis pavoninis decorata, cinctus*; tertia *Hohnsteinia* inter *duo cornua cervina*, alterum *argenteum*, *rubeum* alterum, *caudam pavoninam* monstrat. *Telamones* scutum sustinent *Vir* & *fœmina sylvestres*, *vexillum ex rubro & argento bipertitum manu gestantes*.

15. Ditiones Comitum Schwarzburgicorum referuntur ad *Circulum Saxonicum superiorem*, &, Excellentissimo *Fritschio* indice, XX. præfecturas, XV. castra, XII. civitates & VII. oppida, in quibus ultra sexaginta millia hominũ habitant, complectuntur; illas verò à diversis Dominis feudi titulo recognoscunt: nempè ab *Imperio* castrum *Schvvarzburg*, quod auriferum flumen *Schvvarza* alluit, castra & civitates *Blanckenberg*, *Leutenberg*, *Gehrn*, *Ehrnstein*; à *Regno Bohemiæ Rudolstad* & *Kœniz*; ab *Archiepiscopatu Moguntinensi Sunderhausen* & *Straussberg*; ab *Electorali Saxonica* domo *Francohusam*, *Heringæ medietatem*, *Kelbra*, *Greusen* & *Klingen*; à *Ducali Saxonica* domo *Arnstad*, *Keverburg*, *Plauen* & *Illmen*; à domo *Hasso-Cassellana Allersberg* & pagum *Geschvvende*; à Duce *Hanoverano* præfecturam *Hohnstein*; ab *Abbatia Fuldensi* castrum *Almenshausen*, & pagum *Abtspessingen*.

Loco citato.

16. Fue-

16. Fuerunt etiam in eorum ditione aliquandiu dynastiæ *Lohra & Clettenberg*, quas cum Comitatu *Hohnsteinensi*, vigore *pacti confraternitatis hæreditariæ*, an. 1433. inter Comites *Schwvarzburgicos*, *Hohnsteinenses* & *Stolbergicos* initi, extincta cū ultimo Comite *Ernesto* an. 1593. *Hohnsteinensi* familia, occuparunt, & adversus Episcopum *Halberstadiensem*, cujus feudum erant, per sententiam Cameralem pro se latam sibi asserverant; in turbis autem bellicis Germaniæ illis iterum spoliati sunt, cumque per *pacem Westphalicam* Halberstadiensis Diœcesis cum prædictis dynastiis *Electori Brandenburgico* collata fuisset, omnem eas recuperandi spem amiserunt; & licet hujus damni compensationem sæpe opere maxumo ab Ordinibus Imperii in comitiis petiissent, id solum anno demum 1674. impetrarunt, ut sibi à Cæsare promitteretur *collatio feudi* cujusdam *Imperialis*, quando aliquod apertum fieri contingeret.

17. Habent de cætero hoc eximium Comites Schwarzburgici, quod in *dietis circularibus Saxoniæ superioris primum in scamno Comitum locum* occupant, *Directoriumq;*, ceu vocant, tenent: privilegio etiam gaudent, quo ab Imperatoribus ipsis *singulare votum inter Principes*, in publicis Imperii comitiis tributum fuit; licet ab ejus usurpatione hactenus abstinuerint.

CAP. XVII.

DE COMITIBUS A SOLMS.

E *Nassovia* gente *Solmenses* provenisse superiùs, ὡς ἐν παρόδῳ, dictum fuit; *Eberhardo* enim *Nassovio*, quem *Potentem* & *Magnificum* cognominarunt, præter alios filios, Nassoviæ stirpis propagatores, *Philippus* etiam tribuitur, qui castrum *Solmense* ad amnem cognominem extruxerit; atque ex *Catharina Hanovia* gnatum susceperit *Ottonem*, dictum *Comitem de Solms*. Hic, è recensione *Speneri*, pater extitit *Wilhelmi*, cujus in ludis equestribus Magdeburgicis an. 935. mentio occurrit; quoque genitus est *Eitelcrafft*, qui circa an. 946. condidisse dicitur *Braunfelsium*, & *Arnoldum* reliquit, hic *Philippum*, is *Heinricum*, quo nati sunt *Marquardus* & *Heinricus* II. Ab hoc linea orta est, quam *Johannes*, filius *Johannis*, cognomento Springsleben/an. 1410. morte sua terminavit.

Op. Har. l. 2. c. 89.

2. *Marquardus* alterum ramum profevit, genito *Heinrico*, cujus filius *Bernhardus* fuit, à quo *Rittershusiana tabulæ* stemmatis *Solmensis* initium ducunt. Idem è *Justina Lippiensi* gnatum suscepit *Ottonem*, cui cum uxore

re *Agnete*, quæ *Philippi Comitis de Falkenſtein & Munzenberg* filia fuit, pars *Munzenbergicæ* hæreditatis cum *titulo* obtigit. Deceſſerunt ambo, *Otto* nimirum & *Agnes*, a. 1409. omnibusque, quotquot è familia hodie vivunt, communem ſanguinem impertivere. *Bernhardus* enim & *Johannes*, eorum filii, diviſione ditionum inita, (qua ille *Braunfels*, *Groiffenſtein*, *Hunngen*, & *Wœlfersheim*; hic *Lich* & *Laubach* ſortitus eſt) & ductis uxoribus, ramos duos *Braunfelſenſem* & *Lichenſem*, quibus hodienum Solmenſis ſtirps diſtinguitur, condiderunt.

3. *Bernhardus*, *Braunfelſenſis* rami autor, è filio *Ottone* nepotem *cognominem* habuit, qui an. 1505. usque ad an. 1547. quo fatis conceſſit, Impp. *Maximiliano* & *Carolo* à conſiliis fuit; filiumque genuit *Philippum*, qui patris quidem fata trium annorum intervallo antevertit, ſed ad purgandum à ſuperſtitione Romana Comitatum plurimum operæ ſtudiique contulit. Ejus ex *Anna Teklenburgica* filius unicus *Conradus* avo in regimine ſucceſſit, pater multorum liberorum, quibus *Eliſabetha Naſſovia* ejus uxor familiam auxit; è filiis quinque ad juſtam ætatem pervenere, nomenque ſibi peperere, nimirum *Erneſtus*, *Johannes Albertus*, *Reinhardus*, *Wilhelmus*, & *Otto*. *Hic* in aula Electorali Palatina *Mareſcalli* munus obiit, & in expeditione Alſati-

ca an. 1610. militum ductor ante *Molzheimium* occubuit, nullis ex *Ursula C. Gleichensi* liberis susceptis; *Ernestus* Ordinibus fœderatis in Belgio militavit, sed an. 1595. d. 2. Sept. unà cum *Philippo* & *Ernesto Casimiro* fratribus *Nassoviis* ab Hispanis in sylva *Dinslacensi*, non procul à *Lippa* fluvio, oppressus, fortiter pugnando gravevulnus accepit, quo paulò post *Rheinbergæ* vitam amisit; à reliquis tribus totidem palmites, *Braunfelsensis*, *Hungensis* & *Greiffensteinius* propullularunt. Ex his autem medius, *Hungensis* scilicet, cum *Mauritio*, *Reinhardi* conditoris filio, iterum ante annos non ita multos extinctus est: is enim, ducta licet uxore *Florentina*, filia *Joh. Wolfardi Dynastæ Brederodii* & *Annæ Johannæ Nassoviæ*, nullam, an. 1678. mense Decembri moriens, prolem post se reliquit; quam unicam tantùm, eamque masculam, utriusque avi nominibus *Reinhardi Wolfardi* insignitam, at ævi brevissimi genuerat. Ejus fratres *Ottonem* ac *Philippum* iam diù ante eum præcox fatum abstulit, & *Philippum* quidem *Noribergæ* an. 1665. d. 7. Jan. è militia Turcica redeuntem mors occupavit.

4. *Johannes Albertus*, qui *Braunfelsensem* palmitem propagavit, *Friderici* V. *Electoris Palatini Magnus aulæ præfectus*, posteaque in exilio fidus Achates fuit, atque *Hagæ Comitis*

an.

an. 1623. supremum diem explevit. E prima conjuge *Elisabetha C. de Sain & Wittgenstein*, præter filias quatuor splendidis matrimoniis auctas, gnatos duos procreavit: quorum natu majori *Conrado Ludovico* cum *Johanna Elisabetha B. de Winneberg* sterile conjugium fuit. Alter *Johannes Albertus*, qui Batavis operam addixit, eorumque nomine primò *Ultrajecto*, postea *Trajecto ad Mosam* præfuit, ex *Anna Elisabetha Falkensteinia* duplicem diversi sexus sobolem genuit, atque an. 1648. fato functus post se reliquit. In ejus gratiam *Instrumento Pacis Osnabruggensis*, *Articulo IV. de restituendis*, hæc inserta fuit pericope: *Joh. Albertus Comes Solmensis in quadrantem oppidi Buzbacensis, & quatuor pagos adjacentes restituatur*: illos enim *Ludovicus Landgravius Hasso-Darmstadiensis* anno 1623. qua tempestate Solmenses Palatinæ calamitati involuti premebantur, occupaverat.

5. Solus itaque nunc *Braunfelsensem* palmitem sustinet

HEINRICUS TRAJECTANUS, *Comes in Solms & Braunfels, Dn. in Munzenberg.* Is an 1636. in hujus vitæ scenam prodiit, & in patris instituta abiens, Fœderati Belgii Ordinibus stipendia fecit; jamque *ductor cohortis prætoriæ Principis Arausionensis*, & *Commendator Baliviæ Ultrajectinæ*, quæ

quæ ad Teutonicum Ordinem Equestrem pertinet, audit, ejusque fructus percipit. Ad conjugium ob causas, ut ajunt domesticas, animum nondum adjecit.

6. *Amalia*, ejus soror unica, cuidam è *Clivensi* nobilitate nupsisse, nunc verò in viduitate vivere perhibetur.

7. In *Greiffensteinensi* linea *Wilhelmus* ejus autor ex *Amalia Nassovia* filios præcipuè tres habuit, *Johannem Conradum*, *Wilhelmum* & *Ludovicum*. Primus ex *Anna Margarita*, agnata *Lichensis* lineæ, liberos quidem sustulit, sed βραχυβίους, ita ut vivis exemptus nullos post se relinqueret; *Ludovicus Annam Mariam C. de Criechingen*, *Johannis Georgii Rheingravii* viduam, uxorem duxit, sed improlis decessit; *Wilhelmus* fœcundior fuit, & è duplici matrimonio (prius *Iohanna Sibylla*, agnata *Lichensis* lineæ, posterius *Ernestina Sophia Hohenloica*, è domo *Schullingsfurst*, tenuit) aliquot liberorum pater factus est. Ex iis, qui è secundo thoro prodiere, natu maxima *Sophia Amalia* vivere desiit; *Fridericus Magnus* Batavis meruit, & in obsidione *Trajecti ad Mosam* an. 1676. vulneratus, paucos post dies, quæ 5. Aug fuit, animam exhalavit; gnatæ duæ superant. E sobole prioris conjugii, primogenita *Elisabetha Margarita*, *Ludovico Christiano C. Witgensteinio* elocata, vivis itidem exem-

exempta est; tres autem sequioris sexus cum filio unico superstites sunt.

8. Hic parenti vitæ munere perfuncto in regimine successit, & hoc nomine eluit WILHELMUS MAURITIUS, *Comes in Solms & Braunfels, Dn. in Munzenberg.* Sociavit is sibi connubio an. 1679. m. Febr. *Magdalenam Sophiam, Wilhelmi Christophori Landgravii Hassiæ in Bingenheim,* è prima conjuge *Sophia Eleonora* agnata, filiam; quam prolem quidem, sed iterum extinctam peperisse accepimus.

9. Trigæ sororum, quas germanas ille habet, hæc est nomenclatio:

I. *Ludovica Walburgis,* innupta.

II. *Christina Sibylla, Ferdinandi Maximiliani C. Oetingensis in Baldern* conjux, cujus etiam sacris accessit.

III. *Carola Ernestina, Alberto C. de Lœwenstein & Wertheim* elocata.

10. *Eleonora Sophia,* & *Anna Iohanna, Mauritii Wilhelmi* sorores *consanguineæ,* cœlibem adhuc vitam agere feruntur.

11. *Lichtensem* ramum quod attinet, abiit is non una vice in palmitum divergia, ditionum tamen etiam accessionibus locupletatus est: ipse statim ejus fator *Iohannes* cum *Elisabetha Catharina Cronbergia* conjuge *Rœdelheimium* obtinuit; ejus autem è *Cunone* filio

filio nepos *Philippus* dominium *Sonnenvvald* in Lusatia interiore emptionis titulo à *Minckvviziis* acquisivit; præterea præfectura *Pouch*, gratia Friderici Electoris Saxoniæ, cujus nomine Coburgensem Principatum administrabat, auctus fuit. In ejus filiis *Reinhardo* & *Ottone* prima divisio in *Lichensem* & *Laubacensem* palmites contigit. E priore in *Reinhardi* gnatis *Ernesto* & *Hermanno Adolpho*, lineæ *Lichensis* speciatim sic dicta & *Hohensolmensis* propullularunt. *Ernestus Lichensis* lineæ autor Caroli V. *Cubicularius* & *Dapifer*, atque in obsidione Metensi *Colonellus* fuit; pater autem *Georgii Eberhardi*, qui in bello Belgico fœderatis Ordinibus militans famam consecutus est, sed liberos ex sese non genuit; *Philippi*, qui Cæsaris *Consiliarius* & *Colonellus* liberos quidem, at nepotes non habuit; & *Ernesti*. Is in aula Colonienſi educatus, posteà Marpurgicam frequentavit, & ex *Anna Mansfeldia* multam sobolem suscepit; è qua solus *Ludovicus Christophorus* in conjugio vixit, ducta *Amœna Amalia*, *Hermanni C. de Wied* filia, quæ adhuc superstes esse fertur, ille verò, cum filio primogenito *Ernesto Augusto*, an. 1645. d. 14. Aug. nato, rebus humanis exemptus est.

12. Inter superstites filios, qui duo sunt, potior natura est HER-

HERMANNUS ADOLPHUS MAURITIUS, *Comes in Solms & Braunfels, Dn. in Munzenberg, VVildenfels & Sonnenvvald.* Is auram vitalem hausit anno 1646. d. 12. Sept. & adulta ætate jugali fœdere sibi sociavit *Annam Mariam, Johannis Augusti*, agnati in *Rœdelheim*, & *Eleonoræ Graziæ* gnatam.

Carolus Ludovicus, ejus frater, lucem vidit an. 1648. d. 23. Apr.

Soror eorum unica *Iohanna Elisabetha*, n. 30. Jun. 1644. ad impares nuptias delapsa esse perhibetur.

13. In *Hohensolmensi* linea *Hermannus Adolphus*, ejus conditor, aliquot habuit liberos, quibus in *tabula Rittershus.* enumeratis addi debet *Dorothea Sophia*, n. 17. Oct. 1595. nupta an. 1616. *Georgio Friderico C. Hohenloico*, mortua 8. Jan. 1660. E filiis *Philippus Reinhardus*, *Elisabethæ C. de VVied* maritus, pater fuit *Philippi Reinhardi*, *Mauritii*, *Ludovici*, *Joh. Ernesti*, & *Mariæ Eleonoræ*. Hæc an. 1632. nata, *Ernesto Landgravio Hassiæ in Rheinfels* an. 1647 in manum convenit, & superstes est; *Ludovicum* in ipso ortu mors intercepit; *Mauritium* & *Joh. Ernestum* in cœlibatu vitam peregisse accepi; *Philippus Reinhardus* autem familiam propagavit, ducta primis nuptiis *Anna Amalia*, *VVilhelmi* agna-

agnati in *Greiffenstein* filia; secundis *Catharina Eleonora, Joh. Georgii B. de Tschernembl* filia. Hac nata est *Maria Sabina*, quæ hoc ipso anno 1683 *Friderico C. de Wied* nupsit. E priore autem thalamo provenere *Johannes Heinricus Christianus*, qui patri defuncto in regimine successit, & ad *Pontificiorum* sacra deflexit, turbas in familia daturus, ni fata eum maturè rapuissent, quod circà an. 1668. contigit; *Heinricus Wilhelmus*, itidem mortuus; & qui nunc ditionem paternam regit, nimirum

LUDOVICUS, *Comes in Solms & Braunfels, Dn. in Munzenberg, Wildenfels & Sonnenwald*, maritus *Ludovicæ*, filiæ *Christiani Alberti C. de Dohna*, & *Sophiæ Theodoræ Brederodiæ*.

14. *Laubacensem* palmitem, ad quem nunc sermo deflectit, *Otto* profeviſſe dictus est. Huic è filio *Friderico Magno* nepotes duo fuere: *Johannes Georgius*, & *Otto*. Hic *Sonnenwald* incoluit, & dynastiam *Wildenfels* in Voitlandia, *Anarco Friderico B. de Wildenfels*, ultimo familiæ suæ, anno seculari extincto, ex certo contractu obtinuit; ea, postquam *Fridericus Albertus*, Ottonis filius, ἄπαις an. 1615. interiisset pulvere pyrio combustus, cum reliqua hæreditate ad patrueles transiit. *Johannes Georgius* Heros religio-

ligionis, justitiæ & pacis amans, in templa scholas & pauperes beneficus celebratur, & numerosæ sed egregiæ sobolis pater fuit; è filiabus sex in splendidissimas familias elocatæ fuerunt, filii plerique multis fortibus factis, & gloria militari inclaruere. A tribus, nempe *Alberto Ottone*, *Heinrico Wilhelmo*, & *Johanne Georgio*, lineæ ortæ sunt: *Laubacensis*, *Sonnenvvaldica* & *Barrutina*. Sed *prima* in *Alberti Ottonis*, (qui ante *Fredebendam* globo tormentario percussus an. 1610. periit) è filio cognomine, nepote *Carolo Ottone* quoad mares defecit; is enim, an. 1676. mortuus, non nisi quatuor filias, ex *Amœna Elisabetha*, *Arnoldi Jodoci C. Bentheimii* gnata, susceptas post se reliquit, videlicet

I. *Amaliam Catharinam*, nuptam anno 1679. *Philippo Landgravio Hassiæ* lineæ *Casselensis*.

II. *Elisabetham VVilhelminam*.

III. *Annam Bellicam Florentinam*, desponsatam *Arnoldo Mauritio Wilhelmo C. Bentheimio in Steinfurd*.

IV. *Carolam*.

15. Habuit Carolus Otto sororem Elisabetham Albertinam, quæ Wilhelmo Pr. Anhaltino in Hazgeroda an. 1671. in manum convenit.

16. *Sonnenvvaldicæ* lineæ autor *Hein-*

ricus Wilhelmus, Regi Sueciæ charus fuit, ejusque auspiciis Comitatu *Schvvarzenbergico* cum Dynastia *Landsbergensi* potitus est, quam etiam titulis ac insignibus suis inseruit; obiit *Suinfurti* è vulnere, quod, cum Tillius in Bambergam erumperet, accepit, an. 1632. d. 21. Mart. postquam è duplici conjugio aliquot liberos suscepisset. E priore *Sophiæ Dorotheæ Mansfeldiæ* prodiere: *Johannes Georgius*, brevis ævi; *Anna Sibylla*, *Joachimi Ernesti C. Oetingensis* uxor; & *Ernestina Sophia*, in primæ ætate extincta. E posteriore *Mariæ Magdalenæ Oetingensis* provenerunt: *Elisabetha Carola*, nupta 1. *Georgio Friderico C. Rappoltsteinio*, 2 *Joh. Philippo C. Leiningensi in Bockenheim*, an. 1666. mortua; *Sophia Dorothea*, *Ulrici D. Wirtenbergici* conjux; *Ludovica Heinrica*, n. 30. Jun. 1626. †. 24. Dec. 1630. *Joh. Christianus*, n. 25. Oct. 1628. †. 13. Mart. 1629. *Maria Leonora* & *Christina*, gemellæ, statim defunctæ; *Hedvvigis Sophia*, iisdem brevis ævi; & qui in præsentia *Sonnenvvaldiam* incolit

GEORGIUS FRIDERICUS, *Comes in Solms & Braunfels*, *Dn. in Munzenberg*, *Wildenfels & Sonnenvvald*, natus an. 1625. Is, post primæ uxoris *Praxedis Hohenloicæ* fata, secundis votis duxit *Annam Sophiam*, *Christiani Pr. Anhaltini Bernburgensis* & *Eleonoræ Sophiæ Holsatæ* gnatam; è qua liberos genuit,

nem-

nempe, præter *Joh. Ludovicum & Joh. Georgium* iterum extinctos, *Ottonem Heinricum VVilhelmum*, n. 1668. & *Sophiam Albertinam*, n. m. Oct. 1672.

17. Restat linea *Barrutina*, à castro *inferioris Lusatiæ* sic dicta; ejus autor *Johannes Georgius*, Pragæ an. 1632 d. 4. Febr. peste abreptus, ex *Anna Maria Erpacensi* filios quinque, gnatas quatuor suscepit: harum nomina hæc sunt: *Sophia Elisabetha*, uxor *Joh. Wolfgangi B. de Schellendorf*, jam vivis exempta; *Sophia Maria*, nupta *Georgio Ernesto L. B. à Schœnburg*, deinde *Georgio Alberto M. Brandenburgico*, lineæ *Culmbacensis*; *Anna Maria*, cœlebs; & *Eleonora*, *Heinrico Joachimo à Schulenburg* elocata. Inter filios natu major *Joh. Ludovicus*, n. 1621, 14. Jun. an. 1631. decessit. *Joh. Augustus* n. an. 1623. habitavit *Rœdelheimii*, atque an. 1653. Ratisbonæ *Eleonoram Barbaram Mariam*, *Joh. Philippi Comitis Crazii de Scharfenberg* filiam, thalamo sibi junxit; è qua aliquot liberos postea recensendos, an. 1680 morieus, reliquit. Cœteri ejus fratres superstites sunt.

18. JOH. FRIDERICUS, *Comes in Solms & Braunfels*, *Dn. in Munzenberg*, *VVildenfels & Sonnenvvald*, an. 1625. d. 21. Febr. in lucem editus, post *Carli Otto-*

nis agnati obitum è Lusaria *Laubacum* habitatum concessit, habeq. e in conjugio *Benignam Sigismundi Sigfridi C. de Promnitz & Catharinæ Elisabethæ Schœnburgiæ* gnaram; cum qua gnatos quatuor, filias tres genuit, videlicet:

Ioh Sigismundum, n. an. 1668 †. an. 1678.
Fridericum Ernestum, nat. an. 1671. d. 20. Mart.
Carolum Ottonem, n. 13 Sept. 1673.
Heinricum VVilhelmum, n. 16. Maji 1675.
Magdalenam VVilhelmnam.
Erdmuthin Benignam,
& denique *Ludovicam Bibianam.*

19. FRIDERICUS SIGISMUNDUS, *Comes in Solms*, &c. n. an. 1627. *Wildenfelsam* incolere fertur, maritus *Ernestæ*, filiæ *Ottonis Alberti L.B. de Schœnburg* & *Ernestæ Ruthenæ*, pater
Ottonis Alberti, n. a. 166, †.
Friderici Sigismundi,
& *Iohannis Christiani.*

20. JOH. GEORGIUS, *Comes in Solms*, &c. *Barruti* degit. Is an. 1629. lucem vitalem primùm aspexit. & thori sociam habuit *Sophiam Eleonoram, Georgii Ariberti Pr. Anhaltini* ex *Johanna Elisabetha de Krosig* gnatam, an. 1677. mortuam.

21. *Jo-*

21. *Johannis Augusti* in *Rödelheim* & *Eleonoræ Craziæ* liberorum sylloge hæc est:

I. *Joh. Augustus*, n. 10 Apr. 1655. †.
II. *Joh. Carolus Eberhardus*, } gemelli, n. 4.
III. *Sophia Elisabetha*, } Jul. 1657.
IV. *Joh. Georgius*, n. 12. Sept. 1658. †.
V. *Anna Maria*, nupta *Hermanno Adolpho Mauritio*, agnato in *Lich.*
VI. *Eleonora Magdalena.*
VII. *Ludovicus*, n. 28 Sept. 1664
VIII. *Ludovicus Georgius Heinricus*, n. 25. Aug. 1667.
IX. *Philippus Fridericus*, n 17. Sept. 1668.
X. *VVilhelmus Fridericus*, n. 15. Nov. 1669.

22. *Scutum* Solmense *bipertitum* est, ita ut utraque pars iterum in *quadras* dividatur: *dextræ partis* quadra 1. & 4. *aurea leonem cæruleum, lingua & falculis rubeis*, gentilitiam tesseram *continet*, 2. & 3. *transversim ex minio & auro secta* Munzenbergicum symbolum *exhibet*: *sinistræ partis* quadra 1. & 4. *aurea rosam nigram* Wildensteinense δᾶγμα *refert*, 2. & 3. *nigra leonem argenteum* Sonnenwaldense emblema *repræsentat*. Galearum, quæ *tres* sunt, prima *Munzenbergica* est, jam alibi delineata; secunda *Solmensis* inter *jugum alarum minio & auro distinctarum* sustinet *leonem cæruleum, adversa fronte sedentem*; tertiam *Sonnenvvaldiam* premit *protome leonis*. *Spen. Op. Har. l. 2. c. 89.*

23. Comprehenduntur *Comites Solmenſes* potiſſimùm ſub *Circulo Rhenano ſuperiore*, ratione autem poſſeſſionum Luſaticarum ab Electore Saxoniæ extrahuntur; in religione partim *Evangelicorum*, partim *Reformatorum* ſacris adhærent; illis quidem *Lichenſis* & *Barrutina* linea, his autem *Braunfelſenſis*, *Greiffenſteinenſis* & *Hohenſolmenſis*.

CAP. XVIII.

DE COMITIBUS A STOLBERG.

ORiginem inclutæ *Stolbergicæ* familiæ traditio pervulgata ad quendam *Ottonem de Columna* refert, qui nobili apud Romanos ſtirpe generatus, Juſtino Imperatori circa A. C. 566. militaverit, cumque caſu cervum nigrum ingentis magnitudinis in ſylva Hercyniacepiſſet, & Cæſari dono miſiſſet, hunc ajunt prodigioſam animalis proceritatem miratum, illi conceſſiſſe, ut ejus coloris cervo impoſterum in clypeo uteretur, præterea tractum in Hercynia, ubi *Stolberga* arx (à *chalybe*, von den Stahlgruben/ ſic dicta) ædificata jam erat, jure hæreditario poſſidendum ipſi tradidiſſe. Ab hoc Ottone *Henningius*, familiæ Genealogiam usque ad ſuam ætatem non interrupta ſerie pertexuit, & inter illum atque

Tom. IV. pag. 335. & ſeq.

que *Heinricum*, à quo *tabula Rittershusiana* initium ducit, octodecim generationes enumeravit.

2. Sive verò traditio illa fundata sit veritate, sive fecus, nemo tamen facilè antiquitatis decus illustrissimæ familiæ derogare sustinebit; præsertim cum (indice Cl. *Spenero*) literis in archivo assertis fidem facere queat, inter eas se numerari, è quibus prisci *Saxones* suos *Ethnarchas* soliti sunt eligere, seque cum aliquibus aliis Imperii Comitibus titulo, *nos DEI gratia*, frequenter usam fuisse. *Op. Her. L. 3. c. 31.*

3 Facultatibus processu temporum non una vice aucta est, obvenitque ei Comitatus *Wernigerodensis*, Brunsuicensibus, Halberstadensibus & Rheinsteiniis ditionibus inclusus; incertum tamen qua via, nisi forte per conjugium, quod *Botho*, qui ineunte seculo decimo quinto vixit, cum quadam *Wernigerodensi* secundis nuptiis contraxisse memoratur, factum id est. Magis autem luculenta erat, dummodo æquè stabilis fuisset, illa ditionum accessio, quam alii *Bothoni* illius pronepoti, *Equiti Aurato* autoritate & virtute insigni, uxor *Anna*, *Philippi Comitis ab Eppstein & Kœnigstein* filia, attulit: hæc enim, fratribus, quos tres habebat, sine prole defunctis, ex pacto familiari & testamento *Eberhardi*, qui postremus fratrum ejus fuit,

accedente etiam consensu Imperatoris, universam eorum hæreditatem adiit; ea verò complectebatur amplam *Munzenbergicarum* ditionum partem, (quam *Falkensteinii* veteres partim connubii, partim emptionis titulo accepe an, postraque ad *Eppsteinios* transmiserant, nimirum *Buzbach*, *Gruningen*, *Ziegenberg*, *Cransberg*, *dimid. Munzenberg*, *dimid. Rodheim*, *Lichen*, *Kœnigstein* & *dimidiam arcem Wibel*,) & Comitatum *Rupifortium* in *Ardenna*, quem *Annæ* mater *Ludovicæ Marcana* ab avia sua *Agnete*, *Johannis Dynastæ Rupifortii* filia ac hærede, nactus fuerat.

4. Suscepit *Botho* ex *Anna Eppsteinia* liberos tredecim, inter quos filii quatuor eminuere, *Wolfgangus*, *Ludovicus*, *Heinricus* & *Christophorus*. Ex his secundus *Ludovicus* maternam hæreditatem, vigore testamenti Eberhardini, solus crevit; qui etiam pro singulari gratia atque auctoritate, qua in aula Cæsarea pollebat, utpote trium Augustorum Caroli V. Ferdinandi I. & Maximiliani II. Consiliarius, extincta stirpe Comitum *Wertheimensium* cum *Michaële* genero suo, eorum feuda, quæ quidem ab Imperio, Regno Bohemiæ, nec non Episcopatu Herbipolitano tenuerant, sibi filiabusque suis (namque mascula sobole carebat) acquisivit. Inter has verò, cum duæ natu majores sine liberis decessissent, & prior quidem

Catha-

Catharina, quæ, post *Michaëlem Wertheimium*, *Philippo C. Eberſteinio* nupſerat, an. 1598. d. 22. Aug. altera autem *Eliſabetha*, *Theodori C. Manderſcheidii*, poſteà *Wilhelmi Criechingenſis* conjux an. 1612. d. 26. Jun. vindicarunt ſibi ſucceſſionem non ſolùm in *Wertheimenſibus* dicionibus, ſed & in *Rupifortio* Comitatu *Annæ*, quæ tertia *Ludovici* filia erat, gnati, quos *Ludovico C. Lœwenſteinio* marito ſuo pepererat; contradicentibus tamen ratione *Wertheimiæ*, & verbis & armis, *Epiſcopo Herbipolitano*; reſpectu *Rupifortiæ* verò *Comitibus Stolbergicis*, qui propterea à Lœwenſteiniis in *Camera Spirenſi* litem impegerunt, quæ nondum terminata eſt.

5. In *Kœnigſteinenſibus* poſſeſſionibus *Ludovico* ſucceſſit *Chriſtophorus*, qui ſolus è fratribus ipſi ſupertuit, *Præpoſitus Halberſtadienſis*. Eo autem an. 1581 vivis exempto, ejus è fratre *Heinrico* nepotes, *Ludovicus Georgius* & *Chriſtophorus*, in adeunda hæreditate turbati fuere ab *Electore Moguntino*, qui *expectativam* allegabat; quam, in caſum Chriſtophori ſine prole morientis, ſibi conceſſerit Maximilianus II. Auguſtus. Inita deinceps an. 1590. inter utramque partem fuit tranſactio, qua tamen poſtea Comites ſe obſtringi non crediderunt; quia tranſegerint ignorantes proprii juris, atque ultra dimidium læſi. Exinde cùm omnis Ger-

mania bello arderet, & Rex Sueciæ arma victoriosa Mœni & Rheni tractibus inferret, restituti ab eo an. 1631. fuere Comites in possessionem Kœnigsteinii, sed versa Martis alea à Cæsareis an. 1635. iterum inde depulsi, à quo etiam tempore loca controversa in Moguntinensium potestate permanserunt. Uberiùs hanc rem, & utriusque partis argumenta, *Sprengerus* in libello de *Pretensionibus Illustr.* & *Spenerus in Op. Harald.* retulerunt.

6. Cæterùm à *Wolfgango* & *Heinrico*, Ludovici & Christophori fratribus, lineæ duæ ortæ sunt: quarum tamen prior à *Wolfgango* condita in ejus nepote *VVolfgango Georgio*, an. 1631. defuncto, iterum defecit. *Heinrici*, qui, antequam uxorem duxisset & *Augustanæ Confessioni* nomen dedisset, *Decanus Colonienſis Capituli metropolitani* fuit, propago hodienum viget; ea verò in ejus filiis, *Ludovico Georgio* & *Christophoro*, in ramos duos abiit, sed alter quem *Ludovicus Georgius* protevit, iterum exaruit: ejus enim filius unicus *Heinricus Volrathus* non nisi sequioris sexus sobolē genuit, è qua *Anna Elisabetha* & *Sophia Eleonora Ursula* ad justam ætatem pervenerunt; prior, *Heinrico Ernesto* propiori sobrino nupta, an. 1668. d. 17. Oct. fatis concessit, altera *Decanissa Quedlinburgensis* fuit, posteà an. 1655 *Lebrechto Pr. Anhaltino* in *Cœthen* in

manum

manum convenit, & an. 1675. d. 13. Sept. vitam finivit.

7. *Christophorus*, Heinrici filius natu minimus, communis eorum, qui è familia superstites sunt, avus fuit: cum enim an. 1638. mortalitatem exuisset, filios duos *Heinricum Ernestum* & *Johannem Martinum* post se reliquit; quorum uterque progeniem habuit. Prior an. 1672. d. 4. Apr. fatis functus, ex *Anna Elisabetha* agnata liberos tres, filiam nempe unicam, gnatosque duos suscepit, qui nunc etiam vitali aura fruuntur. *Joh. Martinus* duxit in matrimonium *Agnetem Elisabetham C. de Barby*, quæ an. 1651. d. 16. Jan. mortem obiit, postquam liberos quatuor peperisset, è quibus filia unica *Sophia Hedvvigis* in ipso ortu extincta est; è gnatis etiam medius *Heinricus Gunther* vitam, quam an 1637. acceperat, an. 1656. d. 28. Oct. amisit; ita ut patri, cum an 1669. d. 22. Maji seculo exiret, non nisi filii duo superstites essent; quos mox enumerabo, si prius eorum patrueles, utpote è linea seniore ortos, recensuero.

8. ERNESTUS, *Comes Stolbergæ, Kœnigsteinii, Rupifortii, VVernigerodæ & Hohnsteinii, Dn. in Eppstein, Munzenberg, Breuberg, Aigmunt, Lohra & Clettenberg*, filius *Heinrici Ernesti*, prodiit in lucem an. 1650.

1650. d. 25 Mart. Sedem habet *Isenburgi*, conjugem autem *Sophiam Dorotheam*, *Christiani Guntheri C. Schvvarzburgici in Arnstad*, & *Sophiæ Dorotheæ Mœrspurgicæ* gnatam, è qua procreavit

I. *Heinricum Christianum*, nat. 23. Dec. 1673

II. *Sophiam Elisabetham*, n. 6. Febr. 1676.

III. *Emanuelem Ernestum*, nat. 31 Aug. 1678. †. 17 Jul. 1680.

IV. *Albertinam Carolam*, n. 26 Jul 1679. †. 25. Jul 1680.

9 LUDOVICUS CHRISTIANUS, *Comes Stolbergæ*, *Kœnigsteinii* &c. illius germanus frater, natus an. 1652. d. 8. Sept. habitat in castro *Geudern*, atque an. 1680. m Oct. connubio sibi junxit *Sophiam Dorotheam*, *Friderici D. Wirtenbergici in Neustad*, & *Claræ Augustæ Brunsuic.* gnatam; quæ autem in primo partu una cum prole interiit.

10. *Anna Eleonora*, eorum soror, an. 1651. d. 26. Mart. genita, *Emanueli Pr. Anhaltino in Cœthen* an. 1670. nuptum collocata fuit, sed eodem adhuc anno vidua facta est.

11. CHRISTOPHORUS LUDOVICUS, *Comes Stolbergæ*, *Kœnigsteinii*, *Rupifortii*, *Wernigerodæ & Hohnsteinii*, *Dn. in Eppstein*, *Munzenberg*, *Breuberg*, *Ai-*

Aigmund, *Lohra & Clettenberg*, filius *Johannis Martini* primogenitus, hausit auram vitalem an. 1634. d. 18. Jun. Domicilium *Ortenbergæ* fixit, atque in thorum induxit *Ludovicam Christinam*, *Georgii II. Landgr. Hassо-Darmstadiensis* & *Sophiæ Eleonoræ Saxonicæ* filiam, è qua genuit:

I. *Georgium*, n. 14 Nov. 1666
II. *Carolum*, n. 25 Jan. 1668.
III. *Sophiam Eleonoram*, n. 6. Aug 1669.
IV. *Iohannem Ludovicum*, n. 6 Nov. 1670.
V. *Christophorum Fridericum*, n 18. Sept. 1672
VI. *Ludovicam Christinam*, nat. 21 Jan. 1675.
VII. *Iustum Christianum*, nat. 24. Oct. 1676.
VIII. *Agnetem Elisabetham*, n. 14 †. 17. Dec. 1680

12. FRIDERICUS WILHELMUS, *Comes Stolbergæ* &c illius frater, *Stolbergam* incolens, susceptus est in lucem an. 1639. d. 7. Febr. & fœdere iugali sibi junxit *Christinam Eleonoram*, *Heinrici III. L. B. de Friesen*, *Dynastæ in Schœnfeld*, *Puzkau*, *Graupa*, *Jessen & Praschwiz*, ex *Maria Margarita de Lützelburg* gnatam.

13. *Scutum*, quo Comites illi utuntur, *regiones quinque ad perpendiculum sectas* continet,

tiner, quarum posteriores duæ *Hohnsteinensia* insignia, quæ secundo retrò capite delineavi, exhibent; priores tres autem *areolas octo* inæquali divisione complectuntur. Primæ regionis, quæ in *duos* saltem *laterculos* dividitur, *superior* area *aurea cervum gradientem nigrum*, quæ tessera est *familiaris*, refert, inferior *argentea pisces duos rubeos, capitibus & caudis invicem obversos, Wernigerodense* symbolum repræsentat. Secunda regio *laterculos tres* continet, quorum supremus *aureus leonem nigrum, Kœnigsteinium* δᾶγμα, ostendit, medius *ternis cantheriis coccineis & argenteis* exaratur, denotando dominio *Eppstein*, infimus *ex auro & cocco transversim sectus Munzenbergam* innuit. Tertiæ regionis *prima* area *aurea aquilam rubeam, rostro, pedibus & unguibus cœruleis, Rupifortiam* tesseram exhibet; secunda *aurea fasciam tessellatam Marcanam* continet, tertia *quinis aureis & rubeis fasciis* exaratur, designando dominio *Aigmund. Galeæ* clypeo huic *tres* incumbunt, omnes *coronatæ*: prima *Stolbergia* inter *duas plumas struthionicas argenteas, mediam pavoninam caudam* sustinet; secunda *tecto pileolo rubeo, cujus ora pontici muris vellere retegitur, inter duo cornua cervina argenteum & rubeum pavoninam caudam globulo aureo impositam* refert, atque adeo *Hohnsteinium* & *Eppsteinio-Kœnigsteinium* apicem conjungit; tertiam

Rupi-

Rupifortiam cauda iterum *pavonina* ornat, impressam ferens *aquilam* scutariam.

14. Comprehenduntur *Comites Stolbergæ* sub *Circulo Saxonico superiore*, & cum Comitibus *Schvvarzburgicis confraternitatem hæreditariam* colunt, jam dum an. 1433. sancitam; cui *Hohnsteinia* etiam familia accesserat: unde postquam hæc defecit, Stolbergici, non minùs ac de Schwarzburgicis suprà dictum fuit, ditiones *Hohnsteinias*, inprimis Dynastias *Lohr & Clettenberg*, sibi vindicare conati sunt; sed ob Halberstadiensis Capituli oppositiones successu optato æquè caruere.

CAP. XIX.

DE COMITIBUS A WALDECK.

JLlustrissimæ & antiquissimæ familiæ *VValdeccicæ* historiam qui magis scitè & dilucidè excoluerit, quàm *Celeb. Spenerus* in *Opere Heraldico*, nemo mihi cognitus est: unde dum aliis monumentis ad eam illustrandam facientibus destituor, si quis me hoc loco Speneriana vitula arasse dicturus sit, fatentem arguet; *neque enim justus sine mendacio candor apud bonos crimini est*, uti commodè *Vellejus* ait. *P. sp. l. 3. c. 39.* *Lib. 2. c. 115.*

2. A *Witekindo*, quem *Svalenbergæ & Waldeccię Comitem* Carolus M. *Paderbornensi Ecclesiæ* à se fundatæ pro more seculi *Advocatum* h. e. defensorem & civilium causarum administratorem an. 780. constituit, familiam cum vico prælaudato *Rittershusius* etiam deduxit. Ejus è filio *Adalberto* nepos *Conradus* an. 900. *Burggravius Magdeburgensis* creatus fuisse fertur, quæ dignitas ejus pronepoti *cognomini* iterum collata, atque ab hoc ad posteros, qui in *Manfredo* an. 1115. defecerunt, transmissa fuit.

3. Sed *Conrado secundo Burggravio Magdeburgico* frater major natu *Witekindus* erat, qui Mindensibus comitiis sub Conrado Salico an. 1030. interfuisse memoratur, & stirpem continuavit: ei à *Rittershusio* filii tribuuntur *Guntherus*, Archiepiscopus Magdeburgicus, cujus autem nulla in Catalogo Antistitum ejus Ecclesiæ mentio occurrit, & *Otto*. Hujus pronepos *Witekindus* IV. cum iter, in Palæstinam Fridericum Barbarossam Imperatorem comitaturus, meditaretur, ut pecuniam conficeret, fratrum suorum consensu *Advocatiam Paderbornensem* Bernardo Episcopo cognato suo, acceptis 300 marcis auri puri, an. 1187. vel 1189. cessit; ea sola conditione addita, ut in perpetuum sui, patrisque, & avi in anniversariis depositionum diebus memoriam colerent.

Eidem

Eidem Philippus Archiepiscopus Colonienſis *Pyrmontanum* caſtrum, à ſe extructum, & S. Petro ſacratum, in præmium operæ in occupatione Weſtphaliæ ſibi præſtitæ, & quia in territorio Svalenbergiorum id ſitum erat, feudi titulo an. 1184. contulit; quod ille inter filios *VVernero* aſſignavit, in cujus poſteritate maſcula quoad ſupererat hæſit, ea verò ſub ſeculi quinti & decimi finem extincta, ad *Spiegelbergios* Comites *Pyrmontum* tranſiit, via matrimonii, quod *Urſula*, *Johannis poſtremi Comitis Pyrmontani* è *VValdecciis* ſoror, cum *Johanne C. in Spiegelberg* contraxit. Poſtquam autem hujus etiam familiæ mares in *Philippo*, qui in prœlio ad S. *Quintinum* an 1557. occubuit, & *Johannis* nepos è filio *Friderico* (nec *Mauritio*, uti in *tab. Rittershuſ.* perperam ponitur) fuit, defeciſſent, *Urſula* & *Walpurgis* ejus ſorores *Pyrmontanam* hæreditatem ad maritos ſuos *Hermannum Simonem C. Lippiæ*, & *Georgium C. in Gleichen* tranſtulerunt; quæ poſteà, *Philippo Lippienſi Urſulæ* filio in cœlibatu mortuo, univerſa ad *Gleichenſes* devenit: tandem verò ad *Waldeccios* rediit, vigore teſtamenti, quo *Joh. Ludovicus* ultimus *Comes Gleichenſis* Pyrmontanum Comitatum *Chriſtiano* & *Volratho* fratribus *Waldecciis* legavit. Obſtitere quidem *Paderbornenſes* Præſules, & quædam hujus Comitatus loca Capitulo jure

clientelari obnoxia esse prætexentes, Waldeccios à successione depellere summa ope nisi sunt, *Ferdinandus* etiam *Episcopus* post acrem obsidionem Pyrmontum occupavit; bello tamen Germanico Suecorum opera in possessionem illi restituti fuerunt, eademque in pacificatione Westphalica eis speciali attestato confirmata est. Demum an. 1668. res ad pactionem venit, & inter utramque partem conventum fuit, ut Waldeccii totum Comitatum controversum jure proprietatis pleniſſimo & sine ulla recognitione feudali tenerent, eoque cum omnibus juribus suffragii ac sessionis in diætis tàm Imperii quàm circularibus uterentur ac fruerentur, dum mascula eorum stirps supererit; ea verò extincta, idem Comitatus integer ad Episcopatum Paderbornensem, intervenientetamen solutione 20000. Imperialium, filiabus Waldecciis facienda, delaberetur; ut tamen, usque dum pecunia illa dependatur, filiæ in possessione relinquantur, quemadmodum *superiùs* etiam narratum fuit.

Lib. 3, c. 10. §. 6.

4. Verum enim verò ut ex hoc diverticulo in viam revertar, habuit *Witekindus* IV. præter *Wernerum C. Pyrmontanum*, alios duos filios *Vulquinum* & *Heinricum*; è quibus hic *Sternbergenses* Comites, qui in ejus pronepote *Johanne* an. 1399. defecerunt, profevit. Illum *Svalenbergensium* autorem fa-

faciunt, qui in ejus filiis *Godofredo* & *Adolpho* in lineas duas abiere, *Svalenbergensem* nempe & *VValdeccianam*. *Heinricus* ultimus è *Svalenbergicis*, *Godofredi* pronepos, omnia sua bona feudalia & allodialia in *Ottonem Comitem VValdeccium* agnatum suum transtulit; cui hæreditatem adire volenti obstitere *Lippiæ* Comites, *Adelheidis Svalenbergicæ*, quæ *Heinrici* patruelis erat, nepotes, & ope Paderbornensis Episcopi subnixi, maximam ejus partem ad se rapuerunt; ipso tamen Præsule pro navata opera tertiam Comitatus partem sibi assignante.

5. *Otto* ille *VValdeccius*, *Adolphi*, qui lineam condidit, pronepos fuit, & ex *Mechtilde Lunaburgica* pater *Heinrici* VI sive *Ferrei*, quo nati sunt *Heinricus* & *Adolphus*, quorum posterior cum uxore *Agnete C. Ziegenhainæ & Niddæ* jus in utrumque Comitatum acquisivit; & *Landavienſem* ramum, qui in ejus nepote *Ottone* an 1495. iterum exaruit, profevit. *Heinricus* genuit *Volrathum*, patrem, secundùm Henningium, *Philippi* I. & II nec non *Friderici* Episcopi Monasterienſis, sed ex recensione Rittershusiana *Philippi* II. tantùm & *Friderici*; *Philippo* I enim *Heinricus*, *Volrathi* frater, parens tribuitur. Utut sit, id certum est à *Philippo* I. *VVeildungensem* ramum prodiisse, qui an. 1598. cum *VVilhelmo Ernesto*, satoris atnepote; ex-

tinctus est, transmissa ad agnatos hæreditate.

6. *Philippus* II. stirpis propagator bellicis laudibus abundavit, & ab Impp. Maximiliano & Carolo V. multisque Electoribus ac Principibus Imperii stipendia tulit. Eo nati, præter *Georgium*, Parisiis mortuum, *Franciscus*, Monasterienſium, Osnabrugenſium & Mindenſium Episcopus, turbis Anabaptistarum exagitatus, & *Philippus* III. Hic è duplici conjugio multam sobolem sustulit; inter filios *Volrathus* II. & *Johannes Pius* novos iterum ramos produxerunt, *Isenbergium* & *Wildungenſem*; hic tamen in *Johannis Pii* gnato *Francisco* an. 1597. iterum exaruit. *Volrathus* inter Præsides *Colloquii Ratisbonenſis* an. 1547. fuit, vitamque, quam d. 8. Mart. 1509. acceperat, d. 15. Apr. 1578. finivit; postquam è conjuge *Anastasia Schwarzburgica* numerosam prolem genuisset. E filiis *Josias*, a. 1588. defunctus, *communis pater* extitit duarum linearum, *Isenbergiæ* & *Widungenſis*; quibus hodiè familia distinguitur, quasque ejus filii *Christianus* & *Volrathus* IV. condiderunt. De posterioris progenie *libro ſuperiore* actum fuit. *Christianus*, Isenbergiæ autor, gratia Ferdinandi II. floruit, atque an. 1638. rebus humanis exemptus, præter complures filias, *Philippum* atque *Johannem* post se reliquit; quorum hic in *Landau*

dau habitans, nulla è duplici matrimonio *Alexandrinæ C. de Vehlen*, & *Heinricæ Dorotheæ Landgraviæ Hassiæ* prole susceptâ, anno 1668. fatis concessit.

7. *Philippus* Chiliarcha Cæsareus fuit, cumque investituram *Thonnensis* Dynastiæ, post extinctos *Pincernas de Tautenberg*, à Friderico Wilhelmo D. Saxoniæ in Altenburg jure expectativæ obtinuisset, (quam nostra ætate ejus filius major natu *Friderico D. Saxo-Gothano* vendidit) in prœlio ad *Thabor* an. 1645. vitâ amisit. E conjuge *Annâ Catharinâ Witgensteinia* sexies pater factus est, nempe filiarum quatuor: *Julianæ Elisabethæ*, *Annæ Sophiæ*, *Johannæ* & *Philippinæ*, *Heinrico Volratho* agnato, ceu ferunt, nuptæ. Gnati duo fuere, quorum minor natu *Josias* egregiam militarem famam sibi peperit, & post alias militares expeditiones copias auxiliares Ducum Brunsuici & Lunæburgi in *Candia* ductavit, ubi d. 16. Jul. an. 1669. in crure vulneratus, accedente febri d. 8. Aug. fortissimum spiritum creatori reddidit. Matrimonium ejus tenuit *Wilhelmina*, *Wilhelmi C. Nassovii* è linea *Siegensi* gnata, septem liberorum ex eo mater, videlicet: (1.) *Eleonoræ Ludovicæ*, n. & †. an. 1661. (2.) *Wilhelmi Philippi*, n. & †. an. 1662. (3.) *Carolæ Dorotheæ*, n. an. 1663. †. 1664. (4.) *Carolæ Iohannæ*, n. an. 1664. quæ sola superstes est,

(5.) *Sophiæ VVilhelminæ*, n. an. 1666. †. . . .
(6.) *Maximiliani Friderici*, n. & †. an. 1667.
denique (7.) *VVilhelmi Gustavi*, n. an 1668.
†. an. 1669.

8. Major natu *Philippi* & *Annæ Catharinæ VVitgensteiniæ* filius, solus nunc è linea superat, nempe

CHRISTIANUS LUDOVICUS, *Comes in VValdeck & Pyrmont, Dn. in Thonna.* Is auram vitalem hausit an. 1635. & primis nuptiis duxit an. 1658. *Annam Elisabetham, Georgii Friderici C. & Dn. de Rappoltstein & Elisabethæ Carolæ C. Solmensis* gnatam; quam, numerosa & florenti sobole ex ea suscepta, an. 1676 mortuam amisit. Ejus autem nomine ille ad successionem simultaneam in *bona Rappoltsteinia allodialia, & feuda merè hæreditaria promiscuave*, nec non in *feuda Bambergensia*, in quæ Episcopus *expectativam* ipsi concesserat, admitti unà cum filiabus *Johannis Jacobi C. Rappoltsteinii* postulavit; sed de spe potiundi juris sui decidit, postquam Rex Galliæ, Alsatia subjugata, universa feuda Rappoltsteinensia *Christiano C. Palatino*, qui *Johannis Jacobi* filiam in conjugio habebat, contulit; ceu quidem *suprà* dictum est. Secundis nuptiis *Christianus Ludovicus* sibi junxit *Johannam*, *Johannis C. Nassoviæ in Idstein & Annæ C. Leiningensis* gnatam. Sobolis è priore conjugio natæ sylloge hæc est:

Lib. 4. c. 1. §. 25.

I. *Eli-*

I. *Elisabetha Carola*, n. an 1659. †. an. 1660

II. *Dorothea Elisabetha*, n. an. 1661.

III. *Fridericus*, n. an. 1663.

IV. *Heinricus Volrathus*, n. an. 1665.

V. *Carola Sophia*, n an 1667.

VI. *Alexandrina Heinrica*, nat.& †. an. 1668.

VII. *Christiana*, n. an. 1669.

VIII. *Eleonora*, n. an 1670.

IX. *Ludovica*, n. an. 1671.

X. *Fridericus Ludovicus*, n. an. 1672.

9. *Scutum*, quo *Christianus Ludovicus* cum filiis uti solet, *areolas novem* complectitur, quarum δόγματα jam superiùs delineata, hoc loco nominasse sufficerit; prima itaque & extrema tesseram *Pyrmontanam* continet; secunda & octava *Rappoltsteiniam*; tertia & septima *Hohenaccensem*; quarta & sexta *Geroldseccensem*; quinta denique *medio loco* posita *Waldeciam*. *Galeæ* incumbunt *quinque*: 1. *Hohenaccia*, 2. *Pyrmontana*, 3. *Waldeccia*, 4. *Rappoltsteinia*, 5. *Geroldseccia*.

10. Referuntur Comites Waldeccii ad *Circulum Rhenanum superiorem*; quamquam ipse Comitatus, si situm ejus attendas, ad *VVestphaliam* potiùs pertinere videtur, cui etiam annumeratus olim fuit. Sed circa ejus *immedietatem* exorta est, seculo superiore,

gravis ac diuturna contentio inter *Landgravios Hassiæ & Waldeccios:* postquam enim a. 1431. & 1438. *Heinrici Ferrei* filius & nepotes *Comitatum Waldeccensem* Ludovico Landgravio Hassiæ in *clientelam* dedissent, ejus posteri processu temporum feudalem illam obligationem in omnimodam subjectionem convertere, & Comitibus jus sessionis ac suffragii in diætis controversum reddere occœperunt; his verò omni, quod ajunt, pede contra nitentibus, tandem per transactionem an. 1635. & 1637. initam, & per *instrumentum pacis Osnabruggensis* corroboratam, Hassiæ Landgravii de prætensione sua decesserunt, Comitesque jura immedietatis suæ integra sibi asseruerunt, feudali tamen Comitatus obligatione Hassis servata.

CAP. XX.

DE COMITIBUS A WITGENSTEIN.

ILlustrissimorum *Comitum de Witgenstein* familia à *Saynensibus* defluxit, qui porrò originem suam ad Comites *Spanheimios* referebant: ex his enim *Johannes Adelhaidin, Heinrici* II. cognomento *Magni, Comitis Sayne* è prisca stirpe, quam à *Nassoviis* derivant, ultimi, sororem in matrimonium duxisse, filiumque

que ex ea genuisse memoratur *Johannem*; qui ab avunculo, liberis destituto, & an. 1246. mortuo, hæres scriptus, *Saynensem* Comitatum cum avito *Spanheimio* conjunxerit, sed ab ejus filiis *Heinrico* & *Godofredo* iterum disjunctos. Hi enim proprio motu hæreditatem paternam an. 1264. ita inter se divisserunt, ut *Heinrico Comitia de Sponheim* cesserit, *Godofredus* autem *Comitiam de Sayne* (sic enim se habent verba *Instrumenti*) sibi reservaverit; cujus etiam investituram à Ludovico Comite Palatino an. 1273. is accepit.

2. *Godofredus* cum uxore *Jutta ab Homburg*, Dynastiam *Homburgicam* nactus est, & ad filios *Johannem* & *Engelbertum* transmisit; qui nova divisione an. 1294. inita illam partiti sunt, eademque *Johannes*, vigore *juris primogenitura* in familia recepti, Comitatum *Saynensem* obtinuit; *Engelberto* verò *Vallendar* obtigit. Ab utroque longa dimanavit posteritas, ab *Engelberto* tamen diuturnior; *Johannis* enim propago anno seculi, quo agimus, sexto cum *Heinrico* extincta est; is initio Ecclesiasticæ vitæ addictus, & Canonicis Argentinensibus ascriptus, *Adolpho* & *Hermanno* fratribus sine prole mascula mortuis, Comitatus regimen susceperat, uxoremque, ceu quidem in Genealogia MS. legi, duxerat *Guttam de Malingerod*; sed anno, quo dixi, 1606. improlis vitam & masculam li-

neæ ſuæ ſtirpem terminavit, poſtquam aliquot antè annis hæredem Comitatus Saynenſis *Ludovicum* agnatum ejusque filium *Wilhelmum*, utpote cui *Hermanni* fratris ejus filia *Anna Eliſabetha* nuptui locata fuerat, deſignaſſet.

3. *Engelbertus*, lineæ *Vallendariæ* autor, è filio *Godofredo* nepotem habuit *Salentinum*: is penatibus ſuis induxit *Eliſabetham*, *Sigfridi Comitis de Witgenſtein* filiam ac hæredem; quæ nomen Comitatumque *Witgenſteinium*, Halliæ conterminum, in mariti familiam intulit, poſterisque impertivit. *Salentino* natus eſt *Johannes*, hoc *Georgius*, pater *Catharinæ*, quæ *Wilhelmi Dn. de Reichenſtein* conjux fuit, & *Eberhardi*. Hic *Wilhelmum* genuit, quem *Johannetta*, *Salentini C. ab Iſenburg* filia, quam in conjugio habuit, dominio *Neumagen* locupleravit. & filiorum trium parentem fecit: *Ludovici* nimirum, *Georgii* & *Wilhelmi*. Hic ex itinere Gallico redux immatura morte oppreſſus eſt. *Georgius* Præpoſitus Capituli Colonienſis fuit, & an. 1588. vivis exceſſit. *Ludovicus* è duabus uxoribus, quas ambas è *Solmenſi* familia ſibi delegerat; & priorem quidem *Annam* è domo *Braunfelſenſi*, alteram *Eliſabetham* è *Laubacenſi*, liberos XXI. ſuſcepit, quorum nomina, quæ in *tabula Rittershuſiana* maximam partem deficiunt, recen-

recenſebo è Genealogia, quam Cl. *Lynkerus* Jenenſis Doctor, interveniente opera amici eruditiſſimi atque officioſiſſimi, mecum communicavit: (1.) *Johannetta*, Johannis C. Naſſovio-Dillenburgici conjux, (2.) *Juliana*, quæ infans obiit, (3.) *Georgius*, de de quo poſteà, (4.) *Agnes* n. an. 1569. d. 18. Apr. nupta Joh. Alberto C. in Solms Braunfels, † 29. Apr. 1617. (5.) *Wilhelmus*, (6.) *Ludovicus*, de his itidem poſteà dicetur, (7.) *Conradus*, n. 1572. †. 1573. (8.) *Fridericus Magnus*, n. & †. 1574. (9.) *Magdalena*, n. an. 1575. elocata Baroni de Winneberg & Beilſtein, (16.) *Eberhardus*, n & † an. 1576. (11.) *Anna Eliſabetha*, n. an. 1577. †. an 1580. (12.) *Anna* (13.) *Philippus*, n. an. 1579. †. an. 1580. (14.) *Erica*, n. an. 1580. †. 30. Aug. an. 1657. (15.) *Eliſabetha*, n. an. 1581. (16.) *Juliana*, n. an. 1583. uxor Wolfgangi Erneſti C. ab Iſenburg, †. an. 1627. (17.) *Amalia*, n. an. 1585. nupta Georgio C. Naſſovio, (18.) *Bernhardus*, n. 1587. †. (19.) *Catharina*, n. 1588 conſors Ludovici Heinrici Pr. Naſſovio-Dillenburgici, †. 9. Maji 1651. (20.) *Gebhardus*, †. an. 1592. denique (21.) *Fridericus*, n. an. 1592. †. 1612.

4. Cæterùm *Ludovicus* illorum parens, cùm ejus ætate *Saynenſium* agnatorum ſtirps maſcula ad interitum vergeret, juri in ejus ſuc-

successionem sibi competenti mature invigilare cœpit; eaque propter à *Friderico Electore Palatino*, cujus *aulæ Supremus Præfectus* erat, *investituram Comitatus Saynensis*, tanquam *proximus agnatus* petiit, eamque an 1594. iterumque an. 1605. edocto tamen priùs communi itinere, & in casum, quo *Heinricum C. Saynensem* absque masculâ prole decedere contingeret, obtinuit; neq; minus apud *Ludovicum Hassiæ Landgravium* perfecit, ut de castro ac oppido *Fridvvald* investiretur. Porrò cùm *Heinrici Saynensis* animum nonnihil alienum à sese esse animadverteret, id operam dedit, ut aliquo affinitatis vinculo simultas dilueretur, novaque amicitia conglutinaretur; quem in finem filio suo *Wilhelmo* nuptias *Annæ Elisabethæ*, quæ *Hermanni C. Saynensis*, Heinrici fratris filia erat, conciliavit. Hinc tandem factum est, ut paucis ante ipsius obitum (qui in d. 2. Jul. an. 1605. incidit) mensibus prædicto ejus filio *Wilhelmo* Heinricus *Comitatum Saynensem*, postquam eo se abdicasset, cederet traderetque: is verò, *Wilhelmus* nempe, hac sorte contentus, accedente insuper dispositione paterna, Witgensteinensi Comitatui nec non omni patrimonio renuntiaret, idque fratribus suis relinqueret; cum quibus etiam patre rebus humanis exempto *pactum hæreditarium* an. 1607. sancivit, quo cau-

cautum fuit, ut fœmellæ extantibus masculis à successione & hæreditate in ditionibus excluderentur, & certa dote se contentas tenerent, quemadmodum in *succincta informatione ex actis Saynensibus excerpta*, & typis exscripta, legitur.

5. Verum enim verò *Wilhelmo*, dum Saynensium ditionum possessionem sibi assertum iret, multum negotii exhibuere *Electores Trevirensis & Colonienſis*, quorum ille *castrum Sayn* cum quatuor parœciis, *Fischbach*, *Kirchen*, *Gœberzheim* & *Daden*, nec non vico *Bendorf*, hic autem arcem & præfecturam *Hachenburg*, ex capite *domini directi*, quod sibi in hæc loca competere dictitabant, impugnarunt tanta contentione, ut Palatino Electori, qui hucusque Saynenses de ditionibus illis investire solitus erat, dicam in *Camera Spirensi* scriberent; ubi cùm an. 1618. sententia pro Electore *Colonienſi* lata fuisset, Palatinus verò *Revisionem* rogasset atque impetrasset, ille tandem in istarum rerum Germanicarum turbatione an. 1636. armata manu castrum *Hachenburg* occupavit, idque cum annexis pagis *Comitibus de Wartenberg* feudi titulo contulit; imperatam tamen postea in *instrumento pacis Osnabruggensis* restitutionem, viduæ *Erneſti C. Saynensis*, qui *Wilhelmi* filius erat, præstitit. Sed *Trevirensis* etiam Elector, cum an. 1626. sententia à *Camera*

Impe-

Imperiali pro sua causa emanasset, licet nondum impetratis Executorialibus in possessionem locorum controversorum involavit; quæ tamen itidem viduæ prædictæ postmodum restituit, sub certis quidem conditionibus, in quas illa non citra præjudicium Electoris Palatini & agnatorum consensit. Extat de hac controversia *Scriptum Germanicum:* Kurtzer Bericht/ daß die gantze Grafschafft Sayn/ von viel 100. Jahren Chur Pfaltz Mannlehen gewesen/ und noch sey/ &c. eò lectorem curiosum remitto.

6. A *Ludovico* cæteroquin, quem *Seniorem* cognominarunt, omnes quotquot nunc è familia vivunt, communem trahunt sanguinem; quippe ab ejus filiis *Georgio*, *Wilhelmo*, (de quo jam multa dicta sunt) & *Ludovico* rami tres, quibus stirps Sayno-Witgensteinensis hodiè distinguitur, prodiere, *Berleburgensis* (scilicet, *Saynensis* & *VVitgensteinensis.* Hæc autem divisio nitebatur *testamento*, quod *Ludovicus* parens an. 1593. d. 10. Maji condidit, & per *Codicillum* an. 1601. d. 5 Febr. scriptum corroboravit: eo enim constituit, ut devoluto ad familiam suam Comitatu Saynensi, *regimina* tria essent, quorum præcipuum *Berleburgi*, quod castrum & oppidum Comitatus Witgensteinensis est, institui voluit; idque filio primogenito *Georgio* assignavit; adji-

adjiciendo prædicto castro pagos *Birckelbach*, *VVomelsdorf*, *Rospe*, *VVyndthausen* & *Diedenzhausen*, porro liberum Comitatum *Zischenau*, cum decimis in *Medebach* & curte *Dreyslar*; præterea Dynastiam *Neumagen*, castrum *Bruch*, partemque dominii *Homburg* ad sese pertinentem; causam vero, ob quam Georgio portionem tam amplam tribuebat, eam allegavit, quod is familiæ dignitatem repræsentare, impensas Imperii & Cameræ Spirensis solus ferre, in diætis circularibus, conventibusque Comitum suis sumptibus comparere deberet. *VVilhelmo* filio secundogenito ejusque posteris *Comitatum Saynensem* cum omnibus pertinentiis proprium esse jussit, ceu jam paulò antè dictum fuit; *Ludovico* autem tertiogenito castrum ac præfecturam *VVitgensteinensem*, cum præfectura *Rüschstein* & Vogteja *Elsolf*, nec non dominium *Vallendar* tribuit.

7. *Georgius*, *Berleburgensis* lineæ autor, multorum liberorum pater è duplici conjugio factus est: è priore, quod *Elisabetha Nassovia* tenuit, *octo* prodiere: (1.) *Ludovicus Casimirus*, n. 20. Apr. 1598. (2.) *Ernestus*, n. 29. Mart. 1599. (3.) *Ludovicus Albertus*, n. an. 1600. †. infans. (4.) *Philippus*. n. an. 1601. †. an. 1603. (5.) *Elisabetha*,

betha, n an 1602. (6) *Anna Magdalena*, n. an. 1603. (7.) *Georgius*, n. 25. Jan. an. 1605. (8.) *Otto*, n. an. 1606. †. in pueritia. E secundo matrimonio *Mariæ Julianæ Nassoviæ* liberi sex provenere: (1.) *Joh. Philippus*, n. an. 1609. (2.) *VVilhelmus*, n. an. 1610. & paulò post mortuus, (3) *Johannes*, n. an. 1611. (4) *VVilhelmus*, n. an. 1613. (5.) *Christianus*, (6.) *Bernhardus*, n. 30. Nov. 1620 Inter hos parenti an. 1633. fatis functo filii sex superfuere, nempe *Ludovicus Casimirus*, *Ernestus*, *Georgius*, *Joh. Philippus*, *Wilhelmus* & *Bernhardus*, è quibus *quartus* & *quintus* ἄγαμοι ætatem peregerunt. *Ludovicus Casimirus* primogenitus, cum solus in regimen ditionesque parentis succedere vellet, provocans ad *testamentum* avi *Ludovici*, in contentionem incidit cum fratre *Ernesto*; quippe qui testamentum illud jam multis modis violatum fuisse causatus societatem regiminis affectabat, in quam etiam se intrusit; posteàque, cùm an. 1635. uxorem duxisset, fratrem perpulit, ut per transactionem, *Berleburgi* eodem anno sancitam, *Dynastiam Homburgensem* cum omnibus juribus ac pertinentiis ipsi posterisque ejus in perpetuum cederet. Ejus autem exemplo incitatus *Bernhardus*, Georgii filius natu minimus, dominium *Neumagen* fratri primogenito extorsit. Ille verò prolem

lem non genuit, licet post *Elisabethæ Nassoviæ* primæ conjugis fata, ad secunda vota transierit cum *Wilhelmina Juliana*, *Heinrici C. de Berg* filia; & an. 1675. d. 13. Dec. in castro uxorio *Gohr* naturæ debitum explevit.

8. *Ludovicus Casimirus Berleburgensis* habuit in conjugio *Elisabetham Julianam*, *C. Nassovio-Saraepontanam*, & an. 1643. d. 6. Jun. haud procul oppido *Wetter* in Hassia à prædonibus interemptus est, cùm gnatos tantùm duos genuisset; quorum natu minor *Philippus Ludovicus*, vitam, quam anno 1642. d. 24. Sept. acceperat, an. 1664. d. 25. Aug. redux è bello Turcico finivit. Alter, cujus nomen sequitur, superat, familiæque caput in præsentia est.

9. GEORGIUS WILHELMUS, *Comes in Sayn & Witgenstein, Dn. in Homburg, Vallendar & Neumagen.* Is in tertio nunc vivit matrimonio: primum tenuit *Amalia Margarita*, *Francisci Comitis de Machaut, Verriere & Berliere* filia; qua an. 1669. d. 19. Febr. fatis functa, duxit *Sophiam Elisabetham*, *Friderici C. de Wied*, & *Mariæ Julianæ Leiningensis* gnatam; ea cùm an. 1673. d. 1. Mart. è vita migrasset, tertiis nuptiis sibi junxit *Carolam Amaliam*, *Joh. Ludovici C. ab Isenburg* è *Ludovica Nassovia* filiam. Liberos suscepit è *primo* conjugio

I. *Iulianam Margaritam*, n. 26. Maji 1659.
II. *Ludovicam Franciscam*, nat. 17. April. 1660.
III. *Heinricum Mauritium*, n. 19. Jul. †. 6. Aug. 1661.
IV. *Albertinam Mariam*, n. 29 Jan. 1663.
V. *Amaliam Heinricam*, n. 14. Febr. 1664.
VI. *Carolam*, n. 8. Dec. 1665.
VII. *VVilhelminam Philippinam*, n. 8. Februar. 1669.

è *secundo*

VIII. *Fridericum Georgium*, nat. 5. Febr. †. 19. Mart. 1671.
IX. *Sophiam Elisabetham*, nat. 4. Jan. †. 15. Aug. 1672.
X. *Sophiam Elisabetham*, n. 24. Febr. 1673.

è *tertio*

XI. *Ludovicam Iulianam*, n 9. Apr. 1675. †. 4. Dec. 1677.
XII. *Iohannettam*, nat. 24. Mart. 1677. †. 20. Apr. 1678.
XIII. *Ferdinandam*, n. 24. Nov. 1678.

10. *Ernestus Homburgensis* bis uxorem duxit: primò anno 1635. *Elisabetham*, *Ludovici VVitgensteinij* patrui sui filiam, quam an. 1641. amisit; secundò an. 1642. *Christianam*, *Christiani C. Waldeckij* gnatam, & a. 1649. d. 10. Mart. vita defunctus, præter filias tres, (nem-

(nempe: *Catharinam Elisabetham*, *Ludovico Ernesto C. Lœwenstеinio* nuptam, & an. 1670. mortuam; *Annam Amaliam*, *Casimiri C. Lippiæ in Brakel* conjugem; & *Christianam Elisabetham*, *Friderico C. Nassoviæ in Weilburg* elocatam, & vivis itidem exemptam) gnatos quinque post se reliquit; videlicet: *Georgium Ludovicum* & *Wilhelmum Fridericum* è *primo* thoro natos, nec non *Philippum Ernestum*, *Christianum* ac *Carolum Ottonem* è *secundo* thalamo progenitos. Ex his autem natu maximus *Georgius Ludovicus*, nondum expleta ætate legitima, fatorum iniquitate an. 1661. raptus fuit; *Philippus Ernestus* ante aliquot annos in Hollandia à Colonello *Ripperda* interfectus est; reliqui tres superant.

11. WILHELMUS FRIDERICUS, *Comes in Sayn & VVitgenstein*, *Dn. in Homburg*, *Vallendar & Neumagen*. Is cum è tutela egressus, regimen capesseret, idque unà cum ditione paterna, *Homburgensi* scilicet Dynastia, sibi soli ex capite *primogenituræ*, fratribus consanguineis exclusis vindicaret, iis non nisi *Deputata*, ceu vocant, assignaturus, obstiterunt eorum tutores; unde altercatio orta est, quæ tandem ad Academias *Giesenam* & *Helmstadiensem* delata, & *Juridicæ Facultatis* judicio submissa fuit; cujus *Responsa* an. 1670. data & typis exscripta *jus pretensum primogenituræ* Wil-

helmo Friderico *derogarunt.* Habet ille in matrimonio *Mariam Magdalenam*, agnatam *Johannis Witgenſteinii*, ex *Anna Auguſta Waldeccenſi* filiam; è qua eum ſuſcepiſſe accepi

I. *Carolum.*

II. *Erneſtum.*

III. *VVilhelminam.*

12. CHRISTIANUS, *Comes in Sayn & VVitgenſtein* &c. Huic ducta eſt uxor *Chriſtiana Magdalena* matruelis, *Friderici Emiconis C. Leiningenſis in Hartenburg & Sibyllæ Waldeccia* filia, è qua, poſt aliquot filios βραχυβίους, fœmineam ſobolem adhuc ſuperſtitem genuiſſe fertur.

13. *Carolus Otto*, ejus germanus frater, ἄγαμος vivit.

14. GEORGIUS, *Comes in Sayn & VVitgenſtein* &c. illorum patruus, *Georgii Senioris* filius tertiogenitus, an. 1605. d. 25. Jan. ceu dictum jam eſt, natus, vita adhuc frui perhibetur, cum conjuge octogenaria majore *Eliſabetha Juliana Naſſovia*, quam viduam fratris ſui *Ludovici Caſimiri*, adhibitis tamen priùs in conſilium Theologis ſuæ Eccleſiæ, duxit, prolem autem non genuit.

15. *Saynenſis* linea, de qua nunc verba facienda, *Wilhelmum*, quem *Comitatum Saynenſem* obtinuiſſe plùs una vice dictum fuit,

fuit, autorem habuit. Is è vitæ hujus scena, in quam an. 1569. d. 14. Mart. prodierat, an. 1623. d. 29. Oct. discessit, cum, post defunctam an. 1608. d. 11. Mart. primam conjugem *Annam Elisabetham* a gnatam è priore *Saynensi* ramo, *Annam Ottiliam Nassoviam* an. 1609. d. 18. Nov. secundis nuptiis sibi junxisset, & ex utraque aliquot liberos genuisset. E posteriore filii tres nati sunt: *Wilhelmus Philippus*, qui cœlebs an. 1646. in militia obiit; *Ludovicus Albertus* & *Christianus*; gnatæ verò quatuor: *Anna Maria*, uxor *Ernesti Casimiri C. Nassovii* in *Weilburg*; *Juliana*, nat. 15. Jul. 1616. †. 1627. *Elisabetha Catharina* & *Anna Ottilia*. E priore Wilhelmi thoro prodiit, prætet *Johannettam*, *Ludovico*, *C. Erpacensi* nuptam, filius unicus *Ernestus*, natus an. 1600. d. 26., Aug. Is patri in *Comitatu Saynensi* successit, penatibusque an. 1624 d. 19. Jan. induxit *Luisam Julianam C. Erpacensem*, è qua septies pater factus est: (1.) *Ludovici*, (2.) *Ernestinæ*, (3.) *Johannettæ*, (4.) *Heinricæ Sidoniæ* n. an. 1627. †. 23. Maji 1629. (5.) *Carolæ*, †. an. 1629. (6.) *Ludovicæ*, †. 10. Aug. 1629. (7.) *Mariæ Elisabethæ*, n. 24. Dec. 1630. †. 7. Febr. 1631. Ex his tres natu grandiores patri an. 1632. d. 22. Maji vivis exempto superstites fuerunt.

16. Sed *Ludovicus*, ad quem successio

devoluta erat, matre tutelam gerente, quarto post anno nempe 1636. d. 6. Jul. immatura morte raptus est; unde ansam arripuere *Electores Trevirenſis & Colonienſis*, ut ſub prætextu *caducitatis* maximam Saynenſis Comitatus partem occuparent, quemadmodum paulò ante narratum fuit. Reſtituta quidem deinceps eſt vidua Saynenſis, Ludovici mater, partim vigore *Inſtrumenti pacis Oſnabruggenſis*, partim per *tranſactionem*, ſed non in integrum; Electori enim Trevirenſi *Sayn*, *Rheinbruel* cum Vogteiis *Erlich* & *Ormiz* ceſſit: id ægerrimè tulerunt ejus cognati, inprimis fratres mariti conſanguinei, quippe qui Comitatum Saynenſem, Ludovico fatis functo, ad ſeſe deveniſſe, neq; fratriæ fas fuiſſe de re aliena tranſigere, contendebant. Illa verò in animum induxerat, dictum Comitatum, poſt obitum filii, ad gnatas ſuas *Erneſtinam* & *Johannettam* delapſum eſſe, nihilque juris in eum leviris ſuis competere; eò quod iſti diverſa matre geniti eſſent, ab illa qua Erneſtus ipſius maritus natus fuerat, quippe quâ Comitatus Saynenſis hæredē fuiſſe, eumq; ſocero ipſius dotis loco attuliſſe dictitabat. Nata eſt exinde acerrima & diuturna contentio, agnatis, ac præcipuè *Ludovico Alberto* & *Chriſtiano*, dictarum virginum patruis, utpote quorū univerſæ fortunæ hac ratione in diſcrimen veniebant,

bant, nullum non moventibus lapidem, ut illas ab hac successione arcerent, suumque in Comitatum Saynensem jus, *investituræ Palatinæ*, *pacto familiari hæreditario*, & *prærogativæ masculorum quoad hi superessent ante fœmellas* innixum, sartum tectum sibi conservarent. Succubuit tamen eorum causa, quo jure, quave injuria, enuntiare non est meum; sed exactis ipsis in publicam lucem editis cuivis curioso dijudicandum relinquo. Succedere itaque in Sainensi Comitatu, exclusis omninò patruis ac patruelibus, sæpè nominatæ *Erneſti* filiæ, *Erneſtina* & *Johannetta*, quarum *illa* facta divisione præfecturam *Hachenburgensem* cum pertinentiis suis sortita est, eamque marito suo *Salentino Erneſto C. Manderscheidio in Blanckenheim* attulit, ante plures verò annos vivere desiit; *Johannetta* castrum ac præfecturam *Altenkirchen* obtinuit, nuncque in conjugio *Johannis Georgii D. Saxo-Isenacensis* vivit, cui, post prioris mariti *Johannis Landgravii Hassiæ* obitum, nupsit.

17. *Ludovicus Albertus* & *Christianus* illarum patrui jam de vita decesserunt, uterque autem prolem post se reliquit; ille è *Johannetta Maria C. de Wied*, præter gnatas duas *Carolam* & *Elisabetham*, filium suscepit, is est

CAROLUS, *Comes in Sayn & Witgenstein*.

ſtein &c. qui haud ita pridem in matrimonium duxit *Concordiam*, agnatam è linea *Witgenſteinenſi*, *Ludovici Guntheri C. Schvvarzburgici* viduam.

18. *Chriſtianus*, qui an. 1675. *Viennæ* mortem obiit, uxores duas habuit: primam *Annam Amaliam Naſſoviam*, quæ poſt partum ſecundum filioli in utero extincti animam efflavit; prima autem vice filiam enixa eſt, *Annam Catharinam*, quæ adhuc ſuperſtes eſſe & ab avita religione ad *Romanam* deſciviſſe perhibetur. Secunda *Chriſtiano* conjux *Philippina Iſenburgica* fuit, è qua gnatas duas *Mariam Magdalenam* & *Philippinam Eliſabetham*, totidemque filios genuit.

19. Horum major natu eſt CAROLUS LUDOVICUS, *Comes in Sayn & Witgenſtein* &c. *Ser. Electoris Palatini Supremus Hippocomus, Colonellus legionis peditum & Gubernator Franckenthalii.* Is hoc demum anno 1683. conjugem ſibi è gynecæo Electricis delegit, & ſollemni nuptu duxit *Annam Mettam à Brocktorf*, ex *Holſatica* nobilitate ortam.

20. *Chriſtianus* C. in Sayn &c. illius frater, Ducibus Lunæburgicis ſtipendia facit.

21. Recenſendus ſupereſt ramus *Witgenſteinenſis*; ejus ſator *Ludovicus junior* è *Juliana Solmenſi* complures liberos, in *tabula* enume-

enumeratos, genuit, inter quos primogenitus *Johannes* familiam propagavit; is in aula Electorali Brandenburgensi multum autoritate valuit, Halberstadiensem & Mindanum Principatus vicaria potestate rexit, & dynastias *Lohr* & *Clettenberg*, quæ per pacem Westphalicam Halberstadiensi Diœcesi addicta fuerunt, beneficio Electoris, in feudum accepit; & ad filios transmisit. Ex uxore *Anna Augusta Waldeccia* duodeviginti liberorum pater factus est, inter quos septem fata ejus præverterunt, reliqui an. 1657. d. 2. Apr. defuncto superstites manserunt; ex iis autem *Georgius Wilhelmus* secundogenitus eodem adhuc anno patrem secutus est, undis haustus. Primogenitus *Ludovicus Christianus* ætatem ad an. 1681. m. Junium perduxit, quo ad plures abiit, cum conjugem *Elisabetham Margaritam Solmensem* aliquot ante annis, nulla prole ex ea suscepta, amisisset, posteaque fœminam ignobilem matrimonio *ad Morganaticam*, uti appellant, sibi junxisset. *Otto*, an. 1639. natus, in bello Turcico interiit, nulla legitima sobole relicta. E filiabus decesserunt *Augusta*, *Antonii C. ab Altenburg* uxor, an. 1666. d. 15. Maji, & *Elisabetha Carola*, nata an. 1644; hæc omnibus virtutibus, quæ sexum ejus & genus decebant, pietate inprimis ornatissima, vitæ finem memorabilem planè, & subita-

neum quidem, sed prævisum ac prædictum anno ætatis decimo septimo habuit, quem prolixè & disertè Celeb. *Bæclerus* in *Musæo ad Amicum* enarravit.

Pag. 81. & seqq.

22. Supersunt vero è *Johannis* liberis, *mares duo*, *fœminæ septem*; inter illos potiores partes tenet

GUSTAVUS, *Comes in Sayn, Witgenstein & Hohnstein, Dn. in Homburg, Vallendar, Neumagen, Lohr & Clettenberg.* Hausit is auram vitalem an. 1633. d. 5. Oct. & domicilio *Clettenbergæ* instituto vitæ thoriqúe sociam an. 1657. adscivit *Annam Helenam de la Place, Francisci C. de Machaut* filiam; è qua numerosam utriusque sexus sobolem eum suscepisse, & præter unam alteramque fœmellam, gnatos tres superstites habere accepi; nempe

I. *Heinricum Albertum*, n. an. 1658.

II. *Ottonem.*

III. *Augustum.*

23. FRIDERICUS WILHELMUS, *C. in Sayn, Witgenstein & Hohnstein*, &c. prodiit in lucem an. 1647. d. 16. Nov. Habitat is in castro *Vallendar*, partiturqúe ejus thalamum *Carola Sibylla, Friderici Emiconis C. Leiningensis* in *Hartenburg*, è *Sibylla Waldeccia* gnata, quæ filiarum trium, filiorumqúe duorum mater facta est: ex his major natu

Johan-

Iohannes Fridericus appellatur, alterius nomen resciscere non fuit integrum. Filiarum nomina hæc sunt: (1.) *Christina Augusta*, (2.) *Christiana*, (3.) *Concordia*.

24. Illorum *sorores septem*, quas superstites esse dixi, hæ sunt:

I. *Elisabetha Iuliana*, n. 4. Oct. 1634. nupta *Jodoco Hermanno C. Lippiæ in Bisterfeld.*

II. *Anna Sophia*, n. 2. Nov. 1635. } innuptæ.
III. *Christiana Ludovica*, nat. 23. Aug. 1640. }

IV. *Maria Magdalena*, n. 15. Oct. 1641. elocata *Wilhelmo Friderico* agnato in *Homburg.*

V. *Christina*, n. 21. Aug. 1645. cœlebs.

VI. *Concordia*, n. 1648. nupta 1. *Ludovico Gunthero C. Schvvarzburgico in Ebeleben*, 2. *Carolo* agnato è linea *Saynensi.*

VII. *Ludovica Philippina*, n. 8. Jan. 1652. innupta.

25. *Scutum* Comitum in Sayn & Witgenstein *quadripartitum* est: 1. & 4. area *argentea palos duos nigros* continet, *Witgensteinense* δεῖγμα; 2. *rubea castrum* δίπυργον *argentatum* exhibet, *Homburgense* symbolum; 3. *nigra baltheum diagonalem sinistrum argenteum*, cui *triacapita aprugna nigra* impressa refert, *Fraysburgense* emblema. *Toti* incumbit

Spen. Op. Har. l. 3. c. 33.

bit parmula *rubea leonem aureum adverſo vultu, cauda bifida* continens, quæ teſſera *Saynenſis* eſt. *Caſſides* imponi ſolent *tres*, prima *Saynenſis* coronata ſuſtinet *pileum orientalem inflexum*, vel *cornu aureum*; media *Witgenſteinènſis* tecta eſt *pileolo lato nigro, ora reducta argentea, ornato pluma ſtruthionica duplici nigra, tribus argenteis interpoſitis*; tertia ſuſtinet *caſtrum Homburgicum*. Huic autem ſcuto *linea Witgenſteinenſis* addere ſolet ſymbola *Hohnſteinenſia*, ob Dynaſtias *Lohr* & *Clettenberg*, quibus eam locupletatam eſſe, jam dictum fuit.

26. Refertur ad extremum Comitatus *Witgenſteinenſis* ad *Circulum Rhenanum ſuperiorem*, *Saynenſis* ad *Weſtphalicum*, *Lohra* autem & *Clettenberg* ad *Saxonicum ſuperiorem*, atque hæ quidem Dynaſtiæ ab Electore Brandenburgico tanquam Principe *Halberſtadienſe* extrahuntur.

LIBER VII.

LIBER VII.

DE COLLEGIO COMITUM SUEVICORUM.

INTRODUCTIO.

PRoximo à Wetteravicis Comitibus loco *Suevici* recensendi veniunt, quippe qui περεδρίαν cum illis *alternis vicibus* tenent; eorum autem ultimus Imperii Recessus *duos & viginti* diversorum generum enumeravit; inter quos tamen illi non comprehenduntur, quorum stirpes defecerunt, ditionesque in alienam potestatem concesserunt. Ad hanc classem referri possunt *Helfensteinij* Comites, qui cum *Rudolpho* a. 1627. d. 20. Sept. mortuo, quoad mares extincti sunt, quorumque hæreditatem ex parte adierunt Furstenbergici, *Gundelfingen*, *Wildenstein* & *Meskirch* sibi vindicantes, *Wiesensteigam* Dux Bavariæ caducitatis jure recepit; ipse verò Comitatus *Helfensteinensis* jamdum an. 1396. Ulmensibus, *Crusio* teste, venditus fuit; porrò *Tubingenses* Comites, quorum stirpem masculam *Georgius Eberhardus*, & *Conradus Wilhelmus* fratres, quorum hic an. 1630.

Annal. Suev. Part. 1. l. 3. c. 11.

1630. unica filia, *Carolo C. Salmæ & Neoburgi ad Oenum* elocata, post se relicta; ille a. 1631. ἄγαμος, fatis functi sunt, terminarunt: de eorum hæreditate lis orta est inter *Carolum C. Salmensem* & *Fridericum Ludovicum C. Lœvvensteinium*, quem uxor *Agnes Mariæ*, quæ prædictorum Comitum Tubingensium soror fuit, hæredem scripserat. Anno quidem 1635. inter viduam *Conradi Wilhelmi*, filiæque ejus tutores ab una, & *Agnetem Mariam* ab altera parte transactio inita erat; qua huic *triens* ditionum Tubingensium (quæ constabant dominiis *Liechteneck*, *Umbkirch*, *Limpurg*, & Vogtheia *Schælingen*) assignatus est: cum verò post ejus obitum *Salmensis* uxorio jure possessionem universarum ditionum arriperet, non tulit id Lœvvensteinius, & coram Regimine Austriaco, quod Friburgi in Brisgoia erat, *petitionem summariam loco libelli pro decernenda immissione in medietatem hæreditatis Tubingensis ex L. ult. Cod. de Ed. D. Hadr. toll. vel in alium eventum pronuntiando super petitorio*, produci curavit; *citationemq;* adversus C. Salmensem rogavit, eamque an. 1657. d. 31. Jan. obtinuit; quæ autem porrò acta sint, & quomodo hæc lis composita fuerit, non liquet.

2. Accensendæ præterea *emortualibus* in Suevia familiis sunt *Geroldseccenses*, quam *Jacobus Dn. in Hohen-Geroldseck & Sulz* an. 1634.

Si



1634. d. 26. Jun. cum vita finivit, unica filia, primò *Friderico C. Solmensi*, secundò *Friderico M. Badæ* nupta, post se relicta; quæ in allodialibus patri successit, feudum autem a Cæsare Comiti *Cronbergio* collatum est; & denique *Eberstеinia*. Hæc an. 1660. morte *Casimiri* defecit, è cujus possessionibus *Gersbacum* & alia feuda Badenses Marchiones (qui superiore jamdum seculo medietatem totius Comitatus emptionis titulo acquisiverant) partim, partim Episcopus Spirensis occuparunt; *Gochzæmium* ad Ducem Wirtenbergio-Neostadiensem (cujus posteà filius Casimiri gnatam unicam in matrimonium duxit) devolutum est; reliqua Comites *Wolckenstеinius* & *Gronsfeldius*, per transactionem *Ruffaci* an. 1624. intervenientibus Commissariis Cæsareis sancitam, obtinuerunt. Quoniam autem *prætensionis Wolckenstеiniæ & Gronsfeldiæ* ratio è *tabula Rittershus.* quippe quæ manca est & mutila, non patet, haud absurdum videtur præpositi operis regulæ subjicere oculis lectoris διατύπωσιν, quæ & prætensioni illorum illustrandæ, & supplendæ tabulæ memoratæ inserviat.

3. Superstites familiæ, quæ ad Suevicum Comitum collegium nunc referuntur quas-

quasque *secundum* & *vicesimum* numerum implere dictum est, hæ sunt: *Cronbergia*, *Freybergia*, *Fuggeria*, *Furstenbergia*, *Graveneccia*, *Hohenembsia*, *Kœnigseccia*, *Machselreinia*, *Monfortia*, *Oetingensis*, *Rechbergia*, *Schlickia*, *Sinzendorfia*, *Sulzia*, *Tillia*, *Traunia*, *Trautmansdorfia*, *Truchsessia de Waldpurg*, *Ungnadia de Weisenvvolf*, *Waldsteinia*, *Wolckensteinia* & denique *Wolfsteinia*; Comprehenduntur illæ maximam partem sub *Circulo Suevico*, paucæ admodum sub *Bavarico*, nonnullæ sub *Austriaco*; quarum quidem pleraque Archiduces Austriæ & Duces Bavariæ extrahere solent.

CAP. I.

DE COMITIBUS A CRONBERG.

CRonberg, sive *Cronenburg*, castrum est in monte, quem *Veldberg* vocant, duabus Francofurto ad Mœnum leucis dissitum, vetustate & structuræ elegantia inclutum, quod genti, quam ordo Alphabeticus primam in Suevico Comitum collegio nobis offert, nomen dedit. Ea inter familias *Rhenanas equestres* jam multis retro seculis eminuit, imò, quod affinitates cum præcipuis Comitũ familiis, nempe *Hanovica*, *Weinspergica*, *Isenburgica*, aliisque contractæ, arguunt, illustriotibus annumerata olim fuit.

2. Præ-

2. Præcipuum verò sibi decus *Cronbergii* adstruere amant à *Rudolpho*, *Judithæ*, quam *Ludovicus Pius Imperator* secundis nuptiis duxit, quaque *Carolus Calvus* natus est, fratre: hunc enim, quem Historiarum Scriptores communiter *Welphone Duce Norici* progenitum fuisse referunt, illi è *Cronbergiorum* stirpe ortum & *Magnum Franciæ Cancellarium* circa annum 866 fuisse, veteri epitaphio firmare & docere satagunt; idque Ferdinando II. Augusto persuaserunt, qui Diplomati, quod an. 1623. Cronbergiis dedit, expressis verbis hanc traditionem inseruit, ceu in *Opere Heraldico Cl. Speneri* videre est. *Lib. 1. c. 19.*

3. Genealogiam stirpis *Bucelinus Tomo III. Germ.* exhibuit, & postquam aliquos, quorum in torneamentorum libris mentio occurrit, incertis γενέσεως gradibus, enumerasset, justam seriem ab *Hartmudo de Cronberg*, *Agnetis C. Hanovienſis* marito, qui an. 1266. claruit, nectit. Hujus autem *Hartmudi* ætate alium adhuc ramum è Cronbergia stirpe floruisse, *Celeb. Spenerus* memorat, cujus fator *Franco* qui an. 1236. vixit, fuerit; licet non constet, quo gradu agnationis eum *Hartmudus* attigerit: atque ex eo prognata fuit *Elisabetha Cronbergia*, quam *Johanni C. Solmensi* marito suo *Rœdelheimium* attuliſſe, *superius* dictum est: sed ramus ille processu temporum penitus exaruit. *§. 3.* *Ibid. §. 6.* *L. 6. c. 17. §. 9.*

4. Ab *Hartmudo* I. usq; ad *Hartmudum* X. totidem intercessiere generationes; is *Annam*, *Philippi de Cronberg* ex altera linea & *Catharinæ de Pach* filiam, in matrimonio habuit, & an. 1549. satis concessit, *communis* eorum, qui hodiè è familia superant, *parens*: namque ab ejus filiis *Philippo*, *Walthero* & *Hartmudo* XI. lineæ tres ortæ sunt, quarum priores duæ *Equestre* axioma adhuc tenent; *Hartmudi* autem progenies altiorem dignitatem consecuta est; cui quidem incremento viam fecit *Johannes Suicardus*, *Hartmudi* prædicti è *Barbara Sickingensi* filius, qui post alios honorum gradus, ad *Archiepiscopatum Moguntinensem* & *Septemvirale* in Imperio *fastigium* an. 1604. evectus est; & paucis ante obitum annis (incidit is in an. 1626. d. 17. Sept.) à Ferdinando II. Cæsare impetravit, ut hic ejus è fratre *Johanne Georgio*, an. 1608. mortuo, nepotem *Adamum Philippum*, *Annæ Margaritæ Camerariæ de Wormbs*, *B. de Dalberg* natum, *Baronis* primò, postea *Comitis* axiomate ornaret: ille verò, cum virtutem bellicam Augusto probasset, id insuper obtinuit, ut extincta an. 1634. stirpe masculâ *Geroldsseccia*, hæc Dynastia ad sylvam *Hercyniam* sive *nigram* sita, & sub *Circulo Suevico* ejusque *districtu secundo* (dem andern Vierthel) comprehensa, sibi suisque posteris masculis feudi titulo concederetur; in

in *Bohemia* etiam dominium *Poritschen*, aliasque possessiones luculentas acquisivit; è quibus aliquot Imperialium millia quotannis redire ajunt. Habuit in conjugio *Mariam Sidoniam, Philippi Francisci C. de Falckenstein* gnatam, è qua sobolem suscepit, moriensque præter eam, quæ sequioris est sexus, filium unicum post se reliquit, qui nunc etiam superstes est.

5. CRATO ADOLPHUS OTTO, *Comes de Cronenberg & Hohengeroldseck, Dn. in Poritschen & Elerchingen, S. Cæs. M. Consiliarius & Cubicularius.* Contraxit is matrimonium cum *Maria Francisca, Martini Francisci C. Oetingensis in Baldern & Isabellæ Eleonoræ Helfensteinia* filia, è qua, ortis inter ipsos turbis, quas discessio excepit, prolem non genuit.

6. Ex ejus *sororibus* duas in vivis supereſſe accepi, nimirum

Magdalenam Isabellam, conjugem *Emanuelis Maximiliani Comitis de Schœnberg*, nunc viduam; & *Dianam*, quæ *Philippo L. B. à Sœtern*, qui solus è sua gente superat, nupsit.

7. *Scutum*, quo *Comes Cronbergius* utitur, *quadripartitum* est; 1. & 4. quadra *aurea & fascia rubea exarata* Geroldsecciam Dynastiam *notat*; 2. & 3. *transversim secta*, *Sp. loco cit.*

parte superiore rubea coronam auream refert; inferiore vario vellere distincta est, & tesseram Cronbergiorum familiarem *repræsentat*: Toti *imponitur* parmula, *quæ aquilam*, Imperialis gratiæ symbolum, *continet*. Galeæ *incumbunt* duæ *coronatæ*, *quarum* prior *strobilum nigrum*, altera *jugum explicatum alarum sustinet*; *quarum* dextræ pars superior, sinistræ inferior *cocco*, reliqua *vario vellere* pinguntur. Laciniæ *sunt hinc* aureæ & rubeæ, *isthinc* argenteæ & cœruleæ.

CAP. II.

DE BARONIBUS A FREYBERG IN JUSTINGEN.

FReybergiorum clarissimæ à multis seculis in Suevia familiæ genealogiam Vir diligentissimus *Bucelinus Tomo II. Germ.* tabulis quinque exhibuit, initium ducens ab *Homagio Curio* seu *Curiatio de Libero Monte*, Domino arcis ejus nominis, duobus ferè milliaribus supra Curiam Rhætorum constructæ circa an. 809. patre ex uxore stirpis *Columniæ Damiani*, quem *Mart. Crusius Thamanem* sive *Thomam* vocat; cujus quidem verba, de transmigratione familiæ istas in oras indeque in Sueviam, referre juvabit: *Invenitur*, inquit, *in veteribus Ulmæ Chronicis: Fribergenses à*

Annal. Suev. p. II. lib. 6. c. 7. p. 190.

quo-

quodam Romano Curio, cum aliis Romanis nobilibus expulso, progressos esse, & posteà in Curvvallia castellum adificasse, cui nomen Friberg: situm 2. milliarium supra Curiam, oppidum juxta Rhenum. Ab ea arce illis nomen extitit. Primus, qui ibi habitavit, nominabatur Thaman à Friberg, qui uxorem habuit Annam de Brandis, Baronissam, alio nomine Ermenritin dictam. Contentio autem Thamani fuit cum quodam Saxici generis Barone, qui & ipse in Curvvallia habitavit, in quo certamine hic Fribergerus mortuus est, relictis duobus filiis. Saxus porro ille vehementer oppugnans Margaretam viduam, coëgit tandem eam vendere castellum cum bonis, ac discedere. Collectis itaque aliquot pecuniis, ipsa cum filiis in Sueviam se transtulit, in locum nomine Rotenthalam, ubi pagos & villas cum bonis emit, quæ nunc à cœnobiis Ochsenhausano & & Heppachiensi tenentur; pars etiam quædam à Steinensibus nobilibus. Ædificavit porro sibi vidua domicilium Medingam, deinde arcem Vntermedingam, ad rivum Rhotum, quam appellavit Fribergam: quod nomen ei collapsæ adhuc manet: ubi villa est pertinens ad Nobiles à Stein. In ea arce collocavit natu majorem filiorum Thomam, qui duxit Annam Liberam Baronissam à Kirchberg, adferentem ipsi dotis loco Pfaffenhofam, & arcem non longè inde distantem, Nevvahausam. Alter filius Heinricus, Margaretam Baronissam ab Altensteislin-

ga duxit, quæ ei pro dote attulit hanc ditionem. Ex his 2. fratribus multi nati sunt filij: à quibus Newvensteislinga est ædificata. Horum filiorum unus Hergottus Sifridus de Freiberg in Bavaria duxit nobilem uxorem Annam de Asch; quæ ditionem Aschiam & arcem ei attulit. (Bucelinus nomina illa *Hergotti Sifridi* dividit, & prius filio *Thomæ*, posterius *Heinrici* gnato, huicque uxorem *Annam Aschiam*, illi autem *Annam B. de Delmesingen* tribuit) *Alius*, sic pergit Crusius, *Herr Hiltebrandus* (Hergotti secundùm Bucelinum filius) *uxorem habuit Euphrosinam de Angelberg. Alius Leonardus* (Sifrido natus) *Emerentiam de Heimerdingen, non procul civitate Memminga. Cæteri, alius alibi bene & fortiter se gesserunt.*

2. Sed *Thomæ* posteritatem in *Hildeprando* ejus nepote, qui jam dictus est & filiæ unicæ pater fuit, defeciſſe sæpe citatus *Bucelinus* tradit. *Leonardo*, Heinrici nepoti filium dat *Gottwaldum*, *Irmentrudæ de Bodmann* maritum, patrem *Wilhelmi*, avum *Thomæ*, cui uxor fuerit *Margarita Gundelfingensis Baroniſſa*, aliis *Baroniſſa de Juſtingen* dicta. His natum ait *Burcardum*, quo genitus *Heinricus*, pater è *Magdalena Dapifera de Waldpurg Gaſpari*, *communis* omnium, quotquot è familia per quinque seculorum spatium vixerunt, hodieque vivunt, *parentis*. Is filios habuit *Adamum*, *Christophorum* & *Heinricum*, è qui-

è quibus hic progenie caruit, ab illis lineæ ortæ sunt *Achstettensis* & *Aschavienſis*. In priore *Godofredo*, *Adami* nepoti, filii duo tribuuntur *Eberhardus* & *Erbo*. Ille *Achstettenſes* continuavit, quos *Bucelinus* ad hæc usque tempora deduxit; *Erbonem* autem *Freibergiorum in Alſatia*, quorum ſtirps jam exaruit, ſatorem extitiſſe memorat.

3. *Chriſtophorus*, *Aſchavienſis* lineæ autor, numeroſiſſimam habuit poſteritatem: ei è *Cæcilia Mareſcalla de Pappenheim* filii tribuuntur *Eberhardi duo*, *Barbaræ ab Hohenſteislingen* & *Leonoræ de Stein* mariti. *Eberhardo* & *Leonora* genitus fertur *Bertholdus*, pater *Bertholdi* & *Conradi*, quorum ille *Aſchavienſem* ramum, *Muetingenſi* hæreditate poſteà auctum, propagavit, hic *Lœvvenſteinenſem* proſevit; uterque verò longa poſteritate, ad hanc usque ætatem producta, floruit.

4. Verùm *Eberhardi* & *Barbaræ ab Hohenſteislingen* propago in multò plures diffuſa eſt ramos: namque *Georgius* eorum filius è *Suſanna ab Homburg Heinricum* genuit, cui uxor *Erntruda de Schœnſtein* dominium *Angelberg* attulit, & filiorum duorum parentem fecit, *Burcardi* & *Heinrici* cognomento Stubenrauch; cujus agnominis hanc rationem *Cruſius* refert: *Heinricus à Freiberg, cum expulſus eſſet quodam tempore cum ſuo Domino, dixit ad eum: Domine, qui* Part. III. l. 3. c. 15.

nunc adversantur nobis, hi nos in regionem restituent, tuq; eos ad mensam tuam collocabis. Domino hoc nunquam fore arbitrante, permitte, inquit, Domine, ut ubi id factum fuerit, fornacem prosternam. Annuit Dominus, ac non multo post restitutus adversarios illos ad mensam suam adhibuit. Fornacem igitur Heinricus impulsu confregit, ex eóque postea cognomen tulit, Stubenrauch ὑποκαυσόκαπνος. Ille autem ex *Hemma de Schaumberg Fridericum* genuit, patrem *Heinrici*, à cujus filiis quatuor, quorum *duo Heinrici*, *totidemque Friderici* nomina gesserunt, & *Senioris*, *Juniorisque* cognomentis distincti fuere, lineæ *Angelbergensis*, *Kirchheimensis*, *Wolffpergensis*, *Oepfingensis*, denique & *Justingensis* provenerunt. Primus *Oepfingæ* & *Justingæ* Dominus *Ludovicus* memoratur, vulgò *Luz*, *Heinrici Senioris*, quem *Longum* etiam cognominarunt, pronepos; qui an. 1523. fatis concessit, & *Sibyllam Gossenbrotin*, magnarum opum hæredem, in conjugio habuit. His natus est *Georgius Ludovicus*, qui è *Catharina de Laubenberg* suscepit *Ferdinandum Dn. in Oepfingen*, & *Michaëlem Ludovicum Dn. in Justingen*, hoc & *Felicitate Landschadia* geniti sunt *Georgius Ludovicus Baro in Justingen & Oepfingen*, qui an. 1623. decessit, emtis dominiis *Staufeneck* in Wirtenbergico agro & *Vorbach* in Lotharingia, & *Johannes Blicardius*.

dus. Hic è priore conjugio *Annæ Hundtpiſſin de Waltrams* ſuſcepit *Ludovicum*, *Mariæ Salomæ de Buobenhofen* maritum, è poſteriore autem conjuge *Roſimunda C. ab Ortenburg* (quæ poſtea *Carolo C. Zollerano*, & demum *Adamo Heinrico Keller Colonello* nupſit) *Frobenium* genuit, cui uxor fuit *Urſula de Kaltenthal.* Sed *Georgius Ludovicus* è ſecunda conjuge *Barbara C. ab Eberſtein*, præter alios, *Wilhelmum Ludovicum* procreavit, patrem ex *Urſula L. B. de Merſperg Georgij Ludovici*, & *Hieronymi Friderici*, *L. Baronum de Freyberg.*

5. Cæterùm *Juſtingenſis* dominii, quod à caſtro, prope cœnobium Urſpringen & oppidum Scheltlingen in *Suevia* ejusque *diſtrictu tertio* ſito, ſic dictum, & *feudum Imperij immediatum* eſt, poſſeſſoribusque ſuis *jus ſeſſionis ac ſuffragij* in comitiis ac diætis circularibus Suevicis impertitur, jacturam Freybergii ſuperiore bello tricennali fecerunt, Colonello *Keller* magnam ejus partem occupante; unde factum ut in catalogo *reſtituendorum*, qui in conventu Noribergenſi *Executionis Pacis Weſtphalicæ* ergò an. 1649. habito prolatus fuit, *Freybergiorum* etiam nomen legeretur. Poſteà verò redemptum id dominium fuiſſe accepi à *Johanne Chriſtophoro Freybergio*, *Epiſcopo Auguſtano.* Hic à *Burcardo*, *Heinrici Stubenrauch* fratre, ſanguinem ducit, qui è *Barbara de Weil* genuit *Fridericum Jo-*

Zeil. Topogr. Suev. Addit. p. 58.

hannem in *HohenFreyberg*, patrem *Burcardi*, quo & *Cordula Pincerna Baroniſſa de Winterſtetten* nati *Heinricus* & *Burcardus*: hujus progenies in ejus pronepotibus defecit. Ille è *Regina de Alten Landenberg* complures ſuſcepit filios, è quibus *Egolphus*, *Johannes* & *Fridericus* ramos proſeverunt, ſed priores duo iterum extincti ſunt; à *Friderici* autem filiis *Friderico*, *Heinrico* & *Petro* iterum palmites tres propullularunt, è quibus tamen non niſi *Petri* propago ſuperat. Is autem è *Sibylla de Stein* filios duos habuit *Sigiſmundum* & *Wilhelmum*, à quibus novæ lineæ. A *Sigiſmundo Eiſenbergia*, quo & *Dorothea Thummin à Neuburg* nati ſunt, præter alios, *Fridericus* & *Caſpar*, ille nepotes maſculos non habuit; hic è priore conjuge *Appollonia de Stadion* genuit, poſt alios, *Johannem Sigismundum*, maritum *Sibyllæ de Knœringen*, patrem *Johannis Waltheri*, *Friderici*, & *Conradi Sigismundi*; à ſingulis progeniem manaſſe *Bucelinus* notavit. *Fridericus*, qui *Annam Hundpiſſin* in torum induxit, genitor fuit aliquot liberorum, è quibus *Caſpar* & *Conradus Sigismundus* ſtirpem propagarunt. Ille ex *Anna Regina à Rechberg* ſuſcepit *Albertum Erneſtum* & *Iohannem Chriſtophorum*: Hic Eccleſiaſticum vitæ genus amplexus, primò *Præpoſitus Elvacenſis*, poſteà *Epiſcopus Auguſtanus* creari meruit, atque hodienum ſuperſtes

ſtes eſt: *Juſtingenſem* Dynaſtiam familiæ ſuæ per reluitionem, iterum ceu paulo ante dixi, aſſeruiſſe, & fratri ſuo, ejusque poſteris tradidiſſe fertur. Ille etiam, *Albertus Erneſtus* nempè, *Receſſui Imperij* an. 1654. nomine poſſeſſorum prædictæ Dynaſtiæ ſubſcripſit, quam in præſentia ejus filium, ex N. *Lœſchin ab Hilgartshauſen* uxore ſua genitum, obtinere accepimus.

6. Hujus autem nomen ſic ſe habet: JOSEPHUS ALBERTUS, *L. B. de Freyberg & Eiſenberg Dn. in Iuſtingen, Ser. Electoris Bavariæ Conſiliarius & Cubicularius.* Sociavit ſibi connubio *Annam Magdalenam Adelhaidin, Franciſci Erneſti C. Criechingenſis & Mariæ Eliſabethæ Montfortiæ* filiam, è qua gnatos tres genuit:

I. *Ferdinandum Chriſtophorum.*

II. *Maximilianum Felicem.*

III. *Iohannem Chriſtophorum.*

7. *Barbara Regina, Joſephi Alberti* ſoror, Principiſſæ Bavaricæ, quæ nunc Delphina Francica eſt, quondam Domicella, nupſit *Franciſco Joſepho L. B. de Paumgarten, Johannis Wigulæi, Vicedomini Straubingenſis* filio.

8. *Scutum* Baronum de Freyberg in Juſtingen ita Cl. *Spenerus* deſcripſit, ut *quadripartiti* area 1. & 4. *transverſè ex argento & cyano* *Op. Har. l. 3. c. 40.*

cyano secta, parte inferiore *cœrulea tres globulos aureos exhibeat, qua* tessera *est familiaris*; 2. *cœrulea referat ramum detruncatum argenteum diagonaliter positum, quod* symbolum *est* Justingense; 3. *aurea baltheum linea diagonali ex nigro & argento bipartitum*, Oepfingensis dominii δεῖγμα, *contineat.* Cassides duæ *imponuntur*, *prior* gentilitia *coronata plumos struthionicos quinque argenteos gerit*; *altera* Justingensis *caput cygni argenteum, cujus collum linea transversa aurea perforat, utrinq; sustinens bacillum ex eodem metallo coronatum, & pennis pavoninis fastigiatum.* Laciniæ *sunt utrinque* cœruleæ & argenteæ.

CAP. III.

DE COMITIBUS FUGGERIS.

INclutissima *Fuggerorum* familia etsi haud satis exploratæ sit originis, vixque ejus memoria tertium excedat seculum, ad tantam tamen omnium rerum affluentiam & claritudinem brevi temporis intervallo emersit, ut splendore ac magnificentia quosvis excelso loco natos facilè superaret, & Augustis etiam Principibusque viris in deliciis esset. Ejus Genealogiam, qui pertexuerunt, orditi sunt cum *Rittershusio à Johanne Fuggero*, qui

qui *Augustam Vindelicorum* habitatum concessisse, ejusq; civitatis jus an. 1370. accepisse memoratur, pater filiorum duorum, *Andreæ* & *Jacobi*; qui ambo in re lauta, atque ex negociationibus, quas latissimas exercebant bene aucta vixerunt. *Andreas* stirpem *Fuggerorum*, qui insignium loco *caprea aurea in campo cœruleo* utebantur, provexit, quæ tamen pedetentim exaruit, *Jacobi* propago perpetua felicitate floruit: ex ejus liberis masculis *Marcus* Ecclesiasticam vitam sectatus, & à Pontifice Romano *Canonicus Augustanæ* Ecclesiæ designatus est; antequam autem à Capitulo reciperetur, fatis an. 1478. concessit. Ejus fratres *Ulricus*, *Georgius* & *Jacobus*, paterna instituta sequentes, immensas & maximè luculentas divitias sibi peperere runt: *Jacobus* inprimis tantas ex metallis pecunias fecit, ut non solum *Imperatori Maximiliano* I. septuaginta mille florenos mutuos dederit, acceptis in antichresin Comitatu *Kirchbergensi* & *Weissenhorna*, sed & diversa prædia ac dominia argento præsenti mercatus sit; nempe *Schmichen*, *Biberbach*, *Marstetten*, *Pfaffenhoven*, *Wullenstetten*, *Fussendorf* & *Trysachhausen*. A Leone X. Papa *Eques auratus* & *Comes S. Palatii Lateranensis* creatus, à *Maximiliano* autem Augusto inter *Consiliarios* cooptatus, & cum universa familia *nobilitate* donatus fuit. Cùm liberis

ris careret, facultates suas per testamentum ad fratrum suorum filios transmisit, & *Fideicommissi Fuggeriani* primus autor extitit.

2. Sed ex ejus fratribus *Ulricus* filios quidem, nepotes autem masculos non habuit: *Georgius* verò cum *Regina Imhofia* conjuge sua stirpem propagavit; omniumque quotquot nunc è familia vivunt, *communis parens* extitit. Inter ejus filios *Marcus*, seculo relicto, Ecclesiæ se addixit, & *Protonotarius Apostolicus, Decretorum Licentiatus*, nec non *Præpositus Ecclesiæ Cathedralis Ratisbonensis* fuit. *Raimundus* & *Antonius*, *ramos duos capitales*, quibus hodienum familia distinguitur, proseverunt; & à *Carolo V. Imperatore* in numerum *Consiliariorum* suorum adsciti, & *Baronis*, posteaque an 1530. in comitiis Augustanis *Comitis* axiomate decorati fuerunt. *VVeissenhornam* & *Kirchbergensem* Comitatum, quem hypothecario tantùm titulo pater patruique tenuerant, ab eodem Cæsare, forte accumulata, jure proprio in feudum acceperunt; uterque verò novis possessionibus, ære in primis acquisitis, se familiamque locupletarunt. *Raimundus* quidem emisse traditur pagos *VVinterbach*, *Dierlabingen*, aliaque; *Antonius* autem *Vogtheiam Imperialem Donavverdanam*, oppidum *Babenhausen*, vicum & castrum *Brandenburg*, arces & pagos *Kirchheim*, *Eppishausen*, *Duet-*

ten-

tenſtein, *Ahelfingen*, *Stettenfels*, *Oberdorf*, *Mickhauſen*, *VValtenhauſen*, *Herbertshofen*, *Beyren*, *Kieſſendorf*, *Edelried*, *VVeglbach*, *Ainode*, *Rettenbach*, *Pleß*, *Gablingen*, *Glœt* & *Ehingen* cum pertinentiis, ſibi comparavit; & ſolo *Brandenburgo* excepto, ad filios ſuos transmiſit, id tabulis ſupremis præcipiens, ne ſua inter *Danubium*, *Ileram*, *Lycum* & *Alpes* ſita prædia unquam quocunque modo alienarentur.

3. Cæterum à ramis duobus, in quos ſtirpem Fuggeriam abiiſſe dictum eſt, novi propullularunt palmites; duo nempeà *Raimundi* filiis *Iohanne Iacobo* & *Georgio*, tres ab *Antonii* gnatis, *Marco*, *Iohanne* & *Iacobo*. Ad eorum autem enumerationem priùs quàm progrediar, rogandus mihi eſt æquus lector, ut ſi ejus expectationi hîc loci minus ſatisfecero, miſereri potiùs vicem meam velit, quàm indignari. Quod ſi enim inter omnes illuſtres familias, quas recenſui, & adhuc recenſurus ſum, ulla eſt, cujus cauſa omnes perſecutus ſum vias, quibus putabam ad ea quæ ad inſtitutum meum pertinent, perveniri poſſe, hæc eſt; ſi verò etiam uſpiam data mihi ſunt verba, hîc ſunt. Quod quidem eò difficilius concoquere valeo, quoniam ab eo præcipuè lactatus & falſa ſpe productus fui, à quo ob aliquem neceſſitudinis nexum minimè debuiſſem, quique officium,

in

in publicum magis quàm privatum commodum â me convertendum, & verbis splendidissimè initum, re etiam comprobare, si voluisset, haud dubiè potuisset. Pauca itaque, & ab amico extraneo quidem, sed ingenuæ veritatis & officii pleno mecum communicata in medium proferre, & benevolo lectori impertire queo; quem, ut hoc Catone contentus sit, iterumque oro.

4. Initium à linea *Iohannis Iacobi* faciendum est, quæ quò fœcundior fuit, eò sterilior mihi est messis: Erat ille summus Musarum Patronus, omniumque liberalium studiorum & auctor & admirator; bibliothecam à parente cœptam, insigniter auxit, resque Austriacæ familiæ vernaculo sermone in Historiam contulit. In divisione hæreditatis paternæ sortitus est Comitatum *Pfyrt*, (quod castrum restauravit & munivit) Dynastias *Altkirch* & *Issenheim*, cum Vogtheia *Senheim* in Alsatia inferiore: quæ omnia à domo Austriaca, arrhabonis loco, Raimondo relicta fuerant. Ipse autem suo ære sibi comparavit castra *Busnang* & *Weinfelden* in *Turgoia*, *Hohenkrechen* in *Hegoia*, præterea elegantem vicum *Taufkirchen* in *Bavaria*. Augustæ Consulatum gessit, postea verò Alberto V. Electori Bavariæ operam suam addixit, Consiliarii & Cameræ aulicæ Præsidis munere apud eum functus. E duabus

bus uxoribus numerosam sobolem, XXI. nempe liberos genuit, è quibus XVIII. ipsi superstites manserunt; circa quos nonnulla *tabulæ Rittershusianæ* addenda venient. Inter filios primogenitus *Sigismundus Fridericus* in lucem prodiit an. 1542. d. 24 Sept. & Clericatum amplexus, *Canonicus & Decanus* Ecclesiarum *Salisburgensis & Passaviensis, Ratisbonensis* verò *Præpositus* fuit, tandemque an. 1598. *Episcopus Ratisbonensis* & S R. J. *Princeps* creari meruit; sed biennio post, anno scilicet seculari, d. 5 Nov. vitam cum morte commutavit. Qui hunc forte nascendi excepit *Carolus* militari vitæ se dedit, & Philippo II. Regi Hisp. stipendia fecit, habuitque in conjugio *Johannam Sterckiam* genere Belgam, quæ nullam ei peperit prolem, posteaque *Ludovico C. de Biglia* Mediolanensi nupsit. *Alexander & Victor Augustus* Ecclesiastica munia, hic *Passavii*, ille *Frisingæ* obiere. *Maximilianus* Eques *Ordinis Teutonici* & Commendator *Stœrzingæ* fuit, atque in pugna navali, ad *Sinum Corinthiacum* an 1571. commissa, fortitudinis documenta edidit. *Joachimus* Wilhelmi V. & Maximiliani Ducum Bavariæ Camerarius ac Consiliarius, nec non *Vicedominus Straubingensis* fuit, & *Magdalenam C. ab Helfenstein* uxorem, sed sterilem habuit. Inter filias *Justinæ Benignæ, Adelhaidis* & *Constantia*

maritos *tabula Rittershuſ.* præteriit; prima enim *Friderico ab Hollnegg*, Equiti Styrenſi, ſecunda *Chriſtophoro B. à VVelſperg*, tertia *Bernhardino B. ab Hœrmanſtein* nupta fuit. A *Severino*, *Alexio*, *Conſtantino* & *Trajano* progenies manavit, de qua, quid præter ea, quæ in tabula continentur, dicam, non habeo; unico tamen, quod aliquando in itinere è ſermone ignoti comitis captavi, lectorem non defraudabo: nempe *Carolum Conſtantinum*, *Conſtantini* II. & *Annæ Eliſabethæ à Fraunhofen* filium, Ser. Electoris Bavariæ Cubicularium, thalamum partiri cum *Concordia L. B. ab Ulm in Erbach*, filiumque ex ea genuiſſe *Conſtantinum*.

5. Alterius lineæ, quæ à *Raimundi* progenie defluxit, autor *Georgius*, amore erga ſtudia doctrinarum & munificentia adverſus eorum cultores fratri nihil conceſſiſſe, Matheſeos autem peritiſſimus fuiſſe prædicatur. Inter ejus liberos, quos quatuordecim diverſi ſexus ex *Urſula Liechtenſteinia* genuit, filii quatuor eminuere, nempe: *Philippus Eduardus*, *Octavianus ſecundus*, *Antonius* & *Raimundus*. Hic an. 1606. fatis functus unicam tantùm prolem, eamque infirmioris ſexus poſt ſe reliquit. *Octavianus ſecundus*, Rudolphi II. Cæſaris Conſiliarius, & *Reip. Auguſtanæ Duumvir*, aliquot liberorum pater fuit, è quibus *Chriſtophorus* ducta *Anna*

na Catharina, *Raimundi* patrui sui filia, sobolem quidem procreavit, sed in qua ejus posteritas defecit. *Philippi Eduardi* & *Antonii* propaginem in illis, quorum nomina sequuntur, nunc virere accepimus.

6. ALBERTUS *Fugger, Comes in Kirchberg & Weissenhorn, Dn. in Brandenburg, Stetten, Hausen & Stetten am Kaltenmarckht*, *Hugonis* & *Mariæ Julianæ L. B. Vohlin de Frickenhausen* filius, *Philippi Eduardi* nepos, natus an. 1624. d. 12. Nov. Tenet is Comitatum *Kirchberg*, illasque quas in ejus titulo enumeravi Dynastias. Connubio *primis nuptiis* sibi junxit *Mariam Franciscam*, *Ottonis Heinrici* agnati è linea *Johannis*, & *Mariæ Elisabethæ Truchsessiæ* filiam; è qua complures liberos suscepit, nuncque filios quatuor superstites habet:

I. *Paridem Georgium*, n. 22. Jun. 1651. Induxit is penatibus *Annam Leonoram*, *Johannis Georgii C. de Kœnigseck in Aulendorf* & *Leonoræ C. ab Hohenembs* filiam, quod tamen matrimonium diductum jam est.

II. *Iosephum.*

III. *Tiberium.*

IV. *Bonaventuram.*

Secundis nuptiis Albertus virginem è *Schaumburgiorum* gente sibi sociavit, quæ filium ei peperit *Albertum Antonium.*

7. HUGO FRIDERICUS *Fugger, C. de Kirchberg & VVeissenhorn, Caroli Philippi*, qui *Alberti* frater major natu fuit & an. 1654. obiit, è *Margarita Ursula Pappenheimia* filius, susceptus est in lucem an. 1649. d. 8. Jun. Possidet is oppidum *VVeissenhorn*. Conjugem duxit *Mariam Theresiam* agnatam, *Johannis Francisci* è linea *Jacobi*, ex *Maria Cordula L. B. Vöhlin de Frickenhausen* filiam, quam ob factum atrox à marito repudiatam, & à fratribus suis cœnobii clathris haud ita pridem inclusam esse accepimus.

8. ANTONIUS FERDINANDUS RUDOLPHUS *Fugger, C. de Kirchberg & VVeissenhorn*, possessor dominii *Vnter-Sulmetingen, Heinrici Raimundi*, & *Mariæ Christinæ C. ab Liechtenstein* filius, *Antonii* nepos, hausit auram vitalem an 1646. d. 12. Nov. Habet in conjugio N. *Baroniſſam de Stein*, è qua filium suscepit *Raimundum*, & gnatam *Franciscam*.

9. Inter lineas, quas ex *Antonii* progenie prodiisse dixi, potior nascendi sorte illa erat, quam *Marcus* condidit. Is Rudolphi II. Imp. Consiliarius, & *Reip. Augustanæ Duumvir* fuit, atque è *Sibylla Eberstеinia*, præter alios sequioris sexus liberos, filios quatuor genuit: *Georgium, Antonium, Philippum* & *Al-*

& *Albertum*. Hic (cui annus natalis 1574. non verò 1547. ceu in *tabula* legitur, fuit) è *Veronica* patrueli sua multam quidem utriusque sexus prolem suscepit, è qua tamen non nisi *Marcus* justam ætatem attigit, sed Ecclesiasticæ vitæ addictus & *Canonicis Passavienſibus* ascriptus, posteritate caruit. *Philippum Barbara* ejus agnata & conjux filiorum duorum parentem fecit, nempe *Marquardi*, qui an. 1655. m. Aug. nullis è *Maria Christina C. Oetingenſi* uxore sua liberis susceptis, mortalitatem exuit, & *Marci Philippi*, qui circa initia turbarum Bohemicarum prope *Rachonizium* tormento militari ictus & utroque crure truncatus, paulo pòst, videlicet d. 31. Oct. an. 1620. animam efflavit. *Antonius* Maximiliani D. Bavariæ *Supremus Hippocomus* fuit, & filios præcipuè duos post se reliquit, *Maximilianum* scilicet & *Franciscum*. Hic egregriæ militaris famæ bello Turcico superiore rem tormentariam curavit, & in prœlio ad *Gotthardi fanum* Calendis Augusti an. 1664. commissio occubuit. Ille ante annos complures itidem rebus humanis exemptus est, relicto filio *Ferdinando Ignatio*, quem non ita multò post fatorum iniquitas rapuit; ut jam solus è Marci linea quoad mares supereſſet *Nicolaus*, Georgii filius, qui an. 1671. adhuc vitali aura fruebatur; eo enim anno ejus nomine *libellus me-*

morialis in comitiis Ratisbonensibus exhibitus fuit, quo petebat, ut pecunia, *Francisco* patrueli suo ob non solutum stipendium ab Imperio debita, jamque morte *Maximiliani* & *Ferdinandi Ignatii* cum universa eorum hæreditate ad sese devoluta, sibi transscriberetur & exsolveretur. Hoc verò interim spatio ille quoque seculo valedixit, cumque prole mascula careret, lineam terminavit.

10. Sequitur linea *Iohannis*: is, præter duas filias, (quarum altera *Anna Maria*, post *Philippum à Rechberg* (nec Hochberg) *L. B. in Hohen-Rechberg, Conrado L. B. de Bemmelberg* an. 1588. nupsit) gnatos tres superstites vitæ suæ habuit, nimirum: *Marcum*, *Christophorum* & *Jacobum*. Hic Ecclesiasticum vitæ genus amplexus, *Constantiensis Ecclesiæ Antistes* & S. R. J. *Princeps* an. 1604. creari meruit, quam dignitatem cum spiritu an. 1626. posuit. *Marcus, Kirchheimensis* Dynastiæ possessor, è filio *Johanne* nepotem habuit *Johannem Eusebium*, qui *Cameræ Spirensis Præses* fuit & an. 1672 fatis concessit; relicta post se filia unica, è *Maria Eleonora Dorothea Furstenbergia* suscepta, *Maria Francisca Eusebia*, *Francisco Joachimo* agnato in *Wöllenburg* nupta, jamque vivis exempta. *Christophorus* è *Maria C. à Schwarzenberg* genuit *Johannem Ernestum* & *Ottonem Heinricum*, à quorum utroque progenies superat, jam recensenda. 11.

11. FRANCISCUS ERNESTUS *Fugger, Comes de Kirchberg, & VVeissenhorn, Dn. in Glöth, Hilgartsperg, Pollvveyl, Weillerthal, Massmunster, Stettenfels, Oberndorf & Elgau*, filius *Christophori Rudolphi & Mariæ Annæ Walburgis C. Montfortiæ, Johannis Ernesti* nepos, lucem aspexit an. 1648. d. 18. Sept. & connubio sibi sociavit *Mariam Theresiam, Friderici Wilhelmi C. Oetingensis in Kazenstein & Rosinæ Susannæ à Trübeneck* gnatam, è qua filios duos filiamque unicam suscepit.

12. *Antonius Iosephus Fugger* &c. illius frater, exteras nunc oras perlustrat.

13. BONAVENTURA *Fugger, C. de Kirchberg & VVeissenhorn, Dn. in Kirchheim, Grœnenbach & Schmiehen, Senior totius familiæ, Ser. Electoris Bavariæ Cubicularius & Præfectus Landspergæ, Ducis Maximiliani Supremus Aulæ Magister*, susceptus est in lucem, an. 1619. d. 30. Jun. ab *Ottone Heinrico Fuggero, & Maria Elisabetha Truchsessia de VValdpurg.* Possidet medietatem dominii *Kirchheim*, Dynastiam *Grœnenbach*, & quadrantem prædii *Schmiehen*. Thalamum ejus partitur *Maria Theresia L. B. de Mercy*, è qua complures liberos sustulit; è quibus in vivis supersunt, filiæ duæ, totidemque gnati, videlicet:

Maria Elisabetha.
Maria Adelheid Claudia.
Iohannes Maximilianus Iosephus.
& *Franciscus Guidobaldus.*

14. MARQUARDUS *Fugger, C. de Kirchberg & VVeissenhorn, Dn. in Nordendorf & Ehengen, Sebastiani*, qui *Bonaventuræ* frater fuit, & an. 1677. d. 20. Jul. fatis concessit, ex uxore sua stirpis *Hundpissiæ de VValtrams*, filius, cœlibem adhuc vitam agit, fratres duos habens *Philippum* & *Eustachium*, suntque in eorum ditione Præfectura Imperialis *VVörth*, dominia *Nordendorf* & *Ehengen*, cum quadrante prædii *Schmiehen*. Sororum nomina hæc sunt:

Maria Theresia, nupta *Sigismundo Josepho* agnato in *Babenhausen*.
Maria Anna,
& *Maria Claudia*.

15. JOHANNES OTTO *Fugger, C. de Kirchberg & VVeissenhorn, Dn. in Kirchheim, S. Cæs. Majestatis Camerarius & Regimini superiori Austriaco à sanctioribus consiliis, Bonaventuræ* frater, natus an. 1631. d. 13. Aug. tenet medietatem dominii *Kirchheim*, & quadrantem in *Schmiehen*. Uxorem sibi delegit è *Welspergiorum* gente, è qua filiam *Annam Felicitatem* genuit,

16. PAU-

16. PAULUS *Fugger*, *C. de K. & W.* illius frater, quondam *Senator Augustanus*, nunc *Ser. Principis Palatini Neoburgici Supremus Aulæ Præfectus*, editus in lucem an. 1637. d 11. Sept. penatibus suis induxit *Mariam Theresiam Hussmanniam*, è qua procreavit gnatos duos, & filios quinque, videlicet:
Carolum Iosephum,
Iosephum Pium,
Mariam Magdalenam,
Mariam Adelhaiden,
Mariam Annam,
Mariam Claram,
& *Mariam Margaritam*.

17. E filiabus *Ottonis Heinrici*, enumeratorum Comitum sororibus, sola superat *Maria Iohanna*, an. 1623. d. 9. Jun. nata, & cœlebs. *Maria Renata Franciscum L. B. à Schwendy* in conjugio habuit.

18. Restat linea *Iacobi*, is ex *Anna*, *Georgii Ilsungii*, Præfecti provincialis Sueviæ filia, gnatos præcipuè tres genuit, videlicet *Georgium*, *Johannem* & *Hieronymum*. *Georgius*, Rudolphi II, & Matthiæ Impp. Ferdinandi Regis Ungariæ & Bohemiæ, nec non Archiducum Maximiliani, Leopoldi & Caroli Consiliarius, Præfectus Provincialis Sueviæ, Capitaneus Comitatus *Mitterburg*, & Eques Ordinis Hispanici *de Cala-*

trava fuit, uxoremque habuit *Annam Mariam, Johannis Viti L. B. à Tœrring* filiam, *Frobenii Truchſeſſii* viduam, an 1623. ductam, ſed prole caruit. *Johannes* autem & *Hieronymus* ſtirpem propagarunt, ille per *Johannem Franciſcum*, hic per *Leopoldum* filios, à quibus ea, quæ ſequitur, propago ſupereſt.

19. SIGISMUNDUS JOSEPHUS *Fugger, Comes à Kirchberg & VVeiſſenhorn, Dn. in Babenhauſen, Keltershauſen & Nideralfingen*, filius *Johannis Franciſci* & *Mariæ Cordulæ L. B. Vohlin de Frickenhauſen*, n. an. 1654. d. 15. Aug. duxit in matrimonium *Mariam Thereſiam* agnatam, *Sebaſtiani* è linea *Johannis* filiam, ſed prole deſtituitur.

20. JOHANNES RUDOLPHUS *Fugger, C. ab Kirchberg & VVeiſſenhorn, Dn. in Boos, Haimertingen & Pleß*, illius germanus frater, prodiit in lucem an. 1657. d. 9. Apr. & connubio ſibi an. 1679. m. Febr. ſociavit *Johannam Catharinam Truchſeſſiam, Paridis Jacobi C. in Zeil. & Luciæ Amaliæ C. à Berg* filiam, è qua pater factus eſt

I. *Johannis Iacobi*, n. & †. an. 1679.

II. *Catharinæ Mariæ*, nat. an. 1680. m. Sept.

III. *Mariæ Amaliæ*, n. an. 1682. m. Apr.

21. *Ferdinandus Dominicus*, illorum frater major natu, intra pubertatis annos deceſſit;

cessit; è sororibus eorum *Maria Anna Elisabetha* innupta obiit, *Maria Cordula* autem, an. 1640. d. 2. Jun. monasticam in cœnobio *Mundelheim* profitetur, *Maria Theresia* n. 11. Aug. 1655. *Hugoni Friderico* agnato in *Weissenhorn* elocata fuit; nunc verò, ceu supra dictum, in monasterio facinoris admissi pœnam luit.

22. *Maria Jacobe*, *Jacobi*, qui *Johannis Francisci* frater major natu fuit, & *Mariam Julianam* agnatam in conjugio habuit, atque ad Noribergam an. 1632. d. 24. Aug. occubuit, filia unica, innupta adhuc superat.

23. ANTONIUS JOSEPHUS *Fugger*, *C. à Kirchberg & Weissenhorn*, *Dn. in Wasserburg*, *Biberbach & Gablingen*, *Leopoldi & Mariæ Johannæ Fuggeriæ* è linea *Johannis*, filius, uxorem penatibus suis induxit è *Baronum de Neuhaus* in Bavaria familia, sobolemque masculam ex ea suscepit.

24. FRANCISCUS JOACHIMUS *Fugger*, *C. à Kirchberg & Weissenhorn*, *Dn. in Wœllenburg*, *Gottenau*, *Retenbach*, *Welden*, *& possessor hypothecarius dominiorum Ronsperg & Irmetshofen*, *Antonii Josephi* frater, duxit primis nuptiis *Mariam Franciscam Eusebiam*, *Johannis Eusebii C. Fuggeri in Kirchheim*, & *Mariæ Eleonoræ Furstenbergicæ* gna-

gnatam unicam, quæ improlis è vita discessit; secundis nuptiis sibi sociavit virginem ex illustri *Comitum de Ladron* stirpe prognatam, è qua filiolam *Theresiam* suscepit.

Sp. Op. Har. l. 1. c. 25. 25. Reliquum est, ut *scutum* Comitum Fuggerorum delineem, illud verò *quadripartitum* est: 1. & 4. area *è cyano & auro perpendiculariter secta, liliis duobus iisdem coloribus alternatis* insignita est, & tesseram *familiarem* exhibet; 2. *argentea Æthiopissam nigras indutam vestes, coronatam, crinibus sparsis, manibus tiaram Episcopalem* gestantem repræsentat, quod *Kirchbergensis Comitatus* δᾶγμα est; 3. *rubea tria cornua venatoria argentea* refert, & *VVeissenhornam* denotat. *Galeæ* incumbunt *duæ: prior* Fuggeria *coronata inter cornua cœruleum & aureum lilium iisdem coloribus sectum* sustinet; *altera* Kirchbergia *hermam Æthiopissæ nigro indutum, & mitra Episcopali argentea redimitum, crine tortili aurata* ostentat. *Laciniæ* isthinc *auro* & *cœruleo* colore, hinc *argento* & *atro* tinguntur.

26. Comprehenduntur ad extremum Comites Fuggeri sub *Circulo Suevico, ejusque districtu quarto*, qui *Danubio, Lico, & Ilera* cingitur; *Kirchbergensis* tamen Comitatus ad *Austriacum* refertur, sustinetque ejus onera Regimen Tyrolense.

CAP.

CAP. IV.

DE COMITIBUS FURSTENBERGICIS.

RECensita *superiùs* familiæ *Furſtenbergicæ* origine, linearumque altera, *Werdenbergia* ſcilicet ſive *Heiligenbergia*, Principali axiomate ornata, enumeranda venit hoc loco *Blombergia*, quam & *Kinzingerthalenſem* appellare amant, inde, quod *Chriſtophorus* ejus conditor in partitione ditionum loca in valle *Kinzingia* ſita, è Landgraviatu autem Baarenſi *Blombergam* nactus eſt. *Chriſtophorus*, quem dixi, anno 1559. fato functus, filios duos *Albertum* & *Uratislaum* poſt ſe reliquit, qui Imperatori Rudolpho II. operam ſuam addixerunt, ejusque aulam, quam utplurimùm Pragæ habebat, frequentarunt; unde occaſio nata fuit *Alberto*, (*Uratislaus* cœlibatum coluit) ut cum Proceribus Bohemiæ affinitatem contraheret: duxit enim a. 1578. in matrimonium *Iſabellam*, *Wratislai de Pernſtein*, Supremi Regni Cancellarii filiam, atque harum nuptiarum honori Rudolphum Auguſtum ludicri certaminis ſpectaculum per triduum dediſſe, eique centum millia ſexagenarum expendiſſe, *Bohasl. Balbinus* retulit. *Lib. 5. c. 9.* *Epit. Rer. Boh. l. 5. c. 14.*

2. *Alberto* & *Iſabella* geniti ſunt, præter alios

alios, *Christophoras*, *Wratislaus* & *Francisca Hippolyta*, è quibus *Wratislaus*, cui uxores tres tribuuntur, liberos quidem, sed nepotes non habuit; *Christophorus* ejusque soror, quam dixi, repetita cum Bohemicis Magnatibus affinitate, ille *Dorotheam Sternbergiam* uxorem, hæc *Leonem Burianum Berckam C. de Duba & Lippa* maritum accepit. Hic cum an. 1627. fatis concessisset, filiumque ac hæredem unicum amplissimarum ditionum, nempe *Matthiam Ferdinandum Franciscum* post se reliquisset, is autem anno 1644. ætatis 27. ἄγαμος immatura morte extinctus esset, adiit quidem ejus hæreditatem ex intestato mater *Furstenbergia*, eamque, eodem adhuc anno vivis exempta, per tabulas supremas ad *Fridericum Rudolphum*, *Christophori* fratris sui filium transmisit; sed iste successione illa excidit. Causam pro me dicat Laudatissimus *Balbinus*: *Post Matthiam Ferdinandum Berckam* (ait in literis) *mortuum*, *omnes quidem possessiones in Bohemia & Moravia amplissimæ ad Furstenbergicos pervenere; sed hoc diuturnum non fuit: probatum enim est à familia Berckarum*, *omnia illa bona fideicommissum esse*, *instituente olim Leone Buriano Bercka, parente Matthiæ, adeòque excussi sunt Furstenbergii*, *& patrueles Bercke eas ditiones tenent hodiéque; quo factum*, *ut nullus hac ætate in Bohemia Furstenbergicus Regni incola censeatur.*

3. Cæ-

3. Cæterùm *Christophorus C. Furstenbergicus* è *Dorothea Sternbergia* genuit *Vratislaum* & *Fridericum Rudolphum*, à quibus rami duo prodiere, qui ad hanc ætatem propagati, & novis ditionum accessionibus aucti sunt. Namque *Vratislaus*, qui è paterna ditione *Blombergam* aliaque in Landgraviatu *Baar* sita sortitus erat, affinitate cum *Helfensteiniis* Comitibus utriusque lineæ *Mœskirchensis* & *Wiesensteigensis*, per duplex matrimonium contracta, posteaquam mascula eorum stirps defeciisset, luculentam hæreditatem, Dynastias *Mœskirchen* & *Gundelfingen*, castrum *Wildenstein* & oppidulum *Haingen*, (quæ omnia Apollonia C. Zimmerensis Georgio C. Helfensteinio marito suo attulerat) continentem crevit, lineæque suæ *Mœskirchense* cognomentum indidit. Liberos è conjuge prima *Johanna Leonora* quatuor, totidem è secunda *Francisca Carolina* suscepit, utrinque mares tres, fœminam unam: quæ è priore thoro prodiit *Maria Eleonora*, *Johanni Eusebio C. Fuggero in Kirchheim* nupsit; quæ è posteriore *Francisca*, cœlibem vitam egit; utraque verò vivere desiit. Inter filios secundi conjugii *Rudolphus Maximilianus* & *Ferdinandus Wilhelmus* rebus humanis exempti sunt, non minus ac *Franciscus Christophorus* & *Johannes Maximilianus* è primo thalamo editi. Sed *Franciscus Christophorus* quem

dixi

dixi, tanquam primogenitus solus inter fratres matrimonium iniverat, ducta *Mariâ Theresiâ*, *Philippi Pr. Arembergæ D. Arscoti* filia, è qua sexies pater factus est: è maribus, qui quinque fuere, *Franciscus Ernestus*, an. 1663. natus, biennio post obiit; reliqui, quorum nomina sequuntur, fato patris, quod in annum 1671. d. 22. Sept incidit, superfuerunt.

4. FRIDERICUS CHRISTOPHORUS, *C. in Furstenberg*, *Heiligenberg & VVerdenberg*, *Landgravius in Baar*, *Baro in Gundelfingen*, *Dn in Hausen*, *in valle Kinzingia*, *VVildenstein & Mœskirchen*, hausit auram vitalem an. 1662. & postquam Pragæ in Universitate *Carlo-Ferdinandea* aliquandiu cum fratribus literis operam dedisset, atque *Artium Liberalium*, *ac Philosophiæ Magister* an. 1677. creatus esset, ingruente pestilentia in Belgium concessit, *Lovanii* studiorum curriculum perfecturus.

5. *Frobenius Ferdinandus*, *C. in Furstenberg* &c. anno 1664. in lucem editus est.

Carolus Ego, *C. in Furstenberg* &c. annum 1665. natalem habuit.

Philippus Carolus, *C. in Furstenberg* an. 1667. lucem aspexit.

6. Omnes vero nascendi sorte antevenit soror, quam habent, unica *Maria Theresia*, an. 1660. vitam ingressa. 7. FRO-

7. FROBENIUS MARIA, *Comes in Furſtenberg* &c. illorũ patruus, è primo *Vratislai* matrimonio a. 1627 genitus, Eccleſiæ Cathedralis Colonienſis *Subdecanus*, Argentinenſis *Canonicus*, & Conſilii Aulico-Imperialis *Vice Præſes* eſt, & variis legationibus, quas Cæſareo nomine apud diverſos Imperii Ordines obiit, famam ſibi peperit.

8. *Ferdinandus Rudolphus, C. in Furſtenberg*, (quem eundem eſſe, qui Rittershuſio *Joh. Martinus* audit, accepi, rationem verò, ob quam nomen mutavit, non expedio) &c. illius frater conſanguineus, an. 1640. natus eſt; locum obtinet inter Colonienſes & Argentinenſes *Canonicos Capitulares.*

9. *Fridericus Rudolphus*, Vratislai frater, in diviſione patrimonii loca in *Kinzingia* valle ſita obtinuit, atque uxores duas ſucceſſivè habuit: primam *Maximilianam, Maximiliani Pappenheimii Landgravii in Stülingen* filiam, è qua gnatum unicum *Franciſcum Maximilianum* ſuſcepit: hunc avus maternus, prole maſcula deſtitutus, hæredem nuncupavit; qua hæreditate Landgraviatus *Stülingenſis*, cum dominio *Hövven* & oppidulo *Engen* ad Furſtenbergicos pervenit, unde ramo huic *Stülingenſis* agnomen obtigit. Secunda *Friderici Rudolphi* uxor *Anna Magdalena Hanovia* filiam unicam *Mariam Franciſcam*

ciſcam peperit, *Hermanno Egoni* agnato ſuo è linea *Heiligenbergica* elocatam.

10. *Franciſcus Maximilianus*, patris, an. 1655. defuncti, ſucceſſor. uxorem Equeſtris proſapiæ duxit, videlicet *Mariam Magdalenam à Bernhauſen*, & nupero adverſus Gallos bello legionem equitum cataphractorum, à Circuli Suevici Ordinibus Catholicis conſcriptam, ductavit; ſed an. 1681. *Argentoratum* profectus, dum ad conſpectum Regis Galliæ urbem recens occupatam ingredientis inconſideratè feſtinat, per pronos ſcalarum gradus, in caput præceps ruit, tam gravi lapſu, ut poſtridiè expiraret; relictis poſt ſe gnata unica, & filiis duobus.

11. Horum nomina hæc ſunt:

ANTONIUS MARIA FRIDERICUS, *Comes in Furſtenberg, Heiligenberg, & VVerdenberg, Landgravius in Baar & Stülingen, Dn. in Hevven, Hauſen, Liſchau, Trackau & Kornhaus.* Is à patre Eccleſiaſticæ vitæ dicatus, & Canonicis *Aichſtettenſibus* aſcriptus fuit; nunc autem ad regimen ditionis animum appuliſſe fertur.

Proſper Ferdinandus C. in Furſtenberg &c. Landgravius in Stulingen, &c.

Iſabella eorum ſoror, forma eximia eſſe prædicatur.

12. *Scutum* Comitum hoc capite enumeratorum nihil differt ab illo, quod *Principes* hujus

hujus familiæ gestant, & *superiùs* delineatum fuit; sub *Circulo* etiam eodem, quo illi, *Sue-vico* scilicet, comprehenduntur. *Lib. 5. c. 2. §. 14.*

CAP. V.

DE COMITIBUS A GRAVENEGG.

Gravenecciorum familia à multis seculis, in Germania clara atque inclita est, adeo ut jamdum octavo à Christo nato seculo ejus memoria (si *Bucelino* fides) reperiatur: is enim *Gervvicum à Gravenegg* inter primates Germaniæ potiores famosissimo & cruentissimo prœlio Caroli Martelli, Domus Regiæ Francicæ Majoris, contra Raginfredum an. 714. interfuisse, refert. *Germ. T. IV. p. 104.* Continuam verò Genealogiæ seriem à *Conrado* nectit, circa an. 1282. & 1290. celebri: eo natos ait *Heinricum* & *Eberhardum*, illo *Albertum* & *Heinricum Comites de Gravenegg*. *Alberti* filiis *Alberto* & *Eggeio* idem *Comitum* axioma tribuit, quod in *Heinrici* posteritate pedetentim videtur exoleviſse. Eo autem genitus fuit *Ulricus*, pater *Eberhardi*, cui filius datur *cognominis*, qui ex *Ursula de Rottenstein*, *Wolfgangum* suscepit. Ab hoc stemmatographia, quam inter paternas chartas reperi, orditur, marito *Ursula de Rietheim*,

genitore *Ulrici* & *Wolfgangi Junioris*, quibus *Baronum* titulus adscribitur; prioris posteritas in nepotibus defeciſſe videtur.

2. *Wolfgangus Junior* an. 1451. *Annam de Suntheim* in conjugio habuit, factusque est ex ea pater *Friderici*, in cujus ditionibus numerabantur *Eglingen* & *Meslingen*, nec non *Kaltenburgum*, quod à *Johanne* & *Udalrico Rietheimiis* acquisivit. Obiisse supremum diem an. 1482. vel 1492. perhibetur, postquam cum uxore *Dorothea de VVellvvart* filios tres, *VVolfgangum*, *Sixtum*, & *Ludovicum* genuisset. Hic an. 1495. fatis concessit, nullis è *Dorothea de Creuzheim* liberis relictis. *VVolfgangus ἀγαμος* fuit, & *Sixto* fratri suo *Kaltenburgum*, ex hæreditate paterna acceptum, vendidit. Huic, *Sixto* scilicet, uxores duæ tribuuntur, *Elisabetha Burggravia* & *Barbara de Buhel*, filii tres *Johannes Ludovicus*, *Christophorus*, & *Fridericus*. Ex his *medius*, cui parens per testamentum an. 1529. conditum *victilitium*, ceu JCtorum filii loqui amant, assignasse traditur, posteritate caruit. A cæteris lineæ duæ, videlicet *Eglingensis* & *Burgbergensis* ortæ sunt.

3. *Johannes Ludovicus*, cui in divisione patrimonii *Eglingen* obtigit, thorique consors *Praxedis à Kaltenthal* fuit, filium, præter aliquot gnatas, habuit *Ludovicum* in *Eglingen* & *Osterhofen*, an. 1580. vivis exemptum;

ptum; postquam è *Clara de Sirgenstein*, conjuge sua suscepisset *Ottonem Heinricum*, *Johannem Ludovicum*, & *Johannem Ulricum*: Hic Episcopi Aichstettensis Consiliarius & Præfectus *Arnbergæ* fuit, &, secundùm *Bucelinum*, uxorem è Nobilium *de Closen* stirpe, filiumque *Ludovicum* habuit; iste Ecclesiasticæ vitæ addictus, & *Canonicis Aichstettensibus & Augustanis* ascriptus est. *Otto Heinricus* verò apud Principem Palatinum Neoburgicum, *Cubicularii*, *Consiliarii*, & *Præfecti provincialis Hochstettensis* munia obiit. Ter maritus: primò *Catharinæ Reginæ de Weitingen*, quæ an. 1592. improlis decessit; secundò *Siguna Blaarerin à VVartensee*; tertiò *Mariæ Jacobinæ B. de Gumpenberg*. Hac nata est *Maria Magdalena*, quæ *Ernesto* agnato suo ex altera linea in manum convenit; è secundo autem conjugio prodiit, præter alios Ecclesiasticum vitæ genus amplexos, *Johannes Godofredus*, *Baro in Gravenegg*, *Dn. in Eglingen & Osterhofen*, Principis Palatini Neoburgici *Consiliarius*, *Cubicularius* & *Præfectus Provincialis Neoburgi*, demumq; Principis Philippi Wilhelmi *summus aulæ Magister*, qui *Recessui Imperii* a. 1641. subscripsit, vitamque in cœlibatu peractam ante multos annos, ultimus, ceu accepi, suæ lineæ, *Neoburgi* finivit.

4. Veniendum jam est ad alteram lineam,

quam *Burgbergenſem* appellavi à prædio, quod *Fridericus* ejus autor in diviſione patrimonii accepit; ei uxor tribuitur *Annæ ab Erolzheim*, *Friderici* & *Dorotheæ ab Haslang* gnata, quæ maritum egregiæ ſobolis parentem fecit: è maſcula claruere *Georgius*, *Abbas & Princeps Campidunenſis* electus an. 1559. & an. 1571. fato functus, *Ludovicus Decanus Capituli Elvacenſis*, *Ulricus*, cui è paterna ditione *Burgberg* obtigit, maritus *Cunegundæ de Stein*, & hliæ unicæ pater, nec non *Wilhelmus* Is in partitione patrimonii *Marſchalckzimmern* (quod poſtea venditione ad *Wirtenbergicos* devenit) ſortitus eſt, & in Curia Imperiali Rothwilenſi *Judicis* vices obiit. Nuptias ter celebravit: primas cum *Veronica Turzonia*, ſplendida apud *Ungaros* ſtirpe orta, quæ loculentam marito dotem attulit; ſecundas cum *Felicitate à Rechberg*; tertias cum *Emerentia ab Hauſen*, *Ferdinandi de Laubenberg* vidua. *Secunda* mater fuit *Ferdinandi* in *Haſenweiler* & *Marſchalckzimmern*, qui eodem quo parens officio functus eſt, & *Brigitam Hundpiſſiam de Waltrams*, *Friderici Ilſungi de Trazberg* viduam thalamo induxit, factus ex ea pater *Anaſtaſiæ*, in *Knœringenſem* familiam elocatæ, & aliquot filiorum, inter quos *Ludovicus* & *Hugo* in militia obierunt; *Philippus* & *Wilhelmus* Ordini Equeſtri Teutonico nomina dederunt, ille com-

commendator *Virnſperga & Rotenburgi*, hic *Francofurti*. *Joachimus* Monaſticen profeſſus, *Abbas Fuldenſis & Princeps* S. R. Imperii an. 1644. creari meruit, quam dignita em cum vita an. 1671. poſuit. *Erneſtus* denique ſtirpem propagavit, ducta in matrimonium *Maria Magdalena*, agnata ex *Eglingenſi* linea; cum qua genuit gnatum unicum, qui ſolus nunc cum prole è familia ſuperat, & filias tres, videlicet (1.) *Mariam Scholaſticam*, Canonicam in cœnobio B. Virginis, quod Fuldæ eſt, jam mortuam, (2.) *Mariam Annam*, Canonicam in monaſterio Dillingenſi Ordinis S. Dominici, & (3) *Mariam*, nuptam *Franciſco Antonio L. B. de Freyberg in Wellendingen & Bondorf*, ſuperſtites.

5. JOACHIMUS GODOFREDUS, *Comes in Gravenegg*, *Dn in Burgberg*, *Eglingen & Omerhoüen*, *Erneſti* & *Mariæ Magdalenæ* filius, ceu dixi, unicus & familiæ columen, *Eglingæ* haud procul Nördlinga (quæ cum hæreditate avunculi ſui *Joh. Godofredi* ad ipſum devoluta eſt) domicilium fixit, & *Comitis* axioma, à majoribus quondam uſurpatum, ſed poſterioribus ſeculis exoletum, Cæſare annuente reſumſit. Conjugium bis contraxit: prius cum *Maria Urſula L. B. à Freyberg*, poſterius cum *Mariana Spethin de Zwyfalten*: ex hac nullos,

ex illa verò sequentes sustulit liberos superstites:

I. *Marianam*,
II. *Mariam Elisabetham.*
III. *Mariam Theresiam.*
IV. *Christophorum Iosephum.*
V. *Ernestum.*
VI. *Godofredum Antonium.*
VII. *Fridericum Albertum.*
VIII. *Mariam Vrsulam.*
IX. *Mariam Ludovicam.*

Spen. Op. Har. l. 2. c. 35.

6. *Scuto* uti solet simplici, nimirum *rubeo*, quo *rhombus oblongior argenteus* continetur. *Galea*, quæ incumbit, *coronata* est, cui *inter jugum expansum alarum scutario digmate ornatarum*, *mitra Episcopalis coccinea auro ornata*, ex qua isthinc *crucicula aurea*, hinc *rhombus* scuti denuo eminent, imponitur. *Lacinia argento* & *minio* tinguntur.

7. Comprehenditur *Comes de Gravenegg* sub *Circulo Suevico* ejusque *primo districtu*; refertque *Limnæus*, Ludovicum Seniorem in Comitiis Augustanis an. 1555. jus inter Imperii Ordines sedendi & sententiam dicendi obtinuisse, postquam probasset, majores suos jam olim ab Imperatore Friderico inter Imperii Barones relatos fuisse.

I. P. T. IV. p. 363.

CAP.

CAP. VI.

DE COMITIBUS AB HOHENEMBS.

Embsiorum sive *Amisiorum*, vel, ut hodie vocari amant, *Hohenembsiorum* Comitum stirpem vetustissimæ inter *Rhætos* originis *Gabr. Bucelinus* à *Theodorico* quodam *ab Embs*, *Domino in Altenembs*, qui ludis Troianis *Coloniæ* an. 1179. celebratis interfuerit, deducit. Ejus posteri, quorum continuam seriem *Tomo IV. Germaniæ* suæ exhibet, dignitate equestri contenti vixerunt, usque ad initia seculi superioris; qua tempestate *Marcus Sittiqus ab Embs*, Vir bello clarissimus, &, teste *Erycio Puteano*, cladis Gallicanæ victoriæque Cæsareanæ ad *Ticinum* auctor, *Marquardi ab Embs*, Equitis, (à quo Genealogia familiæ, quam publicæ luci dedi, orditur) & *Annæ de Landenberg* filius, sua virtute in altiorem locum pervenit, gentique suæ novum splendorem induxit. Hinc *Wolfgangum Theodoricum*, ejus ex *Helena Freybergia* gnatū, qui summæ auctoritatis multique consilii Vir eidem *Puteano* audit, *Comitis* axiomate Insignitum legimus; eiq; dignatio nuptias conciliavit *Claræ Mediceæ*, *Bernardi Medicei* & *Caciliæ Serbellonæ* filiæ; quæ Viros duos eminentissimos seculi sui unum sagi,

[Pag. 69.]

Promuls. ep. cent. 1. ep. 32.

alterum togæ dotibus fratres habuit, videlicet *Johannem Jacobum Marchionem Marinia-ni*, cujus res inprimis bello *Lariano* præclarissimè gestas modò citatus *Puteanus* monumentis mandavit, ac Latinis literis illustravit; & *Johannem Angelum*, qui per varios honorum gradus ad culmen humanorum votorum, *Pontificatum Maximum* innuo, conscendit, & *Pij* IV. nomen adscivit.

2. *Wolfgangus Theodoricus* in ætatis flore, vix enim annum ætatis tricesimum superaverat, morte oppressus præter sequioris sexus sobolem in *tabula* notatam, filios tres post se reliquit; nimirum *Marcum Sitticum*, *Jacobum Hannibalem* & *Gabrielem*, è quibus *hic* improlis fuit; *Marcus Sitticus* an. 1533. d. 14. Cal. Sept. in lucem editus, initiò, invita matre, quæ ad Ecclesiasticam vitam eum hortabatur, militiæ sub avunculo *Johanne Jacobo* se dedit, eaque ætate cum fœmina *Genuensi*, quam adamabat ita, ut prope uxoris loco haberet, filium *Robertum* genuit. Postea verò altero avunculo ad Pontificatum evecto, *Eques S. Jacobi* factus, cum Papæ de Clericatu suscipiendo ipsum monenti, non minus ac matri reluctaretur, accidit, ut quadam die *Romæ* apud *S. Petrum ad Vincula*, curru non sine vitæ discrimine super eum cadente, ensis ipsius fractus esset; quod ille in prodigium trahens seculo, ejusq; instrumentis longum vale

Ciac. Hist. Pont. & Card. T. III. p. 911.

vale nunciavit, habitumque *Clericalem* induit. Statim itaque initio anni 1561. *Episcopus Cassanensis* ab avunculo creatus, mox eodem adhuc anno inter *Cardinales* S. R. E. cooptatus est. Paulò pòst cùm Cassanensem Ecclesiam resignasset, *Episcopatu Constantiensi*, perpetua *Avenionensi legatione*, *Archipresbyteratu S. Johannis Lateranensis*, *Majoris Pœnitentiarij* munere & *legatione Piceni* ab eodem auctus ornatusque fuit. Discessit ex hominum vita an. 1595. d. 15. Cal. Mart. septem Pontifices prospera fortuna emensus, cum priùs filii sui, quem dixi, *Roberti* fortunis providisset, eum innumeris honorum titulis auxisset, multisque castris & prædiis in agro Romano, inprimis Marchionatu *Galesii* locupletasset, denique affinitate potentissimæ apud Romanos familiæ firmasset, collocando ei in matrimonium *Corneliam Ursinam*, è *Ducibus Bracciani* prognatam: cum ea ille *Johannem Angelum*, primum *Ducem Altempsii & Galesii*, genuit, qui duas successivè uxores habuit: primò *Mariam Cesiam*, è *Ducibus Acquasparta* ortam; secundò *Margaritam Madrucciam*: hac natus est *Marcus* adhuc superstes, illa *Petrus Dux Altempsii & Galesii*, qui hac ætate familiæ splendorem inter Magnates Romanos sustentat; bis maritus: primò *Angelicæ Mediceæ*, *Cosmi Medicei* (qui *Julio*, Alexandri Principis Florentiæ filio

lio notho natus erat) & *Lucretiæ Cajetanæ* filiæ; secundò *Isabellæ Lanti*. E priore thoro gnatæ tres prodiere: quarum primogenita *Carolo Ludovico C. ab Hohenembs* agnato suo, altera *Hippolyto Lanti* Principi Romano, novercæ fratri nupsere; tertia velum induit. E posteriore thalamo provenere, præter aliquot filias, quarum nomina rescisscere non fuit integrum, gnati tres: è quibus *Johannes Angelus*, duorum fratrum ætatibus medius interjectus, *Canonicus Basilicæ D. Petri in Vaticano* fuit, & an. 1681. fatis concessit; *Franciscus* autem qui *Anastasiam Caffarelli* in matrimonium duxit, & *Josephus Maria* superant.

3. Sed ut illuc, unde abii, redeam, *Jacobus Hannibal*, Marci Sittici Cardinalis frater, sub tutela avunculi *Marchionis Mariniani* liberaliter educatus, optimisque præceptis militaribus imbutus, magnum in re bellica nomen consecutus est; meruitque ut à Pontificibus Romanis Piis IV. & V. *Ecclesiastici exercitus supremus Præfectus* constitueretur: à Rege autem Hispaniarum Philippo II. ob strenuam ac fidelem operam, in variis expeditionibus bellicis ipsi navatā, Comitatu *Galeratensi* in Insubria donatus, & à Ferdinando Augusto in classem *Comitum* S. R. *Imperii* nec non *Ordinum Circuli Suevici* adscriptus fuit. Idem stirpem suam per legitimum

cum

cum *Hortensia Borromea*, *Gilberti* clari apud Mediolanenses Viri *Comitis Aronæ* filia, conjugium propagavit, pater factus præcipuè *Caspari Marci Sittici* & *Wolfgangi Theodorici*. Ex his *postremus*, studiis elegantium literarum optimarumque artium *Puteano* laudatus, ἄγαμος ætatem peregit. *Marcus Sitticus* Clericatu susceptō *Præpositus Constantiensis Capituli*, postea *Archiepiscopus Salisburgensis* electus est, vitamque an. 1619. finivit. *Caspar* sobole ditionibusque familiam auxit; namque à *Carolo Ludovico C. de Sulz* dominia *Vaduz* & *Schellenberg* ducentis mille aureis an. 1614. mercatus est, & è duplici matrimonio multam prolem suscepit. E prima uxore *Leonora B. de Welsperg* natus fuit *Jacobus Hannibal*, stirpis continuator, & *communis* eorum, qui è familia in Germania nunc vivunt, *avus*: ab ejus enim filiis, è secunda conjuge *Francisca Hohenzollerana* genitis, nempe *Carolo Friderico* & *Francisco Wilhelmo* lineæ duæ *Hohenembsia* & *Vaduziana*, quibus familia distingui solet, provenerunt. *Hist. Cisalp. p. 155.*

4. Prioris lineæ autor *Carolus Fridericus* Comitatum *Galeratensem* alienasse, & in Vice Comites *(Visconti)* qui illustri apud Mediolanenses loco sunt, venditione transtulisse fertur. Nuptiis sibi adjunxit *Corneliam Luciam* agnatam, *Petri D. Altempsii*, ceu dictum fuit, filiam, è qua filios duos, totidem-

demque sexus sequioris liberos sustulit : ex his majorem natu *Mariam Claudiam* vivis exemptam esse accepi, altera *Maria Catharina*, *Maximiliano Wunibaldo, Truchsessio de Waldburg C in Scheer* nupsit, nunc autem suas sibi res *Constantiæ* habet. Filiorum minor natu *Antonius Josephus* mortalitatem citò, anno circiter 1674. explevit ; alter, cujus nomen titulusque sequitur, superstes est.

5. FRANCISCUS CAROLUS ANTONIUS, *Comes in Hohenembs & Vaduz, Dn in Schellenberg, Dorenbeurn & Lustenau*, natus an. 1650. d. 1. Aug. Vivit, uti accepimus, in conjugio impari, liberis autem caret.

6. In ramo *Vaduziano* viret propago *Francisci Wilhelmi*, ejus satoris, & *Leonoræ Furstenbergicæ*, quam ille in conjugio habuit; ea maribus tribus, fœminis duabus constat, quarum nomina hæc sunt: *Maria Francisca*, n. an. 1650 & *Maria Anna*, n. an. 1652. Altera ex his in manum convenit *Ferdinando Comiti ab Enkevœrt, Adriani*, qui Ultrajecti natus ætate adulta Ferdinandis II. & III. Augustis militavit, atque ob fortitudinem ac prudentiam in pretio habitus, & Consiliarii Sacratioris nec non Campi Marescalli titulo decoratus fuit, egregiisque in Bohemia & Austria possessionibus comparatis an. 1663. supremum diem obiit, filio,

ex

ex *Anna Gamilla C. de Verdenberg* an. 1638. ducta, genito.

7. Filiorum *Franciſci Wilhelmi* nomina itidem in proclivi ſunt:

FERDINANDVS CAROLUS *C. ab Hohenembs in Vaduz, Dn. in Schellenberg, Dorenbeurn & Luſtenau.* Hauſit is auram vitalem an. 1650. d. 29. Dec. & in matrimonium aſſumpſit *Mariam Jacobeam Euſebiam, Maximiliani Wilibaldi Truchſeſſii de Waldpurg C. in Wolfegg & Magdalenæ Julianæ Hohenloicæ* filiam, cum qua nullam adhuc prolem genuiſſe fertur.

8. JACOBUS HANNIBAL, *C. ab Hohenembs in Vaduz* &c. editus eſt in lucem an. 1653. & non ita multis ab hinc annis uxorem duxit cum opulenta dote è *Ramſchvvagiorúm* incluta, ad lacum *Bodanicum*, familia.

9. *Franciſcus VVilhelmus, C. ab Hohenembs*, &c. an. 1654. natus militiæ operam dat.

10. *Scutum* horum Comitum, qui *Circulo Suevico* ejusque *tertio diſtrictui* annumerantur, *cæruleum* eſt, exhibens *capricornum aureum ſalientem cornibus nigris*, cujus κορυθολοφίᾳ *galea* etiam ſuſtinet, *phaleris cyano & auro* tinctis.

CAP.

CAP. VII.

DE COMITIBUS A KOENIGSECK.

VIr sæpe nobis sed nunquam satis pro merito laudatus, ὁ Ἰωμάσι& *Spenerus*, domesticis familiæ *Kœnigseccia* documentis, secum gratiosè communicatis, subnixus gentis hujus antiquissimæ originem ad *Cunonem quendam refert, qui ex priscis Alemanniæ & Alsatiæ Ducum Guelforum Palatinis* ortus, duobus circiter ab *Alstorfio* miliaribus sedem fixerit, castrumque à se circa an. 650. extructum de suo nomine *Künigseck* sive *Chunonisegg* appellaverit. In deductione posterorum ejus justus ac continuus graduum ordo non deprehenditur, ceu apud modò citatum Celebratissimum auctorem videre est. *Op. Har. l. 2. c. 48.*

2. Nec verò suæ tantùm glebæ & natali solo adhæsere *Kœnigseccii*, sed interris alio sub sole calentibus nomen quoque sibi & possessiones compararunt: namque *Fridericus Dn. de Chunigseck*, Eberhardi an. 1203. mortui filius, in *Hispaniam* delatus, cùm Jacobo Arragoniæ Regi virtutem suam probasset, ipsoque pronubo *Principissam Cardonæ* uxorem accepisset, illustrem, quæ in Hispania nunc floret, familiam de *Scutellis* vel

vel *Sentellis*, ab insignibus sic dictam, condidisse memoratur. Posteà seculo decimo quinto quidam ex *Ulrici V. Dn. in Kœnigseck* (à quo *tabula Rittershusiana* orditur) & *Elisabetha C. de Sulgau* filiis in *Borussiam* demigrasse perhibetur, ad *Marquardum* patruum suum, quem *Magnum Magistrum Ordinis Teutonici* & *Principem Borussiæ* fuisse, atque an. 1440. decessisse tradunt; sed Borussiæ & Ordinis Teutonici Chronica silentio prætereunt illaque tempestate *Paulum Pellnizer à Russdorf* ab an. 1422. usque ad an. 1441. supremo illo Magisterio functum esse referunt. Attamen ab illo Ulrici filio, qui cum nobili illius regionis fœmina connubio coiverit, *Kœnigseccios*, qui hodienum in *Borussia* superant, derivare solent.

3. Ab alio *Ulrici* V. filio, patri *cognomine*, quem *Johannem* Rittershusius vocat, Illustrissimi *Kœnigsecci* in *Suevia* descendunt. Is è *Margarita Isenburgica* pater extitit *Marquardi*, qui circa inita seculi superioris obiit, relictis, è *Magdalena Pappenheimia*, *Ursula Burcardo B. ab Ellerbach* nupta; & *Johanne Dn. in Aulendorf*, *Marstetten & Ebenvveiler*, genitore *Johannis Marquardi*, Viri eruditissimi & Ensisheimiæ Cameræ Præfecti, qui an. 1553. nulla cum *Elisabetha C. Furstenbergia* prole procreata vivis excessit; *Johannis Georgii*, qui *Veldkirchii* an. 1528. ætatis 21. obiit;

Helena, Friderico C. de Lövvenſtein elocatæ; & *Johannis Jacobi Baronis de Kœnigseck in Aulendorf*, qui dominia *Rotenfels* & *Stauffen* à Montfortiis emit, & an. 1567. fato functus liberos complures poſt ſe reliquit; & potioris quidem ſexus quinque, videlicet: *Ulricum*, *Marquardum*, *Berchtoldum*, *Georgium* & *Hugonem*. Ex his *primus* Eccleſiæ addictus varias tenuit præbendas; *Marquardus* Conſiliarius & Supremus aulæ Bavaricæ Præfectus, nec non Gubernator *Ingolſtadii* fuit, atque an. 1626. naturæ debitum perſolvit; poſtquam è *Juſtina B. de Stauffen* filium unicum, *Johannem Wilhelmum Comitem in Kœnigseck* ſuſcepiſſet, qui an. 1663. ἄπαις ἀνδρῶν moriens lineam terminavit. *Berchtoldus*, *Cunigundis C. de Zimmern* maritus, liberis caruit. *Hugo* an 1584. in Belgio vitam amiſit. *Georgius* denique an. 1622. ſcelerata ſicarii manu è vivis ſublatus, illis, qui hodiè è familia vivunt, *communem ſanguinem* impertivit. E prima enim conjuge *Cunigunda Truchſeſſia*, præter aliquot gnatas, inter quas (quod ſphalmatis typographici in *tab. Rittershuſ.* occurrentis gratia dictum eſto) *Cunigunda Eliſabetha Viti Erneſti Chunig. B. in Ehrenburg* conſors fuit, filios quatuor ſuſcepit: ex his *Bertholdus* & *Johannes Jacobus* Clericarum amplexi, ille *Scholaſticus* & *Theſaurarius Colonienſis*, nec non *Capituli ad S. Gereo-*

Gereonem Decanus, an. 1664. mortalitatem exuit; hic *Subdiaconus Colonienſis*, & *Cuſtos Salisburgenſis*, an. 1663. vivendi finem fecit; à reliquis duobus, *Hugone* nimirum & *Johanne Georgio*, lineæ duæ *Rotenfelſenſis* & *Aulendorfenſis* ortæ ſunt.

4. *Hugo* in *Rotenfels* Conſiliarius Aulico-Imperialis fuit, & an. 1666. ſeculo valedixit, poſtquam ter nuptias celebraſſet: uxor tertia *Anna Amalia Rheingravia*, quam viduam *Caſpari Bernhardi à Rechberg* duxerat, liberos ei nullos peperit; ſecunda verò *Carola Ludovica C. de Sulz* filios duos & gnatam unicam enixa eſt: hæc *Mariæ Catharinæ* nomen habet, diciturque vivere nunc in conjugio *Caroli Ferdinandi C. de Manderſcheid in Geroldſtein*: filii ambo, *Ignatius Euſebius Franciſcus* & *Johannes Euſebius*, Eccleſiaſticum vitæ genus coluerunt, ſed poſterior in flore ætatis an. 1661. deceſſit, alter verò *Canonicus Colonienſis* & *Decanus Argentinenſis* anno 1681. è vita migravit. E primo *Hugonis* matrimonio, quod *Maria Renata Hohen-Zollerana* tenuit, illuſtre familiæ ſidus, quod in præſentia ſplendet, prodiit.

5. LEOPOLDUS WILHELMUS, *Comes in Kœnigseck & Rotenfels, Dn. in Aulendorf & Stauffen, Eques Aurei Velleris, Cæſarea M. à conſiliis Secretioribus, & S. R. Im-*

perii Vicecancellarius. Habet is in conjugio *Mariam Polyxenam Johannis Wilhelmi Dn. de Scherfenberg* & *Maximilianæ C. ab Harrach* gnatam, è qua pulchram ac numerosam prolem suscepit, hac serie:

I. *Hugonem Franciscum*, n. 7. Maji 1660. hic, Clericatum seculari vitæ præferens, *Canonicis Colonienſibus & Leodienſibus* ascriptus est.

II. *Philippum Maximilianum*, n. 26. Febr. 1663.

III. *Albertum Eusebium*, n. 4. Jan. 1669. in numerum *Canonicorum Paderbornenſium* & *Vratislavienſium* relatum.

IV. *Franciscum Antonium Iosephum Ignatium Vincentium Ludovicum*, n. 16. Maji 1672.

V. *Christianum Lotharium Iosephum Dominicum*, n. 17. Maji 1673.

VI. *Annam Sophiam Eusebiam Cajetanam*, n. 23. Jul. 1674.

VII. *Carolum Fidelem*, n. 22. Maji 1675.

6. *Aulendorfenſis* lineæ autor *Johannes Georgius*, Consiliarius Cæsareus, & Supremus Consilii Secreti Ocnipotentani Director, nec non Summus Camerarius Archiducis Sigismundi Francisci extitit; cujus etiam nomine legationem Solisbacensem obiit, & cum Hedvvige Augusta Palatina Hero suo pro-

promissa & pacta sponsalia celebravit. Perfunctus est vitæ munere an. 1666. cum è *Leonora C. ab Hohenembs* aliquot liberos sustulisset. Filias quinque fuisse accepi, videlicet: *Johannam Claudiam, Johanni Francisco Desiderato Pr. Nassovio in Siegen* elocatam, & an. 1664. mortuam; *Mariam Elisabetham, Joh. Ludovico C. à Sulz* nuptam, vivis itidem exemptam; *Monicam, Johannis Ernesti Truchsessii de Waldburg C. in Trauchburg* conjugem; *Mariam Catharinam, Paulo Sixto C. Trautsonio* an. 1664 nuptum collocatam, & *Madritii* in Hispania an. 1680 d. 11. Jan. defunctam; postquam octavum ante mensem maritum, legatione nomine Cæsaris ibi fungentem, & tres deinceps liberos amisisset; denique *Annam Leonoram, Paridi Georgio C. Fuggero in Kirchberg* in matrimonium datam; sed ex eo nunc dimissam. Filii *Johannis Georgii*, qui duo fuere, superstites sunt.

7. FRANCISCUS ANTONIUS, *C. in Kœnigseck & Rotenfels, Dn. in Aulendorf & Stauffen*: Is relicto seculo & jure primogenituræ Ecclesiæ se addixit, locumque inter *Canonicos Salisburgenses & Augustanos* nactus est.

8. ANTONIUS EUSEBIUS, *C. in Kœnigseck* &c. ditionum regimen à fratre sibi traditum suscepit, & *Præfectura Ducatus Suevie* auctus est. Duxit primis nuptiis an.

1662. *Dorotheam Genovefam*, *Christophori Richardi L. B. de Thun*, & *Barbaræ Helenæ de Thun* filiam; secundis *Mariam Annam*, *Mainradi Pr. Hohen-Zollerani* & *Annæ Mariæ C. de Törring* gnatam; tertiis an. 1679. *Mariam Annam Catharinam*, *Johannis C. de Montfort*, & *Mariæ Annæ Eusebiæ Kœnigseccia* filiam. Liberos superstites habet *Franciscum Maximilianum*, & *Mariam Annam*, è primo conjugio prognatos.

9. *Scutum*, quo recensiti Comites utuntur, *viginti uno aureis & rubeis rhombis sinistrorsum obliquè exaratur*, & *galea* tegitur *coronata septem rubeis struthionicis plumis* ornata; *lacinius cocco & auro* tinctis.

10. Referuntur ad *Circulum Suevicum* ejusque *tertium districtum*, & respectu trium Dynastiarum, nempe *Kœnigseccia*, quam & *Kœnigeckersberg* vocant, *Aulendorfia* & *Rotenfelsia* triplicem quotam pendunt, tripliciqúe voto in dictis circularibus eminent.

CAP. VIII.

DE COMITIBUS A MACHSLRAIN.

INter familias nobiliores Bavariæ *Machslrainia*, à castro *Machslrain* prope *Aiblingam* sic dicta, jam ab aliquot seculis inclaruit

fuit. *Wigul. Hundius* ejus vetustatem probaturus memorat, in instrumento fundationis monasterii *Beyhartin*, an. 1130. factæ, duos ex hac gente tanquam testes allegari, videlicet: *Heinricum, & Nobilem virum Sibothonem de Machsilrain*; præterea in libris torneamentorum illorum mentionem occurrere: namque & ludo equestri decimo *Tiguri* an. 1165. celebrato *Armenricum à Machslrain*, deinde ludo duodecimo *Noribergæ* an. 1197. habito *Leonhardum à Muchslrain* interfuisse. Bayr. Stammb. part. 2 p. 154.

2. Genealogicam familiæ deductionem idem auctor ab *Ottone*, à quo *tabula* etiam nostra initium ducit, inchoavit. Is sub umbilicum seculi XIV. vixit, & conjuges duas habuit: *Annam Comitissam de Montfort*, & *Catharinam Dn. de Schenna*, prosapiæ Tyrolensis: hac nati sunt *Conradus* & *Wilhelmus*, pater ex *Anna Marescalla de Poxberg* aliquot filiorum: inter quos *Ludovicus* stirpem propagavit, dum ex *Anna Riedheimia* genuit *Sigismundum*, filiæ unicæ patrem, & *Vitum* Præfectum *Aiblingensem*. Hic per uxorem *Margaritam*, *Wolfgangi Dn. de Waldeck* filiam atq; ex parte hæredem, jus in Dynastiam *Waldeccensem* adeptus est, quam ejus filius *Wolfgangus*, inita a. 1519. cũ cohæredibus è familiis de *Hohenrain* & *Sandizell* transactione, sibi asseruit; idque pactum Albertus Dux Hund. part. 1. p. 358.

Bavariæ tanquam Dominus territorialis ratum habuit, atque insuper Machslrainiis *jus superioritatis* concessit; ea tamen lege, ut ipsorum stirpe mascula extincta, Waldeccense dominium cum omnimoda jurisdictione, omnibusque feudis Imperialibus ad Bavariæ Duces transiret.

3. Decessit *Wolfgangus*, qui *Baronis* axiomate uti cœpit, an. 1561. postquam ex uxore *Anna*, celeberrimi illius pulli Mavortii *Georgii à Freundsberg* filia, liberos complures sustulisset, præcipuè verò *Wolfgangum Theodoricum* & *Wolfgangum Wilhelmum*, à quibus *lineæ duæ* ortæ sunt: hac à patre dispositione sancita, ut prior, ceu primogenitus, *Waldeccensem*, alter *Machslrainiam* Dynastias teneret.

4. *Wolfgangus Theodoricus* multa ob Evangelicam religionem, quam colebat, passus est ab Episcopo Frisingensi, & Jesuitis ejus stimulatoribus; neque prohibere potis fuit, quò minùs abolito puriore DEI cultu Papatus ejus ditioni denuò induceretur, subditi ejus aut pellerentur aut à fide desciscere cogerentur; quin & ipsemet lethali morbo decumbens, animamque agens à Jesuitis obsideretur, & omni modò persuasionibus ac minis, ut religionem suam abnegaret, tentaretur; cum verò summa constantia omnes seductricis turbæ machinas elusisset, atque

in

in vera fide obdormivisset, in mortuum etiam sævitum, nec filiis ejus permissum fuit, ut defuncti exuvias majorum tumulis inferrent, & patriæ terræ mandarent; sed eas Ratisbonam deportare, & in aliena humo condere coacti fuerunt. E filiis ejus duo Viri facti sunt, *Ludovicus* scilicet & *Georgius*: ille, qui maluit fidei quàm fortunarum jacturam facere, & *Wilhelmi D. Bavariæ Cubicularius* extitit, *Barbaram Scholasticam de Sandizell*, hic *Mariam à Degenberg* in conjugio habuit, neuter autem prolem genuit; ita ut uno eodemq; e anno 1608. defuncti lineam suam terminaverint.

5. *Wolfgangus Wilhelmus*, alterius rami sator, *Monacensis aulæ Marescallus & Capitaneus in Burckhausen* fuit, atque è gynecæo Ducissæ Bavariæ thalami consortem sibi delegit *Johannam*, *Francisci Perneri* genere *Brunsvicensis* gnatã; è qua, præter alios liberos, *Wolfgangum Vitum* suscepit, *communem* eorum, qui nunc è familia superant, *avum*; patrem verò è *Johanna Truchsessia de Waldpurg*, *Heinrici Georgy & Wolfgangi Viti*, quorum propago hac ætate floret.

6. JOHANNES VITUS, *S. R. Imp. Comes ab Hohenwaldeck & Machslrain, Ser. Electoris Bavariæ Camerarius, Heinrici Georgii* an. 1640. mortui, & *Mariæ Elisabethæ C. de Preising* an. 1669. defunctæ filius.

Primis nuptiis duxit *Catharinam Constantiam B. de Spirring in Fronberg*; secundis *Franciscam Claram C. de Lamberg.*

7. Fratrem superstitem nullum ille habet, sorores autem duas: *Iohannam Franciscam, Francisco B. de Neuhaus* nuptam, nunc viduam; & *Elisabetham Adelhaidin*, monialem.

8. MAXIMILIANUS WILHELMUS, *C. ab Hohenwaldeck & Machslrain, Wolfgango Vito*, an. 1660. vivis exempto, & *Rosina C. de Preising*, quæ anno demum 1676. vita concessit, natus, habet in conjugio *Mariam Theresiam C. Fuggeram.*

9 Frater ei est unicus, *Iohannes Franciscus Dominicus, Canonicus Frisingensis*; soror itidem unica *Francisca*, conjux *Eobaldi à Kleist*, Ser. Electoris Bav. Consiliarii, Camerarii, & Consilii Aulici Præsidis.

Spen. Op. Her. l. 2. c. 53.

10. *Scutum*, quo Comites enumerati utuntur, *quadripartitum* est, mediante *cruce aurea pedata*; 1 & 4. area *diagonaliter divisa* superius *argentea*, inferius *nigra* est, perlabente totam aream *fluvio undoso simili sectione, sed tinctura opposita*; hæc tessera est *familiaris*; 2. & 3. *nigra leonem aureum* refert: medio loco incumbit *scutulum argenteum*, in quo appareat *avis expansa coronata rubea, cum substratis lignis decussatim positis ejusdem coloris*, quo

Wald-

Waldeccenſis Dynaſtia innuitur. *Galeæ* imponuntur *tres coronatæ*: media ſuſtinet *triplici collo nigro inſiſtentem alitem* ſcutarium *Waldeccenſem auro coronatum*; extremæ *inter ſingula juga complicatu alarum* ſcutario *amne diſtincta exurgentem leonem aureum* exhibent. *Laciniæ* circumfluunt primam *argenteæ & nigræ*, ſecundam *rubeæ & argenteæ*, tertiam *aureæ & atræ*.

11. Annumerantur Machslrainii *Circulo Bavarico*, atque in ſcamno Comitum reſpectu *VValdeccenſis* dominii locum obtinent, ſymbolaque ſua in ærarium publicum conferunt: ſed ratione *Machslrainiæ* Dynaſtiæ *Landſaſſiis* Electoris Bavariæ accenſentur.

CAP. IX.

DE COMITIBUS A MONTFORT.

ILluſtriſſimorum Comitum *Montfortiorum*, ab arce *Montfort*, in valle Rhenana ſive *Rheinthal* ſita, dictorum, Genealogiam æri pereleganter inciſam ante annos non ita multos publici juris fecit *Andreas Arzet è Societate Jeſu*; is telam exorſus eſt à *Rudolpho C. de Montfort*, quem ſub initia ſeculi decimi tertii vixiſſe, & cum uxore *Eliſabetha Palatina Tubingenſi Brigantiam* obtinuiſſe memorat,

rat. Filium ei tribuit *Hugonem*, *Agnetis Helfenſteiniæ* maritum, & ſex filiorum patrem, videlicet: *Friderici* Epiſcopi Curienſis; *Wilhelmi* Abbatis S. Galli; *Heinrici* Præpoſiti Curienſis; nec non *Hugonis*, *Rudolphi* & *Ulrici*; ab his tribus totidem lineæ ortæ ſunt. *Ulrici* autem, qui *Brigantiæ* & *Sigmaringæ* Dominus audiit, progenies in ejus filio *Hugone*, an. 1338. mortuo, defecit. *Rudolphus*, *Dn. in Veldkirch & Toſters*, per filios *Hugonem* & *Ulricum* (tertius, patri cognominis, *Epiſcopus Curienſis ac Conſtantienſis*, nec non *Abbas S. Galli* fuit, & an. 1333 fatis conceſſit) ramos duos, *Toſterenſem* & *Veldkirchenſem*, profevit: quorum *ille* in *Hugonis* nepote *Friderico*, an. 1321. undis Rheni hauſto, iterum exaruit; *hic* itidem ſecundam generationem non ſuperavit, & cum *Rudolpho* Ulrici nepote, an. 1390. nulla ex *Agnete C. de Matſch* uxore ſua prole ſuſcepta defuncto, extinctus eſt. Idem vero *Rudolphus*, quod ei cum agnatis ſuis non ſat bene conveniret, *Veldkirchenſes* multis privilegiis donatos emancipavit, & Comitatum *Montfortenſem* Leopoldo Archiduci Auſtriæ ſedecim mille florenis an. 1375. vendidit.

2. *Hugo C. de Montfort*, *Dn. in Tattnang*, *Bregenz & Schær*, Rudolphi & Ulrici frater natu major, lineam *Tettnangenſem* condidit, & è *Veronica Rappoltſteinia* filios tres genuit, nem-

nempe: *Rudolphum*, Monachum ad S. Gallum; *Hugonem*, Dn. in *Schær*; & *Wilhelmum*, Dynastam in *Tettnang & Bregenz*, familiæ propagatorem; à quo *Rittershuſ. tabulâ* ſtemma *Montfortium* orditur. Ei *Arzetus* conjuges tres tribuit: primam *Eliſabetham C. de Schluſſelberg*, ſecundam N. *Baroniſſam de Schvvarzenberg*, tertiam *Urſulam C. de Pfyrt*. Ultima peperiſſe traditur *Wilhelmum* & *Heinricum*, qui ditionibus paternis inter ſeſe diſpertitis, ita ut Wilhelmo *Brigantia*, Heinrico *Tettnanga* obtigerit, ramos duos proſeverunt: *Brigantinum* & *Tettnangenſem*. Ex hoc in *Heinrici* nepotibus *Hugone* & *Heinrico* palmites duo propullularunt: *Tettnangenſis* ſcilicet & *Rotenfelſianus*; ad hunc etiam *Arga* ſpectabat, ad illum verò *Prætigoia* in Rhætia. Uterque tandem iterum coaluit; totus autem ramus in *Udalrico* & *Heinrico* fratribus, *Hugonis* pronepotibus, ſeculo ſuperiore exaruit, cùm non ita multò antè *Rotenfels* & *Stauffen* titulo venditionis ad *Kœnigseccios*, *Waſſerburgum* ad *Fuggeros* tranſiiſſent, in feudis verò Imperii agnati lineæ *Brigantinæ* ſucceſſerunt.

3. Hæc autorem habuit *Wilhelmum*, cui *Rittershuſius* uxorem unicam, *Arzetus* duas tribuit: primam *Urſulam C. de Pettau*, deinceps *Margaritam C. de Hochenberg*, viduam ultimi in *Pfannenberg*; è priore nati ſunt

Con-

Conradus & *Hugo*, à quibus divisæ fuere possessiones avitæ, in *Brigantinas* ad lacum *Acronium*, & *Pfannenbergicas* Stiriæ. *Brigantinarum* partem postea *Elisabetha*, *Conradi* è gnato *Wilhelmo* neptis, *Sigismundo Austriaco* anno circiter 1450. vendidit. *Hugo*, cui *Pfannenbergica* ditio obtigit, ter secundum *Arzetum* maritus fuit: primò *Margaritæ ultimæ C. de Pfannenberg*, dein *Clementiæ C. de Tockenburg*, denique *Annæ B. de Neuhaus*. E primo thoro prodiit *Ulricus*, qui patris fata antevertit, relicto tamen è *Gueda B. de Stadegg* uxore suâ filio *Hermanno*; hoc & *Margarita C. Ciliæ* geniti sunt *Hermannus* & *Johannes*; hic ex *Arzeti* sententia [illegible] an. 1469. decessit, quam enim ipsi conjugem *Rittershusiana tabula* dat, eam ille alii *Johanni* è *Tettnangensi* lineâ tribuit. *Hermannus Caciliam de Liechtenstein* in matrimonio habuit, atque an. 1480. naturæ debitum explevit, filiorum quinque parens, videlicet: *Georgii*, qui familiam continuavit; *Hugonis*, mariti *Veronicæ C. de Sonnenberg*, sed improlis, qui residuam *Brigantinæ* ditionis partem *Ferdinando Archiduci* 1525. vendidit; *Hermanni*, an. 1515 defuncti; *Johannis* Canonici Salisburgensis; & *Wolfgangi* Canonici Goriziensis.

4. *Georgius*, stirpis propagator, in Stiria & Carinthia habitavit, *Pfannenburgensibus*, aliisque

isque bonis dominans ; & Regiam viraginem, *Catharinam* scilicet *Polonicam*, in thalamum induxit, atque an. 1545. rebus humanis exemptus filios duos post se reliquit, *Jacobum* & *Hermannum*, quorum ætate *Tettnangensis* linea cessavit ; unde isti in feuda ejus Imperialia, ex pacto & providentia majorum, a. 1577. successerunt, utque illa etiam quæ Tettnangensibus propria fuere, sibi tàm ab hæredibus eorum, quàm à creditoribus vindicare possent, pecuniam ex divenditis in Stiria Carinthiaque possessionibus conflarunt, & utrisque satisfecerunt. Hinc in ditione Montfortiorum Comitum ex antiquo gentis patrimonio nunc restant *Tettnanga*, inter Ravensburgum & Lindavium sita, nec non *Argen*, ad lacum *Acronium* sive *Podamicum*; atque eorum respectu referuntur ad *Circulum Suevicum* ejusque *districtum tertium*, & in diætis sessionis ac suffragii jure gaudent.

5. Sed ut stirpis enumerationem prosequar, *Hermanno*, è *Sara Scharffenbergica*, filia datur unica *Anna Maria*, *Georgio C. de Lossenstein* nupta. *Jacobum* autem uxor *Catharina Fuggera* aliquot filiorum parentem fecit, è quibus *Georgius* & *Johannes* in matrimonio vixerunt ; *prioris* cum *Anna Poppelia à Lobkovviz* sterile fuit, decessitque ille an. 1590. *Johannes* cum *Sibylla Fuggera Hugonem* genuit *Johannem* & *Hermannum* : hic

an-

an. 1641. in Italia, *iste* a. 1625. uterq; cœlebs obiit. *Hugo Johañam Euphrosynam Truchsessiã de Waldburg* penatibus suis induxit, quæ liberis novem familiam auxit, & an. 1651. vitam cum morte commutavit; filii quatuor fuere, gnatæ quinque: ex his sola *Maria Elisabetha, Francisci Ernesti C. Criechingensis* vidua, superstes esse fertur; reliquæ vivere desierunt, & *Maria* quidem in infantia an. 1626. *Maria Francisca Abbatissa Buchavienſis* anno 1669. *Maria Anna Walpurgis, Christophori Rudolphi C. Fuggeri* uxor an. 1650. denique *Maria Catharina Ursula* an. 1655. innupta. E filiis *Joachimus* in tenera ætate extinctus est; *Franciscus Canonicus Constantienſis & Augustanus* intra hoc decennium è vivis excessit; reliqui duo, jam recensendi, superant.

6. JOHANNES, *Comes à Montfort, Dn. de Bregenz in Tettnang & Argen*, familiæ caput nunc est. Matrimonium contraxit primò cum *Maria Anna Eusebia, Johannis Wilhelmi C. à Kœnigseck & Walpurgis Eusebiæ Truchsessiæ* filia unica; dein cum *Maria Catharina, Caroli Ludovici Ernesti C. de Sulz, & Mariæ Elisabethæ Hohenzollerianæ* gnata. E prima conjuge quaternæ quidem prolis, sed sexus infirmioris, pater factus est, videlicet

1. *Mariæ Annæ Catharinæ*, quæ an. 1679. *Antonio Eusebio C. de Kœnigseck in Aulendorf* nuptui locata fuit; II.

II. *Mariæ Caciliæ.*
III. *Mariæ Thereſiæ Felicitatis.*
IV. *Mariæ Iſabellæ Franciſcæ.*

E poſteriore conjugio filius unicus prodiit *Antonius*, an. 1670. in lucem editus.

7. ANTONIUS, *C. à Montfort, Dn. de Bregenzia, Tettnang & Argen, Johannis* frater, Ser. Electori Bavariæ à conſiliis bellicis eſt, atque in ejus exercitu *Generalis Excubiarum Præfecti* munere fungitur. Uxorem duxit *Mariam Victoriam C. de Spauer*, è qua filiam unicam ſuſtulit *Iohannam Catharinam Victoriam.*

8. *Clypeo* Comites hi ſimplici utuntur, *argenteo* ſcilicet, *vexillum Eccleſiaſticum pinnatum rubeum, annulis tribus aureis ſuſpenſum* continente, & tecto *galea* unica, cui *tiara coccinea* imponitur, *laciniis minio & argento* tinctis.

CAP. X.

DE COMITIBUS AB OETINGEN IN WALLERSTEIN.

ILluſtriſſimam *Oetingenſem* familiam lineis duabus capitalibus, *Oetingenſi* nimirum, *in ſpecie ſic appellata*, & *Wallerſteinenſi*, diſtingui

Lib. 5. c. 11. §. 6. *superiùs* dictum fuit, illo loco, quo priorem, utpote axiomate *Principali* nunc eminentem, recensui; de *Wallerſteinenſi* in præſentia agendum. Ea in diviſione Comitatus non æquam cum illa partem nacta eſt, ſed deteriorem, *quinque* ſcilicet tantùm *uncias*, cùm altera ſeptem ſibi vindicaverit; cujus quidem rei cauſam eodem loco explicui. Neque tamen omnia & ſingula, ad Comitatum Oetingenſem pertinentia, in diviſionem illam venerunt; ſed ſegregata fuere nonnulla, quæ utrique lineæ communia eſſent: ad quam claſſem hodienum referuntur *feuda Imperialia*, & *Regalia*, qualia ſunt: *Judicium Provinciale*, ejus ſcilicet exercitium & fructus, *jus conducendi*, *vectigalia*, *metalli fodinæ*, nec non *cenſus*, quem nonnulli pagi, in Oetingenſi territorio quidem ſiti, ſed extraneos Dominos agnoſcentes, pacis conſervandæ ergò Oetingenſi familiæ pendere conſueverunt, quemque den Friedſchatz nominant. Ob hanc autem communionem, inprimis ob adminiſtrationem feudorum, controverſia noſtrâ ætate inter utramque lineam orta eſt, *Wallerſteinenſi* illam vigore *Senioratus*, per *pactum familiare hæreditarium* an 1522. ſancitum, introducti ſibi ſumente; *Oetingenſi* autem *exceptionem non præſtitæ conditionis in pacto illo expreſſæ*, ut ſcilicet adminiſtrator ſedem in Comitatu

fige-

figeret, opponente. Hæc etiam lis ansam lineæ Oetingensi præbuit, ut ad divisionem jurium illorum communium provocaret, viamque, quâ ratione ea iniri posset, *scripto Germanico* typis excuso, cui titulus, gründlicher Bericht / von den gemeinschafftlichen juribus deß Hauses Oettingen / und wie solche zur Division zu bringen / ostenderet.

2. Autor *Wallersteinensis* lineæ *Fridericus* extitit, *Ludovici* XV. filius, & XVI frater, qui parentem Protestantium partibus sese applicantem deseruit, & *Romanis sacris* tanquam Syreniis scopulis unà cum posteris suis adhæsit: ex uxore sua *Euphrosyna*, *Martini* agnati sui filia unica, suscepit, præter alios, *Wilhelmum* & *Fridericum*: hic captus amore fœminæ Nördlingensis *Ursulæ Heilbrunneriæ*, eam invito ac indignante fratre an. 1585. in matrimonium duxit, prolemque ex ea sustulit. *Wilhelmum Johanna Hohen-Zollerana* aliquot filiorum parentem fecit, è quibus *Wilhelmus*, *Wolfgangus* & *Ernestius* ramos tres, nempe *Spilbergensem*, *Wallersteinensem*, & *Balderensem* proseverunt; qui hodiè adhuc vigent, nec tamen nisi *votum unicum* in Comitum Suevicorum collegio obtinent.

3. *Spilbergensem* ramum *Wilhelmus* condidit, genitor ex *Elisabetha Fuggeria Johannis Alberti*, quo & *Maria Gertrudi Pappenheimia* natus est *Johannes Franciscus*. Hic

an. 1665. d. 25. Nov. fatorum legem implevit, postquam ex uxore sua superstite *Ludovica Rosalia C. ab Attimis* liberos novem suscepisset, è quibus tamen non nisi duo mares superant; defunctorum nomina hæc sunt: 1.) *Johannes Sebastianus*, n. 20. Jan. 1655. qui an. 1675. d. 13. Sept. prope Badenam mortem obiit, *Vexilliferi* in legione equestri Cæsarea, quam *Philippus* ejus agnatus ductabat, munere functus, (2.) *Maria Salome*, n. & †. d. 6. Octob. an. 1656. (3.) *Joh. Christophorus*, n. 13. Sept. 1657. †. 24. Febr. 1658. (4.) *Anna Christina*, n. 4. Aug. 1659. †. 26. Mart. 1665. (5.) *Johan. Leopoldus Ignatius*, n. & †. d. 29. Aug. 1660. (6.) *Wolfgangus Adamus*, n. 6. Sept. 1664. †. 9. Jul. 1665. denique (7.) *Johannes Christophorus* posthumus n. 24. †. d. 25. Jan 1666.

4. Superstites duo, vulgo die Grafen in der Münz/ ab ædibus, quas *Oetingæ* frequenter incolunt, nominati, hi sunt:

JOHANNES WILHELMUS, *Comes in Oetingen, S. Cæs. M. Cubicularius*, natus an. 1655. d. 23. Dec.

Franciscus Albertus, *C. in Oetingen*, n. an. 1663. d. 10. Nov.

5. *Wallersteinensis* rami *speciatim sic dicti* sator *Wolfgangus* cum *Johanna de Molle* conjuge sua filium unicum genuit *Ernestum*, qui in aula Cæsarea multum auctoritate va-

luit,

luit, & *Consilii Aulico-Imperialis Præses* extitit: perfunctus est vitæ munere an. 1670. numerosæ prolis pater factus è *Maria Magdalena Fuggeria*, thori consorte: sedecim omninó liberi fuere, quorum integram seriem dabo: (1.) *Albertus*, (2.) *Ferdinandus*, intra juventutis annos mortui, (3.) *VVilhelmus*, (4.) *VVolfgangus*, de quibus posteà, (5.) *Franciscus*, (6.) *Carolus* in flore ætatis extincti, (7.) *Maria Margarita*, uxor secunda *Leonardi Ulrici C. ab Harrach*, superstes, (8.) *Maria Theresia*, (9.) *Maria Polyxena*, (10.) *Maria Susanna*, omnes immatura ætate vivis exemptæ, (11.) *Maximilianus*, itidem præmaturo fato abreptus (12.) *Philippus*, n. 24. Jan. 1640. Camerarius Cæsareus & legionis Equitum Cataphractorum Ductor, maritus *Eberhardinæ Julianæ Sophiæ* agnatæ ex *Oetingensi* linea, quam an. 1678. d. 1. Mart. nuptiis sibi junxit; sed an. 1680. d. 27. Aug. morte oppressus duplicis sobolis diversi sexus pater, (13.) *Joh. Antonius*, n. 17. Octobr. 1641. Cubicularius Cæsareus, Canonicus *Passaviensis*, *Olumucensis* & *Vratislaviensis*, mortuus *Romæ* d. 16. Octobr. 1673. (14.) *Ignatius*, superstes, (15.) *Franciscus*, & denique (16.) *Maria Christina*, in juventute vita defuncti.

6. Inter viventes itaque familiam nunc ducit

WILHELMUS, *Comes in Oetingen, Dn. Dynastiarum Hohenburg, Marckt & Vnter-Bissingen*, S. Cæs. Maj *Cubicularius & quondam Supremus rei Venatoriæ Præfectus*, nunc autem *Secretioris Consilii Consiliarius*, totius familiæ Oetingensis *Senior*. Prodiit is in lucem Calendis Aug. an. 1627. atque anno 1670. d. 23. Aug. connubio sibi junxit *Octaviam Estherem, Jacobi Francisci L. B. ab Herberstein, & Julianæ Hageriæ ab Altensteig* filiam, sed prole destituitur.

7. WOLFGANGUS, *Com. in Oetingen*, quondam *Consiliarius Aulico-Imperialis*, postea *Ser. Ducissæ Juliacensis*, natæ *Archiducissæ, Supremus aulæ Præfectus*, nunc verò *S. Cæs. M. à consiliis secretioribus, & Præses Judicii Imperialis Aulici*, Pr. Schwarzenbergico surrogatus, hausit auram vitalem Cal. Febr. an. 1629. Habet in conjugio *Annam Dorotheam, Johannis C. à Wolkenstein & Rodneck* è *Felicitate C. de Spauer* filiam, quæ multa sobole mariti familiam auxit, hoc ordine:

I. *Maria Anna Theresia*, n. 24. Aug. 1662.
II. *Maria Ernestina*, n. 15. Sept. 1663.
III. *Maria Magdalena Felicitate*, nat. 17. Maji 1665.
IV. *Maria Sophia*, n. 29. Maji 1666.
V. *Maria Iosepha*, n. an. 1667. †. eodem an.
VI. *Ernesto*, n. an. 1668. †.

VII.

VII. *Maria Iosepha*, n. an. 1669. †.
VIII. *Maria Francisca*, n. an. 1671. †.
IX. *Francisco Iosepho Ignatio*, nat. 27. Nov. 1672.
X. *Ignatio*, n. an. 1674. †
XI. *Dominico Iosepho*, n. 3. Sept. 1676.
XII. *VVilhelmo Iosepho Ignatio Antonio*, n. . . . Oct. 1677.

8. IGNATIUS, *Comes in Oetingen, S. Cæs. M. Camerarius*, an. 1642. d. 24. Aug. in lucem susceptus, ἄγαμος vivit.

9. *Antonius Carolus, Com. in Oetingen, Philippi & Eberhardinæ Julianæ* filius unicus, aspexit lucem vitalem an. 1679. d. 28. Jun.

10. Ejus soror *Maria Anna Eleonora Sophia*, posthuma a. 1680. d. 28. Aug. nata fuit.

11. *Balderensis* ramus, qui recensendus restat, à fatoris sui filiis, *Friderico VVilhelmo & Martino Francisco*, in palmites duos abiit, nempe: in *Kazensteinensem* & *Balderensem*. Illius conditor *Fridericus VVilhelmus*, penatibus suis induxit *Susannam à Trübeneck, Godofredi C. à Tattenbach* viduam, è qua ter pater factus est: filia unica, gnati duo fuere. Ex his major natu *Maximilianus Ernestus* Ratisbonæ an. 1668. m. Mart. tempore nocturno interemptus est incerto percussore; alterum cum filia, an. 1677. d. 9. Dec. fato functus, post se reliquit.

12. NOTGERUS WILHELMUS, *Comes in Oetingen Kazenſtein*, ingreſſus eſt vitæ ſcenam an. 1653. atque anno ſuperiore 1682. uxorem accepit *Sidoniam*, *Philippi L. B. de Sœtern* & *Dianæ Cronbergiæ* filiam.

13. *Maria Thereſia*, ejus ſoror, an. 1651. nata, nupſit *Franciſco Erneſto C. Fuggero in Glœth.*

14. E *Balderenſi* palmite itidem mas cum fœmina ſuperant, nimirum:
FERDINANDUS MAXIMILIANUS, *Comes in Oetingen, Hohen-Baldern, Cubicularius Cæſareus, Martini Franciſci* & *Iſabellæ Leonoræ Helfenſteinia* filius, natus an. 1639. is jugali fœdere ſibi ſociavit *Chriſtinam Sibyllam, VVilhelmi C. in Solms-Greiffenſtein* gnatam, è qua prolem non habet.

15. *Maria Franciſca*, ejus ſoror, *Cratoni Adolpho C. de Cronberg* elocata fuit; nunc autem cum eo divortium feciſſe dicitur.

16. *Scuto* Comites Oetingenſes lineæ Wallerſteinenſis eodem utuntur, quo agnati, quodque *ſuperius* delineatum fuit.

CAP. XI.

DE COMITIBUS A RECHBERG IN HOHEN-RECHBERG,

Eorum-

Eorumq; gentilibus

MARESCALLIS DE PAPPENHEIM.

Echbergiorum inclutam stirpem à *Mareſcallorum de Calatin* stemmate defluxiſſe, pervulgata fert opinio: horum originem & familiam *Matthæus Mareſcallus de Biberbach & Pappenheim* J.U.D. deſcripſit quidem, ſed, *Hundio* judice, confuſè & indigeſtè, nonnunquam etiam fabuloſiſſimè. Genus eorum ad *Attilios* equeſtris apud Romanos proſapiæ, quos *Calatinorum* etiam nomine appellatos fuiſſe tradit, retulit, illosque occaſione expeditionum Tiberii & Druſi adverſus Germanos in Vindeliciam veniſſe, atque extructo ad Danubium, haud procul eo loco quo Lycum miſcetur, caſtro, cui *Calatini* nomen inditum, quodque hodiè *Kayſerspurg* vocatur, ſedem iſtis in oris fixiſſe commemoravit. Bayr. Stamm. P. 2. p. 159.

2. Plena gentis deductio non niſi ab *Erneſto Mareſcallo de Calatin* reperitur, is an. 1170. ſatis conceſſiſſe atque in conjugio habuiſſe *Eulaliam B. de Nieffen* fertur. Circa ejus progeniem diſſentiunt Scriptores; *Henningium* filium ei tribuit *Heinricum*, maritum *Annæ*, *Alberti poſtremi Dn. de Bieberbach* filiæ atque hæredis, & patrem aliquot filiorum, Tom. III. P. 1. p. 464.

inter quos *Rudolphum, Ulricum & Hildebrandum* enumerat: & primum *Mareſcallorum de Pappenheim & Bieberbach* ſatorem fuiſſe; à ſecundo *Rechbergiorum Mareſcallorum in Reichen* ſeu *Reichenau* familiam dudum extinctam manaſſe; tertium verò reliquorum *Rechbergiorum*, qui nunc florent, autorem extitiſſe refert.

3. *Conradus de Rechberg*, *Hildebrandi* fortè nepos, circa an. 1323. vixit, & ex *Adelhaide C. de Kirchberg* filios duos ſuſcepit: *Ludovicum*, quem *Albertum Bucelinus* vocat, & *Conradum*; ab his lineæ duæ ortæ ſunt, quarum prior defecit. A *Conrado* Genealogia MS. quæ penes me eſt magis perfecta, atque illa, quam Henningius exhibuit, orditur: is è *Lucia B. ab Aichheim* aliquot liberos, filios præcipuè duos, ſuſtulit: *Albertum & Gebhardum*, totidem ramorum ſatores. In *Alberti* ditionibus numerabantur *Staufeneck Falckenſtein*, *Wöſchelburg* & *Beurn*; quibus ipſe emptionis titulo adjeciſſe memoratur arcem *Heufelſperg* & vicum *Walſtätten*, feuda Auſtriaca, prætereà *Babenhauſen*, *Töttingen*, *Heuchlingen*, *Ballendorf* & *Marſchötten*. *Vitus à Rechberg & Hohenrechberg*, Eques, *Alberti* filius unicus, Concilio Conſtantienſi interfuit, & *Irmgardin*, *Friderici D. Teccenſis* filiam, uxorem habuit, pater liberorum quinque, præcipuè *Alberti* & *Beronis*, qui

Germ. T. II.

qui post obitum Ludovici D. Teccensis *Mundelheimium* acquisiverunt, quod posteà *Beronis* è *Barbara à Kaltem & Rotenburg* Baronissa Tyrolensi gnati, *Georgius & Bero*, ἄπαιδοι sororio suo *Ulrico à Freundsberg* a. 1487. vendiderunt. *Albertus* cum *Clara C. de Montfort Vitum* II. genuit, qui *Reichenbachensibus & Denzdorfiis* prædiis, suo ære an. 1446. comparatis, patrimonium auxit, atque anno circiter 1471. obiit, relictis è *Margarita B. de Stœffeln Vito* III. & *Georgio Juniore*; illi cum *Margarita C. ab Ortenburg* sterile fuit matrimonium, huic verò cum *Margarita Cameraria de Wormbs in Dalberg* maximè fœcundum; hæc enim septendecim liberorum mater fuisse prædicatur, inter quos tredecim potioris sexus fuerunt; solus tamen *Conradus* lineam continuavit; pater è *Catharina de Knœringen Alberti*, quo & *Margarita* agnata nati sunt *Melchior Vitus & Conradus*: quorum ille an. 1590. improlis decessit, hic *Baronis* axiomate decoratus *Wischelburgi* habitavit, & divenditis Duci Wirtenbergico castris *Falkenstein* ac *Eselburg* an. 1592. supremum diem explevit, relicto filio unico *Alberto Hermanno*, è *Gertrudi B. de Burgmilchling* suscepto; qui septimo post anno 1599. vix ex ephebis egressus vitam lineamque finivit, feudis ad Austriacos relapsis, quorum non exigua pars *Zachariæ Geiz Kofflerio* collata est.

4. *Geb-*

4. *Gebhardus*, alterius rami, qui hodienum viret, fator, *Rechberghausen*, & *Scharpfenberg* emit, atque è *Margarita Zollerana*, præter alios, genuit *Albertum*, *Juniorem* ad differentiam patrui cognominatum. Hic, an 1427. moriens, ex *Adelhaide C. de Wartenberg* filios post se reliquit *Hugonem*, *Agnetis C. de Thierstein* maritum, cujus propago in ejus pronepotibus *Georgio* & *Johanne*, sub seculi superioris umbilicum, exaruit; *Conradum* Præpositum Constantiensem & designatum *Episcopum Curiensem*; nec non *Gaudentium*, *communem* eorum, qui hodiè ex hac gente vivunt, *parentem*. Hic è *Margarita B. de Fronhofen* multorum liberorum parens factus est, è quibus filii tres uxoribus ductis progeniem habuere, nimirum: *Albertus*, *Johannes* & *Georgius*. *Johannis* posteritas primam generationem non superavit. *Georgio* & *Johanna à Landau* natus fuit *Gaudentius*, pater è *Magdalena à Stein* filiorum trium, videlicet: *Georgij* in *Cronenburg* & *Kalmünz*, *Johannis* in *Conradshofen* & *Turkheim*, nec non possessoris Comitatus *Schwabeccensis*, & *Christophori* in *Osterburg*; singulorum propagines hac adhuc ætate florere perhibent.

5. *Albertus* è *Maria Güssin à Güssenberg Johannem* sustulit, qui ducta in matrimonium *Margarita Anna* agnata, sorore eorum, quos *Hugonis* lineam terminasse dixi, complexus est

est dominia *Hohenrechberg*, *Aichheim* ad *Illerem*, *Scharpfenberg*, *Denzdorf* & *Rechberghausen*, atque è filiis duobus *Casparo Bernhardo* & *Hugone Erkingero* nepotes habuit: hic enim cum *Susanna à VVelden Johannem Michaëlem* & *Albertum Ernestum* genuit, quorum posteritas superare fertur. Ille *Liberi Baronis de Rechberg*, *Dn. in Scharpfenberg* & *Denzdorf* titulo usus esse, & an. 1605. satis concessisse memoratur; bis maritus: primò *Johanna à VVolmershausen*, dein *Susanna Dapifera ab Höfingen*; priore nati sunt *Caspar Bernhardus*, *Johannes Wilhelmus* & *Johannes Philippus*: hic an. 1611. vitam cum morte commutavit, nullis ex *Anna Pappenheimia* liberis susceptis. *Caspar Bernhardus* ex hæreditate paterna *Hohenrechberg* & *Iller-Aichheim* liberas atque immediatas Dynastias fortitus & beneficio Cæsareo *Comitis* dignitate auctus est, terque nuptias celebravit: primas cum *Helena B. de Raitenau*, secundas cum *Dorothea C. de Kœnigseck*, tertias cum *Amalia Rheingravia*. E *secundo* matrimonio aliquot liberi utriusque sexus prodiere, inter filias duas superstites esse accepi, quarum una *Christophori Rudolphi C. Fuggeri in Glöth* vidua, altera *monialis* est; masculi omnes vivere desierunt, inter quos quidem *Johannes* eminuit *Comes de Rechberg & Rotenlövven*, qui *Recessui Imperij* an. 1654. subscripsit, atque circa

an.

an. 1676. vivis exemptus filiam unicam, ex *Isabella Catharina C. de Berg* susceptam, post se reliquit; ea *Mariæ Annæ* nomen habet, & annuo post patris fata intervallo *Maximiliano Wilhelmo C. de Limburg & Styrum, Adolphi & Isabellæ C. de Vehlen* filio secundò genito, nupsit; cui arcem *Aichhemiam* ad *Illeram*, quæ an. 1680. m. Julio ictu fulminis deflagravit, attulit. Feuda verò, præcipuè *Hohenrechbergense* dominium cum *Comitis* axiomate & jure *sessionis ac suffragii* in comitiis tam Imperii, quàm *Circuli Suevici* ad Johannis patruelem devoluta sunt.

6. Nimirum *Johannes Wilhelmus*, *Caspari Bernhardi* frater, è conjuge sua *Anna Regina*, *Beronis Rechbergii* filia, *Christophori* in *Osterburg* nepte, filios tres genuit, nempe: *Bernhardum Beronem*, *Johannem Rudolphum*, & *Heinricum Alexandrum*: hic an. 1638 ante *Wolgastum* occubuit; iste *Præpositus Elvacensis* fuit, atque an. 1660. d. 6. April. mortalitatem explevit; Ille patruelis in feudis gentilitiis successor superstes est.

7. BERNHARDUS BERO, *Comes de Rechberg & Rotenlöwen*, *L. B. in Hohenrechberg* &c. Fuit is *Ser. Electoris Bavariæ Supremus aulæ Præfectus*, qua dignitate haud ita pridem summotus, privatus nunc vivit. In thalamum induxit *Mariam Jacobeam*, *Antonii C. Fuggeri* filiam, è qua filias duas, jam

jam defunctas, & gnatum unicum suscepit.

8. Hic nomen habet FRANCISCI ALBERTI, & in aula Electorali Bavarica *Supremi Hippocomi* munere fungitur. Nuptiis sibi adjunxit *Catharinam Barbaram, Osvvaldi C. de Spauer* & *Magdalenæ Catharinæ C. de Thun* filiam, è qua genuit

I. *Adelhaidin Mariam Heinricam Iacobeam*,

II. *Ferdinandum Iosephum Beronem Xaverium*,

III. *Maximilianum Felicem Osvvaldum Bennonem Ignatium.*

IV. *Mariam Annam Margaritam Magdalenam*,

V. *Philippum Mauritium Antonium Fidelem Sebastianum*

VI. *Clementem Aloysium Franciscum Pancratium.*

9. *Scutum* Rechbergiorum *aureum* est, & *leones duos rubeos tergis obversis* & *candis implicatis* exhibet. *Galeam* premit *exsurgens cervus aureus, cornibus rubeis.*

10. Quoniam *Pappenheimij* ejusdem cum *Rechbergiis* originis esse creduntur, atque ob munus *Mareschallatus S. R. Imperij* hæreditarium, quo à pluribus seculis eminent, inter illustres familias referuntur, haud dis-

videtur, pauca de iis subtexere: non est autem animus, integram stirpem, lineasque, in quas crebrò illa abiit, divergia singula enumerando percensere; sed tantùm quæ hodierna familiæ sit conditio, quibusque munimentis nunc insistat, strictim enarrare; id unicum tamen dixisse non abs re erit, *Heinricum Pappenheimium*, à quo *tabulæ Rittershusianæ* stirpis Genealogiam ordiuntur, *Rudolphi*, cujus frater *Hildebrandus* Rechbergios profeviſſe dictus est, nepotem extitisse.

11. Hoc, quo agimus, seculo gravis controversia, de qua in jus itum fuit, Pappenheimiis nata est circa hæreditatem *Maximiliani Pappenheimii Landgravii Stulingensis*; is filius erat *Conradi*, cui Maximilianus II. Imp. (hujus enim satellitio ille præerat) *literas expectatorias*, ceu vocant, in *Lupfensia* feuda Imperialia (quæ complectebantur Landgraviatum *Stulingen*, castrum ac dominium *Hovven*, arcem *Althorn*, cum juribus ac pertinentiis in oppido *Engen*) concessit; posteaq; extincta an. 1583. cum ultimo Comite *Heinrico* Lupfensi familia, Rudolphus II. Augustus eorum investituram contulit, quæ ille an. 1603. moriens ad filium, quem unicum habebat, *Maximilianum* transmisit. Hic patrimonium hæreditate etiam patruelis sui *Wolfgangi Christophori* improlis (quem cum fratre suo *Wilhelmo* typotheta in *tab. Rittershus.*

hus. perperam inter Conradi filios retulit, cùm *VVolfgango*, istius fratre, nati essent) auxit, & è conjuge tertia *Ursula Maria Leiningensi* utriusque sexus prolem suscepit, nempe: *Maximilianam Mariam*, quam *Friderico Rudolpho C. Furstenbergico* elocavit, sed an. 1635. morte amisit; & *Heinricum Ludovicum*, qui superatis jam adolescentiæ annis in oppugnatione castri *Hohenstoffeln*, referente *Bucelino*, an 1633. occubuit. Hinc novæ prolis desiderio ac spe impulsus *Maximilianus* ad quartas nuptias animum adjecit, atque *Annam Sophiam C. Palatinam* è domo *Solisbacensi* in conjugium petiit, quæ quidem desponsa ipsi fuit, sed ille morte præventus thalamo sibi eam non junxit. Duobus vero ante fata sua, quæ tam vicina sibi esse haud suspicabatur, mensibus, anno scilicet 1638. d. 6. Dec. *testamentum* condidit, quo sponsæ suæ, præter bona mobilia magni pretii, dominium *Möttingen* cum pagis adjunctis, quod ipse octoginta mille florenis emerat, præterea castrum *Feurthal* prope Scaphusam, omnia denique quæ in Dynastia *Pappenheimia* jure proprio tenebat, cum mundo conjugum defunctarum, vasariis ac suppellectile multa legavit, & *per modum institutionis particularis* donavit; illa quidem conditione addita, ut, si nullam ex illa sobolé genuerit, agnatis facultas esset, bona ipsius propria in *Germ. T. II.*

Dynastia *Pappenheimia* reluendi, vigore *pacti hæreditarij* an. 1560. in familia sanciti. Reliquorum autem bonorum suorum omnium, quocunque nomine censeantur, feudorum etiam fæmininorum (*Runckellehen*) hæredem nuncupavit nepotem suum è filia, videlicet *Franciscum Maximilianum C. Fürstenbergicum.*

12. Verum enim verò, cum non ita multò pòst, die nempe 13 Febr. an. 1639. mors fato propera vitam illi abstulisset, agnati ejus enormiter se testamento illo læsos esse conquesti sunt, litemque hæredi parirer & legatariæ coram *Judicio Imperiali Aulico* intentarunt, fundantes jus suum in Landgraviatum *Stulingensem* & dominium *Hövven* literis *expectatoriis* Conrado Pappenheimio à Maximiliano Imp. ceu dictum est, concessis, quibus Conrado, in casum deficientis stirpis ejus masculæ, reliqui Pappenheimii substituti fuerint; præterea dictitantes, ceu è *Deductione*, quam protulerunt, patet, segreganda esse à Maximiliani hæreditate omnia bona, quæ in Dynastia *Pappenheimensi*, in *Algoia*, alibique sita essent; quippe quæ vigore pactorum gentilitiorum redimere ipsis liceret; nec minùs secernendum esse prædium equestre mancipi *Berolzheim* cum suis pertinentiis, utpote quod à *Wolfgango Christophoro Pappenheimio* universæ familiæ institutionis titulo par-

particulari legatum fuerit; denique postulantes, quoniam Maximilianus dominium *Grafenthal*, quod tanquam feudum gentilitium ad totam familiam spectabat, pro 130. mille florenis alienârit, ut Furstenbergius tanquam hæres universalis id damni ipsis resarciret. Nostra ætate compositam hanc litem, itaque inter partes transactam fuisse accepimus, ut Pappenheimiorum prætensiones certa pecuniæ summa, nempe quinquaginta mille florenis, à Furstenbergio redimerentur.

13. Cæterùm receptus est hodiè in familia Pappenheimia *Senioratus*, ita ut simpliciter *ætatis*, non verò successionis linearum ratio habeatur. Est autem penes Seniorem non solùm exercitium Marescallatus Imperii, sed id etiam eximium ille habet, quod solus administratione feudorum & fructuum inde provenientium gaudeat, dominiaque *Rotenstein*, *Calden* & *Bellenberg* possideat. Reliqua, quæ in familiæ ditione sunt, in *sedecim* partes dividi solent: quarum *sex* itidem *Senioratui* adhærent; residuæ lineis duabus, quibus nunc stirps distinguitur, æquis portionibus competunt. Illæ ortæ sunt à filiis *Georgij Philippi* & *Mariæ Elisabethæ Grosvveinin L. B. de Weyher*, nimirum à *Wolfgango Philippo* & *Francisco Christophoro*, qui ambo *Senioratum* gesserunt: prior, qui ad *Romana* sacra defe-

cit, unde & linea ejus *Catholicæ* nomine appellari soleat, an. 1671. d. 4. Maji Ratisbonæ in comitiis exercitio muneris sui immortuus est, relictis post se filiis quatuor, & filiabus tribus, è *Martha Elisabetha à VVesternach* conjuge sua susceptis; posterior, *Evangelicæ* religioni constanter addictus, anno 1678. d. 11. Dec. Noribergæ naturæ satisfecit; pater filii unici, è *Dorothea Rameria*, secunda ejus uxore geniti.

14. *Wolfgangi Philippi*, autoris lineæ Catholicæ, liberi omnes superstites sunt, quos jam enumerabo:

CAROLUS PHILIPPUS GUSTAVUS, *S. R. Imperii Senior Marescallus hæreditarius, Comes in Pappenheim, Dn. in Rodenstein, Calden & Bellenberg*, natus an. 1649. d. 21. Jul. Thalamum is partitur cum *Maria Elisabetha Schenckia B. de Castel*, è qua pater factus est

I. *Mariæ Johannæ*, n. 27. Dec. 1674.

II. *Mariæ Magdalenæ Antoniæ*, nat. 12. Jan. 1676.

III. *Mariæ Catharinæ*, n.

15. *Marquardus Johannes VVolfgangus*, *S. R. I. Marescallus hæreditarius, C. in Pappenheim*, editus est in lucem an. 1652. d. 1. Mart. & connubio sibi junxit *Mariam Rosinam Antoniam Schenckiam de Stauffenberg*, Episcopi Bambergensis sororem, cum qua genuit:

I. *Jo-*

I. *Johannem Antonium Sebastianum Bartholomeum*, n. 13 Aug. †. 19. Oct. 1679.

II. *Mariam Elisabetham Margaritam Sidoniam*, n. 13. Sept 1680.

16. *Ludovicus Franciscus*, S. R. I. *Mareſc. C. in Pappenheim*, hausit auram vitalem d. 27. Maji 1673. & penatibus suis induxit *Johannam Rosinam Vohlin à Frickenhausen*, *Joh. Christophori L. B. in Illerdissen & Rosinæ L. B. à Welz* filiam, è qua suscepit

Iohannam Elisabetham Mariam, n. 24. Dec. 1678. †. 4. Mart. 1679.

17. *Iohannes Georgius*, S. R. I *Mareſcallus C. in Pappenh.* prodit in lucem an. 1657. d. 9. Apr. habetque in conjugio *Mariam Elisabetham Vohlin de Frickenhausen*, fratriæ sororem, quæ ei peperit

Franciscum Carolum Gotthardum, n. 23. Nov. 1679. †. 16. Jun. 1680.

18. Trigæ *sororum*, quas illos habere dixi, nomenclatio hæc est:

I. *Maria Anna*, n. an. 1648.

II. *Amalia Catharina*, n. 10. Sept. 1650.

III. *Margaritha Dorothea*, n. 21. August. 1655. nupta *Johanni Gotthardo Vohlin de Frickenhausen, L. B. in Illerdissen.*

19. *Evangelicam* lineam solus sustinet WOLFGANGUS CHRISTOPHORUS WILHELMUS, S. R. *Imperii Sub-Senior*,

(Nach-Aeltister) *Marescallus hæreditarius, Comes & Dn. in Pappenheim*, nat. an. 1651. d. 27. Dec. maritus *Emiliæ Margaritæ de Reizenstein*, & pater

I. *Christiani Ernesti*, n. 4. Jun. 1674.
II. *Eleonoræ Albertinæ*, n. 24. Oct. 1676.
III. *Johannis Friderici*, n. 17. Sept. 1680.

Spen. Op. Her. l. 3. c. 28.

20. *Scutum* Marescallorum de Pappenheim *quadripartitum* est, 1. & 4. area *transversim ex nigro & argento secta gladios duos rubeos decussatim positos* exhibet, quod symbolum est *Marescallatus Imperii*; 2. & 3. *vario vellere cæruleo & argenteo* distincta, tesseram *familiarem* refert. *Galearum* anterior *coronata* sustinet *vexilla duo lanceis aureis in decussim trajectis suspensa*, & symbolis *Marescallatus* insignita; posteriorem premit *herma Æthiopissæ coronatæ crinibus in fasciculum contortis undiq; auro tincta. Phaleræ* hinc *argenteæ* & *nigræ*, illhinc *cæruleæ* sunt & *aureæ*.

CAP. XII.

DE COMITIBUS SCHLICKIIS.

Orig. Sax. l. 7.

Schlickiorum familiæ, *nobilis & antiquæ, & virorum fortium alumnæ*, (quo encomio à *Greg. Fabritio* celebratur) origines satis exploratè perceptæ ac cognitæ non sunt, neque

que Scriptorum de iis opiniones congruunt; quidam enim è *Misnia*, nonnulli è *Franconia*, alii è peregrino *Italiæ* solo eos arcessunt. Propiùs ad veritatem accedere videtur sententia *Casp. Bruschii*, qui in *Descriptione Germanica montis*, ob *pinorum* copiam der Fichtelberg dicti, historiam gentis dilucidè exposuit, eamque *Egrensi* innatam esse regione haud temerè arbitratus est. Stemmatis seriem idem autor ab *Heinrico Schlickio de Lason* nexuit, *Viro nobili & famoso de militari genere*, cui *Rolandus*, *Marchio Tarvisii*, *Comes ab Alticoll & S. Salvatoris*, filiam suam unicam *Constantiam*, è *Beatrice C. de Camin* conjuge sua susceptam, in matrimonium collocare dedignatus non est; cum qua ille filios tres genuit, videlicet: *Casparum*, *Matthæum & Nicolaum*. Ab eodem Heinrico *Henningius* quoque ac *Bucelinus* Schlickiorum stirpem deduxerunt, sed in ipso statim limine à *Bruschio* discordes, dum unicum *Heinrico* filium *Casparum* tribuunt; *Matthæum* autem hujus nepotem è filio *Hieronymo* fuisse tradunt; *Nicolaum* planè silentio prætereunt; in quem errorem *Fabritium* etiam nec non *Mattheşium* lapsos fuisse *Bruschius* memorat, suumque assertum veterum tabularum fide firmat. Pag. 27. & seqq.

2. Ex illa verò fratrum triga *Casparus* tota Germania summo propter ingenium hono-

re & nomine fuit, utpote quem *usque adeò fortuna & virtus extulit, ut,* (*Æneæ Sylvii* verba refero) *quod erat priùs inauditum, trium Cæsarum successivè regnantium Cancellariæ præfuerit, uniusq; ex Ducibus Silesiæ,* Oelsnensis *scilicet filiam* Agnetem *ipsi in matrimonium tradere non recusaverit.* A Sigismundo Imp. an. 1432. *Comitis* axiomate cum fratribus suis auctus esse à sæpè citato *Bruschio* perhibetur; quod tamen dignitatis *Lazius* & *Gerardus de Roo* à Friderico Augusto ei collatum fuisse referunt. Prioris quidem verba recensere non incongruum fore puto: *Andreas Blancus*, inquit, *scriniorum apud Albertum V. Archiducem posteà Imperatorem Præfectus, cum senio fessus tantis laboribus non duraret, Misnensi cuidam docto viro* Casparo Schlyck *sponte cessit.* *Is est* Schlyckius, *qui scriniis posteà & Ladislai Regis præfuerat, ac Friderici Imp. à quo* Comitis *titulo ornatus* de Passano, *possessioneq; in finibus Marchiæ Tarvisianæ, cum jam anteà à prioribus heris parte Joachimicæ Vallis accumulatus fuisset, illos in orbe satrapas produxit, qui etiamnum in Joachimica Valle ac finibus Bohemiæ amplam ditionem retinent, & vulgò* Comites Schlyck à Passano & Weissenkirchen *nominantur. Quorum, ut diximus, autor & conditor generis* Casparus, *cùm à secretis paulò ante Sigismundo Cæsari fuisset, & in familiaria jura acceptus,*

Hist. Boh. c. 33.

Laz. Genea. Austr. l. 2. p. 252.

ut

ut is filiam Elisabetham hero suo Alberto desponderet, legationibus ac interpellationibus suis effecit. Fuit de cætero Casparus *Capitaneus* etiam *Egrensis*, cumque in ditione Veneta *Passanum* amisisset, à Sigismundo Cæsare *Cubitensi* regione donatus fuit, quemadmodum *Balbinus* memorat, ab Alberto autem *Weissenkircham* in Hungaria accepit, quam posteà *Nicolais à Woislaniz* oppignoravit. Obiit morte repentina an. 1449. cùm uno antè anno uxorem amisisset, nullis vel βεγχυβίοις liberis ex ea susceptis: unde hæreditas ejus ad fratrem *Matthæum* & nepotes ex altero *Nicolao*, ipsi præmortuo, *Wilhelmum* scilicet & *Wenceslaum* devoluta est. Inter hos *Wilhelmus Dn. in Seeberg* posteritate caruit; *Wenceslaus* Præfectus Eorensis ac Dynasta in *Schön- & Hertenberg*, triumque filiorum, *Erasmi*, *Pancratii* & *Alberti*, quos *Burggravios de Schœnbach* appellabant, parens fuit; hi autem progeniem non habuerunt. *Mis. Boh. l. 3. c. 7.*

3. *Matthæus* cum fratris sui filio *Wenceslao* oppidum Cubitense, *Elenbogen* dictum, ex hæreditate *Caspari* acceptum, & sæpe rebelle, Ernesto atque Alberto fratribus, Electori ac Ducibus Saxoniæ XXIII. mille florenis an. 1470. vendidit, quibus cùm cives fidem & jusjurandum dare detrectarent, bellum exarsit, quod tamen anno sequenti iterum extinctum est per transactionem, qua

cives *Albertum D. Saxoniæ* pro *Advocato* sive Protectore, *Schlyckios* verò pro *Dominis* agnoverunt. *Matthæo* an. 1487. in extrema senectute fatis functo, filii ejus, quos tres, *Nicolaum* scilicet *Hieronymum* & *Casparum*, post se reliquit, ita arcem, quam in civitate *Elenbogen* habebant, inter se divisere, ut singulis ex ea pars, in qua degere possent, obtigerit, ab iisdem *lineæ tres* ortæ sunt.

4. *Nicolaus* in partitione ditionum *Falckenau*, *Heinrichsgrün*, *Seeberg*, *Neudeck*, *Diepoltsgrün*, & *Voigtsgrün* sortitus est, atque an. 1522. naturæ satisfecit, filiorum quatuor è *Barbara Schenckia à Tautenberg* pater, inter quos *Albinus* & *Victorinus* ramos proseverũt; hujus quidem propago defecit, in ejus pronepotibus *Hugone* & *Johanne Ernesto*, quos sub *Ernesto Mansfeldio* militantes clades, quam hic post expilatam a. 1623. Frisiam Orientalẽ passus est, abstulit. *Albinus* Dynasta in *Pommeusel*, contracta Regis sui offensa, solum vertit, & in Thuringiam concessit, ubi vita defunctus filiũ post se reliquit *Christophorũ*, Dominũ in *Falckenau & Tuppau*, qui a. 1543. in lucem à *Brigitta Burggravia Leisnicensi* susceptus ætatem ad annum seculi decimum quintum produxit. Ter maritus: primò quidem *Catharinæ Harzanin de Harras*, matris novem liberorum, inter quos tres tantùm patri superfuere, duo sexus sequioris & filius unicus

cus

cus *Johannes Albinus*, qui è *Johanna B. de Wildenfels* genuit, præter alios præmaturo fato raptos, *Joachimum Andream*, natum an. 1618. quem eundem esse suspicor, qui *Christinam Mariam*, *Christiani Dynastæ de Schœnburg* gnatam, nupsisse suprà dictum fuit.

5. *Hieronymus*, Nicolai frater, è ditionibus paternis oppidum *Elenbogen*, *Warmbad* & *Kœnigsberg* nactus est, atque an. 1491. in Ungaria Budam inter & Strigonium in monte, quem den Schiltberg appellant, occubuit. E filiis ejus *Albertus* stirpem propagavit, qui an. 1533. *Elenbogen* in patruelem suum *Hieronymum* titulo permutationis transtulit, acceptis ab eo vicissim dominiis *Winderiz* & *Radeniz*; fuit is cæteroquin *Supremus Regni Bohemiæ Camerarius* & *Præfectus Lusatiæ inferioris*, sed progeniem diuturnam non habuit; quippequæ in ejus nepote *cognomine* extincta est.

6. *Caspari* propago in complures se diffudit ramos, hic filius *Matthæi* natu minimus fuit, atque è patrimonio dominia *Schlackenwverd*, *Liechtenstad* & *Mœnichshof* accepit: apud *Norimbergenses*, illa tempestate qua bellum Bavaricum flagrabat, *Sculteti* munus obiit. Ex uxore sua *Elisabetha C. de Guttenstein* liberos tredecim suscepit; filii decem fuere, quorum tamen non nisi medietas justam ætatem attigit, nimirum

Bu-

Burianus, qui ἔγαμος decessit, *Stephanus*, *Hieronymus*, *Heinricus* & *Laurentius*; ab his rami quatuor provenere: *Stephanus* Vallem *Joachimicam*, metallorum, inprimis argenti feracissimam, ædificiis exornasse prædicatur, ita ut ubi antea exilis erat pagus, *Conradsgrün* dictus, pedetentim ampla & splendida exorta sit civitas. Ludovicum Regem Ungariæ in expeditione adversus Turcas infelicissima an. 1526. comitatus est, ibique fato incerto interiit, relicto post se filio unico *Mauritio*, Domino in *Plan* & *Zwvirschen*, quia 1578. d. 9. Nov. improlis è vita discessit.

7. *Hieronymus*, Stephani frater, dominia *Winteriz* & *Radeniz* cum oppido *Elenbogen*, ceu jamdum dixi, commutavit, quod postea an. 1547. ipso adhuc superstite *Camera Bohemicæ* incorporatum fuit, *Vallem Joachmicam*, consanguineis assentientibus, Ferdinando Regi an. 1545. tradidit, *Rabenstein* autem & *Maschau* acquisivit. E prima conjuge *Elisabetha de Schœnburg Joachimum* genuit, Dominum in *Schlackenvverd* & *Rabenstein*; è secunda *Catharina C. de Gleichen Sebastianum*. Dynastam in *Schvvanberg*, patrem *Caspari* & *Hieronymi*, qui mascula prole caruerunt. *Joachimo* & *Lucretia C. Salmensi* nati sunt *Julius*, *Hieronymus* & *Ferdinandus*; è quibus *Julius* tantùm sobole auctus fuit:

fuit: eo enim & *Anna Maria Ungnadia* genitus est *Joachimus Andreas*, Dn. in *Zvvihan & Thurnovva*, *Supremus Regni Bohemiæ Judex*, qui turbis Bohemicis innotuit, & à factiosorum partibus stans in prœlio ad Pragam à Cæsareis captus, moxque ad necem raptus est. Ter maritus, & gnati unici, qui ejus fato haud diu superfuit, filiarumque duarum pater.

8. *Laurentius*, Dynasta in *Ludiz*, *Rabenstein & Neudeck*, usque ad senectutem vixit; inter filios ejus *Christophorus* lineam continuavit, quippe qui è *Catharina de Kolovvrat* multam prolem, potioris sexus quinque suscepit; è quibus tres, *Stephanus* scilicet, *Wilhelmus* & *Ludovicus*, ductis uxoribus sobolem generarunt: num verò progenies ex hoc ramo hodiè adhuc superet, satis exploratum non habeo. Postremus, quem *Bucelinus* in tabulis suis enumeravit, *Wilhelmus Heinricus* fuit, is primis nuptiis *Annam*, *Gundaccari Pr. Liechtensteinii* filiam, secundis *Helenam Maximilianam* à *Trautisch* duxit; sed improlis è seculo exiisse fertur.

9. Recensenda restat *Heinrici* posteritas, cui inter filios *Caspari* quartus locus assignatus fuit; is è paternis ditionibus *Schlackenverd* obtinuit, atque, an. 1528. rebus humanis exemptus, filios duos ex *Hippolita C. ab Hohenloe* genitos post se reliquit: *Caspa-*

rum

vum videlicet & *Heinricum*. Illo, cui Domini in *Hauenſtein* titulus tribuitur; & *Eliſabetha B. de Wartenberg* nati ſunt *Fridericus, Dn. in Plan, Gotſchau & Schœnhof*, an. 1611. ἄπαις & mortuus; *Procopius*, qui in Belgio vitam amiſit; & *Heinricus*, pater ex *Anna Maria Vngnadia Caſpari*, Dn. in *Hauenſtein, Plan & Gotſchau*, mariti *Eliſabethæ Burggraviæ à Dhona*. *Heinricus*, Heinrici filius ſecundogenitus, *Schlackenwverd* cum dominio *Horrendorf*, quod in ditione *Joachimi* patruelis ſui fuerat, commutavit, & *Petſchau* quoque tenuit. Uxor ejus *Catharina C. de Gleichen* filios ei peperit *Georgium Erneſtum & Philippum*. Hoc genitus fuit *Heinricus Leopoldus*, qui num poſteritatem habuerit, non liquet. *Georgium Erneſtum Sidonia Columnia B. de Vols* filiorum duorum parentem fecit: *Heinrici* ſcilicet & *Friderici*; quorum *poſterior* cœlebs ætatem peregit. *Prior* ex *Anna Maria C. Salmenſi*, præter tres filias, (quarum duæ innuptæ deceſſere, *Maria Sidonia* verò *Ottoni Truchſeſſio C. in Fridberg* in manû convenit,) gnatum unicum ſuſcepit *Franciſcum Erneſtum*, Conſiliarium Aulico-Imperialem; qui *Receſſui Imperii* an. 1654. ſubſcripſit, & bis nuptias celebravit: primas cum *Maria Vngnadia, Davidis C. de Weiſſenvvolff* filia, ſecundas cum *Helena Maximiliana à Traudiſch, Wilhelmi Heinrici* agnati vidua; hæc

po-

postea *Francisco C. de Taff & Carlingfort*, Colonello & Camerario Cæsareo, genere *Britanno* nupsit.

10. E *priore* thoro *Francisci Ernesti* filium unicum prodiisse accepimus; is est

FRANCISCUS JOSEPHUS *Schlick C. in Passau & VVeissenkirchen, Dn. in Plan, Gotschau, Hauenstein, Kupferberg, VVellisch, Altenburg, Capitua & Ernstatt.* Hic, post amissam in Hispaniis sponsam, quæ *Pauli Sixti Trautsonii C. in Falckenstein* Legati Cæsarei & *Mariæ Catharinæ C. de Königseck* filia fuit, peregrinari fertur.

11. E *posteriore* conjugio *Francisci Ernesti* soboles terna, filiæ duæ, gnatus unicus, provenere; nimirum

LEOPOLDUS ANTONIUS JOSEPHUS *Schlick, Com. in Passau & VVeissenkirchen* &c.

Beatrix Eleonora Iosepha.

& *Ernestina Maximiliana Iosepha.*

12. *Scutum* Comitum Schlickiorum *quadripartitum* est: prima & quarta quadra continent *triangulum argenteum, ex angulis scuti rubei inferioribus in supremum capitis marginem lineis nonnihil curvatis ductum*, inscriptis *annulis tribus*, qui *in minio candent*, infimus in *argento rubeus* est, quod symbolum Dynastiæ *Passauensis* esse dicitur; secunda & tertia

cæ-

cærulea leonem aureum falculis anterioribus ædificium turritum templo simile tenentem exhibet, quod δάγμα est dominii *Weissenkirchensis*. *Toti* incumbit parmula *argentea, columnam, quam utrinque leo coronatus rubeus assilit*, repræsentans; hanc tesseram *familiarem* esse *Balbinus* censuit. *Galeæ* imponuntur *tres* coronatæ: prima *jugum alarum complicitarum rubearum* symbolo *Passanensi* ornatarum exhibet, secundæ insistit *leo rubeus*, tertia sustinet *inter jugum alarum cæruleārum, aureis flammulis distinctarum, leonem* Weissenkirchensem. *Phaleris* prima & secunda cassis *rubeis* & *argenteis*, extrema *aureis* & *cæruleis* exornantur.

CAP. XIII.

DE COMITIBUS A SINZENDORF.

ILlustris Historiographus Cæsareus *Galatius Gualdus*, *Comes Prioratus*, in præclaro opere Italico de vitis excellentium sago pariter & toga virorum, *Sinzendorfiæ* gentis originem ad *Ethiconem C. Altorfensem*, S. Conradi Episcopi Constantiensis fratrem, refert. Huic è clarissima *Agilolfingica* stirpe prognato *Bucelinus*, qui eam præcipuè excoluit, parentes tribuit *Heinricum Bavariæ Ducem*,

Germ. T. II. p. 281.

Ducem, *Alemanniæ Principem ac Comitem Altorfensem*, & *Attham C. ab Andechs & Hohenvvarth;* uxorem verò *Luitgardem*, *Pannonum Regis* filiam, è qua tamen prolem illum sustuliſſe negat; ſed ex una ancillarum ſuarum filiam, quam frater ejus *Rudolphus* cuidam nobili de Rhætia Curienſi cum largis prædiis copulaverit, genuiſſe è veteri ſcripto *Weingartenſis Anonymi* narrat. *Gualdus* conjugium *Ethiconis* ſicco pede præteriens id tantùm memorat, filium ei fuiſſe nomine *Guelphum*, quem, patre in tenera atque imbecilla ætate orbatum, *Rudolphus* ejus patruus, *Dux Bavariæ*, maxima patrimonii parte exuerit; *Conradus* autem, ſanctimonia clarus, alter, ceu dictum eſt, *Ethiconis* frater, ad meliorem fortunam extulerit, amplas ipſi in *Rhætia ſuperiore* poſſeſſiones comparando. Illum poſteà adulta ætate virginem opulentam & genere natam bono, *Dominam de Rappoltsvveiler* nuptiis ſibi adjunxiſſe refert, hocque è matrimonio *quinque* illuſtres familias prodiiſſe: I. *Comitum & Dominorum ab Arberg*, quæ è *Rhætia* in *Auſtriam* transgreſſa defecerit, II. *Dominorum ac Baronum de Raittenau*, quæ hodienum in *Sueviæ Rhætiaque* confiniis floret, III. *Dominorum de Watzenvviel*, quæ itidem in *Helvetia Burgundiaque* ſuperat, IV. *Dominorum ac Comitum de Sinzendorf*, V. denique *Dominorum ab*

Ehrenfels, quæ nunc etiam *Baronum de Schauenstein* titulo uti soleat: atque ea hausisse se testatur autor prælaudatus è veteri tabula Genealogica, quam *Wolfgangus Theodoricus à Raittenau Archiepiscopus Salisburgensis*, ex authenticis documentis concinnari curaverit.

2. Nobis verò, relictis reliquis, *Sinzendorfia* hîc loci curæ est, quam *Heinricus*, qui circa an. 1044. vixit, quemque *Guelphi* filium, *Ethiconis* nepotem, dicere temporum supputatio patitur; profeviſſe perhibetur, pater *Dieterici Domini de Sinzendorf*, qui Minister aut Curator Episcopatus Basileensis an. 1085. fuit, & *Heinricum* II. procreavit. Hunc Heinrico IV. strenuam in bello adversus Guelphum Bavariæ Ducem operam navasse, duosque filios genuisse ajunt: *Rudolphum* I. scilicet & *Johannem*. Ille, Conradi III. Imp. in expeditione Orientali comes, an. 1148. fatis concessit, relicto post se gnato *Heinrico* III. quem patruus *Johannes*, castra Leopoldi Victoriosi Marchionis Austriæ in Syria secutus, & post reditum in Germaniam aliquot prædiis in Austria, in meritorum mercedem, donatus, hæredem instituit; ea occasione *Heinricus* III. postquam ex Oriente, quò Fridericum Barbarossam comitatus fuerat, redux factus esset, in *Austria* domicilium fixit; ductaque ibi uxore, præter

ter alios liberos, filium suscepit *Conradum*, (à quo Cl. *Rittershusius* Genealogiam familiæ orditus est) patrem ex *Elisabetha de Tabag Ottonis*, qui Rudolpho I. Augusto adversus Ottocarum Regem Bohemiæ & Austriæ Tyrannum fortem operam præstitit, filiumque habuit *Conradum* II. Hic è *Catharina Enenckl* filios quinque genuit, inter quos *Johannes* stirpem propagavit, avus *Leonhardi*, quem *communem parentem*, in familiæ hodiè viventes, agnoscunt: à filiis enim *Laurentio* & *Rimperto*, quos ille, præter alios aut ἀπαιδας, aut posteritatis parum duraturæ, genuit, *lineæ duæ*, quibus jam Sinzendorfii distinguuntur, ortæ sunt: *Feureccenses* scilicet, quæ nunc *Ernstbrunnenses* appellatur, & *Fridavienses*, hodiè *Neoburgenses* dicta.

3. *Ernstbrunnenses* linea, ab arce *Ernstbrunn* sic nominata, *Rogendorfensem* Dynastiam, quæ in numero illarum est, quas Austriaca domus eximit, Cæsarea liberalitate obtinuit; *Rineccensem* etiam *Burggraviatum* (qui à castro hujus nominis in tractu *Rheni inferioris*, haud procul ab Andernaco siti, dictus, atque adeò diversus à *Comitatu Rineccensi* ad *Mœnum* est; licet à Scriptoribus communiter confundantur, quod *Limnæo* etiam accidit,) titulo mihi incomperto acquisivit; ejus autem respectu *Rudolphum C. Sinzendorfium* in ultimo *Imperii* I. P. L. 4. c. 4. § 80. & T. IV. addit. ad l. 4. c. 7. p. 516.

Receſſu inter *Weſtphalicos* Comites enumerari ſuſpicor, cum ejus conſanguinei in *Suevicorum* catalogo occurrant: illum enim ſolum titulo *Burggravii Rineccenſis* uſum eſſe reperio, licet is in ſubſcriptione dicti *Receſſus* omiſſus fuerit. *Laurentius*, lineæ autor, è *Dorothea von Mos zum Weiher* filiorum trium pater factus eſt: *Leopoldi* ſcilicet, *Wolfgangi* & *Leonhardi*; priorum poſteritas citò defecit. *Leonhardo* & *Anna ab Harrach* geniti ſunt *Fridericus*, *Johannes*, *Tiburtius* & *Joachimus*. E quibus *primus* ac *tertius* prole caruerunt; *Johannes* liberos quidem, ſed nepotes è filiis nullos habuit; *Joachimus* legatione Turcica, quam ſumma conſtantiæ ac dexteritatis laude obiit, celebratus, cum *Maria Ruberia* uxore ſua, præter alios, *Leonem* & *Auguſtum* genuit: ille nullos ex *Anna Maria Tieffenbachia* liberos ſuſcepiſſe fertur; hic verò ex *Eliſabetha à Trautmansdorf* quinquies pater factus, filiarum duarum, *Evæ Mariæ & Eliſabethæ*; quarum illa *Philippo C. ab Hardeck* elocata fuit, hæc exeunte an. 1681. *Ratisbonæ* innupta deceſſit. Filii tres fuere, videlicet *Johannes Joachimus*, *Sigiſmundus Fridericus*, & *Rudolphus*.

4. *Johannes Joachimus*, cùm ad *Romana* ſacra deflexiſſet, magnam in aula Cæſarea autoritatem conſecutus eſt; inter *Cubicularios* & *Secretorum arbitros* à Ferdinando III. coopta-

ptatus, denique *Cancellarii Supremi* munere ornatus. Matrimonium bis contraxit: primum cum *Maria Salome B. à Polheim*, qua natus fuit an. 1644. *Augustus*, *Camerarius Cæsareus & Regiminis Austriaci inferioris Consiliarius*, maritus *Theresiæ Palfiæ*, (quæ *Paulum Ungariæ Palatinum* & *Franciscam Khuuin de Belasii C. de Liechtenberg* parentes habuit, & vidua facta *Ferdinando degli Obizzi* Marchioni Italo, ob sævitiam vindicati matris parricidii & capturam *Wilhelmi Pr. Furstenbergici* famigerato, nupsit,) sed an. 1676. d. 10. Oct. ἀπνυς vitâ defunctus. Secundis nuptiis *Johannes Joachimus* sibi junxit *Mariam Maximilianam Theresiam C. ab Althann*, cum qua aliquot utriusque sexus liberos genuit, è quibus filiam unicam, gnatos quatuor patri, an. 1665. d. 11. Nov. vivis exempto, superfuisse accepi; mater posteà *Antonio Francisco Comiti Colalto* in manum convenit.

5. *Sigismundus Fridericus* ætatem in *cœlibatu* peregit, atque ad annum 1679. produxit; bonorumque suorum, quæ parcè, continenter ac sobriè vivendo accumulaverat, hæredem, sed *fideicommissarium*, instituit filium primogenitum *Rudolphi* fratris sui. Hic unà cum Sigismundo *Evangelicam* religionem perseveranter coluit, nihilo tamen secius prudentia sua & rerum usu, in aula

Imperatoris auctoritatem sibi constituit; namque inter *Consiliarios Judicii Imperialis Aulici* locum habuit, multisque legationibus ad Danos, Batavos & Imperii Ordines præclarè functus est. Exuit mortalitatem an. 1677. d. 2. Sept. multa sobole, quam ex *Eva Susanna C. à Zinzendorf* genuit, post se relicta.

6. In altera linea *Reimpertus*, ejus conditor, è conjuge tertia *Margarita Schelia de Mulgast*, *Pilgramum* suscepit, patrem è *Mathilde Geymannia* filii *cognominis*, quo & *Susanna Trautmansdorfia* nati sunt, *Johannes Carolus*, *Maximilianus* & *Georgius Ludovicus*. Ex his *primus* è *Rosina Sabina Polheimia* pater factus est filii, ceu accepimus, unici, superstitis; *alter* vitæ munere ἄγαμος perfunctus est. *Tertius* in aula *Leopoldi Augusti* clarus ac præpotens fuit, *Eques Aurei Velleris*, *Secretorum particeps* & *Camera Aulicæ Præses*, quibus tamen dignitatibus cunctis excidit, postquam per sententiam an. 1680. d. 9. Oct. latam criminum *falsi*, *concussionis*, *peculatus*, *perjurii*, *repetundarum*, *neglecti & malè administrati officii* damnatus & aula discedere jussus fuit; qua calamitate magna etiam bonorum ejus pars in fiscum redacta est, præcipuè *Neoburgum ad Oenum*, quod à Comitibus *Salmensibus* pretio sibi comparaverat; nuncque *Comiti Colalto* pro summa

400.

400. mille florenorum traditum esse *novellæ* retulerunt. Dominium etiam *Thanhausen* acquisivit, cujus respectu Ordinibus *Circuli Suevici* adscriptum eum vidi. Haud diù verò tristi huic mutationi superfuit, sed anni sequentis d. 14. Dec. ad plures se penetravit. Nuptias bis celebraverat: primas anon 1639. cum *Anna Regina B. Jorgeria*, vidua *Maximiliani L. B. à Landau*, secundas an. 1661. cum *Dorothea Elisabetha*, *Philippi Ludovici D. Holsatiæ* è linea *Sunderburgica* filia; è priore nullos, ex altera tres liberos sustulit.

7. Cæterùm ad pristina familiæ decora, inter quæ *Pincernatus Hæreditarius in Austria superiore* referendus, novum hoc seculo accessit, cùm instituto per *pacem Westphalicam* octavo Electoratu cum munere *Archi-Thesaurarii*, *vices* ejus *Sinzendorfiæ* genti jure perpetuo assignarentur, illaque inimul in ordinem *Comitum S. R. Imp.* eveheretur.

8. Reliquum est, ut *superstites* è familia recenseam, inchoando à linea *Ernstbrunnensi*.

JOHANNES WEICARDUS, S. R. *Imp. Thesaurarius Hæreditarius Comes de Sinzendorf, L. B. in Ernstbrunn, Dn. in Rogendorf & Peckstall, S. Martinsberg & Teutschen Prodersdorf, Pincerna Hæredi-*

tarius Austriæ supra Anasum, S. Cæs. M. Camerarius, filius *Johannis Joachimi* & *Mariæ Maximilianæ C. ab Althann*, ἄγαμος est.

9. Fratres in vivis tres habere dicitur, nempe

I. *Adolphum.*

II. *Michaelem Wenceslaum*, cui an. 1682. m. Julio filia *Caroli Maximiliani*, *C. Lazansky* Regni Bohemiæ Vice-Cancellarii, & *Mariæ Maximilianæ Aureliæ Sternbergiæ* desponsata fuit.

III. *Iohannem Ioachimum.*

10. *Maria Maximiliana*, illorum soror germana, innupta adhuc esse fertur.

11. THEODORUS, S.R.I. *Thesaurarius Hæreditarius, & Burggravius in Reineck, C. in Sinzendorf, L.B. in Ernstbrunn, Dn. in Rogendorf & Peckstall, S. Martinsberg, Pincerna hæreditarius Austriæ supra Anasum*, susceptus in lucem an. 1657. d. 15. Nov. à *Rudolpho* & *Eva Susanna Zinzendorfia*; uxorem nondum duxit.

12. *Fratres* ei tres sunt:

I. *Otto Heinricus*, n. an. 1663.

II. *Sigismundus Rudolphus*, n. an. 1670.

III. *Augustus Iohannes*, n. an. 1671.

13. *Sorores* octo: I. *Anna Elisabetha*, n. an. 1659. nupta *Heinrico I. Juniori Rutheno*

in

in Schlaiz an. 1680. & hoc ipso an. 1683. vivis exempta.

II. *Susanna*, n. an. 1660.

III. *Maria Isabella*, n. an. 1661.

IV. *Renata Dorothea*, n. an. 1662.

V. *Anna Appollonia*, n. an. 1667.

VI. *Mariana*, n. an. 1669.

VII. *Anna Maria*, n. an. 1673.

VIII. *Maximiliana*, n. an. 1675.

14. Ex *altera linea* supersunt CAROLUS LUDOVICUS, S. R. I. *Thesaurarius Hæreditarius C. de Sinzendorf, L. B. in Ernstbrunn, Pincerna Hæreditarius Austriæ supra Anasum, S. Cæs. M. Camerarius & Consiliarius Aulico-Imperialis*, nat. an. 1652. parentibus *Johanne Carolo & Regina Sabina Polheimia.* Conjugem habet è *Limburgiorum de Styrum* stirpe, *Adolphi C. de Styrum & Isabellæ C. de Vehlen* filiam.

15. CHRISTIANUS LUDOVICUS IGNATIUS, S. R. I. *Thesaurarius Hæreditarius, C. de Sinzendorf in Thanhausen*, filius *Georgii Ludovici & Dorotheæ Elisabethæ Holsatæ*, hausit auram vitalem an. 1669. d. 4. Januar.

16. *Philippus Ludovicus VVenceslaus Franciscus Antonius Bonaventura Stephanus*, illius frater, an. 1671. d. 26. Dec. in lucem prodiit.

17. Utrumque nascendi sorte antevenit soror, quam unicam habent, *Maria Leopoldina Ludovica*, nata an. 1666. d. 11. Apr.

18. *Insignia familiaria* Comitum Sinzendorfiorum constant *scuto transversim secto, superiore parte cœruleo, inferiore rubeo*, insertis *tribus quadris oblongioribus argenteis: quarum una sectionis lineæ mediæ in superiore parte incumbit, reliquæ duæ inferius ad latera ei inhærent:* capiti scuti, post acceptum *Thesaurarii* munus, *coronam* imponere cœperunt *Imperialem*. Tegitur autem clypeus communiter *corona*, qualem feciales *Comitibus* tribuunt.

CAP. XIV.

DE COMITIBUS A SULZ.

INter illustriores Sueviæ familias jam ab aliquot seculis *Sulzia* inclaruit, quam *Bucelinus* ad *Alvicum* quendam, qui circa an. 910. vixit, refert; justam verò, neque interruptam ab eo stirpis seriem enumerare nequit. Ab *Hermanno* demum, qui *Junior* cognominatus fuit, & Rudolphi Imp. gratia floruit, certa atque integra manat deductio: hoc enim genitus est *Albertus*, pater *Rudolphi*, avus *Hermanni*, qui cum *Margarita* C. ab Ho-

Germ. T. IV. p. 269.

hen-

henberg genuit *Rudolphum*, à quo *Rittershusiana tabula* initium ducit. Is an. 1418. satis concessit, & per conjugium *Ursulæ*, *Johannis IV. Comitis Habspurgo-Laufenbergici* filiæ unicæ, *Kletgoviam* obtinuit; quæ olim *Comitatus*, nunc verò *Landgraviatus*, sed *Principali dignitate non insigniti*, (ceu *Limnæus* monuit) titulo gaudet, atque à Scaphusia juxta Rhenum ad quatuor milliaria versus Waldshutam, ad Nigræ Sylvæ finem, protenditur. I. P. L. 4. c. 4. §. 79.

2. *Rudolpho* filii præcipuè tres nati sunt, *Alvicus*, *Johannes* & *Rudolphus*. Posteriores duo liberos quidem genuerunt, sed maximam partem immatura ætate extinctos, nec nisi filia unica utriusque vitæ superfuit: & *Johanni* quidem *Margarita*, *Friderico C. de Lupfen* elocata; *Rudolpho Praxedis*, *Georgio C. ab Hohenloe* nupta. *Alvicus* verò stirpem propagavit, induxitque penatibus suis *Verenam*, *Ulrici L. B. de Brandis* filiam; quæ ei Dynastias *Vaduz*, *Schellenberg* & *Blumeneck* in dotem attulit, quas eorum posteri partim *Comitibus ab Hohenembs*, partim cœnobio *Weingartensi* vendidere. Par matrimonii felicitas *Alvici* hujus abnepoti *Carolo Ludovico* obtigit, quippe qui ducta *Dorothea Catharina*, *Adolphi C. à Sain* filia, ex hæreditate Sainensi *Montelar*, & *Münzburg*, in confiniis Trevirorum & Lotharingorum sita, atque à Sircana familia in Sainensem translata, natus

ctus est; pater aliquot utriusque sexus liberorum: inter quos eminuere filii duo, *Alvicus*, & *Carolus Ludovicus Ernestus*; illo natus est *Ulricus*, an 1650. rebus humanis exemptus, qui num ex *Anna Catharina C. ab Hohenembs* uxore sua prolem susceperit, haud satis liquet; masculà certè progenies nulla ex eo superat.

3. *Carolus Ludovicus Ernestus* an. 1648. vitam cum morte commutavit, bis maritus: primò *Maximilianæ* patruelis suæ, secundò *Mariæ Elisabethæ C. ab Hohen-Zollern*: hæc multorum liberorum mater facta est, inter quos gnati duo, filiæ tres ad justam ætatem pervenerunt; harum nomina hæc sunt: *Maria Elisabetha*, quæ num vitali aura adhuc fruatur, compertum non habeo; *Maria Catharina*, *Johannis C. à Montfort* uxor, & *Maria Theresia*, *Abbatissa Buchoviæ*, am *Feeder-See*. E filiis minor natu *Christophorus Alvicus*, *Canonicus Colonienſis & Argentinenſis*, vivere desiit: alter unicum, quod restat, familiæ columen nunc est, hocque nomine ac titulo cluit.

4. JOHANNES LUDOVICUS, *Comes in Sulz, Landgravius Kletgoviæ, Dn. in Thungen, Montelar, Münzburg & VVutenthal, S. R. Imp. Hæreditarius Aulicus Iudex Rotvvilenſis*, (quod munus si non ab

eo

eo tempore, quo Conradus III. Imp. tribunal *Rotvvilæ* instituit, ut id *Suevico*, *Franconico*, *Austriaco* & *Rhenano* Circulis jus diceret, sanè tamen jam diù in familia Sulzia hæsit) & hoc tempore *Comes convocans*. Conjugium secunda vice inivit: primùm cum *Maria Elisabetha*, *Johannis Georgii C. à Kœnigseck in Aulendorf* & *Leonoræ Hohenembsiæ* filia, deinde cum *Eugenia Maria Francisca*, *Philippi Theodori C. in Manderscheid & Keil*, ex *Elisabetha Amalia Lövvenhauptia* gnata. E *priore* suscepit

I. *Mariam Annam*, nuptam *Ferdinando Wilhelmo Eusebio*, *Comiti* nunc *Principi Schvvarzenbergico*, cui hæreditatem ditionum à patre destinari accepi, quamquam *Principi* etiam *Dietrichsteinio* expectativam in Comitatum Sulz datam esse à Viro illustri ac fide digno me audivisse memini.

II. *Iohannem Antonium Eusebium*, intra pueritiæ annos extinctum.

III. *Mariam Theresiam Felicitatem*, an. 1678. mortuam.

IV. *Claudiam*, quam vivis itidem excessisse ferunt.

5. *E posteriore* thalamo prolem unicam sequioris sexus, duodecim circiter annorum, superstitem esse, eamque pecuniæ præsentis, quam non mediocrem esse ajunt, vasario-

rum

rum ac suppellectilis paternæ hæredem aliquando fore narratum mihi fuit. Defunctorum liberorum hanc syllogen *Bucelinus* recensuit:

I. *Franciscus Ludovicus*, n. an. 1662. in infantia mortuus.

II. *Leonora Felicitas*, n. an. 1664. †.

III. *Mauritius Antonius Iosephus*, n an. 1666. †. 1671.

IV. *Franciscus Antonius Rudolphus*, n. an. 1667. †. 1671.

V. *Carolus Ludovicus Antonius*, n. an. 1670 † 1671.

Spen. Op. Har. l. 3. c. 35.

6. *Scutum* Comitis de Sulz *quadripartitum est*: 1. & 4. area *transversim ex argento & cocco distincta*, *tribus cuspidibus rubeis ascendentibus*, *in caput scuti argenteum*, Comitatum *Sulzium* denotat; 2. & 3. *argentea* continet *titionem nigrum*, *ardentem*, *diagonaliter positum*, qui *Brandisiæ* gentis σῆγμα exhibet. *Cassides* incumbunt *duæ coronatæ*: prior *Sulzia* cum *tiara Episcopali*, *cuspidibus scutariis*, *argenteis & rubeis* distincta; posterior *Brandisia*, cum *erecto titione nigro ardente*. *Laciniæ* circumfluunt hinc *rubea* & *argenteæ*, isthinc *argenteæ* & *nigræ*.

CAP.

CAP. XV.

DE COMITIBUS A TILLY.

T*Serclaesii*, à quorum stemmate *Comites de Tilly* sanguinem ducunt, Belgicæ sunt originis, & teste *Joh. Carpentario*, in *septem familiarum nobilium* sive *patriciarum* numero *Bruxellis* habentur. Integram ejus & continuam Genealogiam tabulis duabus Cl. *Rittershusius* recensuit, exorsus à *Gideone Tserclaesio* Equite, *Domino in Osteel, Berun & Marienhoven*, qui *Catharinam d'Orley, Domicillam in Gulpen*, in matrimonio habuit, atque an. 1064. è vivis excessit. Ejus posteri per longum temporis spatium titulo *Dominorum in Osteel, Berun, Marienhoven & Gulpen* usi sunt, usque dum seculo decimo quinto eum cum *Dominorum de Cruychenburg* titulo commutarent. Deinceps cùm per conjugium *Catharinæ Tserclaesiæ*, quæ *Everardi* Equitis filia unica fuit, dominium *Cruychenburg* in familiam extraneam transisset, *Dominorum de Tilly & Montigny* titulus successit; quem primus usurpasse legitur *Joh. Tserclaes, Everardi* modò dicti frater. *Hist. de Cambr. Part. 2. p. 398.*

2. *Johannis Domini de Tilly & Montigny* è filio cognomine nepos *Jacobus*, ducta *Maria de Bossimel*, *Ludovici* ultimi suæ gentis & *Mech-*

Mechthildis de Blehem filia, Dynastiam *Ballast* cum munere *Senescalli Hæreditarii Comitatus Namurcensis* stirpi suæ intulit: eo natus fuit *Martinus*, qui conjugem sibi delegit è gynecæo Mariæ Reginæ Ungariæ, & post mariti Luovici II. Regis fata Belgii Gubernatricis; nempe *Dorotheam à Schierstedt*, *Mainhardi*, qui in prædicti Regis aula Marescalli munus obiit, è *Dorothea â Gersdorf* filiam. Ex hoc conjugio prodiit par fratrum clarissimorum, *Jacobus* & *Johannes*, uterque abundans bellicis laudibus, & meritis in domum Austriacam inclutus; licet natu minor majorem sicut vitæ usura diuturniore, ita & rerum gestarum amplitudine, & fama nominis superaverit.

3. *Jacobus* Rudolpho & Matthiæ Imperatoribus strenuam navando operam gloriam adeptus, sed an. 1624. vita defunctus est. *Johannes* in exercitu *Ligæ Catholicæ*, sub Maximiliano Bavariæ Duce, qui summus erat Imperator, *Legati* munia obiit; posteà exautorato an. 1630. in comitiis Ratisbonensibus Waldsteinio, summa armorum Cæsareorum ipsi, ob res dextrè non minùs ac prosperè hactenus gestas, delata, belliq; adversus Suecos dirigendi provincia demandata fuit; in qua quidem non eâdem, qua prius felicitate usus est, sed post excidium Magdeburgicum, ubi fortunam non satis

satis reverenter habuisse culpatur, adversitatesvelut manufacta in sese ingruere sensit; donec an. 1632. d. 5. Apr. extremam in Vindelicia ad *Rainam* trans *Lycum* stragem passus, & ictu sesqui libralis machinæ femore transverberato saucius, *Ingolstadiumq;* deportatus, post aliquot dies bellacem ibidem animam exhalasset. Hæreditatem bonorum, quæ in *Bavaria Austriaq;* acquisiverat, adiit *Wernerus Tserclaesius*, Jacobi fratris sui filius secundogenitus; cujus proavia materna sata erat sanguine Divi Imperatoris Maximiliani: habebat enim *Jacobus* in conjugio *Dorotheam*, *Maximiliani C. Frisiæ Orientalis*, qui *Johanne* & *Dorothea Austriaca*, *Maximiliani Augusti* filia *naturali*, natus erat, gnatam.

4. *Johannes*, Werneri frater major natu, patri in avitis bonis *Belgicis* successit, & per uxorem *Mariam Theresiam Montmorancianam* stirpem in Belgio propagavit. *Wernerus* S. Cæs. M. & El. *Bavariæ Camerarius*, *Consiliarius bellicus*, *legionis Peditum & urbis Ingolstadiensis Præfectus*, loca ex hæreditate patrui accepta ornavit; & præter alia castrum *Volckersdorf*, haud procul ab oppido Ens dissitum, atque à familia penes quam quondam fuit, quæque nunc defecit, nominatum, instauravit, & à cognomine suo *Tillysburg* dixit Matrimonium contraxit

cum *Franciſca Barbara*, *Caroli Pr. de Liechtenſtein* filia, è qua gnatos quatuor, filias duas ſuſcepit; harum altera *Maria Franciſca* innupta deceſſit, major natu *Eliſabetha Appollonia* primis nuptiis *Ferdinando Joſepho Poppelio C. de Lobkovviz*, Supremo Regni Bohemiæ Præfecto, ſecundis *Alberto Wilhelmo Krakovvsky C. de Kolovvrath*, qui eodem nunc munere in Bohemia fungitur, in manum convenit, & fatis itidem conceſſit. Inter filios Werneri primogenitus *Franciſcus Andreas* præmaturè vita caruit, ſecundus *Erneſtus Emericus* patri ſucceſſit, & *Cubicularius Cæſareus* fuit. Matrimonium ejus tenuit primò *Clara Catharina Maria*, *Johannis Maximiliani C. à Lamberg* filia, deinde N. *Baroniſſa ab Haslang*; naturæ verò debitum explevit an. 1675. d. 22. Apr. relictis poſt ſe liberis quatuor; è quibus duo ſequioris ſexus cum filio è ſecundo conjugio, alter gnatus, isque unicus, è primo provenerunt.

5. Hic eſt ANTONIUS FERDINANDUS JOHANNES, *Comes de Tilly & Breitenegk, Baro de Marbay, Montigny, Neuvfille & Ballaſt, Dynaſta in Helfenberg, Holnſtein, Hohenfels, in Freyſtatt, in Tillysburg, VVeiſſenberg, Traun, Plein & Reichersdorf*; ex ephebis nondum exceſſiſſe fertur, vivitque ſub tutela *Franciſci Joſephi C. de Lamberg* avun-

avunculi sui, necnon *Christophori Leopoldi C. de Thürheim.*

6. *Frater* ejus *consanguineus*, è secundo Ernesti Emerici conjugio natus, *Ferdinandi Laurentii Francisci Xaverii* nomen habet.

7. *Damianus Helfridus C. de Tilly* &c. illorum patruus, in *Camerariorum Ser. Electoris Bavariæ* numero est, & cœlibatum colit.

8. *Ferdinandus Paulus*, ejus germanus, monasticam amplexus, Ordini *S. Caëtani* nomen dedit.

9. *Scutum* Comitum de Tilly ita in *Fursty* armario delineatur, ut in *simplici & minio tincto leo argenteus cauda bifida auro coronatus* conspiciatur, cujus *pes sinister anterior, parsq; pectoris parmula obtegitur, quæ transversim secta, parte superiore sex tessellas nigras & argenteas duplici striga continet, inferiore auro fulget. Galea* imponitur *unica coronata*, è qua *aquila aurea coronata alis expansis* surgit, cui *ab utroque latere additum est vexillum rubeum, aurea pertica suspensum, dextrum leone aureo, sinistrum capite humano pileo tecto insignitur. Phaleræ rubeæ* sunt & *argenteæ.*

10. Annumerantur Comites à Tilly *Circulo Bavarico*, respectu scilicet Dynastiæ *Breiteneccensis*, quam in *Comitatum* evectam beneficio Electorum Bavariæ tenent.

CAP. XVI.

DE COMITIBUS A TRAUN.

NOtissima ac pervulgata historiola est, quam clarissimus rerum Boicarum scriptor *Aventinus* recenset, quæque haud procul à Sulzbaco, in sacello *Siebeneichensi*, eleganter depicta atque descripta est, (ceu à Viro in studiis doctrinæ multi ac celebrati nominis *Chr. Arnoldo*, oculato teste, accepi) de *Babone, Comite in Abensperg & Rohr, Burggravio Ratisbonense, Ottonis C. Schirensis*, à quo *Comites Palatini Rheni & Bavariæ Duces* descendunt, fratre πολυτέκνῳ, *quadraginta* scilicet *liberorum*, è duplici, eoque legitimo matrimonio susceptorum, parente. Inter hos *duo & triginta mares* erant, quos bene educatos, optima indole, ingenuisq; virtutibus præditos pater vir fortis ac providus Imperatori Heinrico II. captata solicitè occasione, insimul exhibuit, ac commisit. Tam egregius pulchræ ac sobolis globus convertit in se os oculosque Cæsaris, ita ut blandè singulos compellaret, sibi adjungeret, fideque ac virtute eorum cognita ad amplas dignitates eveheret.

2. Enim verò ortæ sunt ab illis complures illustres in *Nortgoja, Franconia, Carinthia, Bava-*

Bavaria & *Rhenano tractu* familiæ; sed maximam partem iterum extinctæ: & *Eberhardus* quidem *Abenspergios* profeviſſe memoratur, è quibus etiam *Comites in Roteneck* & *Hilpoltſtein* prodierunt; quorum poſtremus *Nicolaus Abenſpergius* fuit, *Marthæ à Werdenberg* maritus, à Chriſtophoro Duce Bavariæ, cum quo hoſtilitatem exercebat, an. 1485. interemptus; cujus ditionem, inprimis Dynaſtiam *Abenſpergiam* Albertus Dux Bavariæ, Chriſtophori frater, partim beneficio Imperatorum, partim via argentaria nactus eſt. Porrò *Dietmarus* condidiſſe perhibetur ſtirpem *Comitum de Leonberg ad Yſaram*, *de Leuberg ad Oenum*, *de Dornberg* prope Mulbergam, clade Friderici Pulchri Auſtriaci nobilitatam, & *de Lungau* in Carinthia: ea ſub initium ſeculi XIV. exaruit. *Abbo* Comitum *de Burckhauſen & Schall* in Auſtria autor fuit, qui parùm ultra ſeculi ſpatium durarunt. Præterea à *Wezilo Equites de Freidenberg* in Bavaria, ab *Hartvvigo* Comites *de Pogen & Windtberg* (ad quos hodierni Comites *ab Arcu* ad lacum *Benacum* originem referunt) à *Ruperto Landgravios in Steffaning & Stauff* ad *Reginum*, *Comites de Riettenburg*, *Lengfeld*, *Calmünz & Ror* derivant. Horum ampliſſimæ fuere ditiones in *Bavaria*, *Franconia*, *Voitlandia* & *Auſtria*; tenueruntque Cæſarum beneficio *Ratisbonenſem Burggra-*

viatum, sed sub initium seculi XIII. defecerunt. Ab *Erckenberto* Comites *de Byburg* in Bavaria & *Stein* ad Nortgoiam prognati sunt, è quibus *Conradus* & *Arbo* cœnobium *Byburgense* fundarunt, cujus primus Abbas *Eberhardus* fuit, illorum frater, posteà anno 1147. ad *Archiepiscopatum Salisburgensem* provectus, *Advocatus* autem *Ulricus*, eodem sanguinis nexu cum fundatoribus conjunctus, qui à castro *Hilpoltstein* ad Nortgoiam, quod in partitione ditionum paternarum sortitus erat, *Comes in Stein* dicebatur; cujusque posteri sub finem seculi XII. extincti sunt, castro *Hilpoltstein* per connubium ad *Abensbergios* devoluto. Sed de illis omnibus prolixè *Hundius*, in principio commentariorum suorum *de familiis Bavaricis*, egit.

3. *Wolframus* denique, quem itidem inter *Babonis Abensbergii* filios numerant, eorum qui hodiè *Comites ab Abensperg & Traun* appellantur, & de quibus hîc sermo est, autor extitit: is enim, præter *Conradum* Episcopum Salisburgensem, an. 1147. mortum, & *Wolframum* II. cujus posteritas in tertio gradu defecit, *Ottonem* quoque genuit, *Dominum à Traun*; quod castrum ad fluvium cognominem supra Lintium situm, nuncque in *Comitum de Tilly* ditione est; ejus posteritatem justa serie *Rittershusius* tabulis duabus enumeravit.

4. Qui

4. Qui hodiè ex ea supersunt, *communem parentem* agnoscunt *Wolfgangum*, decimo gradu ab *Ottone* prædicto distantem, patrem è *Clara Freybergia Johannis & Michaëlis*, à quibus in ramos duos, *Eschelbergicum* & *Meissavicum*, stirps *Traunia* abiit. E priore viventes *Johannis* abnepotes sunt, duobus fratribus nati, videlicet: *Carolus Ludovicus*, *Ottonis Maximiliani & Rebeccæ Schrattin* filius, *Esthera ab Eggenberg*, quæ antea *Johannem Christianum L. B. Geyer* in conjugio habuit, maritus; *Otto Laurentius*, illius frater, cui, post *Annam Dorotheam L. B. Geyeriam de Geyersperg*, *Evæ Susannæ*, *Ferdinandi C. Ruberi* filia, in matrimonium ducta est; nec non *Iohannes Wilhelmus*, *Johannis Cyriaci & Susannæ Mariæ Zinzendorfiæ* filius, qui *Dorotheam*, *Ottonis L. B. Teuffel* filiam, connubio sibi junxit, aliquot liberorum diversi sexus pater ex ea factus; è quibus filiam pronuper *Baroni à Berg*, cui *Baro Hocher Cancellarius Cæsareus* avus maternus fuit, nuptui locavit.

5. In linea *Meissavica* vixit circa initia seculi, quo agimus, *Sigismundus Adamus*, *Michaëlis* abnepos, Ferdinandi II. Imperatoris *Aulæ Mareschallus*, qui ex *Eva Polheimia* filios præcipuè tres, à quibus stirps propagata fuit, suscepit, nempe: *Johannem*

Christophorum, *Ernestum* & *Ehrnricum*. Primus filium post se reliquit *Sigismundum Godofredum*, *Ursulæ à Greiffenberg* natum, *Margaritæ Gaymanniæ* conthoralem. *Ehrnricus* cum *Regina Christina L. B. à Zinzendorf* aliquot genuit liberos, in tabula notatos; è quibus superstites sunt filius unicus *Otto Ehrnricus*, qui *Mariam Christinam*, *Christophori L. B. de Zinzendorf* gnatam, in matrimonio habet; & filiæ duæ, *Regina Iustina*, & *Eva Isabella*, quarum *hæc* monasticam amplexa est, illa, post prioris mariti *Bartholomæi C. Kevenhulleri*, cui an. 1663. in manum convenit, fata, an. 1681. *Gotthardo Helfrido L. B. à Welz*, Viro eleganti, non horum tantum studiorum, sed omnium disciplinarum, quæ illustri sanguine cretum ornant, scientia, magnoque ingenio prædito, Fautori nostro, (de quo verè dicere possum, quod ille apud Comicum: *quanti est sapere? nunquam accedo ad te, quin abs te abeam doctior.*) nupsit.

6. *Ernestus* magna in aula Cæsarea autoritate, multisque muneribus, quibus præclarè defunctus est, floruit, & novum decus familiæ intulit, dum ob merita à Ferdinando III. Augusto S. R. I. *Comitis* axiomate auctus fuit; emptoque deinceps ab Austriaca domo pretio XXX. mille florenorum

rum dominio libero *Eglof*, in *Suevia* ejusque *districtu tertio* sito, cum omnimoda jurisdictione, *jus suffragii ac sessionis* inter Ordines *Circuli*, *Suevici* pro se posterisque suis masculis an. 1662. *Ulmæ*, in diæta ibi habita, obtinuit. Conjugium contraxit cum *Catharina Ursula B. Weberia*, quæ quatuor liberorum parentem eum fecit; sed duo maturè decesserunt, totidem diversi sexus parentibus superstites manserunt: explevit autem *Ernestus* fatorum legem anno 1668. d. 18. Nov. cùm anno 1667. d. 18. Maji conjugem amisisset.

7. FERDINANDUS ERNESTUS, *Comes in Abensperg & Traun, Dn. in Eglof, Meissau, Praunsberg, VVolfpassing & Puckfluss*, *Ernesti* filius superstes, hausit auram vitalem an. 1647. Domicilium in castro *Puckfluß* instituit, quod quinque milliaribus Vienna distat. *Petronellam*, sexto à Vienna lapide Ungariam versus sitam, (quam olim amplam fuisse civitatem, *Carnuntum* dictam, *Zeiler*[9] è *Lazio* refert) & ex hæreditate materna acceptam, elegantissima arce, insanis sumptib[9] extructa, sed nuper à Barbaris in primo belli Turcici impetu incendio deleta, ornaverat. Thalamo sibi junxit an. 1668. d. 22. Jul. *Julianam*, *Caspari C. Frangipani* & *Evæ Forgatschiæ* filiam, quæ liberorum duorum diversi sexus mater hactenus facta est. *Add. ad Topogr. Circ. Austr. p. 12.*

8. *Margarita*, Comitis Traunii soror unica, an. 1649. lucem aspexit, & an. 1667. d. 6. Mart. *Ferdinando de Longueval C. de Buquoy* nupsit.

9. *Scutum* Trauniæ familiæ *ex argento & nigro bipertitum* est, galeaq; *coronata*, quæ *alas argenteas & nigras* sustinet, tegitur.

CAP. XVII.

DE COMITIBUS A TRAUTMANSDORF.

ILlustrissimam *Trautmansdorfiorum Comitum ac Baronum* familiam è *Tyrolensi* Comitatu originem trahere *Frider. Ad. Comes à Brandis* tradit. Stirpem *Bucelinus* ab *Alberto Stüchs de Trautmansdorf* derivavit, qui circa an. 1260. vixit, filiumque habuit *Herrandum* I. patrem *Herrandi* II. avum *Nicolai*, proavum *Ulrici*, à quo stemma gentis, quod tabulis tribus in *Spicilegio Rittershusiano* recensui, initium ducit.

Tirol Ab. Ehrentr. p. 94. Germ. P. 3. p. 239.

2. *Ulrico* & *Catharina ab Altenburg* nati sunt, præter alios, *Herrandus* III. & *Andreas*, in quibus prima familiæ divisio contigit; *posterioris* autem progenies, etiamsi in varios abierit ramos, defecisse videtur. Ab *Herrandi* filiis, *Leopoldo*, *Wilhelmo* & *Johanne*, lineæ tres ortæ sunt: è quibus illa, quam *Wilhel-*

helmus condidit, extincta est. *Leopoldus* eorum, qui in *Tyrolensi* Comitatu possessiones habent, sator extitit: inter quos *Ehrnricus*, ejus pronepos, hoc seculo munus *Capitanei Provincialis ad Athesin* obiit, atque ex uxore *Paula Regina L. B. de Spauer* filios post se reliquit *Christophorum* & *Franciscum*; quorum posterior *Brigittam Dorotheam C. ab Arz* in matrimonium duxit.

3. *Johannis* posteritas latiùs se diffudit. Ab ejus filiis, *Davide* & *Ehrnrico*, rami duo propullularunt; num autem è *posteriore* propago superet, exploratum non habeo. *David* ter maritus, multæque prolis pater fuit, è qua *Johannes Fridericus* & *Joh. Hartmannus* stirpem propagarunt. *Hujus* progenies vivit in ejus pronepotibus, ab *Adamo Maximiliano*, ex *Engelburgi Hageria* & *Regina Catharina Windischgrätzia* prima & tertia conjuge genitis; inter quos familiam ducit *Sigismundus Ioachimus Comes à Trautmansdorf*, egregiæ militaris famæ, qui antehac *Cæsari* stipendia fecit; nunc autem copias *Ser. Electoris Saxoniæ* tanquam *Generalis Excubiarum Præfectus* ductat; atque in matrimonio habet *Mariam Annam C. ab Herberstein.* Inter fratres illius consanguineos natu maximum *Ferdinandum Maximilianum C. ab Trautmansdorf* fausto illo die, quo Turcæ ab obsidione *Viennæ*, exitiabili cum clade

de

de depulsi & abacti noviſſimè fuerunt, vitam ſtrenuè pugnando amiſiſſe accepimus.

4. *Johannis Friderici* ſoboles ad ſplendidiorem fortunam gratia Cæſarum, qubius fidem virtutemque ſuam probaverat, emerſit, multisque in *Auſtria* bonis, qualia ſunt *Kirchſtetten*, *Reipottenbach*, *Dozenbach* &c. locupletata eſt. Effulſit in primis *Maximilianus*, quem ob ſingularem prudentiam atque in rebus gerendis dexteritatem Ferdinandus III. Auguſtus magnis exaggeravit honoribus; & ad primam usque in aula ſua dignitatem provexit, perſpectumque habens mite ejus, neque omnia ad vivum reſecans ingenium, præ cæteris idoneum cenſuit, qui *pacificationis Weſtphalicæ* negotium ſumma autoritate moderaretur, atque arcanorum conſiliorum ac mandatorum quaſi promus condus eſſet. Fuit ille primus è familia, qui axiomate *Comitis S. R. Imperii* eminuit, & inter *Ordines Imperii* locum nactus eſt; quemadmodum ex ultimo *Receſſu* patet. In *Bohemia* amplas acquiſivit poſſeſſiones, nempe *Litomyslium*, *Teinizium*, *Schluſſelburgium* aliaque, quorum reſpectu filii ejus Bohemiæ Proceribus nunc annumerantur, atque ad ſuprema Regni munia aditum nacti ſunt. Hos verò ſex potiſſimùm, cum an. 1650. d. 8. Jun. ſeculo valedixiſſet, poſt ſe reliquit, *Sophia Palfia* natos, quorum quinque

que superstites adhuc sunt, solus *Franciscus Antonius*, tertius ordine nativitatis, vivere desiit, ter pater factus è *Margarita*, *Joh. Ferdinandi Pr. Portiæ* filia, gnatæ scilicet unicæ, & filiorum duorum: *Maximiliani Ferdinandi*, & *Ottonis*; quorum *illum*, vix unius anni spatio maritum sobrinæ suæ, quæ *Johanne Carolo Pr. Portiæ* nata est, atra dies præmaturo funere abstulit.

§. Viventium è posteritate *Maximiliani* Sylloge hæc est:

ADAMUS MATTHIAS, *S. R. I. Comes de Trautmansdorf, L. B. in Gleichenberg, Negau, Turgau, & Tozenbach, Dn. in Teiniz, Leitomysl, Græfenstein, Hostau & Protivvin, Eques A. V. S. Cæs. M. intimus actualis Consiliarius, Camerarius, Regius Locumtenens in Bohemia, & Supremus Regni Mareschallus.* sociavit is sibi jugali fœdere primò *Evam Johannam, Jaroslai Wolfgangi C. de Sternberg*, & *Maximilianæ Veronicæ Svvihoviæ in Risenberg* filiam; secundò *Isabellam Mariam Poppeliam C. de Lobkovviz.* E priore suscepit

I. *Maximilianum Ferdinandum Franciscum*,

II. *Philippum Fridericum*, præmaturo fato sublatos.

III. *Rudolphum VVilhelmum*, maritum *Annæ Mariæ Pr. de Liechtenstein à Nicolspurg.*

IV. *An-*

IV. *Annam Mariam*, nuptam *Franciſco Joſepho C. de Lamberg.*

V. *Sophiam Maximilianam, Ludovico Maximiliano C. ab Hodiz* elocatam, nunc vivis exemptam.

VI *Franciſcam Thereſiam*, immaturè mortuam.

VII. *Mariam Claram, Ottonis Ferdinandi Theophili C. Volkra* uxorem, jam fato ſuo functam.

VIII. *Sigiſmundum Ludovicum*, qui *Corneliam Eleonoram Harrantiam, Dn. in Polſchiz & Weſſeriz* in thorum adſcivit.

IX. *Joh. Bernhardum*,

X. *Joh. Adamum Joſephum*, ante diem extinctos.

XI. *Mariam Eleonoram Eliſabetham, Franciſci Nicolai C. de Marzin* conjugem.

XII. *Leopoldum Antonium*, cœlibem.

XIII. *Joh. Maximilianum Antonium*, iterum mortuum.

Denique XIV. *Catharinam Barbaram Luciam, Georgio Heinrico Nothaft C. de Wehrenberg* nuptui locatam.

6. E *poſteriore* thoro par filiorum prodiit, quorum major natu *Joh. Fridericus Joſephus* brevis ævi fuit; alter *Joh. Joſephus Franciſcus Antonius Sebaſtianus* ſuperſtes eſt.

7. JOHANNES FRIDERICUS, S. R. I. *C. de Trautmansdorf, L. B. in Gleichen-*

chenberg &c. *Dn. in Leitomysl, Brunduſii ſupra Aquilam & Betzka, S. C. M. Conſiliarius, Camerarius, Regius in Bohemia Locumtenens & Supr. Regni Camerarius.* Is nuptias ter celebravit: primas cum *Maria Clara, Maximiliani Pr. Dietrichſteinii* gnata; ſecundas cum *Anna Maria C. Bercka*, vidua *Comitis Khisl*; tertias cum *Eleonora C. Holizky de Sternberg.* E *prima* conjuge nati ſunt:

I. *Fridericus Franciſcus.*
II. *Sophia*, *Baronis ab Ugeſe* conſors.
III. *Clara.*
IV. *Maria Anna*, monialis
V. *Johanna*, nupta *Comiti Erdödi* Ungaro.

E *ſecundo* thalamo provenit *Franciſcus Wenceslaus.*

8. MXIMILIANUS S. R. I. *C. de Trautmansdorf, L. B. in Gleichenberg* &c. maritus *Eleonoræ agnatæ*, liberis deſtituitur.

9. FERDINANDUS ERNESTUS, S. R. I. *C. de Trautmansdorf, L. B. in Gleichenb.* &c. habet in matrimonio *Mariam Eliſabetham C. Khislin*, ſed prole itidem caret.

10 GEORGIUS SIGISMUNDUS, S. R. I. *C. de Trautmansd.* &c. penatibus ſuis induxit *Eleonoram C. de Wildenſtein*, gnatumque cum biga filiarum ex ea ſuſtulit.

11. *Scutum* Comitum de Trautmansdorf *quadripartitum* eſt: area 1. *tribus argenteis* *Spen Op. Her. l. 2. & c. 101.*

& rubeis baltheis exaratur, quæ tessera est *familiæ Castelalti*; 2 & 3. *argentea* continent *tres pileolos acuminatos rubeos, quorum alter alteri incumbit*, quod symbolum fuit familiæ *Holzleriæ*; 4. *transversim secta parte inferiore aurea, superiore è cocco & argento bipertita, Kirchpergiorum* insignia denotat. *Toti* imposita est parmula *gentilitia* ex *cocco* & *argento* bipertita, continens *rosam pari sectione, & contraria tinctura affectam, auro gemmatam.* Tegitur *corona, Comitibus* propria.

CAP. XVIII.

DE COMITIBUS TRUCHSESSIIS A WALDPURG.

Germ. T. II.

D*Apiferos* sive *Truchsessios de Waldpurg*, cum *Comitibus ab Althann* in Austria, nec non *Pincernis de Thann* & *Winterstetten*, communia habere incunabula, Vir in Historia patria versatissimus, *Bucelinus* edocuit, orditus justam Genealogiæ seriem ab *Hessone*, *Dynasta de Thann & Winterstetten*; qui sub Ottone M. contra Ungaros strenuè pugnando an. 954. occubuit; pater *Friderici* & *Eberhardi*; illo nati sunt *Conradi duo* & *Eberhardus*, quo *Heinricus* genitus, qui ludis Trojanis *Halæ Saxonum* an. 1042. celebratis interfuit, filiosque habuit *Wernerum* & *Conradum*;

radum; quorum *posterior*, cui titulus *Comitis de Thann & Pincernæ de Winterstetten* tribuitur, cœlebs decessit.

2. *Wernerus* primus legitur, cui axioma *Dapiferi de Waldpurg* datum, quod de *Dapiferatu Sueviæ Ducatus*, non Imperii, intelligendum esse *Spenerus* monuit. Filios ille è *Guta C. de Beyenburg* tres suscepisse perhibetur: *Chunonem* scilicet, *Abbatem Weingartensem; Fridericum, Pincernarum de Winterstetten* (quorum stirps hodienum viret, & è qua *Comites* etiam *ab Althann*, ceu *Bucelinus Tomo IV. Germ.* ostendit, prodiere,) satorem; denique *Gebhardum, Dapiferum de Waldpurg.* Hoc & *Elsa C. de Ravenspurg* natus est, præter alios, *Conradus C. de Thann*, Marescallus Conradi III & maritus *Gutæ B. de Wildenberg*, pater verò *Eberhardi*, qui Impp. Friderici I. & Heinrici VI. gratia floruit, & à quo Cl. *Rittershusius* stemmatis seriem nexuit; cuique ab aliis uxor adscribitur *Anna B. de Ratzuns.* Hic, præter *Heinricum*, in tabula notatum, filium etiam habuit *Bertholdum, Dn. in Trauchburg, Dapiferorum in Trauchburg & Rohrdorf* autorem, quorum stirps post septimam generationem exaruit. *Op. Her. l. 2. c. 117. §. 7* *Pag. 8.*

3. *Heinricus*, Bertholdi frater, Hierosolymis in expeditione Friderici Barbarossæ decessit, filiumque post se reliquit *Eberhardum*, bis maritum: primò *Adelhaidis C. Brigan-*

tiæ, secundò *Wilburgis C. à Schwabsperg*, & patrem *Heinrici* ac *Friderici*. Hic fator *Dapiferorum de Warthausen* fuit, quorum tamen memoria citò interiit. *Heinricus* ille fuisse colligitur, qui an. 1268 à *Conradino* ultimo *Suevia Duce* Neapoli, in ferali pegmate, datum annulum cum chirotheca, in hæreditatis indicium, Petro Regi Arragoniæ attulisse, & in rei memoriam *leones Suevicos* insignium loco accepisse fertur. *Heinrico*, secundùm *Bucelinum*, è *Walpurgi C. de Tockenburg* filius fuit *Eberhardus*, à *Rittershusio* omissus, quo demum & *Guta C. de Montfort* natus est *Johannes*, Judex Provincialis Sueviæ, an. 1338. mortuus, qui cum uxore sua *Clara de Neyffen*, *Wolffegg* & *Wurzach* accepit, atque à Comitibus Heinrico de Veringen & Eberhardo de Nellenburg, consanguineis suis, proprietatem arcis *Trauchburg*, quam priùs in feudum ab ipsis tenuerat, unà cum *Advocatia* monasterii *Isnensis*, & jurisdictione præfecturæ in oppido *Isny* XC. marcis argenti an. 1306. emit, quemadmodum *Magerus* refert.

De Advoc. arm. c. 9. p. 380.

4. *Johannes* è filio *Eberhardo* nepotem *cognominem* habuit, *Præfectum provincialem in superiore Suevia*, cui cum secunda conjuge *Catharina C. Cilienſi* ampla dos quinque oppidorum, *Waldsee*, *Riedlingen*, *Sulgau*, *Mengen* & *Munderkingen* obvenit. Eundem quot-

Crus. Annal. Suev. P. 3. l. 6. c. 3. p. 313.

quotquot è numerosa hac familia superstites sunt, *communem* agnoscunt *parentem*: à tribus enim filiis, quos præter sequioris sexus prolem genuit, *Eberhardo* scilicet, *Georgio* & *Jacobo*, totidem lineæ, *Sonnenbergenses*, *Wolfeccenses* & *Scheerenses*, ortæ sunt. Ex his autem *prima* tertiam generationem non superavit; ea nomen traxit à *Sonnenberga* in *Walgovia*: quam *Eberhardus*, lineæ autor, à Comitibus *Werdenbergensibus* anno 1463. præsenti pecunia sibi comparavit, & Fridericus Imp. *Comitatus* axiomate ornavit; sed cùm non ita multò post inter illum & Sigismundi Archiducis officiales ob merum imperium turbæ ortæ essent, Austriaci Sonnenbergam occuparunt, Eberhardus tamen, Helvetiorum patrocinio subnixus, à Sigismundo obtinuit, ut is XXX. millia florenorum ipsi persolveret. Idem arcem *Scheerensem*, & Comitatum *Fridbergensem*, *Advocatiam* etiam *in Bachheupten* & *Darbrechtsweyler*, dotis loco cum *Cunigunda Montfortia* uxore sua acceptam, ad posteros, illisque extinctis ad agnatos transmisit; quemadmodum iterum *Magerus* memorat. *L. cit. p. 442.*

5. Reliqui duo rami, *Wolfeccensis* nimirum & *Scheerensis*, ad hanc usque ætatem propagati fuerunt, novosque protulerunt palmites: è *Wolfeccensi* enim *Zeilensis*, è *Scheerensi Trauchburgensis* enati sunt, ut

adeò lineis quatuor familia hodiè distinguatur. Prioris quidem *Wolfeccensis* scilicet rami divisio contigit in *Jacobi*, qui *Georgij* I. atnepos fuit, atque an. 1589. diem supremum obiit, filiis *Heinrico* & *Frobenio*; quorum *hic* in divisione patrimonii Comitatum *Zeilensem* sortitus est. Ramus autem *Scheerensis* in divergia abiit, cùm *Christophori*, qui *Jacobi* I. abnepos erat, atque an. 1612. fatis concessit, filii *Wilhelmus Heinricus* & *Fridericus* paternas ditiones ita inter sese partirentur, ut ille *Scheer* & *Fridberg*, hic *Trauchburg* nanciscerentur: illis ipsis autem quatuor linearum autoribus, *Comitum* axioma, Cæsarum beneficio, accessisse memorant.

6. Antequàm verò hæc subdivisio usu veniret, tres in *Scheerensi* linea vixere, qui mentionem requirunt: *Fridericus* videlicet, *Otto*, & *Gebhardus*. Ille *Christophori*, de quo modò dictum est, propatruus, & *Johannis* IV. qui Præfecturam Sueviæ Sigismundo D. Austriæ vendidit, filius fuit, atque *Equitibus Teutonici Ordinis* adscriptus stirpem *Truchsessiorum in Prussia*, qui *Dominorum de Landsberg* cognomine uti solent, condidisse perhibetur.

7. *Otto*, Friderici è fratre *Wilhelmo*, qui *Sibyllam* agnatam, *Andreæ* è *Sonnenbergensi* linea postremi filiam ac hæredem, in conjugio

gio habuit, nepos, Clericatum amplexus, ad summas in Ecclesia dignitates ascendit: primò enim in numerum *Canonicorum* templi cathedralis *Augustani* cooptatus, posteà *Tridentinus Decanus* electus est; mox *Romam* veniens inter intimos *Pauli* III. Pontificis *Cubicularios* adscitus, atque eodem adhuc anno, qui seculi superioris XLIII. fuit, in Germaniam *Sedis Apostolicæ Internuncius* ad Conventum Noribergensem pro indictione Concilii Tridentini missus, *Episcopus Augustæ Vindelicorum* renunciatus fuit; proximè verò sequenti anno *Cardinalitiam* dignitatem, cum titulo *S. Balbinæ*, absens à *Paulo* III. obtinuit, deinceps an. 1553. *Præposituram* & dominium Ecclesiæ *Elvangensis* consecutus, & biennio pòst supremus *Caroli V. Cæsaris* inter Sicambros *Quæstor* designatus, anno 1558. eodem annuente S. R. *Imperii Protector* declaratus, & denique *Episcopus Prænestinus* an. 1570. creatus est; triennioque post an. 1573. d. 2. Apr. vitam cum morte commutavit, ob religionis Catholicæ zelum & prudentiam civilem apprimè à Pontificiis Scriptoribus commendatus, & *Gretsero* Speculum Præsulum sui temporis, *Jovio* Musarum hospes, Germaniæ decus, Sacri Senatus ornamentum dictus.

8. *Gebhardus* patrui sui *Ottonis Cardinalis* exemplo impulsus, licet natu maximus, in-

ter fratres Ecclesiasticum vitæ genus delegit, virtutibusque suis meruit, ut postquam Salentinus Isenburgius *Archiepiscopatu Coloniensi* an. 1577. se abdicasset, in ejus locum sufficeretur; cum verò paucos post annos *intempestivo amore* (*Grotij* verbis utor) *illectus illustris fœminæ*, Agnetis Mansfeldiæ, *festinasset exuere cœlibatum*, nihilotamen secius Archiepiscopatum retinere, liberumque *Evangelicæ* religionis, cui nomen dedit, exercitium in diœcesi introducere contendisset, Pontificio fulmine percussus & sede deturbatus est, electo in ejus locum Ernesto Duce Bavariæ; cumque ille obniteretur, ingentes turbæ ortæ sunt, quas scitè *Thuanus* recensuit. Depulsus tandem dignitate vi hostium & suorum perfidia *Gebhardus*, in tenui, conditione vitâ primo seculi anno, improlis tamen, finivit.

Annal. l. 4.

Hist. l. 76. & seq.

9. *Dapiferatum Hereditarium Imperij* quantum attinet, constat id muneris olim in *Seldenecciorum* familia hæsisse; qua adhuc superstite Ludovicus Elector Palatinus & Imperii Archidapifer, *Waldpurgiis* Sueviæ Ducatus antehac Dapiferis *expectativam feudalem* in illum Imperii *Subdapiferatum* concessit; primosque ex hac familia de eo investivit a. 1538. *Georgium Wolfeccensem* & *Wilhelmum Scheerensem*. Postea extincta sub finem superioris seculi *Seldenecciorum* stirpe, *Christophorus Scheerensis* in comitiis, an. 1594. Ratis-

Ratisbonæ agitatis, primus è suâ gente *Subdapiferi* munus obiit, pomumque Imperiale Rudolpho II. Augusto in actu sollemni prætulit. Anno seculi tertio & vicesimo cùm Maximilianus Bavarus, recens ad Electoratum evectus, inauguraretur, orta est controversia inter *Wilhelmum Heinricum* è lineâ *Scheerensi*, & *Jacobum Carolum* è *Wolfeccensi*, utroque functionem muneris Subdapiferatus sibi sumente, & priore ætatis, altero lineæ prærogativam allegante: hanc litem ita Cæsar tùm diremit, ut unum in introëundo, alterum in exeundo, citra cujuscunque præjudicium, munere illo fungi juberet. Posteà aliquantò introductus est in familia, communi consensu, *Senioratus*, constitutumque, ut ille, qui *ætate* gentiles suos antecederet, officium hæreditarium, feudorumque familiarium administrationem imposterum gereret.

10. Versatur in præsentia *Senioratus* in lineâ *Zeilensi*, à qua, dum ad enumerationem viventium ex universâ familia progredior, jure meritoque primordium capio. Ejus autorem *Frobenium* dixi, qui an. 1614. d. 4. Maji è vivis excessit, atque in conjugio habuit *Annam Mariam C. à Törring*, an. 1596. ductam, & demum an. 1636 d. 25. Novemb. mortuam, matrem quatuor liberorum: ex his duæ sexus sequioris in *Fuggeriam* & *Ladro-*

niam familias elocatæ fuerunt: filiorum *minor natu* in infantia decessit; major *Johannes Jacobus*, anno seculari in lucem editus, patri successit, & an. 1621. *Johannam, Christophori Francisci C. de Wolckenstein in Trostburg* filiam, in thorum adscivit; quæ decem marito liberos peperit, eidemque an. 1674 d. 18. Apr. defuncto, usque ad an. 1680. d. 20. Aug. superstes mansit. E prole vivere desierunt, *Anna Maria, Johanni Dominico C. Wolckensteinio* è linea *Trostburgensi* nupta; nec non *Leopoldus & Christophorus*, immatura morte extincti; supersunt gnati tres, filiæ quatuor.

11. PARIS JACOBUS, S. R. Imp. *Dapifer Hæreditarius, Comes in Zeil, Dn. in VValdpurg, VVurzach, Marstetten, VVolfegg, & VValdsee, S. C. M. Camerarius, totius familiæ hodie Senior*, aspexit lucem vitalem an. 1624. d. 18. Jan. Connubio coivit cum *Lucia Amalia Heinrici C. à Berg & Hieronymæ Catharinæ C. de Spauer* filia, è qua suscepit

I. *Iohannam Catharinam*, n. an. 1658. nuptam *Johanni Rudolpho C. Fuggero in Boos* an. 1679.

II. *Franciscam*, n. an 1659.

III. *Iohannem Christophorum*, n. 20. Maji 1660.

IV. *Maximilianam*, n. circa an. 1663.

V. *Iosinam*, n. circa an. 1667.

12. JO-

12. JOHANNES FROBENIUS IGNATIUS, S. R. I. *Dapifer Hared. C. in Zeil*, &c. an. 1632. natus, Ecclesiæ se addixit, & *Custos Augustanus*, *Canonicusq; Eistettensis* audit.

13. SEBASTIANUS WUNIBALDUS, S. R. I. *Dapifer Hared. C. in Zeil*, &c. *S. Cæs. M. Camerarius & Consiliarius Aulico-Imperialis*, hausit auram ætheream an. 1638. Domicilium *Wurzachij* habere solet, uxorque ipsi est *Catharina Maria*, *Erici Adolphi C. Salmæ ac Reifferscheidij* è *Magdalena Landgravia Hassiæ* filia, cum qua genuit

I. *Ernestum Iacobum*, n. circa an. 1673.

II. *Leopoldum Iohannem*, *Canonicis Colonienſibus* adscriptum, n. circa an. 1675.

III. *Filiam*, natam an. 1677.

IV. *Mariam Franciscam*, n. an. 1683.

14. *Sorores*, quas triga Comitum enumeratorum habet, hæ sunt: *Maria Catharina*, nupta *Petro Com. Zacoho Patavino*, Ducis Mantuani in aula Oenipontana quondam Oratori; II. *Maria Iohanna*, quæ in gynecæo Imperatricis viduæ versata, primò N. *Comiti Bubna Bohemo*, secundò N. *Baroni Morgant*, tertiò *Bernhardo B. d' Oberen* in manum convenit; III. *Maria Francisca*, *Decaniſſa Abbatiæ Principalis Essensis*; IV. denique *Maria Clara*, monialis in *Heyligen Creuzthal*.

15. Zeilensi lineæ *VVolfeccensis*, utpote propiore nexu conjuncta, subtexenda est; eam *Heinricus*, Frobenii frater natu major, condidit, pater è *Jacoba Hohen-Zollerana Johannis* Episcopi Constantiensis & *Maximiliani Wilibaldi*: hic *Cæsaris Camerarius*, *Consiliarius bellicus* & *Generalis excubiarum Præfectus*, *Electoris* autem *Bavariæ Consiliarius intimus* & *Gubernator Palatinatus superioris* fuit, atque an. 1667. d. 30. Jan. *Ambergæ* naturæ debitum persolvit, multorum liberorum è duplici matrimonio pater. Prius *Magdalena Juliana Hohenloica* tenuit, quæ filios duos, totidemque gnatas enixa est; has inter superat *Maria Jacoba Eusebia*, n. an. 1645. d. 25. Nov. & *Ferdinando Carolo* C. ab Hohenembs elocata; filiorum *minor natu* cœlebs decessit; major *Maximilianus Franciscus Eusebius*, *Electoris Bavariæ Camerarius & Consiliarius Aulicus*, thalamo sibi junxit *Mariam Ernestinam C. de Salm & Reifferscheid*, eamque an 1681. moriens cum duplici diversi sexus sobole post se reliquit; fœmella *Mariæ Ludovicæ* nomen gerit, filii verò titulus hic est:

FERDINANDUS LUDOVICUS, S. R. I. *Dapifer Hared. Comes in VVolfegg, Baro in VValdpurg, Dn. in VValdsee, Zeil & Marstetten.*

16. E

16. E secundo *Maximiliani Wilibaldi* conjugio cum *Isabella Clara Arembergia*, sustersitite, aliquot utriusque sexus liberi prodierunt, è quibus tamen solus supereſt

JOHANNES MARIA, S.R.I. *Dapifer Hæred. C. in Wolfegg* &c. habitans in *Waldsee*. Is an. 1682. d. 13. Apr. jugali fœdere sibi sociavit *Mariam* agnatam, *Joh. Ernesti Truchsessii C. in Trauchburg* filiam; sed eodem adhuc anno eam morte amisit.

17. Jam ordo *Scheerensem* lineam tangit, cujus autor *Wilhelmus Heinricus* è duabus uxoribus numerosam sobolem sustulit; ex illa, quam posterior *Anna Maria Truchsessia* in *Wolfegg* peperit, solus superstes est *Eusebius*, an. 1631. natus, qui *Societati Jesu* nomen dedit; jamque *Rector Provincialis per superiorem Germaniam* audit. Prior *Juliana C. à Sulz* quatuor filiorum mater fuit, inter quos duo *Canonicatus* gessere; primogenitus *Christophorus Carolus* ex uxore maternæ stirpis filium *Franciscum Eusebium* post se reliquisse fertur, sed an. 1678. fatorum iniquitate abreptum. *Otto* autem stirpem propagavit, factus è *Maria Sidonia C. Schlickia* numerosæ sobolis pater; inter filios ejus unus tantùm, ceu accepimus, in vivis est, nempe

MAXIMILIANUS WUNIBALDUS, S.R.I. *Dapifer Hæred. C. in Fridberg & Trauchburg*,

burg, Dn. in VValdpurg & Scheer. Is *Mariam Catharinam, Caroli Friderici C. ab Hohenembs* gnatam, nuptiis sibi adjunxit; quæ non nisi fœmellas duas enixa, nunc ab ipso disjuncta res suas *Constantiæ* sibi habet: ille autem ante quatuor circiter annos in castrum *Hohen-Zollern*, ob causas domesticas inclusus, spiritum trahit.

18. Recensenda restat *Trauchburgensis* linea, cujus conditor *Fridericus* fuisse supra dictus est; is cum *Susanna Khunin de Belasy C. de Liechtenberg*, (quæ an. 1636. vidua facta Colonello *Augusto Vicethumio in Eckstetten* nupsit) præter filiam *Mariam Veronicam, Johanni Maximiliano C. de Preising* elocatam, & vivis exemptam, gnatos duos genuit: horum major natu *Christophorus* Ecclesiasticum vitæ genus seculari prætulit, & inter *Canonicos Salisburgenses, Augustanos* & *Passavienses* locum obtinuit, sed an. 1682. diem suum obiit. Alter vitali aura adhuc fuitur, & an. 1672. à Suevicis Comitibus Collegii *Condirector* sive *Comes convocans*, (Außschreibender oder Bancksvorsitzender) in locum *Francisci Christophori C. Furstenbergici*, electus est, nomine verò ac titulo hoc gaudet:

JOHANNES ERNESTUS, S. R. I. *Dapifer Hæred. C. in Trauchburg & Fridberg, Dn. in VValdpurg, Scheer, Dirmentingen*

tingen & Bussen: domicilium *Dirmentigæ* fixit, atque in matrimonium duxit *Monicam*, *Joh. Georgii C. Kœnigseccii*, *& Leonoræ Hohenembsiæ* filiam, è qua suscepit:

I. *Mariam*, nuptam anno 1682. *Johanni Mariæ* agnato in *VValdsee*, sed eodem adhuc anno satis functam.

II. *Fridericum Ernestum Eusebium*, *Canonicis Salisburgensibus* ascriptum, verùm an. 1682. m. Nov. præmaturo fato abreptum.

III. *Franciscum Ernestum Eusebium.*

19. Refertur universa *Truchsessiorum* gens ad *tertium Circuli Suevici districtum*; *scutoque* communiter *aureo* utitur, quod *tres leones nigros gradientes*, *auribus*, *linguis & falculis rubeis* continet; ita tamen, ut caput scutarium *pomum aureum Imperiale*, *Dapiferatus δᾶγμα*, in *solo rubeo* ostentet. *Galeæ* imponitur *culcitra rubea*, *holoserica*, *aureis ornata globulis & panniculis*, *& super ea cauda pavonina*; adjicitur præterea *vexillum Suevicum*. *Laciniæ aureæ* sunt & *nigræ*.

CAP. XIX.

DE COMITIBUS UNGNADIIS DE WEISSENWOLF.

UNgnadios, olim *Weissenvvolfios* dictos, inde ab a. C. 1147. in Imperatorum Roma-

Isag. Hist. mill. 6. part. 2. p. 579.

manorum historiis commemorari testis est *Matth. Dresserus*, qui eo ipso anno *Theodoricum Weissenvvolfium* Conradi Cæsaris expeditioni adversùs Saracenos interfuisse refert. Originem eorum è *Franconia* derivat, unde in *Carinthiam* traducti sedem rerum ac fortunarum suarum ibi collocaverint, idque factum esse tradit occasione turbarum in Carinthia exortarum, ad quas sedandas oppidaque, quæ ad Bambergensem Episcopatum illic pertinent, tuenda *Theodoricus Weissenvvolfius* à Præsule Bambergensi missus fuerit, hocque officio ritè perfunctus sedem ibi fixerit, & progeniem fide atque industria spectatissimam ac Cæsaribus probatissimam post se reliquerit.

2. Cognomento *Vngnadii* Heinricus Weissenwolfius ansam præbuisse memoratur, cùm Ulrico Carinthiæ Duci militans Turpinum tyrannum in castro *Schachenstein* an. 1240. obsidione premeret, omnemque ei gratiam denegans ab uxore illius vocabulo teutonico *Vngnad* incesseretur, id enim ille non probro, sed honori sibi ducens, in cognomen familiæ contulit.

Germ. T. 3. p. 247.

3. Genealogiam stirpis *Bucelinus* exhibuit quidem, sed nec perfectam, nec à nævis immunem; cujus farinæ aliorum etiam deductiones editas & MS. quas videre mihi contigit, esse deprehendi; ut adeò stemmatis

hujus

hujus seriem nectere nondum sustinuerim. Celebri inprimis hominum fama & multo nomine fuit *Johannes Vngnad*, Johannis, cui Fridericus III. Imp. Baronatum *Sonneck* in Carinthia contulit, vel filius, vel nepos, egregia virtute & singulari pietate præditus, quem dignitas & splendor, quo in patria eminuit, supremis muneribus admotus, nihil remoratus est, quo minùs *Evangelicæ* religionis ergò natale solum relinqueret, & in Ducatum Wirtenbergicum à Christophoro Duce invitatus transmigraret; ubi incredibili propagandæ religionis desiderio ardens, immensis sumtibus Biblia Sacra & Theologorũ aliquot scripta in linguam Turcicam & Croaticam converti, & ad gentes illarum linguarum peritas transferri curavit, *laudabili sanè & digno*, (quæ τῆς πάνυ Thuani ἐπιχειρισις est) *quod ad posteritatem transmittatur, pietatis exemplo; quodq; Principes, & qui majoribus opibus subnixi sunt, deinceps imitentur.* Demum extremo an. 1565. in *Vintricia* Sueviæ arce ex hominum vita ad superos excessit. E posteriore conjuge *Magdalena C. de Barby* filios duos *Wolfgangum* & *Joh. Georgium ἀγάμους*, è priore verò *Anna C. à Thurn* numerosam sobolem suscepit; inter mares enumerantur *Ludovicus*, Colonellus & Cæsareæ Aulæ Marescallus, qui *Barbaram Neumanniam*, *Christophori Dn de Liech-*

Hist. l. 36. pag. 757.

Liechtenſtein in Murau viduam in conjugio habuit, atque anno 1584. improlis deceſſit; *Chriſtophorus*, Generalis in Croatia, *Arenæ Lazanskiæ* maritus, & *Annæ Mariæ*, quæ *Thomæ Com. ab Erdödi* nupſit, pater; anno 1587. mortuus; *Simeon*, qui è *Catharina de Pleſſen* filiam unicam *Annam Mariam*, *Chriſtophoro C. de Leiningen in Weſterburg* elocatam, ſuſtulit; *Sigismundus*, cui uxor è *Peiſcherorum* gente, *Caroli Dn. de Liechtenſtein in Murau* vidua, fuit; aliique in cœlibatu vita defuncti.

4. *Andreas*, Johannis, de quo modò ſermo factus eſt, frater, propaginem magis durabilem profevit, ex *Johanna Bernſteinia* pater factus *Davidis*, qui in aula Cæſarea, ob legationem apud *Turcas* maſculè & prudenter obitam, magnæ fuit auctoritatis; atque an. 1601. mortalitate expleta filium poſt ſe reliquit *Andream*, ex *Eva Langia de Wellenburg* genitum, maritum *Margaritæ B. à Prag*, & patrem *Eliſabethæ*, quæ *Antonii C. Altenburgici* mater fuit, tandemque Viro Nobili è *Marenholziorum* gente, quem triſte manebat fatum, in manum convenit, nec non *Davidis*.

5. Hic *Receſſui Imp.* an. 1654. ſubſcripſit, & patrum noſtrorum ætate in aula Imperatoris floruit, omnibus ornamentis ac præſidiis redundans, ampliſſimaque munia ſuſtinens;

stinens: erat enim *secretorum Cæsaris particeps, Camera Aulica Præses, regionis supra Anasum Supremus Præfectus Provincialis*; cumque longo maximarum rerum usu imbutus esset, tandem à Cæsare in Comitiis, etiam nunc durantibus, post Archiepiscopi Salisburgensis Guidobaldi mortem, anno 1668. *Commissarius Principalis* constitutus fuit; cui tamen oneri ferendo haud ultra anni spatium suffecit, sed fessus senio ac morbo invalidus missionem efflagitare coactus est, quam etiam ab Hero benignissimo impetravit; verùm non ita multò pòst, quàm Ratisbona discessisset, factum autem id est d. 10. Aug. an. 1669. *Linzij* vi morbi oppressus vitam d. 13. Sept. amisit. Matrimonium ejus tenuit *Maria Elisabetha B. Jörgeria*, è qua filium filiamque suscepit: hæc *Mariæ Margaritæ* nomen habuit, mulierque facta est ex viro *Francisco Ernesto C. Schlickio*, sed dudum vivis excessit.

6. Filius *Davidis*, qui superstes est, hoc nomine ac titulo cluit:

HELMHARDUS CHRISTOPHORUS *Vngnad, C. in VVeissenvvolf, L. B. in Sonn- & Erf-egg, Dn. Dynastiarum Steyregg, Erlach, Raith & Grueskirch, S. Cæs. M. Camerarius & Capitaneus Provincialis Austriæ superioris* sive *supra Anasum*: Is in secundo nunc vivit conjugio: primas enim nuptias celebravit cum *Maria Susanna Febronia, Michaëlis*.

lis Adolphi C. ab Althann, & *Mariæ Evæ Elisabethæ Stahrenbergiæ* filia, quæ bis mater facta an. 1661. d. 7. Jan. spiritum effudit, secundas cum *Franciſca Benigna*, *Joh. Ferdinandi Pr. Portiæ*, è *Beatrice Benigna Kavrikia de Rziczan* gnata, è qua filii duo, gnata unica, nati ſunt.

7. *Prioris thori* proles hæc eſt:

I. *Maria Eliſabetha*, quæ primò *Michaeli Franciſco Ferdinando C. ab Althann*, consobrino ſuo, hocque defuncto N. C. *Caviriani* nupſit.

II. *Michael VVenceslaus*, hic an. 1678. d. 28. Jan. in matrimonium duxit *Erneſtinam*, *Raimundi Pr. Montecuculi* è *Margarita Dietrichſteinia* filiam, quæ mox vidua facta *Franciſco Chriſtophoro C. Kevenhullero*, rei venatoriæ in Aula Cæſarea nunc Præfecto, itidem viduo, in manum convenit.

8. Sobolis è *poſteriore* Helmhardi Chriſtophori *conjugio* natæ ſyllogen hanc accepi:

I. *Ioſephus*,

II. *Maria Ioſepha*,

III. *Franciſcus Antonius*.

Spen. Op. Her. l. 2. c. 103.

9. *Scutum* Comitum de Weiſſenwolf *quadripartitum* eſt: area prima *rubea* continet *lupum rapacem argenteum*, gentilitium δάγμα; ſecunda & tertia *cærulea* repræſentat

tat *murum ter pinnatum aureum*, quod symbolum est familiæ de *Tumersdorf* in Styria; quarta *rubea* exhibet *duos molossos argentatos aversos, & millis aureis colligatos, salientes. Galeæ* incumbunt *tres coronatæ: primæ* insidet *lupus scutarius; secunda* sustinet *duo cornua argenteum & rubeum, & post illa alas duas*, quarum prioris superior pars *auro* fulget, inferior *cærulea* est, alterius colores *inversi* sunt; *tertiæ* insident *molossi scutarij.*

CAP. XX.

DE COMITIBUS A WALDSTEIN.

INter *Bohemiæ* Proceres, splendore antiquitatis, rerum gestarum, aliorumve decorum nullis facilè concedunt *Waldsteinii;* eorum originem à *Wartembergicis* (quorum itidem magnum à multis seculis in Bohemia fuit nomen) manasse à sæpè laudato Humanissimo *Balbino* edoctus sum. Fuit scilicet inter Wartembergicos *Zdencko* quidam *Primus* dictus, qui, condita *in sylvis* ad civitatem Turnoviam arce, quam ex re *Waldstein* nominavit, ad differentiam fratrum suorum Dnn. de Wartemberg, *Dominus de Waldstein* appellari cœpit, idque cognomentum unà cum hæreditate in filios, quos quatuor, an. 1236.

d. 26. Jan. moriens, reliquit, transtulit; postquam novis etiam insignibus beneficio *Przemislai Regis*, cui ad consequendum Regium fastigium strenuam adversùs æmulos operam navaverat, ornatus fuisset, adjecto videlicet *campo aureo* Wartembergicorum ipso *Bohemiæ leone*, sed *coloris* diversi, nempè *cærulei*; huic deinceps *tres alii leones* accessere, varias ob causas, quarum enarrationem *Viro Celeberrimo*, in cujus præcipuè gratiam illa *Balbinus* perscripsit, præripere religio mihi est.

2. Inter *Zdenckonis* I. filios clara inprimis est memoria *Zdenckonis* II. qui pater fuit *Johannis*, bellica felicitate & πλουτιδία inclyti; Is enim Regi Ottogaro, qui ab an. 1245. usque ad an. 1278. rerum potitus est, Prutenos assumta cruce debellaturo, Nobilitatemque Bohemicam ad arma evocanti, *quatuor supra viginti filiis* à se genitos & belli patientes adduxit, à quibus Waldsteiniorum stirps mirificè fuit propagata; ita ut hoc quoque ævo omnes Procerum Bohemiæ familias exsuperare feratur.

3. *Zdencko* III. è *Johannis*, de quo modò sermonem feci, filiis, *Johannem* II. genuit, quo natus *Zdencko* IV. hoc *Hineck* I. pater *Hasseckii* bello clari, & sub Sigismundo Regni Camerarii, qui ex *Anna de Wartemberg* procreavit *Hineckum* II. *Dn. in Skala & Stiepanitz*,

niz, Curiæ Præfectum apud Reginam Bohemiæ, uxorem Georgii Padiebrazii, cujus sororem *Agnetem de Cunstad* ille in matrimonio habuit. A tribus, quos post se reliquit, filiis, *Hinecko* III. *Johanne* III. & *Bernhardo*, lineæ totidem ortæ sunt: inter quas *media* inprimis curæ nobis est, cujus autor *Johannes* III. in extrema ætate an. 1556. vita defunctus, ex *Agnete de Schvvanberg*, *Wilhelmum* I. & *Zdenckonem* V. suscepit. Hoc & *Ursula Wartembergia* genitus est *Georgius Dn. Arnoviæ*, pater, è priore conjuge *Catharina Slavvatina de Chlum*, *Wilhelmi* II. è posteriore autem uxore *Helena de Lobkovviz*, *Bartholomæi*: hujus è *Magdalena de Hodkovva* filii fuere *Joh. Christophorus* & *Hannibal*; illum *Cunigunda Schiana* patrem fecit *Ladislai Buriani* & *Leopoldi*.

4. *Wilhelmus* II. *Georgii* F. *Dn. in Herzmanicz* cum *Maruscka Dn. de Smirzicz* genuit *Albertum Wenceslaum Eusebium*, *Fridlandiæ Ducem*, Virum gloria militari illustrem, & in omnem memoriam clarissimum; cujus vita varia fortuna peracta, & ineluctabile fatum, cui succubuit, quò notiora sunt, eò minus egent stylo. Id tamen hîc loci commemorare attinet, bis eum maritum fuisse: primò viduæ opulentissimæ, sed provectæ ætatis, è gente Bohemica *de Wiczkovv*, deinde *Mariæ Isabellæ C. ab Harrach*; è qua fi-

liam unicam *Mariam Elisabetham*, *Rudolpho C. à Kaunitz* nuptam, suscepit.

5. Nuncad *Wilhelmum* I. *Zdenckonis* V. qui in hoc diverticulum me abduxit, fratrem natu majorem, revertendum: huic ex *Apollonia de Kazovva* filius fuit *Johannes* IV. quo & *Magdalena Wartembergia* natus est *Adamus*, Supremus Regni Burggravius, *Comitis* axiomate decoratus, & *torque Aurei Velleris* ornandus, nisi fata de hac spe ipsum dejecissent. Hic conjuges duas habuit: priorem *Elisabetham Waldsteiniam*, *Johannis*, qui *Bernhardi* suprà dicti nepos & Supr. Regni Camerarius erat, filiam; posteriorem *Johannem de Zerotin*. E *priore* thoro, præter *Rudolphum*, *Dislava ab Ausch* maritum, & *Bertholdum*, qui in prælio *Luzensi* an. 1632. occubuit, prodiit inprimis *Maximilianus Comes de Waldstein*.

6. Hic apud *Ferdinandum III. Augustum* plurimùm meritis & gratia valuit, præcipuisque aulæ officiis præfuit: primò enim *Supremi Hippocomi*, posteà *Summi Camerarii* munere functus & inter *Secretorum Arbitros* adscitus est; denique in Ordinem *Comitum S. R. Imperii* evectus ultimo *Recessui* inter *Suevicos* Comites subscripsit. Matrimonium bis, aut fortassis sæpius repetiit: prima enim ipsi uxor tribuitur *Catharina C. ab Harrach*, *Ernesti Adalberti Cardinalis* soror; secunda

Maria

Maria Polyxena, *Friderici L. B. de Talmberg* filia; tertia *Maximiliana C. de Salm & Neuburg ad Oenum.* Explevit naturæ modum an. 1655. d. 20. Febr. secutusque eum est biennii spatio interjecto filius ipsius primogenitus, è primo thalamo susceptus, *Ferdinandus*, Supremus Regni Bohemiæ Camerarius; cui uxor prædives *Eleonora*, *Johannis C. de Rothal* filia & hæres unica, obtigit; è quo conjugio non nisi filius unicus superstes est.

7. ERNESTUS JOSEPHUS, S. R. *Imp. Comes de VValdstein, Dn Dynastiarum Swereliz, Closter Munchengraz, Studencka, VValetschau, Furstenbruckh, VVeiss- & Hünervvasser, Groß-Stal, & oppidi Thurnau supra Iseram, S. Cæs. M. Camerarius, Ferdinandi & Eleonoræ Rothaliæ* filius, avi sui materni *Johannis C. à Rothal*, Viri opulenti & multarum ditionum in Moravia Domini, an. 1674. m. Dec. mortui, ex asse hæres. Induxit a. 1679. penatibus suis *Mariam Annam de Kokorzovv*, *Maximiliani Josephi C. de Furstenberg* viduam, è qua hactenus suscepit

I. *Franciscum Iosephum.*

II. *Ernestam Iosepham.*

8. FRANCISCUS AUGUSTINUS, S. R. I. *C. de VValdstein, Dn. in Dropevviz, Stahl, Schvvigau, Closterergräz, Duchs,*

Oberleutensdorf, Lauczim, Ernesti patruus, *Maximiliano* & *Catharina Harrachia* natus, Ordini *Melitensi* nomen dedit, atque in Aula Leopoldi Augusti, cujus gratia floret, *stipatorum bipenniferorum præfectus* fuit, nuper admodum verò *Mareſcalli* munere auctus est: inter *Consiliarios* autem *intimæ admissionis* jam ab aliquot annis locum obtinet.

9. CAROLUS FERDINANDUS S.R.I. *C. de Waldstein, Dominus Hæreditarius Dynastiarum Schwvigau, Munchengrätz, Lautschin, Pensen & majoris Ausgesd, Franciſci Augustini* germanus, eodem die, quo pater *Maximilianus* terram reliquit inter *Consiliarios Aulico-Imperiales* cooptatus, deinde ab *Imperatrice vidua Stabuli* sui, denique *aulæ* suæ *præfectura* donatus, atque an. 1676. *torque Aurei Velleris* ornatus fuit: legationibus, quas Cæsaris nomine in *Angliam Poloniamq;* ubi fœderis inter domum Austriacam & Regnum Poloniæ pronuper sancitî præcipuum fuit instrumentum, obiit, summam prudentiæ & dexteritatis laudem est consecutus. Nuptiis sibi adjunxit *Mariam Elisabetham, Ferdinandi Bonaventuræ C. ab Harrach* è *Lavinia Gonzaga* filiam; è qua, præter alios, filium genuit *Carolum Ernestum*, magnæ expectationis juvenem.

10. JO-

10. JOHANNES FRIDERICUS, *è Comitibus de VValdſtein, Archiepiſcopus Pragenſis, Legatus natus, S. R. Imp Princeps, Dn. Hæreditarius in Dux & Oberleitensdorf, Sacri & militaris Ordinis Crucigerorum cum rubea ſtella per Bohemiam, Moraviam, Sileſiam, ac Poloniam Supremus ac Generalis Magiſter, & Vniverſitatis Carolo-Ferdinandeæ Pragenſis ampliſſimus perpetuusq; Cancellarius*, illorum frater eſt conſanguineus, utpote è ſecunda *Maximiliani* uxore, *Maria Polyxena Talmbergica* natus; in eo ſummam probitatem, ſummam virtutem, ſummam ergaliterarum cultores liberalitatem & æſtimationem, miram morum elegantiam, ingenium illuſtre & diſciplinis artibusque omnibus exculti ſſimum eſſe prædicant.

11. *Scutum* Comitum de Waldſtein *quadripartitum* eſt: area 1. & 4. *aurea leonem cœruleum*; 2. & 3. *cœrulea leonem aureum* continent; *medio ſcuti loco* parmula, *aquilam Imperialem oſtentans*, imponitur. Tegi ſolet vel *corona*, vel *galea*, quæ *jugum alarum complicitarum* ſuſtinet.

CAP. XXI.

DE COMITIBUS A WOLCKENSTEIN ET EBERSTEIN.

ILlustrissimorum *Comitum de Wolckenstein*, qui à multis seculis in Comitatu Tyrolensi magno honore ac nomine sunt, origo ab *Equitibus de Villanders & Pradel* derivari solet, quorum memoriam jamdum circa a. 650 extitisse C. *Brandisius* tradit. *Bucelinus Tomo II. Germ.* primum producit *Chunonem Dn de Villanders*, qui a. 1018. vixerit, & in instrumento fundationis monasterii *Sonnenburg Vallis Pustriæ*, tanquam testis, commemoretur; justam verò stemmatis seriem nectit à *Conrado* II. *de Pradel* an. 1150. Hujus abnepos fuit *Randolphus* sive *Randaldus I. de Villanders & Pradel*, qui castrum *Wolckenstein*, à situs excellitate sic dictum, à *Ruberto Maulrappio* an. 1291. emit, atque è *Dorothea Dn. de Rotenburg & Kaltern* filios duos habuit: *Heinricum* scilicet, cujus posteri nomen *de Villanders & Pradel* retinuere; & *Conradum*, qui primus è sua gente nomē *Wolckensteinense* assumsit & *Burggravius in Seben* fuit, an 1373. mortuus, pater *Friderici*, quo & *Catharina de Villanders in Trostburg Michael* & *Osvvaldus* nati sunt. Ab his in ramos duos *Trostburgensem* nempe & *Rodneccensem* Wolckensteinensis stirps

abiit

abiit, quorum uterque hac adhuc ætate non mediocri fœcunditate floret; quemadmodum è genealogia, quam *Bucelinus* exhibuit, patet.

2. De priore ramo, *Troſtburgenſi* ſcilicet, hîc loci ſermo eſt, utpote è quo illi prodierе, quorum in *Receſſibus Imperii* an. 1641. & an. 1654. mentio occurrit. *Michael* ejus ſator ex *Anna ab Hoheneck Bertholdum* genuit, patrem *Antonii*, avum *Wilhelmi*. Hic *Baronis* axiomate auctus è duplici matrimonio numeroſæ ſobolis pater factus eſt, præcipuè filiorum quinque, à quibus totidem palmites, etiam nunc virentes, propullularunt. Inter illos ſecundus ordine naſcendi *Melchior Hannibal* fuit, qui è *Genovefa Chriſtina B. de Spauer Chriſtophorum Franciſcum* ſuſcepit, maritum *Mariæ*, quæ *Ottonis C. ab Eberſtein* filia fuit, & à qua omne Wolckenſteiniorum, in Comitatum *Eberſteinicum*, jus dimanavit.

3. Nimirum cùm illa fratrem nullum haberet, patruus autem ejus *Philippus* improlis de vita deceſſiſſet, anniſa eſt unà cum ſorore ſua *Sibylla*, *Johanni C. Gronsfeldio* nupta, ut Eberſteinicam hæreditatem ad ſe converteret, remotis potioris ſexus agnatis. Hi verò contrà omni ratione pugnabant, ſub umbone præcipuè diſpoſitionis *teſtamentariæ*, quam *Bernhardus C. ab Eberſtein*, communi

munis eorum parens, anno circiter 1520. condidit, quaque filiis suis eorumque posteris præcepit, ne quid unquam quocunque modo à corpore Comitatus *Eberstcinici* divelli atque abalienari paterentur, quoad masculus è familia supereſſet; utque ad evitandas dissipationes, quæ è divisione ditionum oriri solent, regimen ditionum ac feudorum administratio non nisi penes unum, quem vel ætatis prærogativa, vel spectata inter agnatos moderatio & prudentia commendet, esset; fructus autem, quos tam feudalia quàm allodialia Comitatus bona reddùt, æquis portionibus inter cohæredes distribuerentur. Atque huic dispositioni morem gesserunt *Bernhardi* filii, videlicet: *Wilhelmus*, *Bernhardus* & *Joh. Jacobus*; neque *Bernhardus* solùm, qui Ecclesiasticæ vitæ se addixit, hæreditati paternæ renuntiavit, sed & *Joh. Jacobus* integrum Comitatum cum regimine *Wilhelmo* fratri natu maximo concredidit, domicilio & pensione annua contentus; præterea speciali pacto cum fratre an. 1542. inito omnem sibi posterisque suis aditum ad regimen Comitatus præclusit, dum è *Wilhelmi* progenie mas supererit; hoc verò deficiente sancitum, ut ad *Joh. Jacobum* aut filios nepotesve ejus Comitatus cum suis pertinentiis rediret; fœmellis autem omnis successio abrogata, nec nisi dos conveniens designata fuit.

4. Sed

4. Sed *Wilhelmo* filii duo fuere, *Philippus* & *Otto*; ille parente defuncto regimen suscepit, & pactum illud cum patruo anno 1571. redintegravit, fratrique *Ottoni* vigore testamenti aviti, domicilii loco, *Poltringam* concessit. *Otto*, ante fratrem vivis exemptus, non nisi sequioris sexus prolem post se reliquit, *Philippus* autem sobole planè caruit; unde successio ad *Joh. Jacobi* posteros spectabat, quam etiam *Philippus Junior* & *Joh. Jacobus* ejus nepotes, posteaquàm *Philippus Senior* naturæ concessit, adierunt. At huic successioni interceſſit *Ottonis* vidua *Felicitas Colonna L. B. de Völs* nomine filiarum suarum *Sibyllæ* & *Mariæ*, atque in eas tanquam *Philippi Senioris* hæredes proximas ab intestato hæreditatem illam transferre contendit. Res tandem ad *Cameram Imperialem*, ubi tum temporis *Paulus Andreas C. de Wolckenstein, Christophori Franciſci* & *Mariæ Eberſteiniæ* filius, *Præſidis* munere fungebatur, delata, lataque ibi an. 1620. d. 10. Febr. fuit sententia, qua *Sibylla* & *Maria* in hæreditatem patrui immitti, agnati verò Eberſteinii omnibus eò pertinentibus bonis decedere jubebantur. Hi graviter hac sententia se læſos esse rati, quæſivere remedium *Reviſionis*; quam licet impetraverint, irritam tamen ipſis reddidit Wolckenſteinius opportunitate belli utens, & *Joh. Philippo C. Eberſteinico, Philippi Jun.* filio,

filio, qui eo ipso tempore, dum inter copias Christiani Brunsuicensis apud Höchstam *Mœnum* transiret, interierat, *perduellionis* crimen impingens. Perfecit itaque, ut à Cæsare mandatum emanaret, quo Leopoldus Archidux *Commissarius* ad Wolckensteinium cum consortibus in hæreditatem *Philippi Sen. C. Eberstеinici* immittendum constitutus fuit; neque impedire valuit *Joh. Jacobus Eberstеinius*, qui tum solus cum filiis supererat, quò minus Leopoldus negotium hoc susciperet, & per subdelegatos *Ruffaci* an. 1624. inter partes litigantes rem hoc modo transigeret; ut *feuda* penes *Eberstеinios* manerent, *allodialia* verò bona, quæ *Philippus Sen.* possedit, *Wolckenstеinio* ac *Gronsfeldio* cederent: hanc transactionem mox excepit *Commissio Executionis* ab *Isaaco Volmaro Gernspaci* eodem adhuc anno peracta. Quantumvis autem decem post annos *Jodocus Maximilianus Gronsfeldius*, *Johannis* F. qui in exercitu Cæsareo ductor legionis merebat, attritis apud Nördlingam Suecorum viribus, in interiora Sueviæ erumpens, Eberstеiniis turbas denuò dederit, totumque Comitatum cum oppido ac castro *Gochtsheim* militari manu occupaverit, atque adeò *Ruffacensi* pariter & *Gernspacensi* transactioni vim intulerit; attamen an. 1639. vi Decreti, à Cæsare promulgati, Eberstеinios

quoad

quoad feudalia in integrum restituere coactus est; quemadmodum hæc omnia in schediasmatibus vernaculo sermone editis, undeilla, quæ jam recensui, hausta sunt, uberiùs enarratur. Hoc ergò modo Wolckensteinii in possessionem partis Comitatus Ebersteinici, quoad bona allodialia, venerunt, ejusque respectu inter *Suevici Circuli* Ordines locum adhuc obtinent.

5. Hodierni Comitis nomen est MAXIMILIANUS FELIX, *Comes de Wolckenstein, Eberstein & Trostburg, Pauli Andreæ & Mariæ Hohen-Zollerana* filius unicus: in matrimonium duxit *Eleonoram Ursulam, Fortunati C. de Wolckenstein & Rodneck* ex *Annæ Mariæ C. ab Hohenembs* gnatam, an. 1680. fato suo functã; è qua susceptisse fertur par filiorum: quorum major natu *Antonius Franciscus* a. 1680. fatorum iniquitate raptus fuit, alter *Antonius Maria*, an. 1663. in lucem editus, superstes est.

6. *Scutum* ei tribuitur *quadripartitum*, ita ut 1. & 4. area *obliquè dextrorsus in nubem divisa sit, ex argento & minio*, quod *Wolckensteinium* δᾶγμα est; 2. & 3. *transversè sed inæqualiter distincta, inferiore eóque angustiore parte minio tingatur, superiore cærulea tres palos acuminatos argenteos exhibeat*, quæ tessera est vetus de *Villanders & Pradel*; *media* verò clypei regioni *parmula* incumbat *transversim*

secta

secta, parte superiore argentea rosam rubeam cyano gemmatam, inferiore aurea aprum nigrum in humo viridi gradientem repræsentans, quod symbolum est Comitatus *Eberſteinici*: Tegitur hoc scutum *corona Comitibus* familiari.

CAP. XXII.

DE COMITIBUS A WOLFSTEIN.

INclutæ *Wolfſteinicæ* gentis Genealogiam è gentilitiis documentis concinnatam *Wiguleius Hundius* recensuit, duasque enumeravit lineas, quarum tamen communem stirpem ignoravit: alterius quidem, quæ *Allerſpergenſis* appellabatur, memoria jam ante seculum priùs intercidit. Superstitem ab *Ernperto* deduxit, qui an. 1136. fatis concessit, & ex *Erntrudi à Preiſing* pater factus est *Amaliæ*, *Rudolpho ab Ehrnfels* nuptæ, *Ernperti Junioris*, *Gertrudis de Gundelfingen* mariti, & an. 1161. in militia prope Venetias occisi, nec non *Wolframi*. Hic, an. 1172. vita defunctus, ex *Margarita ab Abenſperg* gnatum unicum post se reliquit, *Theodoricum*, an. 1183. mortuum, & genitorem è *Cunegundi de Dornberg Dietrici*, *Alberti* & *Wolfhardi*. Primo uxor tribuitur *Eliſa à Torring*, aliquot liberorum brevis ævi mater;

Bayr. Stammb. P. 2. p. 369.

Alber-

Alberto, an. 1211. vivis exempto, conjux fuit è *Volckersdorfiorum* stirpe, filius autem unicus *Fridericus*, an. 1249. improlis mortuus. *VVolfhardum* uxor *Helensteinia* familiæ septies parentem fecit, filiarum trium (*Elisabethæ*, quæ Wilhelmo à Waldegg, *Barbaræ*, quæ primò Andreæ à Suchberg, deinde Alberto à Brauneck, tùm Heinrico Schenckio à Tautenberg, denique Bernhardo ab Ortenberg, & *Annæ*, quæ Wilhelmo à Frauenberg nupsere) & gnatorum quatuor, videlicet: *VVolfhardi*, Irmgardis à Dietfurt, *VVolframi*, Adeltrudis Gransiæ maritorum, *Gundlmanni*, patris ex Hirnheimia *Rudolphi*, cujus è *Margarita Nothaftia* gnatus *Johannes* masculà prole caruit, & denique *Engelhardi*.

2. Hic an. 1298. vivere desiit, atque è *Veronica ab Abensperg in Randeck* filios duos, totidemque gnatas suscepit, nempe: *Apolloniam*, Wilhelmo à Pienzenau, & *Catharinam* Heinrico Furtschio in Turnau & Conrado à Schaunberg nuptas. E filiis *Engelhardus* an. 1325. mortalitatem explevit, nullis ex *Ada C. de Byburg* liberis relictis; *Wernerus* verò ducta *Margarita*, *Alberti Dynastæ de Sulzbürg* postremi suæ familiæ filia atque hærede, dominium *Sulzbürg* cum insignibus in stirpem suam intulit, sex liberorum pater factus, quorum quinque sequioris sexus fuere, nimirum: *Sophia*, Heinrici à Breitenstein,

Clara, Wilhelmi à Chamer, *Adelhaidis*, V Wolfgangi à Grumbach, *Agnes*, Heinrici Nothaft, & *Ursula*, Dieterici à Stein uxores; filius unicus *Engelhardus* cum Barbara Zengeria *Godofredum*, *Ottonem* & *Albertum* genuit, quibus singulis uxores ductæ sunt, verùm *Ottoni* Barbara Seckendorfia nullos peperisse liberos fertur; *Albertus* è *Maria Fuchsia* posteritatem quidem habuit, sed in ejus nepotibus extinctam.

3. *Godofredus* stirpem propagavit, factus ex *Erntraudi à Dietfurt*, *Werneri* ultimi suæ gentis filia, uxore sua tredecim liberorum parens; inter hos quinque infirmioris sexus fuere, videlicet: *Anna* & *Dorothea* moniales, *Regina* Conrado à Stein nupta, *Amalia*, Wilhelmi à Torring in Stein conjux, & *Cæcilia* primò Georgii à Rambsperg, postea Balthasaris à Seckendorf, tùm Johannis à Weichs, demum Wolfgangi à Tannberg uxor. Filii octo fuerunt; è quibus, *Georgius*, *Johannes*, *Albertus*, & *Philippus* immatura ætate decessere; *Sigismundus* & *Ludovicus*, Ecclesiasticum vitæ genus amplexi sunt; *Wilhelmus*, è *Catharina Schenckia de Tautenberg* non nisi fœmellas sustulit; *Godofredus* autem, qui Caroli IV. Imp. gratia floruit, stemma continuavit, ducta *Walpurgi C. de Kirchberg*; è qua filios quatuor suscepit: *Godofredum*, *Leopoldum*, *Albertum*, qui brevis ævi fuere;

nec

nec non *Wilhelmum*, patrem ex *Erntrudi C. de Weissenhorn Friderici*, quo & *Gertrudi à Seckendorf* filii octo nati sunt, inter quos, cæteris sine posteritate extinctis, *Heinricus* fuit, *Catharinæ à Seinsheim* maritus, pater *Heinrici, Engelhardi, Friderici*, qui masculæ progeniæ caruere, & *Wilhelmi*. Ab hoc Cl *Rittershusius* tabulam Genealogicam familiæ exorsus est, sed in ipso statim limine ab *Hundio* discordans; dum inter *VVilhelmi* liberos, *Christophorum* etiam & *Cunigundin*, *Conradi à Liechtenstein* conjugem, enumerat, quos *Hundius* alio *VVilhelmo*, illius pronepote, *Godofredi* IV. filio, an. 1478. mortuo, ex uxore familiæ *de Stein in Klingenstein*, natos fuisse refert.

4. Cæterùm à longo jamdum tempore in censu Procerum Imperii & Ordinum *Circuli Bavarici* Wolfsteinensis familia habita est: *Baronatus* axioma primi obtinuisse memorantur sæculo superiore *Adamus, Johannes* & *Bernhardus* fratres, *VVilhelmi* IV, & *Margaritæ à Stein in Jeting* filii: Nostra ætate ad *Comitum* dignitatem evectus est gratia *Leopoldi Augusti*, qui nunc solus avitas ditiones regit, familiæque decus sustinet, nimirum

ALBERTUS FRIDERICUS, *Comes in VVolfstein, Dn. in Obern-Sulzburg & Pirbaum.*

liam unicam *Mariam Elisabetham*, *Rudolpho C. à Kaunitz* nuptam, sulcepit.

5. Nuncad *Wilhelmum* I. *Zdenckonis* V. qui in hoc diverticulum me abduxit, fratrem natu majorem, revertendum: huic ex *Apollonia de Kazovva* filius fuit *Johannes* IV. quo & *Magdalena Wartembergia* natus est *Adamus*, Supremus Regni Burggravius, *Comitis* axiomate decoratus, & *torque Aurei Velleris* ornandus, nisi fata de hac spe ipsum dejecissent. Hic conjuges duas habuit: priorem *Elisabetham Waldsteiniam*, *Johannis*, qui *Bernhardi* suprà dicti nepos & Supr. Regni Camerarius erat, filiam; posteriorem *Johannem de Zerotin*. E *priore* thoro, præter *Rudolphum*, *Dislavæ ab Ausch* maritum, & *Bertholdum*, qui in prælio *Luzensi* an. 1632. occubuit, prodiit inprimis *Maximilianus Comes de Waldstein*.

6. Hic apud *Ferdinandum III. Augustum* plurimùm meritis & gratiâ valuit, præcipuisque aulæ officiis præfuit: primò enim *Supremi Hippocomi*, posteà *Summi Camerarii* munere functus & inter *Secretorum Arbitros* adscitus est; denique in Ordinem *Comitum S. R. Imperii* evectus ultimo *Recessui* inter *Suevicos* Comites subscripsit. Matrimonium bis, aut fortassis sæpius repetiit: prima enim ipsi uxor tribuitur *Catharina C. ab Harrach*, *Ernesti Adalberti Cardinalis* soror; secunda

Maria

Maria Polyxena, *Friderici L. B. de Talmberg* filia; tertia *Maximiliana C. de Salm & Neuburg ad Oenum.* Explevit naturæ modum an. 1655. d. 20. Febr. secutusque eum est biennii spatio interjecto filius ipsius primogenitus, è primo thalamo susceptus, *Ferdinandus*, Supremus Regni Bohemiæ Camerarius; cui uxor prædives *Eleonora*, *Johannis C. de Rothal* filia & hæres unica, obtigit; è quo conjugio non nisi filius unicus superstes est.

7. ERNESTUS JOSEPHUS, S. R. *Imp. Comes de VValdstein, Dn Dynastiarum Swvereliz, Closter Munchengraz, Studencka, VValetschau, Furstenbruckh, VVeiss- & Hünervvasser, Groß-Stal, & oppidi Thurnau supra Iseram, S. Cæs. M. Camerarius, Ferdinandi & Eleonoræ Rothaliæ* filius, avi sui materni *Johannis C. à Rothal*, Viri opulenti & multarum ditionum in Moravia Domini, an. 1674. m. Dec. mortui, ex asse hæres. Induxit a. 1679. penatibus suis *Mariam Annam de Kokorzovv, Maximiliani Josephi C. de Furstenberg* viduam, è qua hactenus suscepit

I. *Franciscum Iosephum.*

II. *Ernestam Iosepham.*

8. FRANCISCUS AUGUSTINUS, S. R. I. *C. de VValdstein, Dn. in Dropevviz, Stahl, Schvvigau, Closterergräz, Duchs,*

Oberleutensdorf, Lauczim, Ernesti patruus, *Maximiliano & Catharina Harrachia* natus, Ordini *Melitensi* nomen dedit, atque in Aula Leopoldi Augusti, cujus gratia floret, *stipatorum bipenniferorum præfectus* fuit, nuper admodum verò *Marescalli* munere auctus est: inter *Consiliarios* autem *intimæ admissionis* jam ab aliquot annis locum obtinet.

9. CAROLUS FERDINANDUS, S. R. I. *C. de Waldstein, Dominus Hæreditarius Dynastiarum Schwvigau, Munchengrätz, Lautschin, Pensen & majoris Ausgesd, Francisci Augustini* germanus, eodem die, quo pater *Maximilianus* terram reliquit inter *Consiliarios Aulico-Imperiales* coopratus, deinde ab *Imperatrice vidua Stabuli* sui, denique *aulæ* suæ *præfectura* donatus, atque an. 1676. *torque Aurei Velleris* ornatus fuit: legationibus, quas Cæsaris nomine in *Angliam Poloniamq;*, ubi fœderis inter domum Austriacam & Regnum Poloniæ pronuper sanciti præcipuum fuit instrumentum, obiit, summam prudentiæ & dexteritatis laudem est consecutus. Nuptiis sibi adjunxit *Mariam Elisabetham, Ferdinandi Bonaventuræ C. ab Harrach* è *Lavinia Gonzaga* filiam; è qua, præter alios, filium genuit *Carolum Ernestum*, magnæ expectationis juvenem.

10. JO-

10. JOHANNES FRIDERICUS, *è Comitibus de VValdſtein, Archiepiſcopus Pragenſis, Legatus natus, S. R. Imp Princeps, Dn. Hæreditarius in Dux & Oberleitensdorf, Sacri & militaris Ordinis Crucigerorum cum rubea ſtella per Bohemiam, Moraviam, Sileſiam, ac Poloniam Supremus ac Generalis Magiſter, & Vniverſitatis Carolo-Ferdinandeæ Pragenſis ampliſſimus perpetuusq; Cancellarius*, illorum frater eſt conſanguineus, utpote è ſecunda *Maximiliani* uxore, *Maria Polyxena Talmbergica* natus; in eo ſummam probitatem, ſummam virtutem, ſummam ergaliterarum cultores liberalitatem & æſtimationem, miram morum elegantiam, ingenium illuſtre & diſciplinis artibusque omnibus exculciſſimum eſſe prædicant.

11. *Scutum* Comitum de Waldſtein *quadripartitum* eſt: area 1. & 4. *aurea leonem cæruleum*; 2. & 3. *cærulea leonem aureum* continent; *medio ſcuti loco* parmula, *aquilam Imperialem oſtentans*, imponitur. Tegi ſolet vel *corona*, vel *galea*, quæ *jugum alarum complicitarum* ſuſtinet.

CAP. XXI.

DE COMITIBUS A WOLCKENSTEIN ET EBERSTEIN.

ILLustrissimorum *Comitum de Wolckenstein*, qui à multis seculis in Comitatu Tyrolensi magno honore ac nomine sunt, origo ab *Equitibus de Villanders & Pradel* derivari solet, quorum memoriam jamdum circa a. 650 extitisse C. *Brandisius* tradit. *Bucelinus Tomo II. Germ.* primum producit *Chunonem Dn de Villanders*, qui a. 1018. vixerit, & in instrumento fundationis monasterii *Sonnenburg Vallis Pustriæ*, tanquam testis, commemoretur; justam verò stemmatis seriem nectit à *Conrado* II. *de Pradel* an. 1150. Hujus abnepos fuit *Randolphus* sive *Randaldus I. de Villanders & Pradel*, qui castrum *Wolckenstein*, à situs excelsitate sic dictum, à *Ruberto Maulrappio* an. 1291. emit, atque è *Dorothea Dn. de Rotenburg & Kaltern* filios duos habuit: *Heinricum* scilicet, cujus posteri nomen *de Villanders & Pradel* retinuere; & *Conradum*, qui primus è sua gente nomẽ *Wolckensteinense* assumsit & *Burggravius in Seben* fuit, an 1373. mortuus, patet *Friderici*, quo & *Catharina de Villanders in Trostburg Michael* & *Osvvaldus* nati sunt. Ab his in ramos duos *Trostburgensem* nempe & *Rodneccensem* Wolckensteinensis stirps

abiit

abiit, quorum uterque hac adhuc ætate non mediocri fœcunditate floret; quemadmodum è genealogia, quam *Bucelinus* exhibuit, patet.

2. De priore ramo, *Troſtburgenſi* ſcilicet, hîc loci ſermo eſt, utpote è quo illi prodierte, quorum in *Receſſibus Imperii* an. 1641. & an. 1654. mentio occurrit. *Michael* ejus ſator ex *Anna ab Hoheneck Bertholdum* genuit, patrem *Antonii*, avum *Wilhelmi*. Hic *Baronis* axiomate auctus è duplici matrimonio numeroſæ ſobolis pater factus eſt, præcipuè filiorum quinque, à quibus totidem palmites, etiam nunc virentes, propullularunt. Inter illos ſecundus ordine naſcendi *Melchior Hannibal* fuit, qui è *Genovefa Chriſtina B. de Spauer Chriſtophorum Franciſcum* ſuſcepit, maritum *Mariæ*, quæ *Ottonis C. ab Eberſtein* filia fuit, & à qua omne Wolckenſteiniorum, in Comitatum *Eberſteinicum*, jus dimanavit.

3. Nimirum cùm illa fratrem nullum haberet, patruus autem ejus *Philippus* improlis de vita deceſſiſſet, anniſa eſt unà cum ſorore ſua *Sibylla*, *Johanni C. Gronsfeldio* nupta, ut Eberſteinicam hæreditatem ad ſe converteret, remotis potioris ſexus agnatis. Hi verò contrà omni ratione pugnabant, ſub umbone præcipuè diſpoſitionis *teſtamentariæ*, quam *Bernhardus C. ab Eberſtein*, communi

munis eorum parens, anno circiter 1520. condidit, quaque filiis suis eorumque posteris præcepit, ne quid unquam quocunque modo à corpore Comitatus *Eberſteinici* divelli atque abalienari paterentur, quoad masculus è familia supereſſet; utque ad evitandas diſſipationes, quæ è diviſione ditionum oriri ſolent, regimen ditionum ac feudorum adminiſtratio non niſi penes unum, quem vel ætatis prærogativa, vel ſpectata inter agnatos moderatio & prudentia commendet, eſſet; fructus autem, quos tam feudalia quàm allodialia Comitatus bona reddũt, æquis portionibus inter cohæredes diſtribuerentur. Atque huic diſpoſitioni morem geſſerunt *Bernhardi* filii, videlicet: *Wilhelmus*, *Bernhardus* & *Joh. Jacobus*; neque *Bernhardus* ſolùm, qui Eccleſiaſticæ vitæ ſe addixit, hæreditati paternæ renuntiavit, ſed & *Joh. Jacobus* integrum Comitatum cum regimine *Wilhelmo* fratri natu maximo concredidit, domicilio & penſione annua contentus; præterea ſpeciali pacto cum fratre an. 1542. inito omnem ſibi poſterisque ſuis aditum ad regimen Comitatus præcluſit, dum è *Wilhelmi* progenie mas ſupererit; hoc verò deficiente ſancitum, ut ad *Joh. Jacobum* aut filios nepotesve ejus Comitatus cum ſuis pertinentiis rediret; fœmellis autem omnis ſucceſſio abrogata, nec niſi dos conveniens deſignata fuit.

4. Sed

4. Sed *Wilhelmo* filii duo fuere, *Philippus* & *Otto*; ille parente defuncto regimen suscepit, & pactum illud cum patruo anno 1571. redintegravit, fratrique *Ottoni* vigore testamenti aviti, domicilii loco, *Poltringam* concessit. *Otto*, ante fratrem vivis exemptus, non nisi sequioris sexus prolem post se reliquit, *Philippus* autem sobole planè caruit; unde successio ad *Joh. Jacobi* posteros spectabat, quam etiam *Philippus Junior* & *Joh. Jacobus* ejus nepotes, posteaquàm *Philippus Senior* naturæ concessit, adierunt. At huic successioni interceſſit *Ottonis* vidua *Felicitas Colonna L. B. de Vols* nomine filiarum suarum *Sibyllæ* & *Mariæ*, atque in eas tanquam *Philippi Senioris* hæredes proximas ab intestato hæreditatem illam transferre contendit. Res tandem ad *Cameram Imperialem*, ubi tum temporis *Paulus Andreas C. de Wolckenstein, Christophori Franciſci* & *Mariæ Eberſteiniæ* filius, *Præſidis* munere fungebatur, delata, lataque ibi an. 1620. d. 10. Febr. fuit sententia, qua *Sibylla* & *Maria* in hæreditatem patrui immitti, agnati verò Eberſteinii omnibus eò pertinentibus bonis decedere jubebantur. Hi graviter hac sententia se læsos esse rati, quæsivere remedium *Reviſionis*; quam licet impetraverint, irritam tamen ipsis reddidit Wolckenſteinius opportunitate belli utens, & *Joh. Philippo C. Eberſteinico, Philippi Jun.* filio,

filio, qui eo ipso tempore, dum inter copias Christiani Brunsuicensis apud Hochstam *Mœnum* transiret, interierat, *per duellionis* crimen impingens. Perfecit itaque, ut à Cæsare mandatum emanaret, quo Leopoldus Archidux *Commissarius* ad Wolckensteinium cum consortibus in hæreditatem *Philippi Sen. C. Eberstеinici* immittendum constitutus fuit; neque impedire valuit *Joh. Jacobus Eberstеinius*, qui tum solus cum filiis supererat, quò minus Leopoldus negotium hoc susciperet, & per subdelegatos *Ruffaci* an. 1624. inter partes litigantes rem hoc modo transigeret; ut *feuda* penes *Eberstеinios* manerent, *allodialia* verò bona, quæ *Philippus Sen.* possedit, *Wolckenstеinio* ac *Gronsfeldio* cederent: hanc transactionem mox excepit *Commissio Executionis* ab *Isaaco Volmaro Gernspaci* eodem adhuc anno peracta. Quantumvis autem decem post annos *Jodocus Maximilianus Gronsfeldius*, *Johannis* F. qui in exercitu Cæsareo ductor legionis merebat, attritis apud Nördlingam Suecorum viribus, in interiora Sueviæ erumpens, Eberstеinii turbas denuò dederit, totumque Comitatum cum oppido ac castro *Gochtsheim* militari manu occupaverit, atque adeò *Ruffacensi* pariter & *Gernspacensi* transactioni vim intulerit; attamen an. 1639. vi Decreti, à Cæsare promulgati, Eberstеinios

quoad

quoad feudalia in integrum restituere coactus est; quemadmodum hæc omnia in schediasmatibus vernaculo sermone editis, unde illa, quæ jam recensui, hausta sunt, uberiùs enarratur. Hoc ergò modo Wolckensteinii in possessionem partis Comitatus Ebersteinici, quoad bona allodialia, venerunt, ejusque respectu inter *Suevici Circuli* Ordines locum adhuc obtinent.

5. Hodierni Comitis nomen est MAXIMILIANUS FELIX, *Comes de VVolckenstein, Eberstein & Trostburg, Pauli Andreæ & Mariæ Hohen-Zollerana* filius unicus: in matrimonium duxit *Eleonoram Ursulam, Fortunati C. de Wolckenstein & Rodneck* ex *Annâ Mariâ C. ab Hohenembs* gnatam, an. 1680. fato suo functâ; è qua susceptisse fertur par filiorum: quorum major natu *Antonius Franciscus* a. 1680. fatorum iniquitate raptus fuit, alter *Antonius Maria*, an. 1663. in lucem editus, superstes est.

6. *Scutum* ei tribuitur *quadripartitum*, ita ut 1. & 4. area *obliquè dextrorsus in nubem divisa sit, ex argento & minio*, quod *Wolckensteinium δῆγμα* est; 2. & 3. *transversè sed inæqualiter distincta, inferiore eóque angustiore parte minio tingatur, superiore cœrulea tres palos acuminatos argenteos exhibeat*, quæ tessera est vetus de *Villanders & Pradel*; *media* verò clypei regioni *parmula* incumbat *transversim secta*

secta, parte superiore argentea rosam rubeam cyano gemmatam, inferiore aurea aprum nigrum in humo viridi gradientem repræsentans, quod symbolum est Comitatus *Eberstеinici*: Tegitur hoc scutum *corona Comitibus* familiari.

CAP. XXII.

DE COMITIBUS A WOLFSTEIN.

INclutæ *Wolfsteinicæ* gentis Genealogiam è gentilitiis documentis concinnatam *Wiguleius Hundius* recensuit, duasque enumeravit lineas, quarum tamen communem stirpem ignoravit: alterius quidem, quæ *Allerspergensis* appellabatur, memoria jam ante seculum priùs intercidit. Superstitem ab *Ernperto* deduxit, qui an. 1136. fatis concessit, & ex *Erntrudi à Preising* pater factus est *Amaliæ*, *Rudolpho ab Ehrnfels* nuptæ, *Ernperti Junioris*, *Gertrudis de Gundelfingen* mariti, & an. 1161. in militia prope Venetias occisi, nec non *Wolframi*. Hic, an. 1172. vita defunctus, ex *Margarita ab Abensperg* gnatum unicum post se reliquit, *Theodoricum*, an. 1183. mortuum, & genitorem è *Cunegundi de Dornberg Dietrici*, *Alberti* & *Wolfhardi*. Primo uxor tribuitur *Elisa à Torring*, aliquot liberorum brevis ævi mater; *Alber-*

Bayr. Stammb. P. 2. p. 309.

Alberto, an. 1211. vivis exempto, conjux fuit è *Volckersdorfiorum* stirpe, filios autem unicus *Fridericus*, an. 1249. improlis mortuus. *VVolfhardum* uxor *Helenſteiniæ* familiæ leptiés parentem fecit, filiarum trium (*Eliſabethæ*, quæ Wilhelmo à Waldegg, *Barbaræ*, quæ primò Andreæ à Suchberg, deinde Alberto à Brauneck, tùm Heinrico Schenckio à Tautenberg, denique Bernhardo ab Ortenberg, & *Annæ*, quæ Wilhelmo à Frauenberg nupſere) & gnatorum quatuor, videlicet: *VVolfhardi*, Irmgardis à Dietfurt, *VVolframi*, Adeltrudis Granſiæ maritorum, *Gundlmanni*, patris ex Hirnheimia *Rudolphi*, cujus è *Margarita Nothaftia* gnatus *Johannes* maſcula prole caruit, & denique *Engelhardi*.

2. Hic an. 1298. vivere deſiit, atque è *Veronica ab Abenſperg in Randeck* filios duos, totidemque gnatas ſuſcepit, nempe: *Apolloniam*, Wilhelmo à Pienzenau, & *Catharinam* Heinrico Furtſchio in Turnau & Conrado à Schaunberg nuptas. E filiis *Engelhardus* an. 1325. mortalitatem explevit, nullis ex *Ada C. de Byburg* liberis relictis; *Wernerus* verò ducta *Margarita*, *Alberti Dynaſtæ de Sulzbürg* poſtremi ſuæ familiæ filia atque hærede, dominium *Sulzbürg* cum inſignibus in ſtirpem ſuam intulit, ſex liberorum pater factus, quorum quinque ſequioris ſexus fuere, nimirum: *Sophia*, Heinrici à Breitenſtein,

Clara, Wilhelmi à Chamer, *Adelhaidis*, VVolfgangi à Grumbach, *Agnes*, Heinrici Nothaft, & *Ursula*, Dieterici à Stein uxores; filius unicus *Engelhardus* cum Barbara Zengeria *Godofredum*, *Ottonem* & *Albertum* genuit, quibus singulis uxores ductæ sunt, verùm *Ottoni Barbara Seckendorfia* nullos peperisse liberos fertur; *Albertus* è *Maria Fuchsia* posteritatem quidem habuit, sed in ejus nepotibus extinctam.

3. *Godofredus* stirpem propagavit, factus ex *Erntraudi à Dietfurt*, *Werneri* ultimi suæ gentis filia, uxore sua tredecim liberorum parens; inter hos quinque infirmioris sexus fuere, videlicet: *Anna* & *Dorothea* moniales, *Regina* Conrado à Stein nupta, *Amalia*, Wilhelmi à Törring in Stein conjux, & *Cæcilia* primò Georgii à Rambsperg, postea Balthasaris à Seckendorf, tùm Johannis à Weichs, demum Wolfgangi à Tannberg uxor. Filii octo fuerunt; è quibus, *Georgius*, *Johannes*, *Albertus*, & *Philippus* immatura ætate decessere; *Sigismundus* & *Ludovicus*, Ecclesiasticum vitæ genus amplexi sunt; *Wilhelmus*, è *Catharina Schenckia de Tautenberg* non nisi fœmellas sustulit; *Godofredus* autem, qui Caroli IV. Imp. gratia floruit, stemma continuavit, ducta *Walpurgi C. de Kirchberg*; è qua filios quatuor suscepit: *Godofredum*, *Leopoldum*, *Albertum*, qui brevis ævi fuere;

nec

nec non *Wilhelmum*, patrem ex *Erntrudi C. de Weissenhorn Friderici*, quo & *Gertrudi à Seckendorf* filii octo nati sunt, inter quos, cæteris sine posteritate extinctis, *Heinricus* fuit, *Catharinæ à Seinsheim* maritus, pater *Heinrici, Engelhardi, Friderici*, qui masculæ progenie caruere, & *Wilhelmi*. Ab hoc Cl *Rittershusius* tabulam Genealogicam familiæ exorsus est, sed in ipso statim limine ab *Hundio* discordans; dum inter *VVilhelmi* liberos, *Christophorum* etiam & *Cunigundin*, *Conradi à Liechtenstein* conjugem, enumerat, quos *Hundius* alio *VVilhelmo*, illius pronepote, *Godofredi* IV. filio, an. 1478. mortuo, ex uxore familiæ *de Stein in Klingenstein*, natos fuisse refert.

4. Cæterùm à longo jamdum tempore in censu Procerum Imperii & Ordinum *Circuli Bavarici* Wolfsteinensis familia habita est: *Baronatus* axioma primi obtinuisse memorantur seculo superiore *Adamus, Johannes & Bernhardus* fratres, *VVilhelmi* IV, & *Margaritæ à Stein in Jeting* filii: Nostra ætate ad *Comitum* dignitatem evectus est gratia *Leopoldi Augusti*, qui nunc solus avitas ditiones regit, familiæque decus sustinet, nimirum

ALBERTUS FRIDERICUS, *Comes in VVolfstein, Dn. in Obern-Sulzburg & Pirbaum.*

5. Susceptus is est in luce m an. 1644. d. 13. Maji, à Parentibus *Johanne Friderico & Barbara L. B. Teuffelia*, ad conjugium animum appulit an. 1666. sociando sibi d. 25. Febr. *Sophiam Ludovicam*, *VVolfgangi Georgii C. de Castel in Remlingen* è *Sophia Juliana Hohenlocica* gnatam, cum qua genuit

I. *Sophiam Christianam*, n. 24 Oct. 1667.
II. *VVolfgangum Fridericum*, n. 26. Nov. 1668. †. 19. Apr. 1669.
III. *Albertinam Iulianam*, n. 31. Oct. 1669.
IV. *Fridericam Florentinã*, n. 18. Nov 1670.
V. *Albertum Christianum*, n. 14. Jun. 1672.
VI. *Philippum Fridericum*, n. 7. Maj. 1674.
VII. *Wolfgangum Ludovicũ*, n. 23 Jul. 1675.
VIII. *Iohannam Eberhardinam Mariam*, n. 13. Sept. † 4 Oct. 1676.
IX. *Carolam Iulianam*, n. 7. Sept. 1678.

Spen. Op. Her. l. 3. c. 53.

6. *Scuto* uti solet *simplici*, è *Sulzburgia* vetere familia mutuato; *aureo* scilicet, in quo *leones duo gradientes rubei* conspiciuntur. *Galeæ* imponuntur *duæ*: prior coronata *inter expansas alas duas nigras foliolis aureis sparsas leonem exorientem coronatum aureum* sustinet; è posteriore protenditur *cum collo caput lupi nigrum aureo ore agnellum nigrum portantis, millo revinctum aureo*, quod è prisco *VVolfsteiniorum* clypeo desumptum: *Phaleræ* circumfluunt *aureæ & nigræ*.

LIBER

LIBER VIII.

DE COLLEGIO COMITUM FRANCONICORUM.

INTRODUCTIO.

TErtium inter Comites Imperii locum *Franconici* occupant, ad quos nunc *octo* illustres familiæ, omnes sub *Circulo Franconico* comprehensæ, referuntur, videlicet: *Castellensis, Dernbacensis, Erpacensis, Hohenloica, Limpurgensis, Lövvensteinica, Nostizia*, & *Schönbornensis*. *Seinsheimiorum*, qui in eodem Collegio locum antehac obtinuere, ceu ex *ultimo Imp. Recessu* patet, locum *Pr. Schvvarzenbergicus* in præsentia implet, vigore transactionis, de qua *superiùs* dictum fuit. In eodem *Recessu* inter Comites Franconicos etiam *Joh. Heinricus Notthaft C. de Wernberg* enumeratur, hanc, ceu accepimus, ob causam, quod Cæsar ipsi *expectativam in feuda Imperialia Circuli Franconici*, si quæ aperta sive caduca evasura essent, concesserat; id verò quoniam ipso vivente usu non venit, filiis ejus, (quos duos, an. 1665. mo-

Lib. 5. c. 10. §. 2.

riens, post se reliquit, nempe *Wolfgangum Heinricum*, & *Georgium Heinricum*, qui possessiones suas in *Bavaria* & in Comitatu *Cham* habent, quorumque *prior* conjugem è *Rathmansdorfiis*, alter è *Trautmansdorfiis* duxit) nihil ampliùs loci inter Ordines Franconiæ supereſt.

2. *Reineccensis* Comitatus, post extinctum an. 1559. *Philippum C. Reineccii* postremum suæ gentis, in varias distractus partes, diversos nactus est dominos: major ejus portio ad *Archiepiscopatum Moguntinum* devoluta, & ante annos non ita multos *Comiti à Nostiz* collata est, quemadmodum inferiùs dicetur; *Herbipolitanæ* Ecclesiæ Præfectura *Schönrein* cum aliquot pagis obtigit; *Erpacensibus Wildenbrunn; Isenburgensibus* quoque nonnihil; sed cum titulo etiam portio Comitibus *Hanovicis* accrevit.

CAP. I.

DE COMITIBUS A CASTEL.

Castellani Comitum familia antiquitatis & illustris ortus palmam omnibus sui Ordinis dubiam facit, utpote quæ ad priscos *Franciæ Orientalis*, sive *Franconiæ Duces* incunabula sua refert, atque inde à *Gosberto*, Clodovari

dovari filio, *Franconiæ Duce*, qui an. 696. mortalitatem explevit, justa nec interrupta serie deduci potest; quemadmodum è tabulis duabus, quibus Cl. *Rittershusius* Genealogiam familiæ complexus est, liquet.

2. Qui primus *Castellani Comitis* cognomen assumsit, *Marquardus* memoratur, *Gasberti* abnepos, qui an. 828. fatis concessit: visuntur autem hodienum rudera castri, in montis vertice siti, à quo id nominis ortum esse vero haud est absimile; extatque in valle subjecta pagus, idem nomen ferens, atque *asylo*, teste *Limnæo*, insignis; qui partim Sec. Marchiones Brandenburgicos, partim Comites Castellani Dominos agnoscit. *I. P. T. IV. p. 815.*

3. Omnis autem Comitatus Castellensis in tres dividitur præfecturas: *Castellensem* scilicet, *Remlingensem*, & *Rüdenhusanam*. Ad primam referuntur *Feurbach*, *Gerent*, *Ziegenbach* & *Schonaich*; ad secundam, *Ober & Unter Allentheim*, *Bullingshausen* & *Steinbach*; ad tertiam *Aichfeld*, *Ober Eusenzheim* & *Wiesenbronn*.

4. *Pincernatus* in Episcopatu *Herbipolitano* munus *hæreditarium*, quo familia gaudet, qua ætate ei obtigerit, non concors est Scriptorum sententia: *Spangenbergius* id à *Pipino* collatum illi fuisse tradit; *Rittershusius* autem *Rupertum* demum, qui sub *Friderico Barbarossa* vixit, an. 1168. primitus id officii gessisse perhibet.

5. Qui nunc ex hac gente superant, à *Georgio* Comite, Ludovici El. Palatini Aulæ Mareſcallo, an. 1597. mortuo, *communem ſanguinem* ducunt: is enim è *Sophia Limpurgia* filios præcipuè duos ſuſcepit: *Wolfgangum* & *Godofredum*, duarum linearum, *Remlingenſis* ſcilicet & *Rüdenhuſanæ*, quibus hodie familia diſtinguitur, autores.

6. *Remlingenſis* lineæ conditor *Wolfgangus* non niſi filium unicum genuit, cum conjuge ſecunda *Juliana Hohenloica*, nempe *Wolfgangum Georgium*, qui Supremi Præfecti in aula Eberhardi D. Wirtembergici munus magna laude geſſit, atque an. 1668. d. 4. Maji vitam cum morte commutavit, poſtquàm ex uxore *Sophia Juliana C. ab Hohenloe*, quæ demum an. 1682. d. 11. Januar. fatis functa eſt, multam ſobolem ſuſtuliſſet; ſequioris nimirum ſexus duplicem, eamque ſuperſtitem, mares autem ſeptem, è quibus quinque patris fata anteverterunt; ultimus verò naſcendi ſorte *Eberhardus Fridericus* vitam, quam an. 1653. acceperat, an. 1672. d. 26. Sept. *Monaſterii* finivit: è vulnere, quod in obſidione Gröningenſi, Epiſcopo Monaſterienſi militans, acceperat. Reliqui duo in vivis ſuperſunt, quorum quidem nomina jam recenſebo.

7. WOLF-

7. WOLFGANGUS THEODORICUS, *Comes & Dominus in Castel, Ser. El. Palatini Summus Aulæ Præfectus, & Burggravius Alceienſis*; Prodiit is in lucem an. 1641. d. 6. Jan. Connubio ſibi junxit *Eliſabetham Dorotheam*, *Ludovici Caſimiri Pincernæ* & *Dn. de Limpurg* filiam, è *Dorothea Maria Hohenloica* natam, *VVilhelmi Ludovici Dn. de Limpurg* viduam; è qua pater factus eſt filii unici, *Caroli Friderici*.

8. FRIDERICUS MAGNUS, *Comes & Dn. in Caſtel*; illius germanus eſt frater; hauſit auram vitalem an. 1646. d. 6. Oct. Cum in Galliis peregrinatur Evangelicam religionem cum *Pontificia* commutavit, deinceps locum inter *Cubicularios Cæſareos* obtinuit; nuncque ſub Imperatoris auſpiciis legionem *Hippotoxotarum* ductat. Nuptias an. 1678. d. 24. Nov. celebravit cum *Suſanna Johanna*, *Joachimi Erneſti C. Oetingenſis* ex *Anna Dorothea Hohenloica* filia, è qua potioris ſexus prolem ſuſcepit.

9. *Sororum*, quas duas illos habere dixi, nomina hæc ſunt: I. *Iuliana Dorothea*, n. 30. Jan. 1640. nupta an. 1658. *Heinrico Friderico C. Hohenloico in Langenburg*: II. *Sophia Ludovica*, n. 8. Jul. 1645. & *Alberto Friderico L. B. jam C. de VVolfſtein* an. 1666. elocata.

10. *Rüdenhusani* rami, ad quem nunc fermo deflectit, fator *Godofredus* fuit; qui ex *Anna Limpurgia* filios duos procreavit: quorum natu minor *Heinricus Albertus* cœlebs an. 1633. deceſſit; alter verò *Georgius Fridericus* ducta in uxorem *Anna Ludovica Limpurgia* liberos novem genuit: è quibus filias duas cum gnato unico ad ſuperos præmiſit; reliqui, mares nempe quatuor & fœmellæ duæ vitæ ejus, quam an. 1653. d. 28. Mart. finivit, ſuperſtites manſerunt. E maſculis tamen nullus nunc in vivis ſupereſt, nam ut ordine inverſo procedam: *Eberhardus*, qui *Centurionis* munus in militia obibat, an. 1674. d. 5. Sept. vita caruit; qui ipſe annus etiam *Heinrico Alberto* ſupremus fuit; *Fridericus Ludovicus* an. 1680. m. Sept. naturæ debitum reddidit; primogenitus autem *Philippus Godofredus*, qui ſolus familiæ propagandæ incubuit, ducta an. 1670. in matrimonium *Anna Sibylla Florentina*, *Joh. Ludovici VVild- & Rhein-gravii in Daun* gnata, cum integri fermè anni ſpatio lethargo laboraſſet, tandem an. 1681. d. 10. Jun. à ſomno fratri ſuo traditus eſt, longaque quieſcendi tempora fatorum lege obtinuit. Pater ſexies factus eſt: filiarum quinque, quarum *poſtremam* an. 1680. in lucem editam vita in ipſo limine deſtituit; reliquæ cum filio unico aura ætherea adhuc fruuntur.

11. Il-

11. Ille sub matris, agnatorumque tutela adolescit, hocque nomen gerit:
FRIDERICUS ALBERTUS *Comes & Dn. in Castel*, n an. 1674. m. Dec.

12. Sororum ejus nomina sic se habent:
I. *Iuliana Florentina*, n. an. 1671.
II. *Dorothea Ludovica*, n. an. 1672. mens. Dec.
III. *Philippina*.
IV. *Iohanna Elisabetha*, n. 27. Aug. 1679.

13. Earum amitæ *Iuliana Ludovica*, nat. 24. Jan. 1646. & *Dorothea Elisabetha*, n. 24. Maji 1652. innuptæ in arce *Wiesenbrunnensi* vivunt.

14. *Scutum*, quo Comites de Castel utuntur, è *minio & argento quadripartitum* est; tegiturque *galea* unica, cui incumbit *pileus acuminatus cum ora reducta, iisdem scuti coloribus quadripartitim pictus, & corona aurea, pennis pavoninis ornata, fastigiatus*: *Laciniæ* dependent *rubeæ* & *argenteæ*.

CAP. II.

DE COMITIBUS A DERNBACH.

INclutam *Dominorum*, nunc verò *Comitum à Dernbach* familiam jam ab aliquot seculis *Cattos* inter & *Buchonios* floruisse, atque in has

has oras cum Elisabetha Andreæ Hungariæ Regis filia, Ludovico Landgr. Hassiæ ac Thuringiæ nupta & in sanctarum cætum posteà locata, venisse, ibique exstructo castro, & prædiis acquisitis sedem fixisse, *Wilhelmus Dilichius* in *Chronico Hassiæ*, & ex eo Celeb. *Spenerus* retulit. Erat Elisabethæ à confessionibus quidam è Zelotarum grege *M. Conradus* dictus, hunc cum alio *Conrado Dersone* Dominicano inquisitionis officio, à Gregorio IX. Pontifice ipsi demandato, abutentem, atque immani crudelitate in quosdam hæreseos delatos nec tamen convictos sævientem, *Dernbachiorum* aliquis è medio sustulisse perhibetur. Seculo sequenti, cum inter Ottonem Landgravium atque Heinricum C. Nassoviæ grave ortum esset bellum, provinciaque devastaretur, *Dernbachiorum* etiam res afflictæ, castrumque eorum destructum fuit.

Op. Her. l. 2. c. 5. § 9.

2. Integrum familiæ stemma visum mihi non est; in *duas* autem *lineas* divisam eam aliquando fuisse inde conjecturam facio, quod alios reperiam nudo nomine *de Dernbach* usos, alios, qui ei cognomentum *Grauel* addiderunt, coloribus etiam insignium distinctos, quod in linearum divisionibus frequenter usu venit.

3. Inter illos, qui cognomentum *Grauel* gerere consueverunt, claruit duobus circiter retrò seculis *Heinricus*, pater, ex *Elisabetha* Rie-

Riedeslin ab Eyſenbach, Philippi, quo & *Margarita de Schleyer*, dicta *Schleger*, genitus eſt *Petrus*; hic è *Clara Glauerin de Wehr, Guilielmi Abbatis Fuldenſis* nepte è fratre, ſuſcepit *Melchiorem* & *Balthaſarem*. Hic avunculo magno in Eccleſiaſtica illa ac Principali dignitate an. 1570. ſurrogatus fuit, eaque cum laude defunctus an. 1606. d. 16. Mart. vitæ ſortem dereliquit. *Melchior* Conſiliarius Cæſareus, Fuldenſis Aulæ Mareſcallus, & Præfectus in *Bruckenau* & *Rockenſtul* extitit, paterque ex *Anna Catharina Schuzbarin dicta Milchling, Ottonis Guilielmi*, & *Petri Philippi*.

4. *Hic* eſt, de quo Dernbachia familia verè prædicare poteſt: *Tu mihi quodcunque hoc rerum eſt*; ſcilicet is an. 1619. Calendis Julii in lucem ſuſceptus, & adulta ætate honeſtis diſciplinis innutritus, mox anno 1631. *Canonicis* Eccleſiæ Cathedralis *Bambergenſis*, deinde an. 1643. *Herbipolitanis* adſcriptus fuit; eamque ſummo, quo præditus erat, ingenio, ſingularique, quam uſus addiderat, prudentia, æſtimationem ſibi peperit, ut Reverend. Epiſcopus Bambergenſis *Melchior Otto* inter arcanorum arbitros eum cooptaret, ſucceſſor autem ejus *Philippus Valentinus* Vicedominum poſſeſſionum, quos in Carinthia Bambergenſis Eccleſia tenet, conſtitueret, donec, illo rebus humanis exempto, ſedem vacuam Canonicorum ſuffragiis anno

1672.

1672. d. 21. Mart. ocuparet, infulaque decoraretur. Huic faſtigio anno ſequenti dignitas *Præpoſituræ Herbipolitanæ* acceſſit, quam denique biennio pòſt cum præſtantiore commutavit, electus poſt fata *Joh. Hartmanni à Roſenbach*, in *Epiſcopum Herbipolitanum & Ducem Franconiæ*. Atque utramque Diœceſin ad annum usque 1683. d. 22. Apr. rexit, quo morbo oppreſſus vitam amiſit. Ob ſummum autem erga Cæſarem ſtudium atque obſequium, & ſingularem pro libertate Germaniæ ab exterorum inſultibus ſarta ac tecta conſervanda curam à *Leopoldo Auguſto* hoc præmium tulit, ut familia *Dernbachia* in *L. Baronum* primò, deinde in S. R. *Imp. Comitum* Ordinem eveheretur.

5. *Otto Guilielmus*, modò laudati Præſulis frater, *Arnſteinenſis Præfectus & Conſiliarius Herbipolitanus* fuit, duxitque in matrimonium *Catharinam Magdalenam Echterin de Meſſelbrunn*, quæ *Julium Epiſcopum Herbipolitanum* propatruum, avunculum verò magnum *Johannem Adamum à Bicken, Electorem & Archiepiſcopum Moguntinum* habuit. Ex ea filios duos ſuſcepit, quos fato ſuo functus poſt ſe reliquit. Atque in horum maximè commodum gloriamque redundarunt dignitates aliaque decora, quibus in patrui gratiam Leopoldus Auguſtus familiam auxit. Poſtquam enim Imperator per *Reſcriptum*

ptum Linzii an. 1680. d. 2. Dec. datum Directorio *Circuli Franconici* significasset, se *Dernbacenses* in Ordinem S. R. I. *Comitum* extulisse, eaque propter postulasset, ut illi unà cum Dynastia *Wiesentheid*, quam in Circulo sibi comparaverant, pagisque, qui ad eam pertinent, nempe: *Kirchschonbach, Jenkerndorf, Atschhausen, Schvvarzenau, Abschvvind, Breitensee, Michelbach, Obersempach*, & *Dunckelhausen*, è Matricula Ordinis Equestris excerpti, Collegio Comitũ insererentur, Dernbacenses etiam *symbolam*, quam respectu dictæ Dynastiæ in ærarium circulare conferrent, obtulissent, assensere voluntati Cæsaris *Status Franconici*, & Dernbacensem familiam, cùm an 1681 m. Aug. *Würzburgi* diæta agitaretur, per solemnem introductionem, inter se receperunt.

6. Major natu, è dicta fratrum biga, quique familiæ dignitatem sustinet, hoc titulo cluit:

JOHANNES OTTO, S. R. I. *Comes à Dernbach, Dynasta in VVieſentheid, Comes Hereditarius in terris Austriacis Comitatus Arnsfels in Styria, & VValthenstein in Carinthia, S. Cæs. M. Camerarius, & Episcopatus Herbipolitani Mareſcallus Hereditarius*; (quod munus stirpis Leuchtenbergicæ interitu vacuefactum *Petrus Philippus*

pus Episcopus familiæ suæ contulit.) Is apud patruum *Consiliarii Secretioris*, *Supremi Aulæ Magistri & Præfecti in Kizingen*, *Detelbach & Stolberg* officiis præfuit. Connubio sibi junxit *Annam Mariam Voitin L. B. de Rineck*, *Georgii Christophori*, qui *Philippi Valentini Præsulis Bambergensis* frater erat, è *Maria Amalia ab Erthal* filiam, è qua prolem nondum sustulit.

7. *Philippus Wilhelmus* S. R. I. C *de Dernbach* &c. illius frater unicus, inter *Canonicos Bambergenses & Herbipolitanos* locum hoc tempore obtinet.

8. *Scutum* Comitis à Dernbach *quadripartitum* est: area 1. & 4. ad *perpendiculum secta*, parte priore *argentea tres rhombos oblongiores rubeos*, *quibus fascia argentea impressa*, posteriore *aurea aquilam dimidiam nigram* exhibet; quod symbolum fuit familiæ *de Wahlen*, quæ inter progenitores *Dernbacensium* enumeratur: 2. & 3. *cærulea baltheum argenteum*, *cui tres circuli cærulei inscripti*, continet, quod *Echterorum de Mespelbronn δεῖγμα* fuit; *toti* imponitur parmula *Dernbachiorum* gentilitia, quæ *tria corda aurea cuspidibus in scutuli umbilico coëuntibus*, *in solo cæruleo*, *plinthidibus argenteis sparso*, repræsentat. *Galeæ* imponuntur *tres coronatæ*: è prima *Wahlensi* aquila nigra expansis alis exsurgit; *media* jugum alarum cærularum expli-

explicitarum, quibus plinthides & corda *Dernbacensia* inscripta, sustinet; *extremam* cornua cœrulea duo, quibus baltheus & circuli *Echterenses* impressi, præmunt.

CAP. III.

DE COMITIBUS AB ERPACH.

QUæ de origine Illustrissimorum *Comitum ab Erpach* notissima ac pervulgata est sententia, quod scilicet ab *Eginhardo*, Caroli M. Archicapellano ac Notario, cui miro & suavi casu, quem amor peperit, *Imma* ejusdem Imperatoris filia, uxor obtigit, genus ducant, eam haud nuda traditione, aut siculneis testimoniis, sed fide dignis monumentis niti, *Cl. Spenerus*, veteri documento à familia sibi suppeditato, ivit assertum; inprimis autem descriptione ab ipso *Eginhardo* literis consignata regionis pertinentis ad *Michlenstatt*, quam Ludovicus I. Imp. ipsi dono dedit, quæque etiam nunc in *Erpachiorum* ditione est. *Op. Har. l. 2. c. 23.*

2. Sed continuam gentis deductionem inde ab *Eginhardo* nemo, quantum quidem scio, hactenus extitit, qui daret. *B. Rittershusius* ultra *Conradum Seniorem ab Erpach*, qui an. 1337. vixit, non ascendit; quam-

quam hujus, *Conradi* nimirum, etiam posterorum enumeratio, quam exhibuit, manca esse videtur, eò quod nulla inibi mentio occurrat *Theodorici*, quem ab an. 1435. usque ad an. 1459. *Moguntinum Archiepiscopatum* tenuisse legimus; quique patrem habuit *VVolfgangum, Pincernam ab Erpach*, matrem è *Baronum à Winsperg* familia, avum *Fridericum*.

3. *Pincernæ* axioma, quo olim utebantur, inde fuit, quod *Palatinatus ad Rhenum Pincernæ sunt Hæreditarij*; ipse quoque Comitatus *Erpacensis* Electoribus Palatinis lege beneficiaria obnoxius esse perhibetur; situsque is est in confiniis Hassiæ, Palatinatus, & Franconiæ. Præter eum verò aliis etiam possessionibus gaudent Erpacenses, nempe medietate dominii *Breubergensis*, quam *Mariæ, Michaëlis Senioris C. Wertheimij* filia, *Eberhardo Erpachio* marito suo attulit; hujusque posteri transactione cum Lövvensteinijs, ad quos reliqua successio Wertheimica devenerat, an. 1551. inita, sibi asseruerunt. Ea licet ferali illo Germaniæ bello vim sit passa; attamen per *Instrumentum Pacis Osnabr.* pristinum vigorem recuperavit; mandatumque fuit ut *domus Erpacensis in castrum Breubergicum, omniaque ejus jura, ipsis cum C. Lövvensteinensi communia, tam quoad præsidium, ejusdemq; directionem, quàm cætera civilia jura restituerentur.* *Artic. 4.*

4. *Bi-*

4. *Bickenbachia* etiam Dynastia aliquando penes Erpachios fuit, quippe quam *Erasmus* à tutoribus liberorum *Alberti Mansfeldij*, cui testamento soceri sui *Conradi ultimi Domini de Bickenbach* ea obvenerat, ære anno 1470. sibi comparavit; verùm vix triennii spatio quietè tenuit: orto enim anno 1504. bello Bavarico Landgravius Hassiæ, quod Erpachii nomen suum literis diffidationis inseri passi essent, adeoque Cæsaream Majestatem læsissent, causatus, armis eam unà cum præfecturis *Schœmberg*, *Dannberg*, *Jugenheim*, & dimidiam præfecturam *Habizheim* occupavit; nec, licet à Cæsare, qui Erpachiis veniam dederat, admonitus, restituit: sed redditis illis tantùm, quas dixi, præfecturis, ac persoluta aliqua pecuniæ summa, *Bickenbachio* cum 62. vasallis, titulo atque insignibus, quæ jam scuto suo inserere cœperant, renuntiare eos adegit. *Spen. l. c. §. 10. & 11.*

5. Præterea alia insuper bona, quæ in Erpachiorum peculio quondam fuere, alienata fuisse, conquesti illi sunt in *Gravaminibus Matricularibus*, quæ an. 1678. in comitiis exhiberi curarunt: nimirum pagum *Langwaden*, ad sylvam *Hanssenwald* dictam situm, venditione ad *Hasso-Darmstadiensem* domum an. 1621. perveniisse; tum pagum *Erlebrunn*, eodem titulo, *Herbipolitanæ Diœcesi* accessisse; porrò pagum *Crumbach* cum

aliis prædiis *Equiti à Vorburg* an. 1630. divenditum esse; denique *Ludovici C. Erpacensis* viduæ *Johannæ C. de Sain* per transactionem coram commissione Cæsarea an. 1662. sancitam, fructus, quos prædia gentilitia in *Somb*, *Habichheim*, & *Spachbrücken* reddunt, cedendos fuisse.

6. Cæterùm, seculo superiore ad finem vergente, ad unicum germen nempe *Georgium*, Eberhardi filium, redacta fuit stirps Erpacensis; hic licet matrimonio ter repetito, numerosam genuerit sobolem, iterum tamen ad solum *Georgium Albertum*, filium ejus natu minimum, familiæ propagatio rediit, cùm reliquorum *Georgij* gnatorum proles mascula breve ævum sortita esset. Habuit *Georgius Albertus* annum natalem, in *tab. Rittershus.* omissum, 1597. d. 16. Dec. emortualem 1647. Nuptias *ter* celebravit: primas cum *Magdalena Nassovia*, quæ an. 1633. in partu sextæ prolis, sed in utero extinctæ, animam exhalavit; secundas cum *Anna Dorothea Dn. de Limpurg*, ea an. 1634. d. 23. Jun. decessit; tertias cum *Elisabetha Dorothea C. ab Hohenloe*, quæ octo liberorum mater facta est.

7. Sobolis è *primo conjugio* natæ sylloge hæc est: (I.) *Ernestus Ludovicus*, n. 6. Octob. 1626. †. 29. Maji. 1627. (II.) *Ludovica Albertina*, n. 5. Oct. 1628. †. 2. Oct. 1645. (III.) *Georgius Ernestus*, n. 6. Oct. 1629. maritus

Caro-

Carolæ Christinæ C. ab Hohenloe in Schillingsfurst, quæ novercæ ejus soror erat, an. 1656. ductæ, verum an. 1669. d. 15 Aug. improlis defunctus, (IV.) *Maria Carola*, n. 24 Mart. 1631. nupta *Joh. Ernesto C. ab Isenburg in Budingen*, nunc vidua, (V.) *Anna Philippina*, n. 21. Jul. 1632. †. 4. Mart. 1633. E *tertia conjuge* nati, hi sunt: (I.) *Georgius Fridericus*, n. an. 1636. †. an. 1653. (II.) *Anonymus*, n. an. 1637. (III.) *Sophia Elisabetha*, n. an. 1640. †. an. 1641. (IV.) *Christina Elisabetha*, n an. 1641. uxor *Saleptini Ernesti C. de Manderscheid in Blanckenheim* (V.) *Georgius Ludovicus*, de quo posteà. (VI.) *Georgius Albertus*, n. an. 1644. †. a. 1645. (VII.) *Georgius*, n. 19. Maji 1646. is Batavis militavit, connubioque sibi junxit *Ludovicam Annam, Georgii Friderici Com.* nunc *Pr. de Waldeck & Culenburg* filiam; sed præmatura morte anno 1678. oppressus, non nisi fœmellas duas, (quarum natu major *Sophia Carola* an. 1672. nata, anno sequenti denata est, *altera* incomperti nominis hoc ipso anno 1683. fatorum iniquitate rapta esse fertur) genuit; denique (VIII.) *Georgius Albertus* superstes.

8. Duo itaque nunc palmites in Erpacensi stirpe florent, pulchra propagine conspicui: inter eos potior est naturæ ordine

GEORGIUS LUDOVICUS, *Comes*

in Erpach, Dn. in Breuberg; hausit is auram vitalem an. 1643. & penatibus suis induxit *Amaliam Catharinam, Philippi Theodorici C. de Waldeck* è *Maria Magdalena Nassovia* filiam; è qua numerosam sobolem procreavit, hac serie:

I. *Heinricam*, n. 27. † 29. Sept. 1665.
II. *Heinricam Iulianam*, n. 15. Oct. 1666.
III. *Anonymum*, 30. Aug. 1667.
IV. *Philippum Ludovicum*, n. 10. Jun. 1669.
V. *Carolum Ludovicum*, n. 16. Jun. 1670.
VI. *Georgium Albertum*, nat. & †. 1. Jul. 1671.
VII. *Amaliam Mauritianam*, n. 13. Maji 1672. †. an 1674.
VIII. *Fridericum Carolum*, nat. 26. †. 27. Apr. 1673.
IX. *Anonymum*, an. 1674.
X. *Wilhelminam Sophiam*, nat. 16. Febr. 1675.
XI. *Magdalenam Carolam*, n. 6. Febr. †. 26. Nov. 1676.
XII. *Wilhelmum Ludovicum*, n. 81. Mart. 1677. †. 29. Febr. 1678.
XIII. *Amaliam Catharinam*, n. & †. 18. Febr. 1678.
XIV. *Fridericam Carolam*, n. d. 19. †. 21. Apr. 1679.

9. GE-

9. GEORGIUS ALBERTUS, *Comes in Erpach, Dn. in Breuberg*, post patris fata d. 26. Febr. an. 1648. in lucem editus, *Furstenaviæ* domicilium habet, nuncque in legione Equestri Circuli Franconici *Supremi Locumtenentis* munere fungitur. Duxit an. 1671. in matrimonium *Annam Christinam Dorotheam*, *Philippi Godofredi C. ab Hohenloe in Waldenburg*, ex *Anna Christina Limpurgia* gnatam, cum qua genuit

I. *Christinam Elisabetham Sophiam*, n. 4. Nov. 1673.

II. *Philippum Fridericum*, n. 11. Jan. †. 25. Jul. 1676.

III. *Philippum Carolum*, n. 14 Dec. 1677.

IV. *Dorotheam Elisabetham*, n. &. †. 12. Febr. 1679.

V. *Carolum Wilhelmum*, n. 30. Nov. 1680.

VI. *Ernestum Fridericum Albertum*, n. 27. Dec. 1681.

10. *Scuto* Comites enumerati *quadripartito* utuntur: area 1. & 4. *transversim secta parte superiore rubea*, *inscriptis duabus stellis argenteis*, *inferiore argentea*, *stella unica rubea impressa*, Comitatum *Erpacensem* denotat; 2. & 3. *argentea inductis fasciis duabus miniatis*, *Breubergicam* Dynastiam designat. *Galea* incumbit *unica*, cui insistunt *duo cornua*, *dextri* pars superior *minio*, inferior *argento* tin-

gitur; *sinistri* partes *oppositos colores* servant. Inter hæc cornua ob *Breubergam* duæ *lanceæ aureæ decussatim* locantur, quarum *vexilla rubeis & argenteis fasciis* distinguuntur; *Laciniæ rubeæ* sunt & *argenteæ.*

CAP. IV.

DE COMITIBUS AB HOHENLOE.

QUæ primum locum inter *Francónicos Comites* suo merito obtinet Illustrissima *Comitum ab Hohenloe* sive *Holach* familia, ea à nonnullis originem traxisse fertur à prisca gente Romana *Flaminiorum*, qui per longum ævi spatium *Romandiolæ* imperaverint, tandemque à Pontificibus Romanis sede pulsi in Germaniam migraverint; sed hi sunt ferè quibus domestica nobilitas sordet, quique nihil illustre satis, nisi quod vel à Trojanis vel à Romanis arcessi possit, putant; quorum vanitatem & insaniam graviter *Fr. Irenicus* perstrinxit.

Germ. Exeg. l. 2. c. 2.

2. Non eget emendicatæ ab exteris originis gens vernaculis decoribus clarissima, quin potiùs illud it assertum, *Sigfridum C. ab Hohenloe* Germano sanguine cretum, (*Cratonis*, cui *Luitgardis ab Helfenstein* uxor datur, cujusque primi ex hac familia memoria circa an. 897. reperitur, atnepotem, *Her-*

Hermanni verò, qui *Adelhaidin*, in *Sanctarum* cœtum locatam, Heinrici Ducis Franconiæ viduam, *Conradi II. Imperatoris* matrem, in conjugio habuit, nepotem) cùm Heinricum IV. Cæsarem Romam armata manu proficiscentem, & contumeliarum ab Hildebrando Papa acceptarum pœnas petentem, secutus esset, in Italia sedem collocasse; unde ejus filius, *Ado* sive *Otto de Alta Flamma* dictus, (converso scilicet Germanica nominis voce in *Latinum* idioma) *Comes Italiæ* fuerit, posteriúque ejus *Marchionum Italiæ & Romaniolæ* axiomate eminuerint, usque ad *Godofredum*, Ottonis pronepotem; queman. 1180. à Pontifice Romano, cui ob studium obsequiumque erga Cæsarem odio erat, exagitatum, & in majorum patriam reversum Imperator Fridericus I. ipsi aliquo cognationis nexu conjunctus (erat enim Cæsari *proaviâ*, nec *mater*, ceu *tab. Rittershus.* habet, *Hildegardis Hohenloica, Conradi* è linea *Weickersheimensi*, quam *Sigfridus*, alterius *Sigfridi*, cujus mentio facta est, patruus condidit, in tertia vel quarta generatione iterum extinctam, filia) ditione aliqua iterum donaverit, ipse verò pecunia in Italia conflata reliquum ad *Cocharum* agrum sibi comparaverit. Feruntur autem familiæ possessiones amplissimæ olim fuisse, è quibus tamen quædam processu temporum in alienam po-

testatem transierunt: ita *Crailsheim*, *Kreglingen*, *Uffenheim*, & omnia montana versùs Sulzbacum, ad Marchiones Brandenburgicos devenisse, eaque uxor una cujusdam Comitis Hohenloici, Cæsareo sanguine on-
L. 6. l. 3. c. 56. ta, *ut regali luxui responderet* (*Fr. Irenici* verba refero) *& ejus stirpi debito sumptui indulgeret*, vendidisse traditur. *Mergentheim* quoque, & penè totus ille circuitus, *Teutonico Ordini* ab *Hohenloicis* donationis titulo obvenit.

3. *Godofredo*, à quo digressus sum, filius fuit *cognominis*, qui inter executores testamenti ab Heinrico VI. Imp. nuncupatus est, atque ex *Anna Landgr. de Leuchtenberg*, præter alios, *Godofredum* ac *Conradum* genuit: qui avitum nomen *ab Hohenloe* resumsisse dicuntur. *Conradus* ramum profevit *à Brauneck* dictum, qui circa an. 1390. in ejus atnepotibus exaruit. *Godofredus* reliquorum Hohenloicorum autor fuit, & pronepotem habuit *Cratonem*, Ludovici Bavari Imp. *Marescallum* fratrem *Godofredi*, qui *Supremum Ordinis Teutonici in Prussia Magisterium* gessit, & patrem *Cratonis* atque *Ulrici*; horum *ille* lineam *Uffenheimensem* condidit, in ejus nepote *Johanne*, qui *Dynasta in Speckfeld* audiit, iterum extinctam, tranfiitque *Speckfeldia* ad *Johannis* sororium *Fridericum Dn. de Limpurg*. *Ulricus* proavus *Alberti*

exti-

extitit, cui uxor *Elisabetha Hanovica* jus in Comitatum *Ziegenhainensem*, à matre *Elisabetha C. à Ziegenhain* acquisitum, attulit, idque ad liberos ex sese genitos transmisit; quibus proinde longa cum *Landgraviis Hassiæ* controversia nata est, quæ nepotum demum ætate in comitiis Wormatiensibus, Hohenloicorum intertrimento, terminata fuit.

4. *Alberti* filius *Crato* è *Margarita Oetingensi Godofredum* & *Cratonem* suscepit; prioris posteritas in *Wolfgango* ejus nepote itetum defecit; altero natus est, præter complures alios, *Georgius*, quem omnes, quotquot è familia nunc superant, *communem parentem* agnoscunt, is enim è duplici conjugio *Praxedis C. à Sulz*, & *Helenæ Truchsessiæ de Waldpurg Ludovicum Casimirum* & *Eberhardum* suscepit, *duarum linearum*, quibus Hohenloici primariò distingui solent, autores, nempe: *Neosteinenſis* & *Waldenburgicæ*. Illis verò Ferdinandus I. Augustus an. 1558. per Rescriptum facultatem concessit, gentilitiis insignibus ac familiari titulo, symbolum ac nomen *Langenburgensis* dominii adjungendi; quippe quod jam à longo tempore, post extinctos pristinos Dominos, in Hohenloicorum ditione fuerat.

5. *Neosteinensis* lineæ conditor *Ludovicus Casimirus* filiorum quinque ex *Anna Solmen-*

sis

mensi parens factus est, è quibus quatuor in conjugio vixerunt, nec tamen nisi solus *Wolfgangus* stirpem propagavit: inter cæteros *Philippus* eminuit, militari virtute insignis, in quo nihil desiderari potuisse, *Tuanus* censuit, quàm in præcipiti ac feroci natura moderationem: is *Annam*, *Guilhelmi Arausionensis* filiam, in conjugio habuit, XXXIV. annos Ordinibus Belgii summa fide ac constantia militavit, & post socerum nefario scelere interfectum, puero adhuc *Mauricio* vicarias opes, donec adolesceret, eadem fide implevit. *Wolfgango* & *Magdalena Nassovia* quatuor inprimis filii nati sunt, videlicet: *Georgius Fridericus*, *Ludovicus Casimirus*, *Crato* & *Philippus Ernestus*: ex his *secundus* in militia adversus Turcas ad *Strigonium* cœlebs vitam amisit; à reliquis rami tres prodierunt: *Weickersheimensis*, *Neosteinensis* & *Langenburgicus*.

Hist. Lib. 136.

6. Enumeratæ de cætero fratrum quadrigæ soror fuit *Maria Agnes*, nupta *Philippo Ernesto*, ultimo *Comiti de Gleichen*; is prole destitutus cum fratribus uxoris suæ *pactum hæreditarium* inivit, easque, si absque liberis moriturus esset, successores in Comitatu *Gleichensi* constituit. Verùm cùm Duces Saxoniæ, quibus tanquam Landgraviis Thuringiæ magna Comitatus pars lege fiduciaria obnoxia erat, pactum istud ratum habere nol-

nollent, hoc modo Hohenloicorum commodis consultum fuit, ut reliqua etiam bona Gleichensia, eaque allodialia Ducum Saxoniæ clientelæ subderentur; quo effectum est, ut illi pactum istud suo assensu corroboraverint, & Hohenloici, sororio absque prole defuncto, de prædicto Comitatu investiti fuerint.

7. *Georgius Fridericus*, filiorum *Wolfgangi* natu maximus, in partitione patrimonii dominium *Weikersheim* sortitus est, tres præfecturas complectens: *Weickersheim*, quod oppidum est ad *Tubarum*, *Schrozberg*, & *Hollenbach*. Clarum ille verò nomen bello superiore Germanico consecutus est, & nomine Regis Sueciæ *Circulum Suevicum* rexit, *Augustæq;* præfuit. Cum primâ uxore *Eva Waldsteinia* aliquot prædia, in *Bohemia* sita, dotis loco accepit, quæ postea Ferdidus II. Imp. in fiscum redegit, sobolem verò nullam ex illa suscepit; è secunda autem, quæ *Maria Magdalena Oetingensis* fuit, gnatam unicam *Eleonoram Magdalenam*, quæ *Heinrico Friderico* patrueli suo in *Langenburg*, apud quem pater ejus ultimos vitæ annos, propria ditione à Cæsareis detenta, exegerat, in manum convenit. Perfunctus est vitæ munere an. 1645. d. 7. Jul.

8. *Cratoni*, alteri *Wolfgangi* filio, *Neosteinense* dominium obtigit; quod comprehendit oppidum *Neuenstein*, *Forchtenberg*

berg, *Cunzelsau*, *Michelbach* aliaque: habuit ille in conjugio *Sophiam C. Palatinam in Birckenfeld*, a. 1676. d. 6. Nov. mortuam, ille verò jamdum an. 1641. d. 18. Apr. fatis concessit; postquam XIV. liberorum pater factus esset. Sequiorii sexus octo fuere, è quibus sola superat *Eleonora Clara*, *Gustavo Adolpho C. Nassovio Saraponiano* an. 1662. nupta; è reliquis, præter illas quarum fata *Rittershusius* notavit, *Anna Dorothea*, *Joachimi Ernesti C. Oetingensis* secunda uxor an. 1646. *Margarita Hedvvigis*, *Caroli Ottonis C. Palatini* consors an. 1676. d. 24. Dec. *Sophia Magdalena* & *Eva Crafftelina*, innuptæ, *illa* an. 1680. *hæc* an. 1651. d. 2. Jan. decesserunt. Inter mares, quorum sex fuere, *Crato Magnus* & *Maximilianus* vivere desierunt, *hic* an. 1658. d. 22. Mart. *ille* an. 1670. d. 6. Oct. uterque cœlebs. Reliqui quatuor, parte hæreditatis *Weickersheimicæ* aucti, superstites sunt, atque an. 1677. m. Dec. interpositis pactariis & concordiæ arbitris, Legatis scilicet Electoris Palatini, nec non Episcopi Bambergensis & Herbipolitani, de divisione inter se transegerunt.

9. *Senior* totius familiæ *feudorumq; Administrator* in præsentia est

JOHANNES FRIDERICUS, *Comes in Hohenloe & Gleichen, Dn. in Langenburg & Crantzhfeld.* Is in lucem susceptus est

est an. 1617. d. 31. Jul. sedemque *Oeringæ* fixit, quod eximium est oppidum in confiniis Franconiæ & Ducatus Wirtenbergici situm, Gymnasio ornatum, & toti familiæ commune, cujusque portio, quanta nempe ad *Neosteinensem* lineam spectat, cum aliis præfecturis in dicta ditionum divisione illi obtigit. Sociavit sibi matrimonio *Ludovicam Amœnam*, è *Ducibus Holsatiæ* prognatam, patre *Friderico in Norburg*, matre *Eleonora Anhaltina*. Liberorum ex hoc conjugio natorum sylloge hæc est:

I. *Fridericus Crato*, n. 22. Febr. 1667.
II. *Sophia Eleonora*, n. 18. Aug. 1668.
III. *Ioh. Ernestus*, n. 24. Mart. 1670.
IV. *Carola Ludovica*, n. 4. Nov. 1671.
V. *Maria Christiana Amœna*, n. 26. Aug. 1673.
VI. *Carolus Ludovicus*, n. 23. Sept. 1674.
VII. *Sophia Elisabetha*, n. an. 1676. †.
VIII. *Augusta Friderica*, n.
IX. *Elisabetha Iuliana*, n. 20. Febr. 1679. †. cod. an.
X. - - - - nata an. 1680. & post baptismum iterum extincta.

10. SIGFRIDUS, *C. in Hohenloe & Gleichen* &c. S. R. I. *Eques*, *Colonellus & Director Comitatus Hohenloici*, *Weickersheimium*, quod in divisione sortitus est, incolit,

lit, hausit auram vitalem an. 1619. d. 28. Aug. primisque sed infaustis nuptiis duxit *Mariam de Kauniz*, viduam *Comitis ab Hodiz*, quæ cruenta morte, dum per noctem lumina sopor oppressit, è vita, incerto percussore, sublata fuit: multos demum post annos, nempe an. 1678. ille ad secunda vota transiit, copulando sibi *Sophiam Amaliam, Friderici C. Palat. Bipontini* ex *Anna Juliana Nassovia* filiam; prolem verò nondum genuit.

11. WOLFGANGUS JULIUS, *Comes in Hohenloe & Gleichen* &c. S. R. I. *Eques, S. Cæs. M. Campi Mareschallus*, anno 1622. d. 3. Aug. natus, bello Turcico superiore magna virtutis documenta edidit, famamque sibi peperit, ut longè devium iter à veritate tenuisse dicendus sit *Bapt. Nani*, Princeps cæteroquin Historicorum nostri ævi, qui in *parte secunda Hist. Venetæ*, quo loco Supremos Ductores copiarum Christianarum, qui *Canisio* obsidionem an. 1664. irrito conatu tentaverant, nempe *Petrum C. Strozzium*, *Nicolaum C. Zdrinum*, & *Hohenloicum* nostrum, inter se comparat, ita de *postremo* protervè fatur: *L' Hollac imperito nell' armi, stimava di mantenersi in credito col riprendere gli altri, e contendere qualunque proposta.* *Lib. 9. p. 565.* In partitione ditionum ille *Neosteinium*, ubi etiam domicilium instituit, nactus

dus est; *Wilmersdorf* ad *Zennam*, qui locus in *Baronum à Burgmilchling* peculio quondam fuerat, pretio sibi comparavit, & in dotalitium conjugi suæ, ceù ferunt, designavit; ea *Sophia Eleonora*, *Joachimi Ernesti D. Holsat. Plœrensis*, & *Dorotheæ Augustæ Holsat. Gottorpiensis* filia est; liberis caret.

12. JOHANNES LUDOVICUS, *C. in Hohenloe & Gleichen* &c. lucem primitus aspexit an. 1625. ipsis Cal. Januarii, ei in sæpè dicta divisione portio sua in *Gleichensi* Comitatu obtigit, habitationem verò in *Künzelsau* fixit: vitæ thoriq́ue sociam an. 1681. m. Apr. adjicivit, nempe *Magdalenam Sophiam*, *Joachimi Ernesti C. Oetingensis* è tertia conjuge *Anna Sophia Palatina* gnatam, è qua sobolem nondum suscepit.

13. *Langenburgici* rami sator *Philippus Ernestus* cùm an 1628. seculo valedixisset, complures liberos, ex *Anna Maria Solmensi*, an. 1634. d. 20. Nov. defuncta, genitos, post se reliquit. Inter filias sola superat *Maria Juliana*, quæ primis nuptiis *Joh. Wilhelmo Dn. de Limpurg in Gaildorf*, secundis *Francisco Limpurgio in Speckfeld* in manum convenit. Gnati septem fuere, è quibus quatuor natu majores ad virilem ætatem non pervenere; quintus *Joachimus Albertus Kirchbergam* incoluit, vitamq́ue usque ad an. 1675. d. 15. Jul. ἄγαμος produxit; ita ut

non nisi naru minimus nunc superstes sit.

14. Is est HEINRICUS FRIDERICUS, *C. in Hohenloe & Gleichen, Dn. in Langenburg & Cranichfeld.* Prodiit in lucem an. 1625. d. 7. Sept. & priore matrimonio sibi an. 1652. d. 25. Jan. sociavit *Eleonoram Magdalenam*, *Georgii Friderici* patrui ac tutoris sui filiam unicam, quam post quinquennium d. 14. Nov. an. 1657. iterum amisit, quatuor liberorum ex ea pater factus, qui cuncti immatura ætate extincti, quorumque nomina hæc sunt: (I.) *Sophia Maria*, n. 7. Mart. 1653. †. 1. Jul. e. a. (II.) *Philippus Albertus Fridericus*, n. 19 Apr. 1654. †. (III.) *Maria Magdalena*, n. &†. an. 1655. (IV.) *Ernestus Eberhardus*, n. 10. Sept. 1656. & an. 1671. d. 30. Mart. *Argentorati* variolis extinctus. Secundis nuptiis *Heinricus Fridericus* an. 1658. d. 5. Jul. sibi junxit *Julianam Dorotheam*, *Wolfgangi Georgii C. in Castel* filiam, è qua procreavit

I. *Albertum Wolfgangum*, n. 7. Jul. 1659.

II. *Christinam Iulianam*, n. 12. Apr. 1661. †.

III. *Ludovicum Christianum*, n. 8. Febr. 1662. †.

IV. *Philippum Fridericum*, n. 9. Jan. 1664. †.

V. *Sophiam Christinam Dorotheam*, n. 6. Febr. 1666. †.

VI. *Ludovicam Carolam*, n. 25. Apr. 1667.

VII.

VII. *Christianam Cratonem*, nat. 15. Jul. 1668.

VIII. *Eleonoram Iulianam*, n. 1. Oct. 1669.

IX. *Mariam Magdalenam*, nat. 14. August. 1670. †.

X. *Fridericum Eberhardum*, n. 24. Nov. 1672.

XI. *Iohannam Sophiam*, n. 16. Dec. 1673.

XII. *Christinam Mariam*, n. 31. Jan. 1675.

XIII. *Mauritium Ludovicum*, n. 21. Febr. 1676.

XIV. *Augustam Dorotheam*, n. 2. Jan. 1678.

15. Ad *VValdenburgicum* nunc accedamus lineam, cujus autor *Eberhardus* dictus est. Is ex *Agatha C. Tubingensi Georgium Fridericum* suscepit, trium filiorum è *Dorothea Ruthena de Plavven* patrem, videlicet: *Ludovici Eberhardi*, *Philippi Heinrici*, & *Georgii Friderici*, à quibus ramitotidem, *Pfædelbacensis*, *VValdenburgicus*, & *Schillingsfurstensis* provenerunt. Ex his *medius* haud ita pridem exaruit, licet sator ejus *Philippus Fridericus* (cui in divisione patrimonii dominium *Waldenburgense*, à castro montano sic dictum, cum præfecturis *Untern-Steinbach*, *Meinard*, & *Heimbach* obtigerat) è *Dorothea Walpurgi* agnata sua complures liberos sustulisset, filias nempe sex, gnatos quinque; illæ omnes, non minus ac filii, vivere desie-

runt, nimirum *Magdalena Juliana*, *Maximiliani Wilibaldi Truchsessii C. in Wolfegg* uxor, an. 1645. d. 11. Nov. *Sophia Elisabetha* an. 1621. d. 18. Jun. *Evæ Dorothea*, *Johanni Ludovico Rheingravio* nupta an. 1678. d. 5. Febr. *Walpurgis Dorothea*, *Praxedis Martha*, & *Eleonora Anna Eusebia*, innuptæ. Inter filios *Joh. Ernestus*, *Joh. Christianus* & *Maximilianus Heinricus* virilem ætatem non pertigere.

16. *Wolfgangus Fridericus*, natu maximus, *Evam Christinam*, agnatam è *Langenburgica* linea, thalamo an. 1646. d. 24. Aug. sibi junxit, & novem liberorum parens ex ea factus an. 1658. d. 21. Mart. vitam cum morte commutavit, postquam sobolem masculam turbato mortalitatis ordine omnem extulisset; universæ autem prolis catalogum, qui in *tab. Rittershus.* mancus est, dabo:

I. *Dorothea Maria*, n. 13. Jul. 1647. & *Philippo Alberto Dn. de Limpurg in Gaildorf* haud auspicatò nuptui locata, ab eo enim post aliquot annorum non infœcundum contubernium repudiata, pedissequæ suæ thalamum vacuum relinquere necesse habuit.

II. *Susanna Sophia Ludovica*, n. 6. Jul. 1648. nupta an. 1681. *Friderico Eberhardo C. in Löwenstein & Wertheim*, pronuper autem vidua facta.

III. *Carolus Philippus Fridericus*, n. 21. Jul. 1648. Dec. 1649.

IV.

IV. *Maria Juliana*, n. & †. 6. Maji 1650.
V. *Joachimus Heinricus*, n. 12. Maji †. 5. Sept. 1651.
VI. *Anna Isabella Eleonora*, n. 22. Nov 1652.
VII. *Philippina Friderica Christina*, n. 28. Febr. 1654 †. 22. Maji 1662.
VIII. *Georgius Fridericus*, n. 20 Maji †. 4. Jun. 1655.
IX. *Maria Clara*, n. 1. Febr. †. 4. Mart. 1657.

17. *Philippus Godofredus*, Wolfgangi Friderici frater ac successor, penatibus suis induxit *Annam Christinam Dn. de Limpurg*, cum qua non nisi sequioris sexus prolem genuit, atque an. 1679. d. 14. Dec. fato suo functus ramum quoad mares terminavit, ditionemque suam partim ad agnatos *Pfædelbacenses*, partim ad *Ludovicum Gustavum Schillingsfürstensem* transmisit. Filiarum ejus nomina hæc sunt:

I. *Dorothea Elisabetha*, n. 12. Oct. 1650. nupta *Hiskiæ* agnato in *Pfædelbach* an. 1666.
II. *Catharina Sophia*, n. 10. Oct. 1652. †. 24. Mart. 1670.
III. *Anna Iuliana*, n. 15. Dec. 1654.
IV. *Dorothea Christina*, n. 22. Nov. 1656. & an. 1671. *Georgio Alberto C. ab Erpach* elocata.

18. *Pfadelbacenſem* ramum *Ludovicus Eberhardus* proſevit. Is è ditionibus paternis *Pfadelbacenſe* dominium, cum præfectura *Sindringen* ad *Cocharum* obtinuit, & ex uxore *Dorothea Erpachia* liberos octo genuit; filiæ, quarum quinque fuere, omnes vivere deſierunt: tres in conjugio, ceu è *tabula* patet, duæ innuptæ, nempe *Agatha Erneſta* an. 1647. & *Eliſabetha* an. 1655. E filiis *natu maximus* primum ætatis annum non ſuperavit; proximus ab eo *Fridericus Crato* ad annum usque 1681. d. 14. Apr. vixit, & è conjuge ſua *Floriana Erneſta D. Wirtembergæ* an. 1657. d. 16. Febr. ducta, liberos quinque, ſed ſegregibus, ſuſcepit; quorum nomina hæc fuerunt: (I.) *Eberhardus Fridericus Erneſtus*, n. 2. Jun. †. 10. Jul. 1659. (II.) *Chriſtianus Albertus*, n. 19. Maji †. 3. Sept. 1660. (III.) *Sylvius Erneſtus*, n. 13. Mart. †. 1. Nov. 1663. (IV.) *Friderica Floriana*, n. 5. Nov. 1664 † 3. Sept. 1665. (V.) *Philippa Carola Johanna*, n. 21. Febr. 1667. †. 29. Apr. 1668.

19. *Natu minimus* è Ludovici Eberhardi filiis ramum *Pfædelbacenſem* nunc ſuſtentat, is eſt

HISKIAS, *C. in Hohenloe, Dn. in Langenburg*, editus in lucem an. 1631. d. 8. Sept. maritus *Dorotheæ Eliſabethæ*, agnatæ ſuæ è *Waldenburgica* linea, an. 1666. m. Majo ductæ, & pater I. *Chri-*

I. *Christinæ Dorotheæ Augustæ*, n. 24 Mart. 1667. †. 13. Sept. 1675.

II. *Ludovici Godofredi*, n. 8. Dec. 1668.

III. *Iohan. Friderici*, n. 10. Jul. 1670. †. 2. Aug. 1677.

IV. *Ernestæ Sophiæ*, n 17. Jul. 1671. †. 9. Apr 1672.

V. *Caroli Cratonis*, n. 25. Jan. 1673. † 9. Apr. 1678.

VI. *Philippi Christiani*, n. 20. Dec. 1673. †. 3. Apr. 1677.

VII. *Wilhelminæ Dorotheæ*, n. 4. Sept. 1675. †. 13. Jul. 1676.

VIII. *Wilhelminæ Sibyllæ Carolæ*, n. 21. Maji 1678.

IX. *Mariæ Catharinæ Sophiæ*, n. 28. Febr. 1680.

X. *Christinæ Iulianæ*, n. 3. Dec. 1682.

20. Restat ramus *Schillingsfürstensis*, quem *Georgius Fridericus Junior* condidit; Is enim in divisione patrimonii dominium *Schillingsfurst* cum præfectura *Bartenstein* nactus est. Obiit supremum diem an. 1635, postquam ex uxore *Dorothea Sophia Solmensi*, quæ anno demum 1660. d. 8. Jan. è vivis excessit, sedecim liberos sustulisset, filias sex, gnatos decem; illas quidem omnes, præter solam *Carolam Christinam*, *Georgii Ernesti C. Erpacensis* viduam, decessisse accepi; notan-

dum autem tertiam inter eas *Philippam Sabinam*, an. 1620. d. 26. Febr. natam, in conjugio *Friderici C. de Wied* vixisse, atque an. 1682. d. 24. Nov. ad meliorem vitam abiisse. E filiis, post illos, quorum emortuales in *tab. Rittershus.* memorantur, *Crato* an. 1643. obiit. *Joachimus Albertus* an. 1628. d. 9 Novemb. natus, *Thorunii* an. 1656. d. 29. Maji morbo militari periit, *Ernestus Otto* an. 1664. d. 7. Octobr. Viennæ eodem morbo extinctus est, cum in reditu esset ex Ungaria, ubi *Subcolonellus* Legionis Equestris Circuli Franconici prælio ad *S. Gotthardum* interfuerat, virtutisque suæ documenta ediderat; *Ludovicus Axel* intra primum vitæ mensem spiritum amisit. *Christianus* nomine Electoris Bavariæ *Neagoræ* in Palatinatu superiore præfuit, uxoremque duxit *Luciam C. ab Hazfeld*, è qua an. 1675. d. 1. Jun. defunctus filias quatuor, gnatumque unicum post se reliquit; illarum nomina hæc sunt: (I.) *Philippina Maria*, n. 3. Octobr. 1659. (II.) *Christiana Lucia*, nat. 9. Apr. 1661. (III.) *Dorothea Eleonora*, n. 9. Apr. 1661. †. 24. Aug. 1683. (IV.) *Maria Anna Adelhaid*, n. - - - - Filii unici nomen sic se habet:

PHILIPPUS CAROLUS CASPAR, *C. in Hohenloe, Dn. in Langenburg*, hausit auram vitalem anno 1668.

21. Qui

21. Qui è *Georgii Friderici* liberis masculis solus in vivis supereſt, is hoc titulo cluit: LUDOVICUS GUSTAVUS, *C. in Hohenloe, Dn. in Langenburg, S. Cæſ. M. Camerarius, Conſiliarius Aulico-Imperialis & Conſiliarius bellicus*, multis legationibus, quas apud Ordines Imperii, inprimis Circuli Franconici, ſumma prudentiæ & dexteritatis laude obiit, celebratus; ſuſceptus eſt in lucem an. 1634. d. 8. Jun. & uxorem ex eadem, qua frater Chriſtianus familia ſibi delegit. nempe: *Mariam Eleonoram, Hermanni C. Hazfeldici* filiam, eodemque cum illo die, qui 18. Febr. an. 1658. fuit, nuptias celebravit: eam cùm fatorum iniquitas rapuiſſet, ſecundis votis in thalamum anno 1668. adſcivit *Annam Barbaram, Philippi Erwini B. à Schönborn* gnatam; ex utroque conjugio prolem generavit. E *priore*

I. *Fridericum Hermannum*, nat. 15. Oct. 1658. †.

II. *Carolam Sophiam*, n. 13. Jan. 1660. †.

III. *Carolum Wilhelmum*, n. & †. 3. Apr. 1661.

IV. *Heinricum Mauritium*, n. 17. Maji †. 17. Sept. 1662.

V. *Philippum Erneſtum*, *Canonicis Moguntinenſibus* adſcriptum.

VI. *Fridericam Mariam Chriſtinam*, n. . . †. . . .

& *duos* adhuc *mares* brevis ævi, quorum nomina explorare, non fuit integrum.

22. E *posteriore thoro* prodiere

I. *Iohannes Philippus*, n. an. 1669.

II. *Maria Anna*, n. an. 1670 †.

III. *Anna Ludovica*, n. an. 1671.

IV. *Sophia Maria Anna*, n. an. 1673.

V. *Hedvvigis Anna Thereſia*, n. an. 1674.

VI. *Anna Auguſta*, n an 1675.

VII. *Maria Anna Ioſepha*, nat m. Febr. 1678.

23. *Scutum*, quo Comites ab Hohenloe uti ſolent, *quadripartitum* eſt: area 1. & 4. *argentea duos leopardos nigros* defert, quod *gentilitium* δεῖγμα eſt; 2. & 3. *transverſim ſecta*, parte ſuperiore *nigra leonem aureum gradientem*, inferiore *aurea octo rhombos nigros* continet, quod *Langenburgicum* ſymbolum eſt. *Galeæ* imponuntur *duæ*: è priore *gentilitia* inter *flammas rubentes expanſis alis aquila argentea*, ſive potiùs *Phœnix*, proſpicit; altera *Langenburgica* coronata inter *cornua duo nigra* ſuſtinet *exorientem leonem ſcutarium coronatum*: *Phaleræ* circumvolitant *nigræ* & *aureæ*.

24. *Neoſteinenſi* lineæ clypeus hic *Gleichenſi* parmula auctus eſt, quam medio ejus loco imponunt, exhibentem *leonem argenteum, auro coronatum*, in campo *cæruleo*: *ga-*

lea

leis etiam *novam* interjiciunt, eamque *coronatam*, quæ exhibet πρότομὴν *leonis argentei*.

CAP. V.

DE DOMINIS AC PINCERNIS A LIMPURG.

QUi Illustrissimam *Limpurgiorum* in Franconia gentem à priscis *Franconiæ Ducibus*, atque adeò Conradi II. Imperatoris agnatis derivant, etiamsi graduum series temporum injuria obliterata edi nequeat, haud levi mihi videntur duci conjectura; certè multum ei fidei adstruunt *insignia*, tàm *cuspidum*, quàm *clavarum argentearum*, quibus familia hodienum utitur: quemadmodum enim *cuspides* illas ab omni tempore Franconiæ Ducatus tesseram fuisse extra controversiæ aleam positum est; ita & *clavas* ab Imp. Conrado II. gestas, cœnobiumque ab ipso fundatum, cui *Limpurg* nomen, illis symboli loco usum esse è veteri marmore probari, Celebratissimus *Spenerus* refert. Neque abludunt ab hac sententia, quæ *Harprechtus* JCtus in *Parentalibus Eberhardi Limpurgii*, an. 1622. mortui, de gentis origine disseruit: *Quod ex Ducum vetustissimorum Francorum*, inquit, *familia & prosapia sive radice generosissima stirps Pincernarum Limpurgensium primitus repullulavit, vel inde manifestissi-*

Op. Her. l. 1. c. 58. §. 4.

ſtiſſimè liqueſcit, quod avorum noſtrorum memoria Godofredus à Limpurg primus in publicis Scriptis & Diplomatibus ſeſe Francorum Ducem ſcripſit, monetisq; eum titulum incudi voluit, non quidem ventoſæ aliqua ambitionis prurigine, ſed Ducalis ſuæ eminentiæ tutandæ cauſa.

2. Cl. *Rittershuſius* ſtirpem à *VValdramo Duce* quodam *Limpurgi* deduxit, in quo *Chriſtoph. Fræſchlinum*, qui illam itidem enumeravit, ſecutus eſſe videtur; verùm huic ſententiæ calculum ſuum addere haud immeritò *Spenerus* dubitavit, hanc præcipuè ob cauſam, quod jam an. 1180. mentio fiat cujusdam *Godofredi*, *Domini Limpurgici* & S. R. *Imperij Hæreditarij Pincernæ*, atque adeò non diù poſt mortem *Waldrami* illius, quem an. 1139. vel 1140. obiiſſe ferunt; de quo tamen apud *Fræſchlinum* altum ſilentium. Inde verò id etiam patet, à pluribus jamdum ſeculis *Pincernatus S. R. Imperij* munus in familia fuiſſe; & poſt *Godofredum* ſeculo quoque decimo tertio *Ulrici* cujusdam *Limpurgij* memoria (*Cruſio* teſte) in inficiatione aliqua, in gratiam Clauſtralium Dominorum *de Lorch* an. 1260. conſignata, reperitur, *Imperialis Aulæ Pincernæ* axiomate honeſtatus. Explent verò in hoc munere Limpurgii vices Regis Bohemiæ, quippe quem Archipincernam Imperii eſſe neminem latet.

Annal. Suev. P. 3. l. 2. c. 12.

3. Dividitur ſtirps *Limpurgica* in *ramos duos*.

duos, quos tribus fermè retro seculis produxit: namque *Fridericus Limpurgius*, qui an. 1414. decessit, cuique uxor *Elisabetha Hohenlohica Speckfeldiam* attulit, præter alios filios Ecclesiasticam vitam amplexos, inter quos etiam *Godofredus Episcopus Herbipolitanus* fuit, genuit quoque *Conradum* ac *Fridericum*; quorum ille *Gailndorfensem*, hic *Speckfeldicam* lineam condidit. Ad *Gailndorfensem*, præter Dynastiam hujus nominis, *Schmidelfeld* etiam & *VVelzen* pertinent; altera, præter *Speckfeldicum* dominium, Dynastiam *Ober-Suntheim*, haud procul Halâ Suevorum extra Franconici Circuli limites sitam, tenet. In hac *Majoratus* introductus fuit, in Gailndorfensi non item.

4. Hæc etiamsi masculis omni propemodum tempore abundaverit; attamen inde à *Conrado* ejus autore per sex generationes non nisi unicus in qualibet sobolem procreavit, donec patrum demum nostrorum memoria *Joachimus Godofredus* & *Johannes Wilhelmus*, *Alberti* & *Æmiliæ B. à Rogendorf* filii, naturam rerum parentem benigniorem experti, uterque ex se prolem genuit; nostra autem ætate atque adeò nuper admodum ad unicum iterum marem hæc linea redacta est: videlicet è *Joachimi Godofredi* filiis, quos è *Barbara Dorothea C. Oetingensi* suscepit, non nisi primogenitus *VVilhelmus Ludovicus* vir factus

ctus est, ducta in matrimonium *Elisabetha Dorothea*, agnata è *Speckfeldiis*; sed biennio pòst anno scilicet 1657. fatis concessit, cùm non nisi filiam unicâ *Dorotheam Elisabetham* an. 1656. d. 23. Nov. in lucem suscepisset: ea nunc in conjugio *Wilhelmi Heinrici in Schmidelfeld*, qui ei propior sobrino est, vivit. Inter fratres *Wilhelmi Ludovici* solus *Otto Heinricus* adolescentiæ annos superavit, an. 1653. d. 24. Sept. in Galliis vivis exemptus.

5. *Johannes Wilhelmus*, qui *Welzen* incoluit è *Maria Juliana Hohenloica* aliquot liberos genuit, filias duas, quarum *major natu* tertium mensem non explevit; altera *Sophia Eleonora*, post fata patris an. 1655. d. 29. Nov. in lucem edita, *Volratho* agnato in *Speckfeld* an. 1673. nupsit. Filii quinque fuere, quorum tres immatura ætate mors oppressit, duo longiorem vitæ usuram sortiri sunt. Inter hos natu major *Philippus Albertus Gailndorfii* domicilium instituit & *Dorotheam Mariam*, *Wolfgangi Friderici C. ab Hohenloe in Waldenburg* filiam, fœdere jugali an. 1667. sibi sociavit, & aliquot liberos utriusq; sexus, at *βραχυβίους*, ex ea genuit postea verò ejus pertælus, ignobilem mulierculam penatib⁹ induxit, eamq; mutata priùs religione & accepta dispensatione sollemni ceremonia an. 1680. d. 4. Oct. sibi copulavit, & justæ uxoris loco habuit. Cum au-

ter

tem jam id etiam moliretur, ut liberos, quos ex ea procreaturus fortè esset, successionis capaces redderet, morte oppressus & rebus humanis exemptus fuit; quod quidem sub finem mensis Aprilis an. 1682. contigit.

6. Solus itaque in linea *Gailndorfensi* nunc supereſt frater Philippi Alberti natu minor, qui *Schmidelfeld* incolit, & hoc nomine gaudet:

WILHELMUS HEINRICUS, *Dominus Limpurgi, S.R.Imp. Pincerna Hæreditarius & Semper Liber.* Prodiit in lucem an. 1652. d. 27. Jun. connubioq; sibi junxit *Dorotheam Elisabetham* agnatam, *Wilhelmi Ludovici* patruelis sui filiam; è qua gnatam unicam, an. 1677. d. 8. Maji natam, sustulit.

7. *Speckfeldicus* ramus, ad quem nunc deflectit sermo, Gailndorfensem fœcunditate nunquam non superavit; hac tamen tempestate præcipite adeò Illustris familiæ fato, ad mares tantum duos redactus est. Sator ejus *Fridericus* dictus fuit: is an. 1474. supremum diem obiit, & abavus extitit alterius *Friderici*, qui in aula Ludovici Electoris Palatini Supremam Præfecturam gessit, atque è duplici conjugio *Eberhardum & Heinricum* filios genuit; à quibus duo palmites orti sunt: *Speckfeldicus*, *speciatim* sic appellatus, & *Sunthcimensis*; posterior ante ali-

aliquot annos exaruit, cùm *Heinricus Casimirus*, *Heinrici* è filio *Ludovico Casimiro* nepos, an. 1676. d. 13. Maji de vita decessisset, nullis ex uxore sua *Eleonora Sophia Dorothea Wild- & Rhein-Gravia in Daun*, *Joh. Ludovici* gnata, liberis susceptis. Superstes autem est ejus soror *Elisabetha Dorothea*, an. 1639. d. 10. Oct. in lucem edita; quæ, post prioris maritu *Wilhelmi Ludovici* agnati sui è linea *Gailndorfensi* fata, *Wolfgango Theodorico C. de Castel* in manum convenit.

8. *Eberhardus*, qui *Speckfeldicum* palmitem protevit, in aula Wittenbergensi Supremi Præfecti Aulico-Provincialis munere functus est, & è *Catharina C. ab Hanau* aliquot liberos, inprimis gnatos duos genuit: *Philippum Ludovicum* & *Georgium Fridericum*: ille nonnisi filiæ unicæ, in *Castellensem* familiam elocatæ, pater factus est; *alter* verò, cùm an. 1651. vitam cum morte commutasset, filios quatuor, è *Magdalena Elisabetha C. ab Hanau* susceptos, post se reliquit. Ex his *primus* & *ultimus* vivere interea desierunt, nempe *Joh. Philippus* anno statim 1653. *Franciscus* verò primogenitus a. 1673. d. 16. Nov. Is *Mariam Julianam Hohenloicam*, *Joh. Wilhelmi* agnati sui in *Welzen* viduam, penatibus suis an. 1663. induxerat, sed non nisi filiam unicam *Philippinam Christinam Mariam*, in ortu, quem m. Sept. anno

anno 1666. habuit, extinctam, ex ea genuerat.

9. Reliqui duo *Georgii Friderici* filii in vivis adhuc sunt; inter eos potior nascendi sorte est, & *Majoratum* tenet

VOLRATHUS, *Dominus Limpurgi*, *S. R. Imperii Pincerna Hæreditarius & Semper Liber*, hausit is auram vitalem an. 1641. d. 21. Jun. & an. 1673. m. Sept. in matrimonium duxit *Sophiam Eleonoram*, fratriæ suæ è priore marito *Joh. Wilhelmo Dn. de Limpurg* filiam, quæ postquam duplicem sobolem, marem & fœmellam, videlicet *Johannem Fridericum Philippum*, n. 27. Jul. an. 1676. sed sequentis mensis d. 24. iterum extinctum, & *Wilhelminam Dorotheam*, n. 1. Nov. 1677. superstitem, enixa esset, malis divulsa querimoniis à marito discessit, atq; ad matrem suam, *Welzenii* degentem, filiolam secum trahens sese recepit; verùm anno superiore 1682. interpositis pararijs priscam rediisse Venerem & diductos jugo coëgisse aheneo, prolemque sed mollioris sexus, pignus restitutæ concordiæ, natam ipsis intereà esse accepimus.

10. GEORGIUS EBERHARDUS, *Dominus Limpurgi* &c. Volrathi germanus, lucem primitus aspexit an. 1643. d. 3. Oct. atque an. 1679. d. 9. Sept. in thalamum adsci-

vit *Johannam Polyxenam*, *Emiconis C. Leiningensis in Dagsburg* è *Dorothea VVadecensi* filiam; è qua genuit *Philippum Fridericum Carolum*, n. 18. Apr. † 15. Aug. 1681.

Sven. Op. cit. l. 1. c.

11. *Scutum* Dominorum de Limpurg *quadripartitum* est: area 1. & 4. *rubea quatuor cuspides argenteas ascendentes* continet, 2. & 3. *cærulea quinque argenteas clavas Trojanas*, 3. 2. defert. In corde scuti *scyphus aureus* conspicitur, *Pincernatus* symbolum. *Cassides duæ* incumbunt, quarum *prior* coronata *par cornuum*, *coloribus scuti per cuspides sectorum* sustinet, ex utriusque autem hiatu *vexillum* dependet, iisdem coloribus pictum; *posteriori* galeæ *crater* impositus cernitur: *Phaleris* ornatur hinc *argenteis* & *rubeis*, isthinc *argenteis* & *cæruleis*.

CAP. VI.

DE COMITIBUS A LÖWENSTEIN ET WERTHEIM.

QUo illustrior est *Comitum de Löwenstein* ortus, eò quoq; notior, neque quemquā, nisi planè in Germanica Historia hospitem, ignorare arbitror, eos à *Friderico Victorioso*, *Comite Palatino*, Ludovici III. Electoris filio sanguinem ducere; qui cùm, fratre suo natu majo-

majore atque Electore *Ludovico* IV. fatis functo, filii ipsius unici *Philippi* tutelam gessisset, & Electoratum administrasset, ne finito annorum curriculo in *Aurea Bulla* præscripto, & Philippo ad justam & moli regiminis parem ætatem perveniente, à gubernaculis discedere cogeretur, atque adeò ad humiliorem conditionem redigeretur, id consilii cepit, ut an. 1452. Philippum sollemni ritu in filium arrogaret, & unicum utriusque Principatus hæredem nuncuparet; sibi verò Electoratum, quoad in vivis esset, deligeret, promisso tamen & pacto perpetuo cœlibatu. Sed cùm hujus posteà ipsum pertæduisset, animum ad conjugium adjecit, & quia, ut æqualem vitæ thorique sociam sibi quæreret, conventione memorata prohibebatur, recum nepote, agnatisque communicata, duxit an. 1462. in matrimonium *Claram à Tettingen*, nobili genere natam, eamque legitimæ uxoris loco habuit; neque infœcundum conjugium hoc fuit, sed filii duo ex eo provenere, quibus genitor de suo patrimonio, assentiente filio adoptivo, dominia quædam assignavit; cumque major natu ex illis *Fridericus* Canonicus *Wormatiensis* & *Spirensis* patris fata prævertisset, alterum *Ludovicum* in possessionem illorum vivus immisit, *Comitisque* axioma ipsi ab Imp. Maximiliano I. impetravit. Postquàm verò an. 1476. è sæculo

culo exiisset, *Philippus* Elector omnes illas Dynastias (sola *Scharfeneccia* excepta) ad se recepit, & permutationis nomine *Comitatum Lövvensteinensem* substituit, quem ab ultimo ejus Comite Ludovico *Fridericus Victoriosus* an. 1441. XIV. millibus aureis Rhenanis emerat, quemadmodum *Autor Stemmatis Leostenianí*, an. 1624. *Francofurti* editi, uberiùs id recenset.

2. *Ludovicus*, cùm *bello Bavarico* Ruperti Palatini partibus adhæreret, ab *Ulrico D. Wirtenbergico*, cui proscriptionis Imperialis executio à Cæsare demandata, *Comitatu Lövvensteinensi* exutus est; eumque vix tandem recepit, bona tamen parte mutilatum, & *clientela* oneratum. Habuit in conjugio primò *Elisabetham Montfortiam*, dein *Sophiam Becklinam*, *Conradi C. Tubingensis* viduam; ex hac nullam, è priore verò multam sobolem sustulit, atque an. 1524. vivendi finem fecit. Nescio autem utrum ad ipsum, an ad filium ejus cognominem attineat, quod in *Postilla Philippi Melanchtonis* à *Pezelio* edita legitur his verbis: *novi Comitem valdè eruditum, excellentem ingenio & consilio* Ludovicum de Lövvenstein, *qui gratus erat Imperatori Maximiliano I. & multis aliis Principibus. Is cùm male regeret mores, propter incontinentiam interfectus est à quodam suo Scriniario, quem ablegaverat aliò ad literas alteri cuidam perferendas,*

Tom. I. p. 344.

dat; sed Scriniarius suspicans aliquid mali, cum simulasset abitum, abdidit se in domo, & cùm Comes lectum uxoris peteret, eum interfecit.

3. *Wolfgango*, filio *Ludovici* natu maximo ex illis, qui ad aliquam ætatem pertigere, nondum ex ephebis egresso desponsata fuit *Elisabetha*, *Cratonis C. Hohenloici* filia, vix quadrimula, rejectis nuptiis in illud usque tempus, quo ambo maturitatem allecuti fuerint: illo verò appropinquante, dum ad geniale festum apparatus fiunt, orto in arce *Leosteinia* incendio, sponsus miserè interiit. *Ludovicus* ejus frater privatam vitam coluit, neque sobolem ex uxore *Anna Limpurgia* procreavit. *Fridericus* verò cum *Helena Königseccia* aliquot liberos suscepit: è filiis *Wolfgangus* & *Ludovicus* stirpem propagarunt, ramosque duos proseverunt; quorum prior à *Wolfgango* conditus in ejus nepotibus *Georgio Ludovico* & *Joh. Casimiro*, patrum nostrorum memoria exaruit; *hic* enim liberis caruit, *ille* ex *Elisabetha Juliana C. ab Erpach* filiam unicam, in urbe *Veneta*, cui illo temporis tractu militabat, an. 1626. natam suscepit, & à Reip. Præside Tutelari *Marcam Christianam* appellavit; ea postmodùm cum matre, quæ secundis nuptiis *Joh. Baniero Archistratego Suecico* in manum convenit, in Sueciam delata *Gabrieli Ochsenstierna Comiti*

& *duos* adhuc *mares* brevis ævi, quorum nomina explorare, non fuit integrum.

22. E *posteriore thoro* prodiere

I. *Iohannes Philippus*, n. an. 1669.

II. *Maria Anna*, n. an. 1670†.

III. *Anna Ludovica*, n. an. 1671.

IV. *Sophia Maria Anna*, n. an. 1673.

V. *Hedvvigis Anna Thereſia*, n. an. 1674.

VI. *Anna Auguſta*, n an 1675.

VII. *Maria Anna Ioſepha*, nat m. Febr. 1678.

23. *Scutum*, quo Comites ab Hohenloe uti ſolent, *quadripartitum* eſt: area 1. & 4. *argentea duos leopardos nigros* defert, quod *gentilitium* δεῖγμα eſt; 2. & 3. *transverſim ſecta*, parte ſuperiore *nigra leonem aureum gradientem*, inferiore *aurea octo rhombos nigros* continet, quod *Langenburgicum* ſymbolum eſt. *Galeæ* imponuntur *duæ*: è priore *gentilitia* inter *flammas rubentes expanſis alis aquila argentea*, ſive potiùs *Phœnix*, proſpicit; altera *Langenburgica* coronata inter *cornua duo nigra* ſuſtinet *exorientem leonem ſcutarium coronatum*: *Phaleræ* circumvolitant *nigræ* & *aureæ*.

24. *Neoſteinenſi* lineæ clypeus hic *Gleichenſi* parmula auctus eſt, quam medio ejus loco imponunt, exhibentem *leonem argenteum, auro coronatum*, in campo *cœruleo*: *ga-*

leis

leis etiam *novam* interjiciunt, eamque *coronatam*, quæ exhibet προτομὴν *leonis argentei*.

CAP. V.

DE DOMINIS AC PINCERNIS A LIMPURG.

QUi Illustrissimam *Limpurgiorum* in Franconia gentem à priscis *Franconiæ Ducibus*, atque adeò Conradi II. Imperatoris agnatis derivant, etiamsi graduum series temporum injuria obliterata edi nequeat, haud levi mihi vidèntur duci conjectura; certè multum ei fidei adstruunt *insignia*, tàm *cuspidum*, quàm *clavarum argentearum*, quibus familia hodienum utitur: quemadmodum enim *cuspides* illas ab omni tempore Franconiæ Ducatus tesseram fuisse extra controversiæ aleam positum est; ita & *clavas* ab Imp. Conrado II. gestas, cœnobiumque ab ipso fundatum, cui *Limpurg* nomen, illis symboli loco usum esse è veteri marmore probari, Celebratissimus *Spenerus* refert. Neque abluduntab hac sententia, quæ *Harprechtus* JCtus in *Parentalibus Eberhardi Limpurgij*, an. 1622. mortui, de gentis origine disseruit: *Quod ex Ducum vetustissimorum Francorum*, inquit, *familia & prosapia sive radice generosissima stirps Pincernarum Limpurgensium primitus repullulavit, vel inde manifestissi-*

Op. Har. l. 1. c. 31. §. 4.

stissimè liquescit, quod avorum nostrorum memoria Godofredus à Limpurg primus in publicis Scriptis & Diplomatibus sese Francorum Ducem scripsit, monetisq; eum titulum incudi voluit, non quidem ventosæ aliqua ambitionis prurigine, sed Ducalis suæ eminentiæ tutandæ causa.

2. Cl. *Rittershusius* stirpem à *Waldramo Duce* quodam *Limpurgi* deduxit, in quo *Christoph. Fræschlinum*, qui illam itidem enumeravit, secutus esse videtur; verùm huic sententiæ calculum suum addere haud immeritò *Spenerus* dubitavit, hanc præcipuè ob causam, quod jam an. 1180. mentio fiat cujusdam *Godofredi, Domini Limpurgici* & S. R. *Imperij Hæreditarij Pincernæ*, atque adeò non diù post mortem *Waldrami* illius, quem an. 1139. vel 1140. obiisse ferunt; de quo tamen apud *Fræschlinum* altum silentium. Inde verò id etiam patet, à pluribus jamdum seculis *Pincernatus S. R. Imperij* munus in familia fuisse; & post *Godofredum* seculo quoque decimo tertio *Ulrici* cujusdam *Limpurgij* memoria (*Crusio* teste) in inficiatione aliqua, in gratiam Claustralium Dominorum *de Lorch* an. 1260. consignata, reperitur, *Imperialis Aulæ Pincernæ* axiomate honestatus. Explent verò in hoc munere Limpurgii vices Regis Bohemiæ, quippe quem Archipincernam Imperii esse neminem latet.

Annal. Suev. P. 3. l. 2. c. 12.

3. Dividitur stirps *Limpurgica* in *ramos duos.*

duos, quos tribus fermè retro seculis produxit: namque *Fridericus Limpurgius*, qui an. 1414. decessit, cuique uxor *Elisabetha Hohenloica Speckfeldiam* attulit, præter alios filios Ecclesiasticam vitam amplexos, inter quos etiam *Godofredus Episcopus Herbipolitanus* fuit, genuit quoque *Conradum* ac *Fridericum*; quorum ille *Gailndorfensem*, hic *Speckfeldicam* lineam condidit. Ad *Gailndorfensem*, præter Dynastiam hujus nominis, *Schmidelfeld* etiam & *VVelzen* pertinent; altera, præter *Speckfeldicum* dominium, Dynastiam *Ober-Suntheim*, haud procul Halâ Suevorum extra Franconici Circuli limites sitam, tenet. In hac *Majoratus* introductus fuit, in Gailndorfensi non item.

4. Hæc etiamsi masculis omni propemodum tempore abundaverit; attamen inde à *Conrado* ejus autore per sex generationes non nisi unicus in qualibet sobolem procreavit, donec patrum demum nostrorum memoria *Joachimus Godofredus* & *Johannes Wilhelmus*, *Alberti* & *Æmiliæ B. à Rogendorf* filii, naturam rerum parentem benigniorem experti, uterque ex se prolem genuit; nostraautem ætate atque adeò nuper admodum ad unicum iterum marem hæc linea redacta est: videlicet è *Joachimi Godofredi* filiis, quos è *Barbara Dorothea C. Oetingensi* suscepit, non nisi primogenitus *VVilhelmus Ludovicus* vir factus

ctus est, ducta in matrimonium *Elisabetha Dorothea*, agnata è *Speckfeldiis*; sed biennio pòst anno scilicet 1657. satis concessit, cùm non nisi filiam unicâ *Dorotheam Elisabetham* an. 1656. d. 23. Nov. in lucem suscepisset: ea nunc in conjugio *Wilhelmi Heinrici in Schmidelfeld*, qui ei propior sobrino est, vivit. Inter fratres *Wilhelmi Ludovici* solus *Otto Heinricus* adolescentiæ annos superavit, an. 1653. d. 24. Sept. in Galliis vivis exemptus.

5. *Johannes Wilhelmus*, qui *Welzen* incoluit è *Maria Juliana Hohenloica* aliquot liberos genuit, filias duas, quarum *major natu* tertium mensem non explevit; altera *Sophia Eleonora*, post fata patris an. 1655. d. 29. Nov. in lucem edita, *Volratho* agnato in *Speckfeld* an. 1673. nupsit. Filii quinque fuere, quorum tres immatura ætate mors oppressit, duo longiorem vitæ usuram sortiti sunt. Inter hos natu major *Philippus Albertus Gailndorfii* domicilium instituit, & *Dorotheam Mariam*, *Wolfgangi Friderici C. ab Hohenloe in Waldenburg* filiam, fœdere jugali an. 1667. sibi sociavit, & aliquot liberos utriusq; sexus, at βραχυβίους, ex ea genuit; postea verò ejus pertæsus, ignobilem mulierculam penatib⁹ induxit, eamq; mutata priùs religione & accepta dispensatione sollemni ceremonia an. 1680. d. 4. Oct. sibi copulavit, & justæ uxoris loco habuit. Cum autem

tem jam id etiam moliretur, ut liberos, quos ex ea procreaturus fortè esset, successionis capaces redderet, morte oppressus & rebus humanis exemptus fuit; quod quidem sub finem mensis Aprilis an. 1682. contigit.

6. Solus itaque in linea *Gailndorfensi* nunc supereſt frater Philippi Alberti natu minor, qui *Schmidelfeld* incolit, & hoc nomine gaudet:

WILHELMUS HEINRICUS, *Dominus Limpurgi, S.R.Imp. Pincerna Hæreditarius & Semper Liber.* Prodiit in lucem an. 1652. d. 27. Jun. connubioq; sibi junxit *Dorotheam Elisabetham* agnatam, *Wilhelmi Ludovici* patruelis sui filiam; è qua gnatam unicam, an. 1677. d. 8. Maji natam, sustulit.

7. *Speckfeldicus* ramus, ad quem nunc deflectit sermo, Gailndorfensem fœcunditate nunquam non superavit; hac tamen tempestate præcipite adeò Illustris familiæ fato, ad mares tantum duos redactus est. Sator ejus *Fridericus* dictus fuit: is an. 1474. supremum diem obiit, & abavus extitit alterius *Friderici*, qui in aula Ludovici Electoris Palatini Supremam Præfecturam gessit, atque è duplici conjugio *Eberhardum & Heinricum* filios genuit; à quibus duo palmites orti sunt: *Speckfeldicus*, *speciatim* sic appellatus, & *Suntheimensis*; posterior ante ali-

aliquot annos exaruit, cùm *Heinricus Casimirus*, *Heinrici* è filio *Ludovico Casimiro* nepos, an. 1676. d. 13. Maji de vita decessisset, nullis ex uxore sua *Eleonora Sophia Dorothea Wild-& Rhein-Gravia in Daun, Joh. Ludovici* gnata, liberis susceptis. Superstes autem est ejus soror *Elisabetha Dorothea*, an. 1639. d. 10. Oct. in lucem edita; quæ, post prioris marti *VVilhelmi Ludovici* agnati sui è linea *Gailndorfensi* fata, *VVolfgango Theodorico C. de Castel* in manum convenit.

8. *Eberhardus*, qui *Speckfeldicum* palmitem protulit, in aula Wirtenbergensi Supremi Præfecti Aulico-Provincialis munere functus est, & è *Catharina C. ab Hanau* aliquot liberos, inprimis gnatos duos genuit: *Philippum Ludovicum* & *Georgium Fridericum*: ille nonnisi filiæ unicæ, in *Castellensem* familiam elocatæ, pater factus est; *alter* verò, cùm an. 1651. vitam cum morte commutasset, filios quatuor, è *Magdalena Elisabetha C. ab Hanau* susceptos, post se reliquit. Ex his *primus* & *ultimus* vivere interea desierunt, nempe *Joh. Philippus* anno statim 1653. *Franciscus* verò primogenitus a. 1673. d. 16. Nov. Is *Mariam Julianam Hohenloicam*, *Joh. VVilhelmi* agnati sui in *VVelzen* viduam, penatibus suis an. 1663. induxerat, sed non nisi filiam unicam *Philippinam Christinam Mariam*, in ortu, quem m. Sept. anno

anno 1666. habuit, extinctam, ex ea genuerat.

9. Reliqui duo *Georgii Friderici* filii in vivis adhuc sunt; inter eos potior nascendi sorte est, & *Majoratum* tenet

VOLRATHUS, *Dominus Limpurgi*, *S.R. Imperii Pincerna Hæreditarius & Semper Liber*, hausit is auram vitalem an. 1641. d. 21. Jun. & an. 1673. m. Sept. in matrimonium duxit *Sophiam Eleonoram*, fratriæ suæ è priore marito *Joh. Wilhelmo Dn. de Limpurg* filiam, quæ postquam duplicem sobolem, marem & fœmellam, videlicet *Johannem Fridericum Philippum*, n. 27. Jul. an. 1676. sed sequentis mensis d. 24. iterum extinctum, & *Wilhelminam Dorotheam*, n. 1. Nov. 1677. superstitem, enixa esset, malis divulsa querimoniis à marito discessit, atq; ad matrem suam, *Welzenii* degentem, filiolam secum trahens sese recepit; verùm anno superiore 1682. interpositis pararijs priscam rediisse Venerem & diductos jugo coëgisse aheneo, prolemque sed mollioris sexus, pignus restitutæ concordiæ, natam ipsis intereà esse accepimus.

10. GEORGIUS EBERHARDUS, *Dominus Limpurgi* &c. Volrathi germanus, lucem primitus aspexit an. 1643. d. 3. Oct. atque an. 1679. d. 9. Sept. in thalamum adsci-

vit *Johannam Polyxenam*, *Emiconis C. Leiningensis in Dagsburg* è *Dorothea VVadeccensi* filiam; è qua genuit *Philippum Fridericum Carolum*, n. 18. Apr. † 15. Aug. 1681.

Spon. Op. var. l. 1. 2. 11. *Scutum* Dominorum de Limpurg *quadripartitum* est: area 1. & 4. *rubea quatuor cuspides argenteas ascendentes* continet, 2. & 3. *cærulea quinque argenteas clavas Trojanas*, 3. 2. defert. In corde scuti *scyphus aureus* conspicitur, *Pincernatus* symbolum. *Cassides duæ* incumbunt, quarum *prior* coronata *par cornuum*, *coloribus scuti per cuspides sectorum* sustinet, ex utriusque autem hiatu *vexillum* dependet, iisdem coloribus pictum; *posteriori* galeæ *crater* impositus cernitur: *Phaleris* ornatur hinc *argenteis* & *rubeis*, ist-hinc *argenteis* & *cæruleis*.

CAP. VI.

DE COMITIBUS A LÖWENSTEIN ET WERTHEIM.

QUo illustrior est *Comitum de Löwenstein* ortus, eò quoq; notior, neque quemquã, nisi planè in Germanica Historia hospitem, ignorare arbitror, eos à *Friderico Victorioso*, *Comite Palatino*, Ludovici III. Electoris filio sanguinem ducere; qui cùm, fratre suo natu majo-

majore atque Electore *Ludovico* IV. fatis functo, filii ipsius unici *Philippi* tutelam gessisset, & Electoratum administrasset, ne finito annorum curriculo in *Aurea Bulla* præscripto, & Philippo ad justam & moli regiminis parem ætatem perveniente, à gubernaculis discedere cogeretur, atque adeò ad humiliorem conditionem redigeretur, id consilii cepit, ut an. 1452. Philippum sollemni ritu in filium arrogaret, & unicum utriusque Principatus hæredem nuncuparet; sibi verò Electoratum, quoad in vivis esset, deligeret, promisso tamen & pacto perpetuo cœlibatu. Sed cùm hujus posteà ipsum pertæduisset, animum ad conjugium adjecit, & quia, ut æqualem vitæ thorique sociam sibi quæreret, conventione memorata prohibebatur, re cum nepote, agnatisque communicata, duxit an. 1462. in matrimonium *Claram à Tettingen*, nobili genere natam, eamque legitimæ uxoris loco habuit; neque infœcundum conjugium hoc fuit, sed filii duo ex eo provenere, quibus genitor de suo patrimonio, assentiente filio adoptivo, dominia quædam assignavit; cumque major natu ex illis *Fridericus* Canonicus *Wormatiensis* & *Spirensis* patris fata prævertisset, alterum *Ludovicum* in possessionem illorum vivus immisit, *Comitisque* axioma ipsi ab Imp. Maximiliano I. impetravit. Postquàm verò an. 1476. è se-

culo exiisset, *Philippus* Elector omnes illas Dynastias (sola *Scharfeneccia* excepta) ad se recepit, & permutationis nomine *Comitatum Lövvensteinensem* substituit, quem ab ultimo ejus Comite Ludovico *Fridericus Victoriosus* an. 1441. XIV. millibus aureis Rhenanis emerat, quemadmodum *Autor Stemmatis Leostenianí*, an. 1624. *Francofurti* editi, uberiùs id recenset.

2. *Ludovicus*, cùm *bello Bavarico* Ruperti Palatini partibus adhæreret, ab *Ulrico D. Wirtenbergico*, cui proscriptionis Imperialis executio à Cæsare demandata, *Comitatu Lövvensteinensi* exutus est; eumque vix tandem recepit, bona tamen parte mutilatum, & *clientela* oneratum. Habuit in conjugio primò *Elisabetham Montfortiam*, dein *Sophiam Becklinam*, *Conradi C. Tubingensis* viduam; ex hac nullam, è priore verò multam sobolem sustulit, atque an. 1524. vivendi finem fecit. Nescio autem utrum ad ipsum, an ad filium ejus cognominem attineat, quod in *Postilla Philippi Melanchtonis* à *Pezelio* edita legitur his verbis: *novi Comitem valdè eruditum, excellentem ingenio & consilio* Ludovicum de Lövvenstein, *qui gratus erat Imperatori Maximiliano I. & multis aliis Principibus. Is cùm male regeret mores, propter incontinentiam interfectus est à quodam suo Scriniario, quem ablegaverat aliò ad literas alteri cuidam perferendas,*

Tom. I. p. 344.

das; sed Scriniarius suspicans aliquid mali, cum simulasset abitum, abdidit se in domo, & cùm Comes lectum uxoris peteret, eum interfecit.

3. *Wolfgango*, filio *Ludovici* natu maximo ex illis, qui ad aliquam ætatem pertigere, nondum ex ephebis egresso desponsata fuit *Elisabetha*, *Cratonis C. Hohenloici* filia, vix quadrimula, rejectis nuptiis in illud usque tempus, quo ambo maturitatem allecuti fuerint: illo verò appropinquante, dum ad geniale festum apparatus fiunt, orto in arce *Leosteinia* incendio, sponsus miserè interiit. *Ludovicus* ejus frater privatam vitam coluit, neque sobolem ex uxore *Anna Limpurgia* procreavit. *Fridericus* verò cum *Helena Königseccia* aliquot liberos suscepit: è filiis *Wolfgangus* & *Ludovicus* stirpem propagarunt, ramosque duos proseverunt; quorum prior à *Wolfgango* conditus in ejus nepotibus *Georgio Ludovico* & *Joh. Casimiro*, patrum nostrorum memoria exaruit; *hic* enim liberis caruit, *ille* ex *Elisabetha Juliana C. ab Erpach* filiam unicam, in urbe *Veneta*, cui illo temporis tractu militabat, an. 1626. natam suscepit, & à Reip. Præside Tutelari *Marcam Christianam* appellavit; ea postmodùm cum matre, quæ secundis nuptiis *Joh. Baniero Archistratego Suecico* in manum convenit, in Sueciam delata *Gabrieli Ochsenstierna Comiti*

de Korsholm & Wasa, Regni Mareſcallo nupſit, & anno circiter 1673. mortalitatem explevit.

4. *Ludovicus*, Wolfgangi frater, quatuor Cæſares proſpera fortuna & egregia nominis fama emenſus, octogenario major deceſſit; *Conſilij Imperialis Aulici Præſes*, & *Caroli Archiducis in Styria, Carinthia & Carniola Produx* fuit. Ab uxore *Anna*, *Ludovici C. Stolbergici* filia, quam an. 1567. feliciſſimo matrimonio penatibus ſuis induxerat, accepit Comitatus *Werthheimenſem*, *Rupifortium* & *Montacutenſem*, nec non Dynaſtias *Herbimontanam*, *Chaſſepierrenſem*, cum parte *Breubergenſis*. Neque verò ſine negotio in poſſeſſionem horum Comitatuum & dominiorum venit, ſed ingens certamen ob *Werthheimium* præcipuè & *Breubergam* cum *Julio Epiſcopo Herbipolitano* exudandum ei fuit; quod etiam an. 1607. in bellum exarſit, quemadmodùm apud *Thuanum* legere eſt. Inter filios quatuor, qui vitæ ejus ſuperſtites manſerunt, hæc inita fuit diviſio, ut duo natu majores *Chriſtophorus Ludovicus* & *Ludovicus* Comitatum *Lövvenſteinenſem*, cæteri, *Wolfgangus* nempe *Erneſtus* & *Joh. Theodoricus*, dominium *Breubergenſe*, quantum ejus ad familiam pertinet, & *Belgicas* ditiones obtinerent; *Werthheimenſis* autem Comitatus *indiviſus* maneret. Verùm ex illa fratrum qua-

Hiſt. l. 138. f. 1304.

driga

driga duo, videlicet *Ludovicus* & *Wolfgangus Ernestus*, liberis caruerunt, unde cæteris eorum hæreditas accrevit, à quibus lineæ duæ ortæ sunt; quæ, posteaquàm *Joh. Theodoricus* Romanis sacris accessit, religione distingui cæperunt; ita ut prior alias *Virnenburgica* dicta, *Evangelica*, altera *Rupifortia*, *Catholica* appellaretur.

5. *Christophori Ludovici* linea *Virnenburgicum* cognomen consecuta est, à Comitatu hujus nominis, in confiniis Trevirensis & Colonienſis diœceseos sito, quem ille jure uxorio obtinuit: duxerat enim in matrimonium *Elisabetham*, filiam *Joachimi C. Manderscheidii*, prole masculâ destituti; hinc cùm inter plures ejus gnatas ditiones dispertirentur, *Elisabethæ* Cronenburgensis Dynastia obtigit, quam ipsa, marito assentiente, cum Comitatu *Virnenburgico*, qui sororio ejus Carolo C. Manderscheidio in Geroldstein obvenerat, commutavit. Liberos, an. 1618. m. Febr. vivis exemptus, quatuor post se reliquit, filios nempe tres, gnatam unicam; hæc *Catharina Elisabetha* nominata *Matthæo Moncadæ* Comiti Hispano nupsit, & an. 1666. m. Oct. *Francofurti* supremum diem obiit; cùm viva litem fratri de successione in Comitatu *Virnenburgico*, aliisque bonis maternis, in Camera Spirensi intentasset. E. filiis *Christophori Ludovici* duo minores na-

tu, *Erneſtus & Joh. Hermannus*, præmaturè vita caruerunt; primogenitus autem *Fridericus Ludovicus* ſtirpem propagavit.

6. Is per *Inſtrumentum pacis Oſnabruggenſis* reſtitutus eſt in omnes ditiones, *quæ tempore belli aliis ceſſæ, ſequeſtratæ & confiſcatæ fuerunt*, & à ſecunda uxore *Agnete Maria C. Tubingenſi*, jus in hæreditatem *Tubingenſem* adeptus eſt, de quo *ſuprà* dictum fuit. Ex hac conjuge ſobolem nullam ſuſcepit; prima verò *Anna Hedvvigis C. à. Stolberg*, nec non tertia *Anna Sidonia L. B. à Teuffenbach*, an. 1657. mortua, aliquot utriusque ſexus liberorum parentem eum fecerunt. Filiarum, quæ ſeptem fuere, nulla in matrimonium ivit; gnati quinque vitæ ejus, quam an. 1658. finivit, ſuperſtites manſerunt, tres è primo, duo autem è tertio conjugio geniti; hos inter natu minorem *Carolum Ludovicum* an. 1667. d. 8. Apr. fatorum iniquitas rapuit.

Introd. ad Lib. VII.

7. *Ludovicus Erneſtus*, Friderici Ludovici filius primogenitus, *Catharinam Eliſabetham C. in Sain & Witgenſtein* thori ſociam habuit, & an. 1681. d. 20. Sept. è vita diſceſſit, novem liberorum pater; è quibus fata ejus anteverterunt, filia primogenita *Chriſtiana Eliſabetha Agatha*, tertio ætatis anno, qui LXV. ſeculi fuit, d. 19. Oct. defuncta; nec non gnati duo, *Heinricus Mauritius*, n. & †. an.

†. an. 1669. & *Eberhardus Ludovicus* n 1671. †. 1672. Superant *filii duo, gnatæ quatuor*: Inter *illos* priore est nativitatis ordine

JOACHIMUS FRIDERICUS, *Comes in Lœvvenstein, Wertheim, Rochefort, Virnenburg & Montagu, Supremus Dominus in Chassepierre, Dn. in Scharffeneck, Breuberg, Herbimont & Neufchastel.* Prodiit is in lucem an. 1666.

8. *Eucharius Casimirus*, ejus frater unicus, auram vitalem hausit an. 1668.

Sororum ejus nomina hæc sunt:

I. *Sophia Ernestina*, n. 8. Maji 1663.

II. *Catharina Carola*, n. 6. Jun. 1664.

III. *Maria Dorothea Sophia*, nat. 27. Jul. 1665.

IV. *Amalia*; n. a. 1670.

9. *Fridericus Eberhardus*, Friderici Ludovici filius *secundogenitus*, duxit primis nuptiis an. 1667 *Ottiliam*, *Ottonis C. Lippiæ in Brackel* filiam; eaque an. 1680. defuncta, sequenti anno ad secunda vota transiit, inducendo penatibus suis *Susannam Sophiam Ludovicam*, *Wolfgangi Friderici C. ab Hohenhenloe in Waldenburg* gnatam; verùm an. 1683. sub initia Mensis Martii rebus humanis exemptus est. Liberos cum utraque conjuge procreavit, cum *priore* quatuor: (I.) *Johannam Fridericam*, iterum mortuam, (II.)

Sophiam Augustam superstitem, (III.) *Heinricam*, n. & †. an. 1671. (IV.) *filiolum*, n. & †. 1672. *Secundam* uxorem post mariti fata *sequioris sexus* prolem edidisse accepi, cùm ipso superstite *masculam* etiam enixa esset, nempe HEINRICUM FRIDERICUM, *Comitem in Lævvenstein, VVertheim* &c. an. 1682. natum.

10. *Gustavus Axel*, Friderici Ludovici è primo conjugio filius tertius, *Agatham C. Oetingensem*, *Laurentii C. ab Hoffkirch* viduam, pacto matrimonii sibi vinxit, sed sobole beatus non est; naturæ debitum hoc ipso an. 1683. persolvit.

11. ALBERTUS, *C. in Lævvenstein, VVertheim, Rochefort, Virnenburg & Montagu* &c. solus inter filios *Friderici Ludovici* superstes est, è cujus *tertio* conjugio an. 1647. d. 20. Aug. provenit. Connubio coivit an. 1676. cum *Carola Ernestina, Wilhelmi C. Solmensis in Greiffenstein* filia, è qua suscepit

I. *VVilhelmum Fridericum*,
II. *Dorotheam Sibyllam*,
III. *Ludovicum Mauritium*.

12. Hæc de linea Evangelica, nunc de *Catholica*: ejus autor *Joh. Theodoricus*, Vir acer militiæ & Martis verè pullûs, uxorem habuit *Josinam*, *Philippi Comitis Marcani* filiam,

liam, ob quam jus in successionem *Marcanam* lineæ *Lumeianæ* posteri ejus sibi quæsitum iverunt. Cum an. 1644. satis concessisset gnatas duas (*Josinam Walpurgin*, à Comite *Hermanno de Berg* è cœnobio abductam, & superstitem, nec non *Dorotheam Catharinam*, *Ferdinando Ludovico C. Manderscheidio in Geroldstein* nupram) & filium unicum reliquit. Hic *Ferdinandi Caroli* nomen habuit, & *Cubicularii Cæsarei*, nec non *Consiliarii Aulico-Imperialis* munia gessit. In catalogo restituendorum in *Instrument. Pacis* ejus non minùs, atque agnatorum ratio fuit habita, ceu dictum jam est. Obiit *Wertheimii* correptus apoplexia an. 1672. d. 24. Jan. multamque prolem, ex *Anna Maria C. de Furstenberg* uxore sua genitam, post se reliquit.

13. Inter *filios* primas nascendi sorte tenet MAXIMILIANUS CAROLUS, *C. in Lœvvenstein, VVertheim, Rochefort & Montagu, Supr. Dn. in Chassepierre, Dn. in Scharffeneck, Breuberg, Herbimont & Neufchastel.* Aspexit is lucem vitalem an. 1656. d. 14. Jul. Feudum Lumeianum (*Lumay*) in diœcesi Leodiensi, Comiti Marcano sub feloniæ prætextu ademptum, ipsi ab Electore Colonienſi collatum fuisse, *Novellæ* an. 1680. m. Januar. narrarunt. Connubio sibi junxit *Mariam Polyxenam Khuonin de Belasy, C. de Liechtenberg*, an. 1679. atque ex ea suscepit I. *Fran-*

I. *Franciscam*,
II. *Filium*, iterum mortuum.
III. *Maximilianum Carolum Iosephum*, n. an. 1682.

14. Fratres illi sunt quinque, videlicet:

I. *Philippus Eberhardus*, C. *in Lœvvenstein, Wertheim*, &c. n. 23. Aug. 1657. Canonicus *Colonienſis*, *Herbipolitanus*, & *Argentinenſis*.
II. *Franciſcus Leopoldus*, n. 25. Jan. 1661. Canonicus *Colonienſis*.
III. *Ferdinandus Hermannus*, Canon. *Colonienſis*.
IV. *Iohann Erneſtus*,
V. *VVilhelmus*.

15. *Sororum* Maximiliani Caroli octo numerantur, hoc ordine:

I. *Maria Anna*, n. 18. Jun. 1652. nupta *Wilhelmo Landgravio Haſſiæ in Rheinfels*, an. 1669.
II. *Eleonora*, n. 20 Jun 1653. Canoniſſa *Thorenſis*.
III. *Erneſtina Barbara Dorothea*, n. 23. Oct. 1654. ea primis nuptiis *Erico Adolpho C. de Salm & Reifferſcheid*, ſecundis, an. 1678. *Johanni Carolo C. de Sereni, Dynaſtæ Hæreditario in Zvvintlovv & Millotiz, Camerario & Colonello Cæſareo*, nunc verò *Ser. Electoris Bavariæ copiarum Præfecto*, in manum convenit.

IV.

IV. *Amalia*, n. 19. Jan. 1659. nupta an. 1682. *Francisco Andreæ C. de Rosenberg.*

V. *Magdalena.*

VI. *Sophia.*

VII. *Anna Maria.*

Denique VIII. *Wilhelmina.*

16. *Scutum* Comitum, quos enumeravi, *lineis duabus transversis & totidem perpendicularibus* in *novem areolas* dividitur: 1. *argentea leonem rubeum, auro coronatum, quatuor rupibus naturali colore pictis insistentem*, Löwensteinense σύμβολον, *exhibet*; 2. *argentea, aquilam rubeam*, Montacutensis Comitatus symbolum, *continet*; 3. *aurea aquilam nigram, dimidiam, eique* substrata areola 6. *cærulea tres rosas argenteas refert, quibus* Wertheimensis Comitatus *designatur*; 4. *argentea cinguli fibulam*, Rupifortium emblema, *repræsentat*; 5. *parmulæ* figuram habet & *rhombos cyaneos atque argenteos* Bavaricos *exhibet*; 6. jam dicta est; 7. *argentea fascias duas rubeas*, Breubergensem tesseram, *continet*; 8. *aurea, septem coccineos rhombos*, 4. 3. Virnenburgici Comitatus σύμβολον *refert*; 9. denique *rubea, leonem argenteum coronatum ostendit*, & Scharfeneccensem Dynastiam *significat. Galeæ* incumbunt *quatuor*: *Montacutensis, Lövvensteinensis, Wertheimio-Breubergensis*, & *Virnenburgica.* Spon. Op. Har. l. 1. c. 56.

17. At-

17. Atque hoc modo se habet scutum lineæ *Evangelicæ*; istud autem, quo *Catholica* utitur, in eo ab illo differt, quod in areola *octava* loco Virnenburgicæ tesseræ, *Marcanam* substituat, nempe *fasciam tessellatam ex argento & minio in campo aureo*; *galeis* autem *tribus* contenta Virnenburgicam omittat.

CAP. VII.

DE COMITIBUS A NOSTIZ.

ILlustri *Nostiziorum* familiæ locus inter *Comites Franconicos* esse cœpit ab eo tempore, quo *Rineccensis Comitatus pars*, quanta ad Ecclesiam *Moguntinensem* titulo caducitatis delapsa erat, *Johanni Hartvvico Comiti à Nostiz* collata fuit. Sunt cæteroquin Nostizii *Lusatica* stirpe oriundi, recensuitque eorum Genealogiam *Bucelinus Germ. Tomo II.* deductam à *Casparo de Nostiz in Tschochau*, *Rottenburg & Gottha*, Equite & Colonello, qui an. 1454. auxiliares copias mille Equitum, Supremo Ordinis Teutonici Magistro, *Ludovico ab Erlichshausen*, cum Polonis belligeranti, adduxerit, pater, ex uxore gentis *Gersdorfiorum* in *Hænichen*, filiorum trium, videlicet: *Ottonis*, *Hartvvici* & *Georgii*, à quibus totidem rami, qui hodiè adhuc vigere dicun-

dicuntur, nempe *Rottenburgicus*, *Tschochavianus* & *Gotthanus*, provenerunt; è *primo tertioque* complures sago togaque præstantes Viri, qui Bohemiæ Regibus, Ducibus Silesiacis, nec non Electoribus Saxoniæ ac Brandenburgi, fidem virtutemque suam probarunt, & etiam nunc præstant, prodiere.

2. *Tschochaviana* linea potissimùm hoc loco curæ nobis est, cujus autor *Hartvvicus Dn. in Tschochau* è conjuge sua familiæ *de Klups & Hennersdorf*, suscepit, præter alios, *Johannem*, genitorem ex *Vchtrizia Abrahami*, cui è duplici conjugio *Helenæ de Seidlitz*, & *Hedvvigis Spilleriæ* aliquot liberi nati sunt, mares præcipuè tres, à quibus stirps propagata est; nimirum *Johannes* & *Hartvvicus* è priore, *Conradus* è posteriore conjugio geniti. *Johannis* filii *Otto* & *Joh. Hartvvicus*, diversis matribus editi, novâ familiæ suæ ornamenta pariter ac incrementa peperere: prior *Helena Schlichtingia* natus, *Baronis* axiomate auctus, inter *Consiliarios Cæsareos* receptus, & Ducatibus *Suidnicensi* & *Javerensi* in Silesia vicaria potestate, sub *Capitanei Provincialis* titulo, impositus fuit, atque è *Barbara Catharina Elisabetha Wachtelin de Pontenavv* egregiam sobolem procreavit.

3. *Joh. Hartvvicus* ille ipse est, cui par-

tem

tem Comitatus *Rineccenſis* collatam fuiſſe, initiò dixi: ſcilicet poſtquàm à Cæſare ob ſummam prudentiam, & ſingularia merita multis magnisque honoribus cumulatus, primò *Supremi in Regno Bohemiæ Præſidis Appellationum* muneri admotus, poſteà *Supremus* in eodem Regno *Cancellarius Regius* conſtitutus, inter *Secretorum Cæſareorum arbitros* cooptatus, ad *Comitis* dignitatem evectus, & *torque Aurei Velleris* decoratus eſſet, jamque locum inter Imperii Ordines ambire cœpiſſet; egit cum *Electore Moguntino*, *Joh. Philippo*, de parte Comitatus *Rineccenſis*, ad Eccleſiam devoluta, ſibi pretio concedenda, remque ex ſententia confecit; ita ut *Joh. Philippo* eodem temporis tractu rebus humanis exempto, ejus ſucceſſor *Lotharius Fridericus* Directorio *Circuli Franconici*, per literas an. 1673. d. 29. Dec. datas, ſignificaret. Comitatum *Rineccenſem* cum annexo *jure ſeſſionis ac voti* in comitiis Imperii, diætisque circularibus, ab Eccleſia Moguntinenſi *Joh. Hartvvico C. de Noſtiz* feudi titulo collatum fuiſſe, hunc que partem oneris matricularis ſuſtinendam in ſe recepiſſe: poſteà cum ipſe etiam *Noſtizius* Ordines Franconicos, ut ſeſe in eorum numerum ſuſciperent, per literas interpellaſſet, annuere illi ejus petito, & in diæta circulari anno 1674. ineunte agitata ſollemni more, in locum & ordi-

ordinem, quem priſtini Comitatus Rinec-cenſis poſſeſſores tenuerant, Legatum ipſius introduxerunt.

4. Conjugium ejus quantum attinet, bis eum nuptias celebraſſe accepimus: primas cum *Maria Catharina Baroniſſa de Sahr*, quæ magnam ei dotem attuliſſe, & liberos quinque peperiſſe fertur, ſed omnes immaturo fato abreptos, ſecundis votis in thalamum adſcivit *Eleonoram Mariam Poppeliam de Lobkovviz*, *Wolfgangi Bercka*, *C. de Duba & Lippa* viduam, quæ, filiorum duorum ſuperſtitum mater, an. 1681. d. 22. Oct. *Viennæ* naturæ debitum explevit; ipſe verò ad hunc usque, quo hæc ſcribimus, annum 1683 ætatem produxit, ejusque d. 27. Mart. repentina morte è vivis ſublatus eſt.

5. Filiorum ejus major natu nomen hoc gerit:

JOHANNES ANTONIUS, S. R. I. *Comes de Noſtiz & Rineck, Dynaſta Hæreditarius dominiorum Falckenau, Heinrichsgrün, Græsliz, Tschochau, Lybochovvar, Packoneriz, Sahr & Moslau, S. Cæs. M. Camerarius.* Ei an. 1680. d. 2. Nov. uxor ducta eſt è *Comitum Herberſteiniorum* ampliſſima gente, quæ anni ſequentis m. Aug. *prolem maſculam* peperit, pro qua in ſa-

cro lavacro fidejusserunt *Cæsar* cum *Augusta conjuge*, & *Archiducali sobole*.

6. *Scutum* Comitis de Nostiz *quadripartitum* Fürstius exhibet: cujus area 1. *cærulea cornua duo ex argento & minio variegata, cuspidibus aversis, cum subtrata luna crescente aurea, qua cornua sursum vertit*, repræsentat; hæc tessera est *familiaris*; 2. *argentea alam nigram, cui fascia argentea impressa*, continet. Inferiores laterculos *anchora bidens* implet, cujus *brachium argenteum sursum inter primam secundamq; aream protenditur*; *dentium* verò *dexter*, qui in area 3. *argentea* conspicitur, *cæruleus* est, *sinister* in area 4. *cærulea auro* fulget. *Galeæ* incumbunt *duæ coronatæ*: prior *alam nigram cum fascia argentea*, posterior *inter cornua scutaria tres plumas struthionicas* sustinet, quarum media *auro* extremæ *cyano* tinguntur.

CAP. VIII.

DE BARONIBUS A SCHÖENBORN.

IN eorum numero, qui novissimè & nostra memoria in album civium immediatorum Imperii relati fuerunt, quorumque adeò in Imperii Recessibus mentio nondum facta est, occurrunt inprimis *Schönbornii*,

nii, Equestri & splendido genere in tractu *Rhenano* orti; è quo jamdum sub finem seculi duodecimi *Eucharius* vixisse memoratur, pater *Philippi* cui uxor è gente *Sickingiorum* tribuitur. Ab hoc ingens est hiatus, usque ad *Gilbertum*, *Lisæ de Westheim* maritum, qui circa an. 1381. in vivis fuit, & à quo Genealogia familiæ, in *Spicilegio Rittershusiano* exhibita, & à Viro Amplissimo *Dn. Francisco Fabritio* Consiliario Herbipolitano mecum communicata, exordium capit.

2. Præcipuum autem atque eminentissimum *Schönbornicæ* familiæ decus, altiorisque fortunæ, qua nunc exsplendescit *autor*, atque auspex extitit *Johannes Philippus*, *Georgii à Schönborn* & *Mariæ Barbaræ de Petra*, sive von der Layen/ filius. Is an. 1605. d. 6. Aug. in lucem editus, cum superatis pueritiæ annis animum literis, disciplinis, gymnasmatisque ingenuo adolescente dignis excoluisset, nec militiæ, cui sub signis Cæsareis & *Melchiore Hazfeldio* aliquandiu vacavit, rudis esset, *Canonicis Herbipolitanis* an. 1621. porrò *Moguntinensibus* an. 1625. adscriptus fuit, & varios officiorum honorumque gradus pervagatus, probitatis ac prudentiæ tot edidit documenta, ut *Francisco Hazfeldio Episcopo Bambergensi & Herbipolitano* fatis functo, à Symmystis Ecclesiæ ultimo loco memoratæ dignissimus sit habi-

tus, qui *tiaram* gestaret, & *Diœcesin Herbipolitanam* regeret; huic autem dignitati, quam an. 1642 consecutus est, post quinquennium alia eaque amplior accessit, cum post fata *Anselmi Casimiri Wamboldii ab Vmstatt, Electoris & Archiepiscopi Moguntini*, ad *vacuam hanc sedem* an. 1647. eveheretur. Ut verò dignitatum numerus perfectus esset, tertia an. 1665. superaddita est: eo enim anno cùm *Hugo Eberhardus Craz à Scharfenstein Episcopus Wormatiensis* mortem obiisset, in ejus locum à Capitulo postulatus fuit. Hanc dignitatum trigam & quæ potiori inter illas annexa sunt *Cancellariatus Imperii* munia, summa justitiæ, dexteritatis & magnificentiæ laude sustinuit usque ad extremum vitæ tempus, quod an. 1673. d. 12. Febr. morte confecit.

3. Incrementis familiæ suæ, dum vixit, velificatus est, quantum honestè potuit; hinc castrum *Reigelsperg*, quod cum dominio ejusdem nominis, post extinctam an. 1521. stirpem Reigelspergicam, ad Episcopatum Herbipolitanum jure caducitatis devolutum fuerat, fratri suo *Philippo Ervvino*, ejusque posteris masculis *feudi* titulo contulit, & facultatem eis dedit utendi titulo *Baronum de Reigelsperg*, nec non *jure sessionis ac suffragii* in comitiis ac diætis, perindeac pristini Dynastiæ illius possessores eo gavisi fue-

fuerunt; hanc ipsam verò cum fructibus inde provenientibus Episcopatui reservavit, cui idcirco expensas atque onera *Matricularia* ferre, *Schœnborniosq; eximere* convenit. Cessionem hanc tituli & jurium dominii Reigelspergensis ratam quoque habuit Imperator, & per *Rescriptum*, anno 1671. d. 27. Sept. datum, Proceribus Imperii in comitiis Ratisbonensibus, nec non Directoribus Circuli Franconici significavit, cupere se, ut *Schönbornii* impositorum pro *civibus Imperii immediatis* reputarentur, & ad comitia diætasque more consuetò evocarentur. Præterea *Comitum ab Heussenstein* oppidum, prædiaque, Schönbornios etiam tenere, licet à titulo hactenus abstinuerint, edoctus sum.

4. *Philippus Erwinus* ante fratrem diem suum obiit, anno scilicet 1668. relicta post se pulcra ac numerosa sobole, quam è *Maria Ursula Greiffenklauia de Volrath*, *Georgij Friderici*, *Archipræsulis Moguntini*, è fratre *Heinrico* neptem suscepit. Filiæ septem fuere, omnes, unica excepta, quæ velum induit, splendidis matrimoniis auctæ; filii quinque, inter quos maximus natu *Franciscus Georgius*, *Custos Moguntini*, & *Cantor Herbipolitani Capituli*, an. 1674. seculo valedixit. Reliqui, nunc recensendi, superstites adhuc sunt.

5. JOHANNES PHILIPPUS, *L. B. in*

Schönborn, *Dn. in Reigelsperg*, ætate fratres suos antecedit: Vir fortis & peritus celebratur, qui *Melitensis* militiæ, cui nomen dedit, tyrocinio strenuè & magna fama perfunctus est. *Commendamq́*, ceu vocant, *Herbipolitanam* promeruit; Moguntinensis etiam præsidii Præfectus audit.

6. MELCHIOR FRIDERICUS, *L. B. in Schönborn*, *Dn. in Reigelsperg*, *Supr. Aulæ Moguntinensis Marescallus & Vicedominus Aschaffenburgensis* est, *Consiliarius* verò *Aulico-Imperialis* fuit. Habet in conjugio *Sophiam*, *Joh. Christiani L. B. de Boyneburg* ex *Anna Christina Schuzin ab Holzhausen* filiam, cum qua genuit

I. *Mariam Annam*, n. circa an. 1668.
II. *Mariam Sophiam*, n. an. 1670.
III. *Annam Carolam*, n. an. 1671.
IV. *Iohannem Philippum Franciscum*, n. an. 1672.
V. *Fridericum Carolum*, n. an. 1674.
VI. *Damianum Hugonem Philippum Antonium*, n. an. 1676.
VII. *Franciscum Erwinum Rudolphum*, n. an. 1678.
VIII. *Anselmum Franciscum*, n. 1. Jan. an. 1681.
IX. *Franciscum Georgium*, n. 15. Jun. an. 1682.

7. JO-

7. JOHANNES ERWINUS, *L. B. de Schönborn, Dn. in Reigelsberg, S. Cæs. M. Camerarius, Satrapa in Steinheim;* duxit in matrimonium *Mariam Annam Waltpodiam, Johannis Lotharii L. B. de Baſſenheim,* è *Magdalena Metternichia* gnatam; è qua prolem ſuperſtitem num non habet.

8. LOTHARIUS FRANCISCUS, *L. B. à Schönborn,* &c. locum inter *Canonicos Capitulares Moguntinenſes, Bambergenſes & Herbipolitanos* occupat.

9. *Fœminarum* è Schönbornia gente, iisdem, cum illis quos enumeravi, parentibus natarum, nomina hæc ſunt:

Maria Vrſula, nupta *Friderico B. Wambold ab Umſtatt*, Colonello.

Anna Margarita, uxor *Wolfgangi Heinrici L. B. de Metternich in Burſcheid*, Aulæ Trevirenſis Mareſcalli.

Eva Catharina, Monialis in cœnobio *Marienberg.*

Maria Clara, *Friderici Theodorici Camerarii de Worms L. B. de Dalberg*, Satrapæ in Hohſt conjux.

Eva Roſina, *Wolfgango Theodorico Truchſeſſio de Wezhauſen*, Satrapæ in Biſchofsheim nuptui locata.

Anna Barbara, uxor ſecunda *Ludovici Guſtavi C. ab Hohenloe in Schillingsfurſt.*

denique *Catharina Eliſabetha*, quæ *Heinrico C. ab Hazfeld & Gleichen* in manum convenit, & nuper admodum vidua facta eſt.

10. *Scutum*, quo L. B. à Schönborn nunc utuntur, *quadripartitum* eſt: area 1. & 4. *rubea leonem aureum coronatum, ſuper tres rupes vel cuſpides argenteas gradientem*, continet, quæ teſſera *familiaris* eſt; 2. & 3. *rubea tres parmulas argenteas* refert, quod *σῆγμα Weinſpergiorum*, in quorum ditione *Reigelſpergenſe* dominium quondam fuiſſe *Spenerus* tradit, extitit. *Caſſides duæ* imponuntur: prior *Schönbornica* inter *cornua duo*, *cuſpidibus ſcutariis in medio diſtincta*, ut pars ſuperior *rubea*, inferior *argentea* ſit, *leonem aureum coronatum* ſuſtinet; altera *Weinſpergica* coronata inter *piſces duos, qui curvata capita deorſum, caudas ſurſum vertunt*, *imaginem virginis, amictu à dextro latere argenteo, à lævo, rubeo, coronatæ & plumis pavoninis ornatæ*, *manibus autem piſces laterales prehendentis*, exhibet: *Phaleræ* hinc *aureæ* & *rubeæ*, iſthinc *argenteæ* & *rubeæ* circumfluunt.

Op. Her. l. 2. c. 23. §. 3.

LIBER

LIBER IX.

DE COLLEGIO COMITUM WESTPHALICORUM.

INTRODUCTIO.

RElíquum est, ut classem etiam *Comitum Westphaliæ & inferioris Saxoniæ*, quos sub Wetteravico Collegio antehac comprehensos, & in ultimo demum Imperii Recessu ab eo segregatos, peculiare votum ac scamnum obtinuisse *superiùs* dictum fuit, perlustremus. Plerique verò Comitatus, qui ad hanc classem referuntur, extinctis Dominorum suorum naturalium stirpibus, ad extraneos & maximam partem Principes viros ex lege feudali transierunt: ita Comitatus *Hoiensis*, *Diepholtinus*, *Blanckenburgicus*, & *Reinsteinensis*, ad Duces *Brunsuicenses & Luneburgenses* delapsi sunt; quemadmodum *suprà* uberiùs narratum est, *Schauenburgicorum* Comitum & Principum, quorum stirps an. 1640. defecit, hæreditas ad *Hassiæ Landgravios* vigore *Instrumenti Pacis Westphalicæ* translata fuit,

Lib. IV. c. 4.

salva tamen transactione inter Christianum Ludovicum D. Luneburg & Hassiæ Landgraviam, Philippumq; C. Lippiæ inita, firma etiam manente, quæ inter eandem Landgraviam & dictum Comitem sancita erat, conventione; unde is adhuc *Buckenburgum* tenet, *Pinnenbergicum* verò Comitatum in Holsatia, qui etiam in Schauenburgiorum ditione fuit, *Rex Daniæ* & *Dux Holsatiæ in Gottorp* occuparunt, hicque posteà portionem suam *Ranzoviis* vendidit. *Oldenburgicus* Comitatus in *Regis Daniæ* potestatem concessit, *transactionis* magis quàm successionis titulo, de qua re
Lib. 4. c. 9. itidem *superiùs* actum fuit. *Sainensia* bona *Joh. Georgius Dux Saxoniæ*, & *Ernestus Salentinus C. à Manderscheid* sibi vindicarunt. *Barbiensis* denique Comitatus post *Augustæ Ludovici ultimi Comitis* fata, quæ in anno 1659. inciderunt, ad *Augustum Ducem Saxo-Querfurtensem* devolutus est, atque in ejus posteritate adhuc versatur.

2. *Superstitum* familiarum, quæ nunc singillatim recensendæ sunt, *duodecim* numerantur, videlicet: *Bentheimio-Tecklenburgica*, *Bronchorstio-Gronsfeldensis*, *Lippiensis*, *Manderscheidia*, *Marcana*, *Metternichia*, *Ranzovia*, *Reckheimensis*, *Rietbergica*, *Salmensis*, *Vehlensis* & denique *Wiedana*, omnes sub *Circulo Westphalico* comprehensæ. His accenseri deberent *Sinzendorfia* & *Waltpodia* de

de Bassenheim; sed *prioris* in *Suevico* collegio ratio jamdum fuit habita; *alteram* ideò hic loci prætereo, quod ab Humanissimo Viro *Michaele Weihel Mathematico apud Moguntinos insigni* edoctus sum, Dynastiam *Pyrmontanam Joh. Lothario Waltpodio*, qui ejus respectu ultimo *Imperii Recessui* inter *Westphalicos Comites* subscripsit, per sententiam forensem abjudicatam esse; accedit, quod de hac ipsa familia jamdum eo loco, quo de *Wormatiensi Episcopo* egimus, mentio facta, ejusque Genealogia in *Spicilegio Rittershusiano* edita fuit.

CAP. I.

DE COMITIBUS A BENTHEIM, TECKLENBURG ET STEINFURT.

QUemadmodum tres illi Comitatus, in titulo expressi, situ se mutuò contingunt, utpote *Monasteriensi* & *Osnabruggensi* Diœcesibus pœnè circumscripti; ita etiam uni eidemque familiæ hodie parent, quondam verò suos singuli dominos habuere.

2. *Bentheimii* Comites Vir in studiis literarum egregius, & mollissima dulcedine carminum memorabilis, *Paulus Hachenbergius b. m.* à *Principibus Palatinis & Batavis* deduxit, eorun-

eorundemque vitas post Caroli M. excessum, facinora etiam & jura restituit, ac *Heroico Panegyrico (Steinfurti* an. 1663. edito) celebravit; quem inscripsit *Tubantus Redivivus*, alludens ad priscos regionis illius, qua Comitatus Bentheimensis continetur, incolas; hi enim *Tubantes* appellabantur, & jamdum Cæsaris Tiberiique ætate inter Germaniæ populos inclaruere, sedemque ad superiora *Amisiæ* habuere, *Bructeris*, *Ulpiis & Marsis* contermini, ceu è *Taciti Annalibus* liquet.

L. 1. c. 51. §. 3. & L. 13. c. 55. §. 4.

3. Post Carolinum ævum illis in oris imperitasse traditur *Ricfridus Tubantiæ Comes*, *Luthardi Clivorum Reguli* filius secundogenitus, *Arnolphi Imperatoris è* filia *Bertha* nepos, sic enim canit laudatissimus ille vates:

Est locus, antiquos ubi Vidrus flumine campos
Ambit, & armiferas Amasis spatiosior urbes
Innutrit; Celtæ veteres dixere TUBANTUM &c.

Hic Arnulphe *tuum fertur regnasse nepotem*
Ricfridum, *& Clerum Clivis fecisse rejectis*
Hæredem.

4. Heinrici I. Cæsaris ætate *Wolfgangus Tubantinorum Comes* vixisse, & Magdeburgicis ludis Equestribus interfuisse memoratur. Post hunc *Otto* in Annalibus reperitur, Heinrici III. σύγχρονος, qui *Prefectus & Burggravius Ultrajecti* fuit; tum *Johannes*, qui circa an. 1119. Heinrico V. sceptra tenente,

nente, claruit, paterque extitit *Gertrudis*, quæ cœnobium *Witmarsense* fundavit, & *Tubantiam Ottoni Palatino Rheni de Rhineck* (*Matthæo Vossio in Annal. Holland. Runingæ Comes* audit) marito suo in dotem attulit; posteaque ad filium ex se genitum *Ottonem* transmisit. Is primus, Tubantino nomine misso, *Comitem Bentheimij* se dixisse legitur, sororemque habuit *Sophiam*, quæ *Theodorico C. Hollandiæ* nupsit, & Hierosolymas teradiit, ibique an. 1170. mortua & sepulta est; quod luculento hocepigrammate *Hachenbergius* expressit: *Lib. 2 p. 61.*

Adspice Tubantæ, lector, miracula gentis,
Qua magus Comites matre Batavus habet;
It procul ad Solymas mulier, trans Ilion uxor
Imbellemq; Asiæ suspicit ora nurum.
Excidimus jam laude Viri. Si Fœmina Christi
Ter bustū quærit, quæ manet umbra viros?

5. Non tempero mihi, quin huic epigrammati aliud subjungam, quo *Bentheimium* ita loquens Poeta introduxit:

Me gens clara armis olim tenuere Tubanti,
Et vasta Drusi muniit arce labos.
Junxi Francorū victrix mea fœdera sceptro,
Trajectique dedi jura superba foro.
Alta Palatinarefero primordia stirpi,
Et genuit Comites aula Batava meos.

6. Postquam *Otto Palatinus Rheni & C. Bentheimii* ab alio *Ottone*, *Scelina Comite*, indigna

Ibid. p. 69. digna morte (*Voſſium* teſtem cito) peremptus fuiſſet, neque prolem poſt ſe reliquiſſet, ſucceſſit ei in Comitatu Bentheimenſi nepos *cognominis* è ſorore *Sophia*: hæc enim *Theodorico C. Hollandiæ* filios quatuor peperit: *Florentium*, qui *Hollandiæ Comitum* ſtirpem profevit, *Ottonem* Gorichami Toparcham, *Balduinum* Epiſcopum Ultrajectinum, & *Theodoricum* Præpoſitum ejusdem Capituli. Ex his *Otto*, ceu dictum eſt, avunculi hæreditatem quoad *Comitatum Bentheimenſem* crevit, eundemque in ſuam gentem intulit; quemadmodum ſub ejus perſona appoſitè Poëta noſter cecinit:

Primus ego ex Batavis ſuſcepi ſceptra Tubanti,
Et celſa Belgas miſceo ſtirpe meos.
Obſedi, vicíq; altam poſt caſtra Covardam,
Et docui Friſios ſubdere colla jugo.
Sta mea poſteritas: non ſubjugat Heſperus urbem,
Qui vincet, noſtris ſurget Arauſo toris.

7. Maſcula quidem *Ottonis* poſteritas non ſtetit, neque quintam generationem ſuperavit, ſed in ejus atnepotibus *Simone* & *Bernhardo* fratribus defecit; unde *Bentheimium* ad eorum ſororem *Hedvvigen* devenit, quæ id ad maritum ſuum, *Ebervvinum Dynaſtam de Gutterſvvyck* tranſtulit. Hoc conjugium ab imparitatis nota Vates diſertiſſimus gravibus venuſtisque verſibus vindicavit:

Cur

Cur noſtrum damnabis opus? Si Filia magni
Intravit thalamos Equitis? Comitumq; Ducumq;
Progenies, tituliq; manent, deductaq; priſcis
ſtemmata ſtemmatibus, patrumq; ab origine faſces.
Imperii ſacra feuda tulit, Ducibusq; reſurgit
Quisquis Eberwinus *regnat, quæ prælia Gelris*
In libris conſcripta legis, quæ paſcua noſtræ
Gronoviæ connexa vides, quæ rudera tranſis
Ottenſteini Hojæ fueris rellicta, Bonisq;
Juſta ſui voves Domini Solmenſibus arva.
Hæc virtutis erunt parte ſua ſymbola - -

8. Cæterùm ab *Ebervvino Dn. de Guttersvvyck & Hedvvige C. Bentheimii* familia Comitum hodierna omnis defluxit, quemadmodum è *tabula Genealogica*, quam in *Spicilegio Rittershuſiano* exhibui patet. In ea verò veſtigiis *Hachenbergii* ſtrictim inſtiti, quippe qui Archivorum & Chronicorum fide ſua niti affirmavit, neque ea, quæ diverſa ab illo *Henningius* tradidit, attendenda eſſe duxi. Filius Ebervvini & Hedwigis *Arnoldus*, in hæreditate *Bentheimenſi* à Cæſare confirmatior redditus, gnatum genuit *Ebervvinum*, qui vir factus cum *Mechthilde*, *Balduini Bellicoſi Comitis Steinfurtenſis* filia ac hærede, uxore ſua *Steinfurtum* & *Gronoviam* adeptus eſt; & filios duos ex ea ſuſcepit, *Bernardum* atque *Arnoldum*, linearum duarum autores. Prioris, cui *Bentheimenſis* Comi-

Comitatus obtigit, posteritas masculà in ejus nepote cognomine defecit; hujus soror *Maria* sobrino suo *Arnoldo C. Steinfurtensi*, Arnoldi lineæ conditoris nepoti, nupsit, eidemque Bentheimensem Comitatum attulit. His nati sunt *Ebervvinus C. Bentheimij* & *Arnoldus C. Steinfurti*, quorum *posterior* sobole caruit; *priori* nova ditionum accessio obvenit per matrimonium *Annæ*, quæ *Conradi C. Tecklenburgici & Dynastæ Rhedensis* filia atque hæres unica fuit.

9. Sirps Comitum *Tecklenburgicorum* dimanasse fertur à quodam *Cobbone*, qui Ludovici Pii Imp. ætate vixerit, & an. 876. vel 880 in prælio adversus Danos occubuerit. Ab hoc continuam Comitum successionem *Henningius* enumeravit, usque ad modò dictum *Conradum*, octavo & decimo gradu à *Cobbone* distantem. Iste sua impietate ac sævitia, qua in patrem, fratresque natu majores usus est, (eos enim, ut ipse regnaret, in vincula conjicere non erubuit, uti fusiùs *Spenerus* ex *Hamelmanno* refert) sibi familiæque interitum accersivit, atque adeò Divinæ Nemesi pœnas dedit, duplici calamitate castigatus; nam & nulla prole masculà beatus stirpem suam tam longæ ætatis exarescere sensit, ipsemet verò ab extraneo haud exigua ditionis parte exutus, ingentique pecuniæ vi multatus fuit.

Op. Her. l. 1. c. 11.

10. Sci-

10. Scilicet delatus erat apud Carolum V. Imp. *Conradus*, quasi ei adversatus esset, & fœderi Smalcaldico nomen dedisset; itaque jussu Cæsaris *Maximilianus Buræ Comes* ditiones Tecklenburgicas armata manu invasit, & Dynastiam *Lingen*, cum quatuor ad dictum Comitatum pertinentibus vicis, quorum nomina in proclivi sunt: *Ibbenbuhren*, *Brochterbeck*, *Mettingen & Recke*, occupavit, illaque ab Hero sibi concessa ad generum suum *Wilhelmum Arausionis Principem*, hic porrò ad posteros suos transmisit. Licet verò restitutionem ablatorum filia generque Conradi, vigore *Pacis Passavienſis* non ita multo post sancitæ, enixissimè petierint, operam tamen lusere, nec meliore successu filius ejus nepotesque usi sunt, quamvis in *Westphalica* etiam *Pacificatione* id negotium agitatum, & restitutio Bentheimiis adjudicata fuerit, Cæsarq; in *comitiis Ratisbonenſibus* an. 1654 Rescripto Executionem mandaverit. Nostra demum ætate benignior fortuna hodiernis Tecklenburgi Comitibus apparuit, sed apparuit tantùm: cum enim nupera bellica tempestate *Christophorus Bernhardus Episc. Monasterienſis* Batavis, præter alia loca, *Lingenſe* quoque dominium cum prædictis vicis militari vi eripuisset, exorari se passus est, ut Executioni à Cæsare imperatæ velificaretur, & Comites Tecklenburgicos

gicos in possessionem avitorum illorum bonorum restitueret; quod sollemni cerimonia an. 1674. d 25. Apr. factum fuit. Actutum verò hæc arridentis fortunæ facies mutata est: dum enim versatilis ille Præsul panem altera manu (quod est in proverbio) ostentavit, lapidem altera tulit, eodemque penè tempore, quo Comites immissione narrata lactavit, & in gaudium momentaneum conjecit, pacem cum Batavis iniit, hac inter alias lege, ut omnia ipsis erepta, præcipuè verò *Lingam cum pertinentiis* redderet; atque hanc conditionem strictè implevit: expulso enim armata manu Comitum præsidio, claves oppidi *Lingensis* Præfecto extortas legato Principis Arausionensis d. 17. Maji ejusdem anni cum tota ditione tradidit: nihil Comitibus reliqui faciens, quàm quod ipsis permiserit, ut inermi ac inani protestatione, adhibitis Notario ac testibus facto huic intercederent, juraque sua quocunque modo tuerentur; quemadmodum *libello memoriali* in comitiis exhibito Comites ubertim conquesti sunt.

11. Sed ut eò redeam, unde me priscæ familiæ *Tecklenburgicæ* mentio abduxit, *Ebervvino C. Bentheimij & Steinfurti* & *Anna C. Tecklenburgi* natus fuit *Arnoldus*, qui tres Comitatus complexus, & ducta in uxorem *Magdalena, Humberti C. Nuenarii & Limburgi* filia, novis ditionibus auctus est: neque enim so-

solùm dotis loco tres cum ea Dynastias, *Bedburn*, *Alpen* & *Helfenstein* accepit, sed etiam mortuo a. 1589. sine liberis affine Adolpho, *Lenepium* Baronatum & Comitatum *Limburgicum* ad *Laynam* in Westphalia situm, assentiente Domino directo, sibi asseruit; præterea *Advocatiam Hæreditariam Colonienſis Diœceſeos*, quæ penes *Nuenarios* fuit, obtinuit. Atque ratione hujus *Advocatiæ* nullam Coloniæ executionem criminalem fieri posse, nisi priùs malefici per noctis unius spatium in potestate Comitis Bentheimensis fuerint, qui etiam ea propter Vicarium Coloniæ juri suo tuendo habeat, *Sprengerus* refert. *Iurispr. publ. l. 3. c. 31. §. 6.*

12. Ab *Arnoldo* tot ditionum domino communem sanguinem ducunt, quotquot nunc ex familia vita fruuntur: à filiis enim duobus, quos præter alios improles in tabula notatos procreavit, *Adolpho* & *Arnoldo Jodoco* rami *Tecklenburgicus*, & *Bentheimio-Steinfortenſis*, quibus stirps distingui solet, provenerunt. *Adolphus* in ditionum partitione Comitatum *Tecklenburgicum* sortitus est, & è *Margarita Naſſovia*, præter *Sibyllam Julianam*, quæ *Proſperi C. ab Arcu* nupero bello Gallico, (quo munus *Supr. Præfecti rei tormentariæ* gessit, posteà *Philipsburgi Præfecturam* tenuit, ibique an. 1679. obiit,) celebratissimi conjux secunda fuit, aliosque utriusque sexus liberos, præcipuè *Mauritium* genuit;

nuit; qui ad annum usque 1674. ætatem produxit, atque è *Johanna Dorothea Pr. Anhaltina* multæ sobolis pater factus est, filiæ septem, gnati duo numerantur.

13. Potior inter hos nascendi sorte audit JOHANNES ADOLPHUS, *Comes in Bentheim, Tecklenburg, Steinfurt & Limburg, Dn. in Rheda, VVevelinghofen, Hoja, Alpen & Helfenstein, Baro in Lenep, Advocatus Hæreditarius Colonienſis*; prodiit is in lucem an. 1637. superatisque adolescentiæ annis matrimonium contraxit cum *Johanna Dorothea, Philippi C. Lippiæ in Buckenburg* è *Sophia Hassiaca* filia; quæ postquam fœmellas duas, *Sophiam* scilicet *Iulianam*, & *Carolam Mauritiam*, marito peperisset, suspicionem temeratæ fidei conjugalis ipsi movit, eamque auxit, cum derepentè evanuisset, & ad parentes suos discessisset; id enim ille animi malè sibi conscii notam interpretatus divortium meditari cœpit, instructoque foro matrimoniali diem conjugi dixit, quamquam autem illa non comparuisset, neque qui causam ejus peroraret delegasset, damnata tamen fuit, Comitique facta potestas repudium ei remittendi, & aliam uxorem ducendi. Itaque *Carolam Hassiæ Landgraviam, Augusti Junioris Saxoniæ Ducis* viduam, procatus est, atque impetrato ejus consensu nuptia-

ptiarum ſollemnia an. 1679. cum ipſa peregit, filiumque ex ea ſuſcepit *Iohannem Auguſtum*, qui an. 1680. m. Jun. lucem aſpexit.

14. *Fridericus Mauritius*, *C. in Bentheim, Tecklenburg* &c. Joh. Adolphi germanus, cœlebs adhuc eſt, & militiam ſequitur, legionem ſub auſpiciis Regis Daniæ ductans.

15. *Sororum*, quas habent, nomina hæc ſunt:

I. *Sophia Agnes Eleonora*, pietatis & eruditionis laude celebrata, n. an. 1638. nupta *Wilhelmo C. Lippiæ in Brackel.*

II. *Anna Eliſabetha Wilhelmina*, vidua *Philippi Conradi C. Steinfurtenſis*, qui ipſi propior ſobrino erat.

III. *Iuliana Erneſtina.*

IV. *Amalia Eliſabetha.*

V. *Conradina Ludovica.*

VI. *Ludovica Margarita.*

VII. *Æmilia Carola.*

16. *Bentheimenſis* lineæ, de qua nunc ſermo faciendus, autor *Arnoldus Jodocus*, Arnoldi filius natu minor extitit: is enim in diviſione patrimonii Comitatum *Bentheimenſem* nactus eſt, cui poſtea, fratribus ætate inferioribus ſine prole defunctis, *Steinfurtenſis* acceſſit. Thalamum partitus eſt cum *Anna Amalia C. ab Iſenburg*, è qua, præter ſequioris ſexus ſobolem, in *ſchemate* enume-

ratam, filios duos suſtulit, à quibus totidem rami orti sunt: *Philippus Conradus* natu minor, cui *Steinfurtum* obtigit, *Steinfurtenſem*, major verò *Bentheimenſem* proſerit.

17. Is superstes adhuc est, & hoc nomine cluit:

ERNESTUS WILHELMUS, *C. in Bentheim, Tecklenb. Steinf. & Limburg, Dn. in Rheda, Vevelinghafen, Hoja, Alpen & Helfenſtein, Baro in Lenep, Advoc. Hared. Colonienſis*; hauſit auram vitalem an. 1623. & quadrageſimo demum ætatis anno ad conjugium animum adjecit, quod inæquale quidem ſed legitimo modo contraxit, & ſollemnibus cerimoniis in ſacello arcis Bentheimenſis, præſente ſorore ſua *Anna Amalia*, & ſacra faciente *Nicol. Grimmelio* Paſtore ſuo, an. 1661. d. 22. Aug. pegit cum *Gertrudi à Zelſt*, honeſta magis quàm nobili familia *Dœthingheni* in Zutphania orta, *Hartgeri de Zelſt, Judicis Zelkmenſis* filia; quam aliquot poſt annos Imperator in ordinem *Comitiſſarum S. R. Imperii* evexit, & fœminis *primæ Nobilitatis & Illuſtris ortus* æquiparavit, filiosque jus ſucceſſionis & feudorum Imperialium capaces declaravit; hos verò quatuor marito peperit: primò *Erneſtum*, deinde *Chriſtophorum Bernhardum*, *tertii* nomen incompertum eſt, poſtremo denique an.

an. 1668 *Statium Philippum*, in honorem *Statuum Fœderatorum Belgii*, qui pro puello in baptismate fidejusserunt, sic appellatum.

18. Verum enim verò conjugium hoc magnarum turbarum materies fuit, quas primò Comitis frater *Steinfurtensis*, & agnatus *Tecklenburgicus*, posteà *Episcopus Monasterienſis Christophorus Bernhardus* civerunt; quæque hunc tandem eventum habuerunt, ut *Ernestus Wilhelmus* an. 1668. ab exequiis fratris sui *Steinfurti* celebratis domum revertens, & in itinere in prædictum Præsulem, incidens, ab eodem *Coësveldiam* abductus fuerit, ubi remotis ejus domesticis, à Monachis obsessus, & continuis de religione sermonibus defatigatus, denique avita sacra ejerare, & *Romanis* accedere tantùm non coactus est; deinceps cùm adversùs Comitissam, jam in Episcopi potestatem redactam, eædem machinæ adhiberentur, illa ex hac naſſa miro sese astu extricavit, & elusis custodibus suis, rustico habitu unà cum filiolo recens nato & nutrice evolavit, *Daventriamq;* incolumis pervenit; ubi Ordinibus Fœderatis, quorum tutelæ jam anteà filios suos concrediderat, se permisit. Exinde id sedulò operam dedere Monasterienſes, ut Comitis animum ab uxore abalienarent, epistolisque interceptis eum instigarunt, quò datis ad Batavïæ Ordines literis acer-

bitatis pleniſſimis, conjugi ſuæ crimen malignæ deſertionis & plagii impingeret; tandem eò inhumanitatis illum compulerunt, ut repudium illi renunciaret, filios abdicaret, eos ſpurios & omnis hæreditatis exſortes pronunciaret; denique ad alias nuptias tranſiret, quas impetrata Papali diſpenſatione, cum *Iſabella*, *Adolphi C. de Limburg in Styrum* filia, in caſtro *Gehmen* an. 1678. d. 5. Aug. celebravit. Id poſtquam ad aures repudiatæ pervenit, hoc unum ea reliquum ſibi eſſe putabat, ut coram Curiis Hollandiæ, Zelandiæ & Weſtfriſiæ ſollemnem proteſtationem de invaliditate nuptiarum iſtarum interponeret; quam etiam ipſi Status Generales Comiti ritè inſinuari curarunt, reſponſi verò nihil tulerunt. Mors tandem ex ægritudine miſeram conſecuta eſt, efflavit enim ſpiritum d. 29. Mart. anni 1679. cum priùs filios ſuos denuò Ordinum clientelæ & fidei commendaſſet; neque defuere iis hactenus Proceres Batavorum, ſed conſtitutis tutoribus publica benignitate inopiam orphanorum ſublevarunt. Proſtant de hac ipſa cauſa, quam ſuccinctè enarravi, *ſchediaſmata duo*, quorum alterum *Belgico*, alterum *Gallico* idiomate (cui titulus: *Abregé du Manifeſt de Mad. la Conteſſe de Bentheim &c.*) ſcriptum eſt, quæque rem uberius recenſent.

19. *Stein-*

19. *Steinfurtenſem* ramum non niſi unicus nunc ſuſtiner palmes, nempe ARNOLDUS MAURITIUS WILHELMUS, *C. in Bentheim, Tecklenburg, Steinfurt & Limburg* &c. Is an. 1663. in lucem ſuſceptus eſt à *Philippo Conrado* ſuprà memorato *C. Steinfurtenſi*, & *Anna Eliſabetha Wilhelmina C. Tecklenburgica*, parentibus ſuis, cœlibemque adhuc vitam agit.

20. *Scutum*, quo univerſa familia, quam jam percenſui, uti ſolet, *transverſim ſectū* eſt, ita ut *pars* ſuperior *tres*, inferior *duas areolas* complectatur: prima *rubea globos aureos* XIX. continet, hoc ordine 4, 4, 4, 4, 3. & *Bentheimenſem Comitatum* deſignat; ſecunda *argenteo corda tria rubea*, tertia *cœrulea anchoram auream* exhibet, Comitatui *Tecklenburgico* denotando: quarta *aurea cygnum rubeum roſtro & pedibus nigris*, *Steinfurtenſe* ſ̄ēγμα refert, quinta denique *argentea leonem rubeum cyano coronatum*, Comitatus *Limburgici* teſſeram, repræſentat. Huic autem ſcuto *alia* incumbit *parmula*, *bis perpendiculariter*, *ſemel transverſim ſecta*, atque adeò *ſex laterculos* complectens: 1. *coccineus faſciis duabus argenteis* exaratur, notando dominio *Wevelinghofen*; 2. *argenteus leonem nigrum* refert, impreſſis ejus corpori *tribus annulis*, & extremitati caudæ adjecta *roſa*, quod ſymbolum eſt Dynaſtiæ *Rheden*; 3. *aureus pedes urſinos*

Spen. Op. Her. l. 1, c. 11.

Hojenſes continet; 4. *rubeum leonem argenteum*, teſſeram *Alpenſem*, repræſentat; 5. *transverſim ſectus* in capite *rubet*, *leonemque aureum* continet, infrà *candet*, deſignatque *Helfenſteinenſe* dominium; 6. denique *rubea*, *quinque faſcias aureas*, ſymbolum *Advocatiæ Colonienſis*, exhibet. *Galeæ* imponuntur *quatuor*: 1. *Bentheimenſis* hermam æthiopis rubeo amictu, qui globulis ſcutariis diſtinctus eſt, & pileolo orientali tectum refert; 2. *Tecklenburgica* ſuſtinet pavonem album, explicata cauda ſuperbientem; 3 *Steinfortenſem* cygnus ſcutarius premit; 4 *Limburgica* inter caudas duas pavoninas leonem rubeum continet: *Phaleræ* circumfluentes *coloribus ſcutariis* tinguntur.

CAP. II.

DE COMITIBUS A BRONCHORST ET GRONSFELD.

ILluſtriſſima apud Belgas gens *Bronchorſtia* à priſcis *Luxemburgi Ducibus* derivari amat, qui poſtquam Bohemiæ Regno aucti ſedem illuc tranſtulere, nonnullos è gentilibus in patrio ſolo reliquerunt, è quibus poſteà quidam caſtrum ad dextram *Iſalæ* ripam haud procul Zutphania exſtruxiſſe, idque *Bronchorſt*

chorst appellasse perhibetur, à quo posteri ipsius nomen mutuaverint, licet avita insignia, *leonem* scilicet *argenteum* in *campo rubeo*, retinuerint.

2. Justam stirpis deductionem in *Spicilegio Rittershusiano* exhibui, orditus à *Wilhelmo*, cui uxor tribuitur *Johanna*, hæres Dynastiæ *Batenbergicæ*, sic dictæ à castro ad *Mosam*, Noviomago juxta & Tila duabus leucis dissito; loco, ceu *Guicciardinus* testatur, magnæ antiquitatis, ut quem incolæ asseverant primam omnium arcem fuisse, quam *Bato Rex Cattorum*, in has oras veniens, condiderit, eique nobile ac perpetuum à se nomen dederit. *Descr. Belg. P. 2. pag. 81.*

A *Gisberto* I. & *Theodoro* I. *Wilhelmi* filiis, *lineæ duæ* ortæ sunt: prior enim, cui jure uxorio dominium *Borculo* post obitum *Gerhardi* ultimi possessoris an. 1385. obvenit, *Bronchorstii* Dominos, alter verò *Batenbergi* Dynastas profevit. *Gisbertus* II. *Primi* filius, dominium *Borculo* Episcopo Monasterienſi ultrò in feudum an. 1406. obtulisse memoratur, quo posteà, cùm ipse improlis fato suo functus esset, *Otto*, illius è fratre *Florentio* nepos an 1420. investitus fuit. Hujus pronepos, *Jodocus*, cum an. 1553. supremum diem expleviſſet, neque è *Maria C. Hojenſt* liberos suscepisset, lineam *Bronchorstianam* terminavit. De ejus hæreditate gravis exarsit

arsit controversia & diuturna, cùm, præter agnatos *Batenbergicos*, inprimis *Irmgardis Diepholtina* cum fratris sui filio *Rudolpho C. Diepholtino*, quorum avia proaviaque paterna *Hedvvigis*, Jodoci amita fuerat, successionem appeterent. Vicit tandem *Irmgardis Wischia, Georgii C. Limburgi in Styrum* conjux, matre *Walpurgi C. Bergensi*, quæ matertera *Jodoci* fuerat, nata, atq; adeò proximè ex omnibus competentibus sanguine illi juncta. Hinc factum, ut omnis Bronchorstiana hæreditas ad *Limburgios in Styrum* translata fuerit.

3. In *Batenbergica* linea *Theodorus* II. *Primi* nepos, per conjugium *Johannæ Dominæ in Gronsfeld & Rimburg*, nova horum dominiorum accessione auctus est. *Gronsfeld*, quasi *Granicampum*, in Leodiensi diœcesi situm, *Granio Coriovalli & Thermarum in Simicis sive Aquisgrani* Principi originem suam debere *Æg. Gelenius* censuit. Filii Theodorici II. *Gisbertus*, *Heinricus*, *Hermannus* & *Theodoricus* III. singuli ramos proseverunt: *Gisberti*, qui *Batenberg & Anholt* sortitus est, progenies in ejus *nepote cognomine* iterum defecit; hæreditatem ejus *Hermanni* & *Theodorici* filii, exclusis *Heinrici* gnatis, ad se rapuerunt, unde lis orta, quam hodienum sub judice pendere ferunt.

De Magnit. Colon. l. 2, p. 161.

4. Heinrico *Gronsfeld* & *Rimburg* obtigit; Hermannus *Batenbergiorum in Stein*

autor

autor fuit, è quibus haud dubiè *Gisbertus* & *Theodoricus* prognati erant, quos unà cum aliis Belgii Proceribus truculentus Albanus gladio an. 1568. Cal. Jun. *Bruxellis* percuti jussit. Floruit tamen hic ramus ad nostram usque ætatem, donec *Fridericus Wilhelmus*, *Maximiliani* & *Agnetis de Kettelaer* filius, *Lutetiæ Parisiorum* an. 1660. ἄγαμος adhuc mortuus, eum terminaret, ajunctq; *Batenbergicum* dominium ab ejus sororio, *Johanne C. Hornano*, nunc usurpari.

5. *Theodoricus* III. *Batenbergios in Rhône* profevit, pater *Theodorici* IV. avus *Theodoriti* V. de quo *Pontanus* in *Historia Geldriæ* memorat, quod an. 1573. à Carolo D. Geldriæ in gratiam sit receptus; eique in clientelare beneficium concessa ditio ac jurisdictio, ut & oppidum ipsum *Anholtense*, quod olim *Jacobo Bronchorstio*, (Gisberti haud dubiè filio,) qui se Duci rebellem objecerat, vi & armis ereptum suam in potestatem Dux redegerat. *Theodorico* V. natus est *Jacobus*, qui in obsidione Locheimensi an. 1583. occubuit, postquam ab uxore *Gertrudi*, quæ *Johannis Milendunccii & Drachenfelsæ Domini*, *Burggraviiq; Hæreditarii Archiepiscopatus Colonienſis* filia ac hæres fuit, insigniter locupletatus fuisset; verùm progenies ejus masculа in filiis, quos duos *Theodoricum* VI. & *Johannem Jacobum* post se reliquit, extincta est; p. 787.

est; uterque enim ex his non nisi sequioris sexus prolem genuit: *Theodoricus* pater fuit *Mariæ Annæ*, quæ *Leopoldo Philippo Carolo Rheingravio Pr. Salmensi* nupsit, eidemque partem hæreditatis *Anhaltino-Milendunccia* attulit. *Johannes Jacobus* sub *Comitis ab Anholt* nomine bello superiore Germanico inclaruit; namque in castris *Ligæ Catholicæ Generalis Excubiarum Prafecti* munia fortiter ac impigrè obiit, *Leopoldi* etiam *Archiducis Supr. Aulæ Prafectus* fuit, torquemque *Aurei Velleris* promeruit; sed præmaturè an. scilicet 1630 vita caruit, cum frater ejus usquead 1637. superfuisset; prolem itidem unicam tantum reliquit *Isabellam*, quæ *Philippo Comiti* posteà *Principi Croiensi* in manum convenit, eumque altera hæreditatis avitæ parte auxit.

6. *Heinricus* denique, *Theodorici* II filius secundogenitus, cui *Gronsfeldiam* & *Rimburgum* in divisione patrimonii obtigisse dixi, ramum *Gronsfeldicum*, qui solus nunc viget, condidit; ejus filii *Theodoricus* & *Elbertus*, cum ab hæreditate lineæ *Gisbertinæ* per patrueles excluderentur, litem illis in Camera Spirensi, ceu narratum fuit, intentarunt, quam *Johannes*, Elberti filius, ejusque posteri prosecuti sunt. Inter hos *Johannes* II. *Primi* nepos, titulum *Comitis de Bronchorst*, juri suo ostentando, resumsit, & ducta in matrimonium

monium *Sibyllæ C. Eberſteinica*, jus in hunc Sueviæ Comitatum ſibi arrogavit, aliquamque ejus partem obtinuit, quemadmodum *ſuperiùs* prolixè dictum eſt. Exceſſit è vivis an. 1617. relicto, præter alios diverſi ſexus liberos, in tabula notatos, inprimis *Jodoco Maximiliano* haud inglorio militiæ, qui ex *Anna Chriſtina ab Hardenroth* conjuge ſua gnatos quatuor, filias duas ſuſcepiſſe fertur, & an. 1667. m. Oct. vitam cum morte commutavit. Ex ejus filiis duo *natu minimi* egregia morte defuncti ſunt, *Erneſtus* an. 1678. in obſidione *Friburgenſi*, *Johannes Philippus Felix* an. 1678. in oppugnatione *Philipsburgi*. *Reliqui* duo cum ſororibus, *Anna Juſtina* & *Clara Sibylla*, ſuperſtites ſunt. *Introd. in Lib. VII. & ejusd. Lib. c. ar.*

7. OTTO WILHELMUS, *Comes de Broncherſt in Gronsfeld & Eberſtein, Baro de Batenberg & Rimburg, Dn. in Alpen & Hennepell*, primogenitus è *Jodoci Maximiliani* filiis, ſtudiis literarum doctrinæque deditus, atque omni eorum liquore perfuſus eſt, & vitam cœlibem, Eccleſiaſticæ affinem, ducit.

8. JOHANNES FRANCISCUS, *C. de Broncherſt in Gronsfeld & Eberſtein* &c. Illius frater, an. 1679. m. Januar. in numerum *Cubicularium Cæſarium* cooptatus fuit.

9. Sen-

9. *Scutum* Comitum de Gronsfeld ita *Furstius* expressit, ut *simplex & aureum tres nummos Byzantinos, in trianguli figuram positos*, repræsentet; *galeaque jugum alarum explicitarum aurearum*, quibus *iidem nummi* impressi, sustineat.

CAP. III.

DE COMITIBUS LIPPIÆ.

De Magnit. Colon. L. 2. §. 32.

NIhil incongruens aut absonum fidei suspicatus esse *Æg. Gelenius* mihi videtur, dum è symbolo gentilitio Comitum Lippiæ, quod *Rosam* refert, conjecturam cœpit, ejusdem eos originis cum *Altenanis*, iisdem insignibus usis, utrosque verò ad *Romanos Colonos*, & *Ubio Romanam* nobilitatem revocandos esse; eò quod mox à tempore deductæ Coloniæ Aggrippinensis in ea Vitellius Imperator salutatus Ottonem Imperium affectantem adversarium habuerit, eaque de causa *Ubii* fratres, Ottonis & Senatus partibus faventes, in Trans-Rhenanas sedes potuerint refugisse; ut sic & Ottonis Cæsaris & intestini belli commemoratio accommodari quàm optimè queat communi traditioni, quæ Ottonis III. Saxonis ætate duos fratres *Ursinos* ob discordias ex Italia, in hanc provinciam commigrasse perhibet. Constare quippe

quippe ex indubiis monumentis, *Altenanorum* stirpem in illis oris Ottone III. vetustiorem esse & ex *Advocatis Tuitiensibus* sive *Ubiensibus Comitibus* ortam. Porrò quod ab *Ursinis* Italis eos traditio derivet, id idem autor ab homonymia vocis *Ursini* ortum arbitratur: *Ursos* enim & *Ursinos* à Trans-Rhenanis communiter eos appellari, qui parta mordicùs tuentur, eaque vel nequaquam aut saltem ægrè, ursorum instar, eripi sibi patiuntur; hinc dum fratres illos *Ubio-Romanos* ab ædificatione castrorum *Altenani* & *Veteris montis* depellere vicini reguli non possent, verisimile esse putat, inde *Ursinos* cognominatos fuisse.

2. Verùm enim verò quomodocunque illa se habeant, id sanè extra controversiæ aleam positum est, *Lippiacum* familiam non modò multis variisque laudibus cumulatam esse, sed & nobilissimæ antiquitatis mensuram impleviſſe. Cl. *Rittershusius* ejus Genealogiam inde à *Bernhardo*, (cujus tamen majores ad abavum usque edi possunt) justa serie enumeravit; ille verò Dux bellicus Imperatoris Lotharii fuit, & ab eo *Lemgoviam*, *Detmold* & alia cum *Sassenburg* in feudum accepisse, eaque avito Comitatui *Oberwald* adjecisse memoratur; alii autem prædicta loca Episcopo Paderbornensi ipsum in acceptis tulisse referunt. Ex uxore *Petronella ab*

Arne, Lotharii Cæsaris cognata, *filium* suscepit *cognominem*, qui *Lippiam* urbem ad amnem homonymum, eo loco, qui antea *Oberwald* dicebatur, condidit, sed quòd Heinrici Leonis partibus sese applicasset, avita bona nec non *Sassenburg*, à vicinis Præsulibus erepta, amisit; vicissim verò à Leone domo Regia & Dynastia *Engern* (in qua *Brackel*, *Blomberg*, aliaque) donatus fuit. Cæterùm eam prudentiæ pariter ac fortitudinis laudem consecutus est, ut *Ulyssis Achillisq; Germanici* cognomentum promeruerit; tandem autem mundi curarum pertæsus cilicium an. 1150. sumsit, atque ex Abbate in Livonia Episcopus Lealhensis à filio *Ottone* Episcopo Trajectensi ordinatus fuit.

3. Fratrem habuit *Gebhardum*, *Archiepiscopum Bremensem & Episc. Osnabruggensem*, in *tabula* omissum, cui in potiore dignitate nepos ex fratre cognominis successit; huic fratres tres alii fuere, itidem infula decorati, qui honos sequenti etiam temporis tractu frequenter genti huic obvenit: namque *Hermannus* illorum frater, qui propagationi familiæ operam dedit, filios tres tiara ornatos habuit, nempe: *Simonem* Paderbornensem, *Ottonem* Monasterienſem Episcopos, & quem *Rittershusius* præteriit, *Gebhardum*, qui in Archiepiscopum Bremensem, discordantibus quidem Canonicis, electus est, postea verò pacis amore æmulo cessit.

4.

4. *Bernhardus*, quartus *Hermanni* filius, stemma continuavit; gnatus ejus *Simon*, ducta *Adelheide*, *Ludovici C. Schvvalenburgi*-ti filia, jus in hunc Comitatum adeptus est; quod posteà ejus nepotes *Otto* ac *Bernardus*, mortuo a. 1356. ultimo Comite Schvvalenburgico *Heinrico*, prosecuti sunt; factaque cum Præsule Paderbornensi, qui itidem aliquid in Comitatum juris sibi arrogabat, transactione, *terunces duos* sibi asseruere, *tertium* Episcopo cesserunt. *Bernhardus*, quem modò dixi, per uxorem *Stoppelbergæ* (nec *Stolbergæ*) Comitissam, dimidiam Comitatus hujus partem cum arce *Altenburg* acquisivit.

5. *Otto*, Bernardi frater, *Simonem* genuit, proavum *Bernardi Bellicosi*, qui *Annam*, Ottonis C. Holsatiæ & Schaumburgi filiam penatibus suis induxit, & cum ea Comitatum *Sternberg* accepit, à socero sibi concessum, finiendis longis contentionibus, inde à morte ultimi C. Sternbergici, (ea verò in an. 1399. incidit) inter Schaumburgicos & Lippienses agitatis. *Simonem Quintum* hujus nominis, *Bernhardi Bellicosi* filium, zelus Romanæ religionis famosum reddidit; eo enim percitus *Lutheri* doctrinæ, jam in Comitatu Lippiensi & Lemgoviæ gliscenti, acriter adversatus est, Lippiam obsedit, & pastores Evangelicos solum vertere coëgit;

fatis conceſſit an. 1536. d. 17. Sept. Meliore genio afflatus *Bernhardus* VIII. filiorum *Simonis* V. natu major, *Evangelicam* religionem in ditione ſua omni cura ſtudioque inſtauravit. *Hermannus Simon*, ejus frater, *Sternberg*, *Schwalenburg* & *Stoppelberg* in diviſione patrimonii nactus, *Spiegelbergenſe* etiam & *Pyrmontano* Comitatu per conjugium *Urſulæ*, *Friderici C. Spiegelb. & Pyrmontani* gnatæ, auctus eſt; filios autem duos genuit: quorum prior *Simon* an. 1559. natus, infans obiit, alter *Philippus* patri, qui anno 1576. d. 13. Jun. deceſſit, usque ad an 1583. ſuperfuit; quô cum Archiepiſcopo Bremenſi Heinrico Saxone, cujus aulam ſequebatur, Coloniam, ad conventum à Gebhardo Truchſeſſio Archipræſule inſtitutum, profectus, ibi naturæ debitum, immaturâ ætate (nondum enim XXIV. annum expleverat) reddidit; inde *Spiegelberga* & *Pyrmontum* ad ejus conſobrinos *Comites Gleichenſes*, avita verò bona ad patrueles devoluta ſunt.

6. *Simon* VI. Bernhardi VIII. filius, ultra XX. annos à *Conſiliis Curiæ Imperialis*, *Camerarius Cæſaris* & *Weſtphaliæ Præfectus* fuit; uxorem bis duxit: primam *Armgardin C. de Rietberg*, *Erici C. Hojæ* viduam, quæ ei *Rietbergicum* Comitatum attulit, ſed illâ ſine prole mortua ad ſororinm Oſtfriſiæ Comitem delapſum. Poſteà *Eliſabethum Schaumburgenſem*

burgiam sibi sociavit, & multorum liberorum pater ex ea factus est; è filiis quatuor vitæ ejus superstites manserunt, inter quos ipsemet per tabulas supremas ditiones suas divisit. Ex illis autem *Hermannus* ἀγαμος ætatem peregit, ejusque portio, quæ *Schwalenberg*, *Stoppelberg*, *Aldenburg*, & *Schieder* complectebatur, ad fratres devenit. Hi *lineas tres*, hodienum florentes, condiderunt: *Simon*, natu maximus, *Detmoldicam*; *Otto Brackenſem*; *Philippus Buckenburgicam*.

7. *Detmoldicæ* lineæ autor *Simon* VII. (quem nescio qua ratione *Rintershusius* IIum. dixit) *Crassus* cognominatus, an. 1627. d. 26. Mart. seculo valedixit, postquàm è duplici conjugio complures suscepisset liberos. E *priore* cum *Anna Catharina Nassovia*, a. 1607. ducta, filios septem, & infirmioris sexus *Mariam Elisabetham*, *Christiano Friderico C. Mansfeldiæ* an. 1649. elocatam, *Annam Catharinam*, quam cuidam è *Nassovicis* Comitibus nupsisse accepi; & tres alias, immatura ætate extinctas. E maribus quatuor ad virilitatem pervenere; natu maximus inter eos *Simon Ludovicus* an. 1637. mortem obiit, relictis è *Catharina C. Waldeccensi* filiis tribus, nimirum *Simone Philippo*, *Hermanno Ottone*, & *Ludovico Christiano*, quos omnes florente ætate mors intercepit; hunc *Giesæ*, medium *Lutetiæ Parisiorum*; primus autem

Florentiæ an. 1649. decessit, haud optimè de familia sua meritus, quippe quam longo ac molesto litigio implicuit, dum per testamentum matri suæ, quæ secundis nuptiis *Philippo Ludovico D. Holsatiæ* è *Sunderburgica* linea in manum convenerat, luculentam bonorum allodialium, ad Comitatum Lippiensem pertinentium partem, *contra pacta familiæ* (prout Lippiæ Comites ajunt,) & *privilegia primogenituræ*, legavit, eique substituit filiam *Dorotheam Elisabetham*, quam marito secundo pepererat, quæque posteà *Georgio Ludovico C. Sinzendorfio* nupsit. Hinc acris inter Holsatiæ Ducem & Lippienses contentio exarsit, illo pro vigore, his pro abolitione testamenti depugnantibus; neque Comitum jura initio fortuna & favor Judicis in *Camera Spirensi*, ad quam rem detulerant, destituit; *citatusq; fuit* Holsatiæ Dux non simplici vice *ad videndum annullari & cassari testamentum*, neque in Consilio Imperiali Aulico, quo litem hanc trahere gestiebat, admissus, sed coram Spirensi Tribunali agere jussus est; usque dum *Comes Sinzendorfius*, ducta Holsati filia, autoritate, qua in aula Cæsarea pollebat, causæ uxoriæ pondus adderet, & *citationem ad videndum aperiri & publicari testamentum* contra Lippienses obtineret; qua insimul hi litem in Camera prosequi prohibebantur,

sub

sub pœna XXX. Marcarum auri. Tandem *Arbitri* nuncupati fuere, & post varios *Ser. Elector Saxoniæ*, adversus quem tanquam alterius partis fautorem Comites excepere; neque quem denique finem hæc controversia nacta sit, rescisscere integrum fuit.

8. *Joh. Bernhardus*, ad quem, post nepotum è fratre *Simone Ludovico* fata, regimen devenit, haud diù id tenuit, sed an. 1652. ἔγαμ& seculo valedixit; qui eum nascendi sorte excepit *Otto Heinricus* ejus fa a infausto casu anteverterat, à *Joh. Casimiro C. Leiningensi in Dagsburg*, prope *Heidenheim*, an. 1648. d. 9. Mart. globo trajectus.

9. *Hermannus Adolphus*, natu minimus inter *Simonis* VII. è priore conjugio filios, fratribus suis successit, bisque maritus fuit: primò *Ernestinæ Isenburgicæ*, an. 1665. mortuæ, dein *Amaliæ* patruelis suæ, *Ottonis in Brackel* filiæ; quam vergente ætate anno, quem vitæ supremum habuit, 1666. sibi junxit. Liberos post se quatuor reliquit, è priore thalamo genitos: *filias* nempe *tres*, *gnatum unicum*.

10. Hic familiæ nunc caput est, hocque nomine gaudet:

SIMON HEINRICUS, *Comes & Nobilis Dominus de Lippia*; susceptus est in lucem an. 1648. atque an. 1666. connubio sibi sociavit *Amaliam*, *Christiani Alberti Burggravii*

& Comitis de Dohna è *Sophia Theodora Brederodia* filiam; è qua hactenus *septies* pater factus est, non tamen nisi *tres filios* superare accepimus, nempe

I. *Fridericum Adolphum*, n. an 1667.

II. *Ferdinandum Christianum.*

III. *Heinricum Ernestum.*

11. Sororum *Simonis Heinrici* nomina hæc sunt:

I. *Anna Maria*, Abbatissa *Cappellensis.*

II. *Sophia Ernestina*, Decanissa *Herfordensis.*

III. *Iohanna Elisabetha*, nupta *Christophoro Friderico Burggr. & C. de Dohna.*

12. E posteriore *Simonis Crassi* matrimonio, quod *Maria Magdalena Waldeccia* tenuit, duo diversi sexus liberi provenerunt, videlicet: *Sophia Elisabetha*, *Georgii Wilhelmi C. Leiningio-Westerburgici* conjux, & *Jodocus Hermannus*; hic in domo venatoria, *Bisterfeld* dicta, domicilium instituit, atque a. 1655. penatibus suis induxit *Elisabetham*, *Johannis C. Witgensteinici* filiam, è qua multam sobolem suscepit, & an. 1678. m. Jun. vita defunctus post se reliquit; inter mares familiam ducit

JOHANNES AUGUSTUS, *Comes & Nobilis Dn. de Lippia*, natus an. 1657. & cœlebs adhuc.

13. Fratrum ejus ac sororum, tàm superstitum

situm, quàm mortuorum, catalogus hic est;
Simon Johannes, n. 1655. †.
Elisabetha Juliana, n. 1656. nupta *Christophoro Christiano C. Leiningio-Westerburgico* amitino suo.
Sophia Carola, n. 1658.
Simon Christianus, n. 1659. †.
Theodorus Adolphus, n. 1660.
Maria Christina, n. 1662.
Christina Ernestina Eleonora, n. 1664.
Anna Augusta, n. 1665.
Johannes Fridericus, n. 1666.
Magdalena Emilia, n. 1667.

14. *Brakelensis* lineæ, ad quam nunc sermo decurrit, autorem *Ottonem*, Simonis VI. filium tertiogenitum dixi; is enim in divisione patrimonii *Brackel*, *Blomberg* & *Bartendorp* accepit; quibus postea ex hæreditate fratris Hermanni *Schieden* accessit. Explevit naturæ debitum an. 1659. numerosæ sobolis pater è *Margarita Nassovia* an. 1661. mortua factus, filii septem fuere, gnatæ quinque; harum nomina hæc sunt: (I.) *Amalia*, nupta an. 1666. *Hermanno Adolpho* patrueli suo in *Detmold*, vicesima ante ejus obitum hebdomade, ipsa autem an 1676. vivere desiit. (II.) *Sabina*, Canonissa *Herfordensis*. (III.) *Dorothea*, elocata an. 1664. *Johanni Theodorico L. B. de Cunovviz*, Ser. Landgr. Hasso-Casselensis *Ministrissimo*. (IV.) *Ottilia*, *Friderici*

Eberhardi C. de Lövvenſtein & Wertheim conſors, an 1680. defuncta, (V.) *Juliana* in infantia extincta

15. E filiis *Ottonis* duo, nempè *Erneſtus*, ſecundogenitus, in pueritia, & *Mauritius* an. 1666. deceſſerunt; *reliqui* quinque ſuperſtites ſunt. Familiam inter eos ducit

CASIMIRUS, *Comes & Nobilis Dn. de Lippia*, is an. 1662. jugali fœdere ſibi ſociavit *Annam Amaliam*, *Erneſti C. de Sain & Witgenſtein* in *Homburg* filiam, è qua filios tres genuiſſe fertur:

I. *Rudolphum.*
II. *Ottonem.*
III. *Ferdinandum.*

& filiam unicam *Sophiam.*

16. WILHELMUS, *Comes & Nobilis Dn. de Lippia*, habet in conjugio *Sophiam Agnetem Eleonoram*, *Mauritij C. Tecklenburgici* è *Johanna Dorothea Anhaltina* filiam; è qua num liberos ſuſceperit, explorare integrum non fuit.

17. FRIDERICUS, *C. & Nobilis Dn de Lippia*, Canonicus Eccleſiæ Cathedralis *Halberſtadienſis*, habetque thori ſociam *Auguſti D. Holſatiæ* è linea *Sunderburgica* & *Sidoniæ Oldenburgicæ* filiam, an. 1673. ductam, è qua an. 1680. ſuſcepit *Ludovicum Ferdinandum.*

18. GEOR-

18. GEORGIUS, & AUGUSTUS, *Comites & Nobiles Domini de Lippia* cœlibem adhuc vitam colunt, & *posterior* quidem copiarum Landgravii Hasso-Cassellensis *Generalis Locumtenens*, omniumque castellorum in Hassia inferiore Præfectus audit.

19. Restat linea *Buckenburgica*, sic dicta à castro quod ejus autor *Philippus* è *Schaumburgica* hæreditate per transactionē, cum Landgravio Hassiæ in Cassel initam, & in *Instrumento Pacis Osnabr.* corroboratam, nactus est, quodque posteà incoluit. Ex avitis autem ditionibus ei in partitione, Præfecturæ *Lipperode*, *Alvendissen* & *Neuburg* obtigere; hæreditatis autem fraternæ loco XXXVI. millia thalerorum ipsi assignata fuerunt. Habuit in conjugio *Sophiam*, *Mauritii Landgr. Hassiæ* filiam, an. 1673. mortuam, ipse verò an. demum 1681. m. Apr. octogenarius naturæ concessit, pater filiarum quinque, & gnatorum trium: ex his duorum fratrum ætatibus medius interjectus *Carolus Hermannus*, an. 1655. natus, brevis, nec annui ævi fuit. Superstitum duorum nomina hæc sunt:

FRIDERICUS CHRISTIANUS, *Comes & Nobilis Dn. de Lippia, C. de Schaumburg*, editus in lucem an. 1653. m. Sept.

Philip-

Philippus Erneſtus C. & Nob. Dn. de Lippia &c. n. an. 1658. ambo adhuc cœlibes.

20. *Sororum*, quas *quinque* habent, ſylloge hæc eſt:

I. *Eleonora Sophia* n. an. 1647.

II. *Iohanna Dorothea*, n. 1648. nupta *Joh. Adolpho C. Tecklenburgico*, ſed poſt aliquot annorum contubernium repudiata.

III. *Ludovica*, n. an. 1650. ea *Auguſto Jun. D. Holſatiæ* è lin. *Sonderburgica* in manum convenit.

IV. *Philippina Eliſabetha*, ea in aula *Brüggenſi* in Sileſia aliquandiu verſata, poſteà à *Philippo Chriſtophoro C. Brainero*, *Colonello & Cubiculario Cæſareo*, cum priùs *Romanis* ſacris ſe devoviſſet, ducta fuit.

V. *Carola Iuliana*, nupta an. 1676. *Heinrico C. de Kuffſtein*, *Colonello & Camerario Cæſareo*; cujus tamen conſuetudine non amplius fruï, ſed *Hildesheimii* res ſuas ſibi habere refertur.

Spen. Op. Her. L. 1. c. 14.

21. *Scutum*, quo *Lippiæ Comites* uti ſolent, *quadripartitum* eſt: 1. & 4. areæ *argenteæ roſis ſingulis pentaphyllis rubeis auro gemmatis* inſignitæ ſunt, & *familiarem* teſſeram exhibent; 2. & 3. *rubeæ* continent *ſtellam auream*, cui *hirunda* inſiſtit *ex argento & nigro variegata*, & Comitatus *Sternberg & Schwalenburg* denotant.

norant. *Galea* incumbit *unica*, sustinens *rosam Lippiensem inter duas alas expansas argenteam & rubeam : Laciniæ argento & cocco* tinguntur. Notandum autem *Buckenburgicam* lineam medio scuti loco *parmulam* imponere, quæ *urticam Holsato-Schaumburgicam* repræsentat.

CAP. IV.

DE COMITIBUS A MANDERSCHEID.

ÆGid. *Gelenius* in eleganti & sæpius laudato *de Coloniæ Agrippinensis magnitudine* libello refert, *Manderscheidios Comites à Clematio-Ubia gente deduci*, idque *archivi Leiskirchiorum* fide confirmat. Celeb. autem *Spenerus* domestica gentis traditione nixus, originem Manderscheidiorum ab *Austrasiæ Regibus* derivat, quorum ultimus *Schvventisboldus* sive *Schvvantipolcus* filium habuerit *Wilhelmum*, qui dominium *Manderscheidense* obtinuerit, cujusque mentio in primis ludis equestribus an. 934. *Magdeburgi* celebratis occurrat. Eo & *Cunigundi*, filia *C. Hannoniæ & Namurci*, natus est *Wilhelmus* II. *Manderscheidij Comes*, à quo familiæ Genealogia, in *Spicilegio Rittershusiano* tribus tabulis non interrupta serie exhibita, exordium cepit; eam vero

L. 2. fol. 18. p. 175.

Op. Her. t. 1. c. 59.

verò prælaudato Viro Venerabili me in acceptis ferre, grata mente rursus iterumque prædico.

2. *Wilhelmo* II. filii duo tribuuntur: *Heinricus* & *Richardus*, quorum prior *Comitis*, alter *Domini de Manderscheid* titulo usus fuerit; verùm *Heinrici* progenies in ejus pronepote *Wilhelmo* iterum defecit. *Richardo*, qui in castro *Nieder-Manderscheid* dicto circa an 1133 ætatem degit, filius fuit *cognominis*, cui uxor *Agnes ab Esch*, *Kailam* è materna hæreditate acceptam, quæque hodienum in Manderscheidiorum ditione est, attulisse videtur: filius enim ejus natu minor *Foltardus Kailæ* titulum avito junxisse legitur. Hujus gnatus *Winnemarus* hæreditate *Wilhelmi C. Manderscheidij* agnati sui, præterea dominio *Kerpen* in *Eyffelia* per uxorem *Ildegardin* auctus est; id posteà ejus abnepos *Richardus*, *Heinrici & Irmgardis C. de Bettingen* filius natu minor, in divisione patrimonii nactus insignia nomenque *Kerpense*, Manderscheidico misso, adscivit, novamque lineam condidit; cujus tandem postremus ex hac gente hæres sequioris sexus in *Sembroviam* familiam elocata, eò successionem detulit.

3. *Wilkindus*, Richardi frater, *Manderscheidiorum* propagator, abavus *Wilhelmi* fuit, à quo *Rittershusiana tabula* immane quantum manca (quemadmodum è collatione cum

nostris

nostris patescit) orditur. *Theodoricus*, ejus filius, cum *Elisabetha*, *Tilemanni de Stein-Callenfels* filia, dominium *Wartenstein* accepit, atque ex ea filium cognominem genuit, cui jure uxorio castrum vetus *Daun* obvenit. Multò autem magis luculenta dos illa fuit, quam *Theodorico* III. qui *Comitis* axioma, aliquandiu à majoribus intermissum, beneficio Imperatoris Friderici III. an. 1450. recepit, *Elisabetha*, *Johannis Dn. de Sleiden* ex *Anna C. de Blanckenheim* filia ac hæres attulit: ea enim, præter hæreditatem paternam, quæ dominia *Sleiden*, *Junckerrath*, & *Neuenstein* continebat, maternam etiam complectebatur; videlicet *Comitatum Blanckenheim*, *Dynastias Geroldstein*, *Casselburg* & *Bettingen*. Hunc ipsum verò Comitatum *Blanckenheim*, cum dominio *Geroldstein*, nec non castris atq; oppidis *Sleiden* & *Neuenstein* Theodoricus, ejusque filii *Cuno*, *Johannes* & *Wilhelmus*, Gerhardo Duci Juliacensi & Bergensi in *clientelam* an. 1464. subdiderunt; quæ hic posteà, vigore reciprocæ stipulationis à se editæ, prædictis *Theodorici* filiis an. 1468. *feudi* titulo vicissim contulit. Processu temporum cœpere Duces Juliacenses ex hoc ipso capite Comitibus Manderscheidiis de *immedietate* controversiam movere, eosque eximere, sine onere, contenderunt.

4. A *Cunone*, *Iohanne* & *VVilhelmo* li-

næ tres ortæ sunt: primus *Manderscheidiam* & *Sleidam* cum pertinentiis sortitus, & per uxorem *Mechthildin*, *Wilhelmi C. de Virnenburg* filiam, nova ditione locupletatus fuit, *Comitatu* scilicet *Virnenburgico*, de quo tamen ipsi ejusque posteris diuturnâ cum Archiepiscopatu Trevirensi, cujus feudum Comitatus audit, controversia intercessit, donec an. 1554. inter *Johannem* Archiepiscopum & *Theodoricum* V. sive *Medinam* dictum, *Cunonis* nepotem, transactum est; ita ut hic Comitatu *Virnenburgico*, & parœcia *Nachzheim*, cum Vogthcia *Bons* & *Lengefeld*, omniqúe jurisdictione, tanquam feudo fœmineo, denuò investitus fuerit; Dynastiæ verò *Monreal* nec non majori & minori *Pellenz* renuntiaverit.

5. Verùm ut ex hoc diverticulo in viam revertar, *Cunoni*, præter alios, filius *Theodoricus* IV. *Sapiens* cognominatus, fuit, qui *Margaritam*, *Friderici B. Sombreviæ & Dn. Kerpæ* filiam, in thalamum adscivit, hocque conjugio *Kerpense* dominium in familiam reduxit. Idem dissipationi bonorum gentilitiorum occursurus an. 1551. *testamentum* condidit, quo *Majoratum* inter filios eorumque posteros instituit; hac tamen lege, ut primogenitus teneretur fratribus alimenta se digna suppeditare, fœminas autem dote instruere, reservando cæterùm his facul-

cultatem succedendi, casu quo mares deficerent; jussit etiam, ut quisque hæredum ephebus factus hanc dispositionem juramento confirmaret. Ex duobus autem filiis, quos genuit, natu minor *Franciscus* biennio antè, quàm testamentum illud conderetur, vivis excessit, non nisi fœminea prole post se relicta; cui avus doris loco XX. millia Imperialium legavit, contra pacta dotalia in nuptiis *Francisci* & *Annæ Isenburgicæ* inita, quippe quibus eorum liberi nasciturі in partem hæreditatis avitæ vocabantur. Hinc cùm post *Theodorici* IV. mortem, filius ejus natu major *Theodoricus* V. sive *Medius*, paternam successionem sibi soli sumeret, exclusis fratris sui filiabus, mater earum *Anna Isenburgica* in foro Lucemburgico pro filiabus suis portionem ex avi hæreditate petiit, leviroque diem dixit. Continuata deinceps lis est ab ejus generis, *Philippo C. Nassovio* & *Florentio C. Culenburgico*, eorumque hæredibus; pro quibus tandem *Mechliniæ* a. 1618. sententia pronuntiata, Theodorici autem hæredibus mandatum fuit, ut medietatem hæreditatis Theodorici Sapientis, Francisco ejus filio, neptibusque ex eo debitam, juxta divisionem *Sleidæ* an. 1541. factam, illis restituerent.

6. At *Theodorico Medio* ex uxore sua *Ericâ Waldeccia* multa nata est soboles, filii quatuor, gnatæ tres: ex illis duo *Cuno* &

Hermannus Ecclesiæ se addixerunt, *Theodoricus* VI. autem sive *Junior* & *Joachimus* matrimonia contraxere. Prior *Elisabetham Stolbergiam* duxit, atque an. 1582. ab Archiepiscopatu Trevirensi pagos *Weisheim*, *Bergheim*, & *Holzheim* cum juribus suis feudi titulo accepit; qui postea, ipso sine prole an. 1593. defuncto, agnatis ejus è linea *Blanckenheimica* collecti fuerunt. *Joachimus Magdalenam Nassoviam* in conjugio habuit, quæ ei Comitatum *Roussy* in agro Lucemburgico ex hæreditate materna acceptum attulit, sed non nisi mollioris sexus sobolem peperit.

7. Filiarum *Theodorici Medii* natu maxima *Margarita* fuit, ea *Ludovico ab Enschringen*, *Dn. de Schwvarzenburg* nupsit, invitis consanguineis, à quibus etiam propterea in custodiam condita, neque priùs emissa fuit, quàm omni successioni & juri primogenituræ renuntiasset, quod an. 1565. fecit; & licet deinceps literas restitutionis in integrum obtinuisset, iterum tamen an. 1581. cum fratribus transigere, & omnem actionem sibi competentem missam facere necesse habuit. Ejus soror natu minima, *Catharina*, *Philippo C. Marcano* in manum convenit; is affinibus sine hærede masculo mortuis, *Sleidam*, *Kerpenam*, aliaque militari manu occupavit, & sibi posterisque asseruit.

8. Reliquas hujus lineæ ditiones *Joachimi* filiæ inter se dispertierunt: *Manderscheidiam*

diam arcem *Magdalena*, *Stenoni Lövvenhaupt*io *C. de Rasburg* nupta, accepit, per cujus filiam posteà ad *C. Manderscheidium in Kayl* transiit; *Elisabethæ*, uxori Christophori Ludovici C. Lövvensteinici *Gronenburgensis* Dynastia cum insigni pago *Dalheim* obtigit; quam mox cum Comitatu *Virnenburgico*, qui *Annæ Salomæ*, *Caroli C. Manderscheidii in Geroldstein* conjugi, obvenerat, commutavit. Hunc ipsum autem Comitatum (liceat mihi hoc εἰς ἐν παρόδῳ interferere) tempestate bellica tricennali à *Johanne L. B. à Reck*, *Præside Consilii Aulico-Imperialis*, occupatum aliquando fuisse legi, quod quidem nomine uxorio factum mihi videtur: duxerat enim ille *Annam Magdalenam ab Enschringen*, *Margaritæ Manderscheidiæ*, de qua superiùs dictum fuit, è filio *Joh. Gerhardo ab Enschringen* marito *Ursulæ à Braunsperg* neptem; verùm cùm ea an. 1641. sterilis decessisset, prætensio etiam ejus haud dubiè intercidit. *Roceiensem* denique Comitatum, *Rouſſy* vulgò dictum, *Erica*, *Wilhelmi Landgr. Leuchtenbergici* consors, sortita est, cujus filio *Maximiliano Adamo* an. 1646. sine liberis mortuo, hæreditatem ejus matertera *Annæ Salomæ*, *Caroli Geroldsteinii* uxor, crevit.

9. Veniendum nunc ad progeniem *Johannis*, qui Cunonis frater, Theodorici III. filius secundogenitus fuit, & in partitione

hæreditatis tàm paternæ quàm maternæ Comitatum *Blanckenheimensem* & Dynastias *Geroldstein, Bettingen* & *Junckerroth* obtinuit. Ab ejus filiis *Gerhardo* & *Arnoldo* rami duo prodiere: *Geroldsteinensis* & *Blanckenheimicus*: priori enim in divisione an. 1548. d. 2. Maji auspice *Wilhelmo D. Juliacensi* instituta, *Geroldstein* cum appertinentiis, alteri *Blanckenheim* & *Junckerroth* obtigere. *Gerhardo* natus est *Johannes Gerhardus*, hoc *Carolus*, cui ab uxore *Anna Salome* agnata sua *Rojacensem* Comitatum & *Cronenburgicum* dominium obvenisse antea dixi. Liberi illis sex tribuuntur, filii tres, totidemque sexus infirmioris. Inter illos *Philippus Salentinus* Chori Episcopus *Colonienſis* & Decanus *Argentinensis* fuit, an. 1680 d. 5. Apr. mortuus; *Wilhelmus Ernestus* autem Canonicus *Colonienſis* & *Argentin.* superare fertur, unà cum fratre suo natu majore.

10. Is est FERDINANDUS LUDOVICUS, *Comes in Manderscheid, Geroldstein & Rousſy, Dn. in Cronenburg, Bettingen & Dann*, susceptus in lucem an. 1613. Nuptiis sibi adjunxit *Dorotheam Catharinam*, *Joh. Theodorici C. Lovvensteinio-Wertheimici* filiam è qua natos ei sunt liberi quinque, nempe:

I. *Carolus Ferdinandus*, maritus *Mariæ Catharinæ*, *Hugonis C. Konigseccii & Carolæ Ludovicæ C. de Sulz* gnatæ. II.

II. *Philippina Erneſtina Barbara*, Abbatiſſa ad *S. Urſulam* Coloniæ; hanc potius quàm ejus amitam *Ericam Chriſtinam* attinere nunc ſuſpicor, quod an. 1681 m. Febr. Novellæ de obitu *Abbatiſſæ S. Urſulæ in Colonia* genere *Manderſcheidiæ*, cui Wolckenſteinia ſurroga a fuerit, narrarunt.

III. *Franciſcus Wilhelmus Adolphus*, Canonicus *Colon. & Argent.*

IV. *Philippus Theodoricus*, Canon. *Colon.* † an. 1674

V. *Carolus Caſpar*, Canon. *Colon.*

11. *Scutum* quo Comites ram. *Geroldſteinenſis* uti ſolent, *linea perpendiculari una*, & *duabus transverſis* in *ſex areolas* dividitur: 1. *aurea faſciam tortuoſam coccineam* familiare *δᾶγμα continet*; 2. *aurea leonem nigrum, cui faſciola quadrifida impendet*, Blanckenheimici Comitatus ſymbolum, *refert*; 3. *aurea leonem rubeum*, relleram Rojacenſem, *exhibet*; 4. *argentea, aquilam rubeam*, Cronenburgenſe emblema *continet*; 5. *argenteam flumen cæruleum diagonaliter permeat, appictis ubique ſtellulis miniatis, quod* dominii Bettingen *δᾶγμα eſt*; 6. denique *aurea clathris rubeis diſtinguitur*, Dauniæ Dynaſtiæ *denotandæ*. *Galeæ tres* incumbunt: 1. Manderſcheidia *tecta pileolo lato rubeo, cujus ora auro reducitur, cauda pavonina ſuperbiente*; 2. *coronata in-* Spen. l. c. §. 15.

ter duas alas aureas canem nigrum coronatum sedentem, exserta linea rubea sustinet; 3. prima similis est, nisi quod inter caudas duas pavoninas scutulum Blanckenheimicum *visitur.*

12. *Blanckenheimici* rami fator *Arnoldus* è *Margarita Wiedana* filios quatuor genuit, videlicet: *Hermannum*, maritum *Juliana Hanovicæ*, sed prole destitutum, *Eberhardum* Canonicum Colon. & Argentor. *Johannem* Episcopum Argentinensem, cujus fata ingens illud & acre dissidium, quo sub finem superioris seculi afflicta est Alsatia, excepit, & denique *Arnoldum*: hoc & *Maria Ursula Leiningensi* natus fuit *Johannes Arnoldus*, pater ex *Antonia Elisabetha* agnata in *Geroldstein*, filiorum sex & gnatarum quatuor; harum nomina hæc sunt: (I.) *Anna Salome*, Abbatissa *Thorensis*, (II.) *Clara Elisabetha*, Canonissa *Essendiensis*, (III.) *Maria Francisca*, Abbatissa in *Elten & Vreden*, (IV.) *Maria Helena*, Canonissa *Thorensis*.

13. E filiis unicum tantum in vivis superesse accepi.

Is est SALENTINUS ERNESTUS, *Comes in Manderscheid & Blanckenheim, Baro in Junckerroth, Dn. in Daun & Erp, Magister aulicus Hereditarius in Archiepiscopatu Colonienſi*, prodiit in lucem an. 1630. d. 16. Aug. & primis nuptiis an. 1651.

d. 7.

d. 7. Sept. duxit *Erneſtinam. Erneſti C. in Sain & Witgenſtein* filiam, cujus nomine partem è Sainenſi Comitatu, *Hachenburgenſem* ſcilicet Dynaſtiam ſibi vindicavit; ex ea verò quater parens factus eſt

I. *Annæ Ludovicæ*, n. 1. Apr. 1654. ea nunc vidua eſt *Mauritii Heinrici Pr. Naſſovii in Hadamar*, cui an. 1675. in manum convenerat.

II. *Maximiliani Ioſephi Ferdinandi*, n. an. 1655. d. 30. Apr. is an. 1675. Romæ, ubi gymnaſmatis vacabat, præmatura morte abreptus fuit.

III. *Franciſcæ Eleonoræ Claræ*, nat. 4. Febr. 1657. nuptæ *Antonio Leopoldo C. à Pötting*, Epiſcopi Paſſavienſis è fratre nepoti.

IV. *Magdalenæ Chriſtinæ*, n. a. 1658. elocatæ *Georgio Ludovico Burggravio de Kirchberg.*

V. *Salome Sophiæ Vrſulæ*, n. an. 1659. ea *Ludovico Friderico C. de Wied in Dürdorf* an. 1675. nupſit, jamque vivere deſiit.

14. Poſt *Erneſtinæ Sainenſis* è vita diſceſſum ad ſecunda vota *Salentinus Erneſtus* tranſiit, penatibusque ſuis induxit *Chriſtinam Eliſabetham, Georgii Alberti C. Erpacenſis* ex *Eliſabetha Dorothea Hohenloica* gnatam, è qua utriusque ſexus liberos procreaſſe dicitur.

15. *Scutum*, quo ille utitur, aliter ac

Geroldsteinense dispositum, & *quadripartitum* est: laterculus 1. *Manderscheidicam* tesseram, 2. *Blanckenheimicam* repræsentat, 3. *Junckerrothense* δάγμα exhibet, & *cæruleus*, *aureisque liliis* sparsus est, impresso *leone argenteo*, *cujus pectori fasciola quadrifida coccinea* incumbit; 4. *Daunium* symbolum refert. *Cassides* eædem imponuntur, quæ Geroldsteinicum clypeum premunt.

16. Reliqua est *Kaylensis* linea, cujus autor *Wilhelmus*, Cunonis & Johannis frater natu minimus extitit; is in divisione ditionum Dynastias, *Daun*, *Kayl* & *Wartenstein* accepit, atque ex uxore *Adelhaidi C. de Sarwverden*, præter *Wilhelmum*, Abbatem *Stabulensem* & *Prumiensem*, aliosque, *Jacobum* præcipuè genuit; qui secundo conjugio (primum cum *Maria Marcana* sterile fuit) *Annam C. ab Haraucourt*, hæredem in *Rittingen* & *Dollendorf*, sibi junxit, atque ex ea filiorum quatuor parens factus est, inter quos eminuere *Theodoricus* & *Christophorus*: hic enim patruo *Wilhelmo* in utraque Ecclesiastica dignitate successit, *ille* autem stirpem propagavit per filium cognominem, cui cum uxore *Anna Æmilia* agnata sua portio ex hæreditate lineæ *Manderscheidico-Sleidensis* obvenit; illa verò nova ex eadem hæreditate accessione, castro nempe *Manderscheidico* ejusque pertinentiis, aucta fuit ejus filio

Phi-

Philippo Theodorico per matrimonium, quod is cum *Elisabetha Amalia*, *Stenonis Leuenhaubtii C. de Rasburg*, è *Magdalena Manderscheidia*, gnata contraxit; quo ipso jus etiam in *Falckensteinicam* & *Reipolzkirchiam* successionem ipsi natum est: erat enim uxori ejus avia paterna *Sidonia C. Falckensteinensis*, *Axelii Leuenhaubtii* conjux. Multa de cœtero & pulchra soboles ex hoc conjugio prodiit, quæ, si non omnis, pleraque certè superstes est.

17. Inter mares, qui tres fuere, potiores ordine naturæ partes, regimenque nunc tenet

HERMANNUS FRANCISCUS, *Comes in Manderscheid, Blanckenheim & Falckenstein, Dn. in Kayl, Daun, Bettingen, Reipolzkirchen, Neuerburg & Dollendorf.* Is connubio coivit cum *Maria Agatha, Georgij Friderici Wild- & Rheingravii in Kirburg* ex *Anna Elisabetha Stolbergica* filia. Postquam Regi Galliæ Trans-Rhenani tractus imperium sibi arroganti an. 1681. homagium præstitisset, non solùm partem ex hæreditate soceri sui, *Kirburgensi* scilicet dominio, depulso *Johanne Rhingravio Merchingensi*, obtinuit, sed & in possessionem Comitatus *Falckensteinici* unà cum Comite Leuenhauptio immissus est, subditique in eorum verba

Winvvilera d. 19. Nov. adacti fuerunt. E liberis illius non nisi filiorum duorum nomina edere possum, nimirum

Ernesti Dominici

& *Maximiliani Philippi*, qui ambo *Canonicis Colonienſibus* aſcripti ſunt.

18. OTTO LUDOVICUS, *C. in Manderſcheid, Blanckenheim & Falckenſtein* &c, *Philippi Theodorici* filius ſecundogenitus, Eccleſiaſticum vitæ genus amplexus, & in numerum *Canonicorum* Eccleſiæ Metropolitanæ *Colonienſis* cooptatus eſt; meruitque, ut anno ſuperiore 1682. *Præpoſitura* Capituli, quæ à multis annis vacabat, unà cum *Cuſtodiæ* munere ipſi deferretur.

19. *Heinricum Adolphum*, ejus fratrem natu minimum, in Libitinæ rationes veniſſe ſuſpicor, eò quod in Catalogo Canonicorum Colonienſium, inter quos locum ipſum habuiſſe accepi, nulla ejus ampliùs mentio occurrit.

20. Sororum Comitis Manderſcheidio-Kaylenſis, quæ octavum implent numerum, nomina hæc ſunt:

I. *Maria Eliſabetha*, nupta *Axelio Leuenhaubt. C. de Rasburg & Falckenſtein.*

II. *Eugenia Maria Franciſca*, uxor ſecunda *Johannis Ludovici C. à Sulz.*

III. *Anna Catharina*, Canoniſſa ad *S. Urſul.* Coloniæ.

IV.

IV. *Clara Magdalena*, elocata *Ernesto Salentino C. de Salm & Reifferscheid in Dyck.*
V. *Iuliana Margarita.*
VI. *Maria Vrsula.*
VII. *Agatha Barbara*, Canon *Essendiensis.*
VIII. *Anna Sidonia.*

21. *Scutum* hujus lineæ *quadripartitum* est, incumbente in loco medio parmula *Blanckenheimensi*; areola verò 1. fasciam tortuosam *Manderscheidicam*; 2. clathros *Daunios* refert; 3. cœrulea rotam argenteam *Falckensteinicam* exhibet; 4. *viridis aureis plinthidibus sparsa anchoram argenteam*, denotando dominio *Reipolzkirchen*, repræsentat. *Galeæ* imponuntur *duæ*: prior Manderscheidica, *caudam pavoninam cum scutula* Blanckenheimensi sustinet; altera Daunia, *exsurgentem cygnum candidum alis nigris expansis* exhibet. *Laciniæ* hinc *aureæ & rubeæ*, isthinc *nigræ & argenteæ* dependent.

CAP. V.

DE FAMILIA COMITUM A MARCK.

INcluta *Marcana* familia, potens quondam & splendida, nunc autem ad tenuiorem conditionem redacta, ab *Altenanis* originem trahit; quos ad Romanos colonos, & *Ubio-*

Cap. 3. §. 5. & *Ubiò-Romanam* nobilitatem revocandos esse *Gelenius* censuit, ceu *suprà* memoratum est. In eg am gentis Genealogiam *Ægidius Andreas dela Roque Gallo-Britannus* in vasto *de Harcurtia familia* o ere recensuit, & ab altiore ſtipi e quàm *Rittershusius*, deduxit, primum nominando *Adolphum*, qui Dominus illorum locorum, quæ posteà *Altena* & *Mons* dicta sun', fuerit, filiosque habuerit *Adolphum* II. *Eberhardum* & *Ottonem*. Ab his in co mmnis Weſtphaliæ & Saxoniæ Orientalis castra duo condita esse perhibent, quorum alterum *Altena*, alterum *Altemberg* appellatum, vicinæ egioni nomina impertiverint.

Tom. II. p. 1172. & ſeqq.

2. *Adolpho* II. *Altenæ & Montium Comiti* an. 1127. creato, uxor tribuitur *Adella*, *Arnoldi II. C. Clivia* filia, cum qua, præter *Brunonem*, qui an. 1132. in *Archi-Epiſcopum Coloniensem* inauguratus fuit, *Adolphum* III. ſuſcepit, an. 1170. mortuum, & filiorum trium ex *Helena Lucemburgia* parentem, nimirum: *Eberhardi*, qui ſecundùm diſpoſitionem paternam *Comes Altenæ* fuit, *Engelberti Comitis Montium* (qui è *Margarita Geldria Adolphum* ſuſcepit, patrem è *Cunigunda Juliacenſi* filiæ unicæ *Cunigundæ*, quæ Comitatum *Montenſem* Heinrico V. Limburgi Duci marito ſuo attulit) & *Arnoldi* Archiepiſcopi *Colonienſis*.

3. *Eberhardus, Altenæ Comes*, filios ex procrea-

creavit: *Fridericum* scilicet, *Brunonem*, *Adolphum*, *Eberhardum*, *Theodorum* & *Engelbertum*; ex his quatuor *Colonienſi* Archidiœceſi ſucceſſivè præfuiſſe memorantur, *Bruno* nempe, *Adolphus*, *Theodorus* & *Engelbertus*. Hic demum an. 1225. à fratris ſui *Eberhardi*, qui jure uxorio axioma *Comitis ab Iſſemburg* obtinuit, filio *Friderico* trucidatus, atque in *Martyrum Sanctorumq;* cœtum locatus fuit.

4. *Fridericus*, *Altenæ Comes*, *Adolphum* IV. & *Fridericum* genuit, quorum prior *Marcanam* Dynaſtiam à *Rabadone Martano* pretio ſibi acquiſivit, & *Marcæ Comitis* titulum in familiam intulit; ab eo *tabulæ Rittershuſianæ* exordiuntur. *Engelbertus* Adolphi IV. filius avitum nomen omninò abdicavit, & *Marcæ Comitis* axioma ſolummodò ſumſit; ejus nepos *cognominis* ducta in matrimonium *Mechtildi*, *Johannis Aremberga Domini* gnata, *Dynaſtiæ* hujus acceſſione ditiones auxit, & divitione inter filios duos, quos habuit, facta, *Adolpho* natu majori *Marcam*, *Eberhardo* autem *Arembergam* aſſignavit. Hinc *lineæ duæ* ortæ ſunt, quarum utraque novis auctibus creſcens ad altius faſtigium emerſit.

5. Equidem *Adolphi* poſterorum fortuna auguſtior fuit, ſplendidiorque conditio, utpote è quibus *Duces Cliviæ*, *Juliaci & Montium*, *Comites Ravenſperga*, *Dynaſtæ Ravenſteinii*, præterea *Duces Niverni* in Gallia pro-

prodiere; quorum stirps omnis, nec tamen memoria egregiis virtutibus parta, quam ipsa æternitas semper intuebitur, extincta est. *Nivernenses* quidem citius ac *Clivenses* defecere: illos *Engelbertus* profevit, *Adolphi* modò dicti abnepos, *Johannis I. Ducis Cliviæ*, cui cum uxore *Elisabetha Burgundica Nivernum*, ad *Niveris* & *Ligeris* confluentes situm, (quod *Noviodunum Æduorum* oppidum à *Cæsare Lib. VII. de bello Gallico* celebratum *Hadr. Valesio* est) obvenit, filius. *Franciscus*, ejus nepos, *Dux Niverni* & *Par Franciæ* an. 1538. creatus fuit, duasque (ceu communiter perhibetur) uxores habuit: primam quidem *Margaritam Burboniam*, *Caroli D. Vindocini* filiam, an. 1638. ductam: postea verò *Mariam Burboniam*, *Francisci C. S. Pauli* gnatam, *Joh. Burbonii C. Anghiani* viduam, quam an. 1657. sibi copulavit; ceu præter *Ægidium de la Roque*, *San Marthanus* etiam non una vice in præclaro *de familia Regia Gallica* opere Genealogico refert; licet eodem loco tradat, *Margaritam*, priorem *Francisci Niverni* conjugem anno demum 1589. atq; adeò XXVIII. annos post mariti obitum, qui in an. 1561. incidit, decessisse. Id magis ad liquidum perductum est, *Francisco* è *Margarita* saltem liberos fuisse natos, & præter alios sequioris sexus, filios præcipuè duos: *Franciscum* & *Jacobum*. Ille *Annam*

Not. Gal. p. 283.

L. 21. C. 2. & 9. p. 105.

niam, Ludovici Borbonii D. Monpenserii filiam, an. 1561. connubio sibi junxit; sed anno sequenti m. Dec. ante pugnam *Drocensem* à domestico quodam Ducis Guisii improviso sclopeti ictu in femore vulneratus, septimum & decimum post diem, qui 10. Jan. 1563. fuit, improlis expiravit: succedente ei fratre *Jacobo*. Hic è *Diana Marcana* uxore sua itidem nullos suscepit liberos, sed an. 1564. d. 6. Sept. moriens ramum terminavit, hæreditate *Nivernensi* ad sororem ejus natu maximam *Heinricam* (tertii enim fratris *Heinrici* nullam apud Scriptores Gallicos mentionem reperio) delabente; quæ eam marito suo *Ludovico Gonzagæ* attulit. Ab hujus posteris Nivernum *Julius Mazarini Cardinalis* an. 1659. emit, & in nepotem è sorore *Philippum Mancinium*, qui jam *Dux Nivernii* audit, transtulit.

Memoir. du Duc de Nevers Tom. 2. p. 178.

6. *Clivensis* progenies ad hoc usque seculum duravit: ea hoc nomine appellari cœpit, postquam *Adolphus*, Adolphi C. Marcæ & totius lineæ autoris filius secundus, antehac *Archiep. Coloniensis*, avunculo suo *Johanni C. Clivia* successisset: Hic pater filii *cognominis*, quem Sigismundus Imp. an. 1417. *Ducem Clivia* creavit, avus autem *Johannis* I. supra memorati extitit, cujus filius secundogenitus *Engelbertus Nivernensis* rami fator fuit; major autem natu *Johannes* II. *Clivensem*

sem propagavit, mox per conjugium filii ejus *Johannis* III. cum *Maria*, *Wilhelmi D. Juliacensis & Bergensis* filia unica, successione hac auctum; ut ita *Wilhelmus* ex hoc matrimonio natus Ducatus tres, *Juliacensem*, *Clivensem* & *Bergensem*, complecteretur, Cæsareaque affinitate dignus haberetur: duxit enim *Mariam*, *Ferdinandi I. Imp.* filiam, septies ex ea parens factus; gnati duo fuere: *Carolus Fridericus*, in peregrinatione, quam *Stephanus Pighius* Latinis literis illustravit, *Romæ* an. 1571. fato raptus, & *Joh. Wilhelmus*. Hic patri in ditionibus successit, prolem verò, licet bis maritus, non genuit: itaq; cum vita lineam etiam an. 1609. d. 25. Mart. finivit. De successione acris inter ejus sororios controversia, in cujus partem Saxones etiam venere, exarsit; de qua superiùs actum fuit, neque hic ea repetere necessum est.

7. Altera *Marcanæ* familiæ linea capitalis *Arembergica* dicta fuit; eam ob nonnulla quæ deductioni *Rittershusianæ* addi possunt, singillatim enumerare operæ erit pretium. *Eberhardus*: *Arembergæ* secundùm dispositionem paternam *Dominus*, lineæque autor, ab uxore *Maria*, *Ludovici C. de Los*, *Dynastæ de Neufchastel* in Ardenna filia, Dominio *Lumain* locupletatus est, atque an. 1387. mortuus præcipuè *Eberhardum* II. post se reliquit, *Dominum Arembergæ*, *& Lumani Baronem*,

ronem, bis maritum: primò *Mariæ*, filiæ *Wilhelmi Domini de Brasquemont & Sedan*, quæ dominia per cessionem affinis sui *Ludovici Brasquemontii* obtinuit; deinde *Agnetis*, *Johannis D. de Rochefort* in Ardenna gnatæ & hæredis. Hac natus est *Ludovicus Marcanus B. de Rochefort*, pater è *Maria Asremontia Ludovici* & *Ludovicæ*, quæ, hæres vel fratris prole destituti, vel secundùm alios nepotum è fratre, *Rupifortium Philippo C. de Konigstein* thori socio attulit.

8 E priore *Eberhardi* II. thalamo provenit *Johannes*, *Arembergæ*, *Lumaini & Sedani Dominus*; Is ex *Agnete C. Virnenburgi* filios tres, *Eberhardum* III. *Robertum* & *Wilhelmum* genuit, totidem ramorum, *Arembergici* scilicet, *Sedanensis* & *Lumainensis* satores. Primum *Eberhardus* III. propagavit, qui è priore conjuge *Margarita de Bouschaut*, præter alios, *Eberhardum* IV. & *Wilhelmum* suscepit. Hic *Dominus ab Aigremont* dictus, *Renatam du Fou Domicellam de Montbazon* uxorem habuit; sed non nisi mollioris sexus sobolem genuisse legitur, *Annam* videlicet & *Renatam*; illa *Johanni Dn. de Rambures*, hæc *Anneo Sarbruccensi C. de Braine* nupsit. *Eberhardo* cum *Margarita Hornana* sterile fuit conjugium; *Robertum* verò *Mechtildis*, *Johannis Vicecomitis de Montfort* filia, parentem fecit gnati *cognominis*, in cujus thalamum

ter duas alas aureas canem nigrum coronatum sedentem, exserta linea rubea sustinet; 3. primæ similis est, nisi quod inter caudas duas pavoninas scutulum Blanckenheimicum *visitur.*

12. *Blanckenheimici* rami fator *Arnoldus* è *Margarita Wiedana* filios quatuor genuit, videlicet: *Hermannum*, maritum *Julianæ Hanovicæ*, sed prole destitutum, *Eberhardum* Canonicum Colon. & Argentor. *Johannem* Episcopum Argentinensem, cujus fata ingens illud & acre dissidium, quo sub finem superioris seculi afflicta est Alsatia, excepit, & denique *Arnoldum*: hoc & *Maria Ursula Leiningensi* natus fuit *Johannes Arnoldus*, pater ex *Antonia Elisabetha* agnata in *Geroldstein*, filiorum sex & gnatarum quatuor; harum nomina hæc sunt: (I.) *Anna Salome*, Abbatissa *Thorensis*, (II.) *Clara Elisabetha*, Canonissa *Essendiensis*, (III.) *Maria Francisca*, Abbatissa in *Elten & Vreden*, (IV.) *Maria Helena*, Canonissa *Thorensis*.

13. E filiis unicum tantum in vivis superesse accepi.

Is est SALENTINUS ERNESTUS, *Comes in Manderscheid & Blanckenheim, Baro in Junckerroth, Dn. in Daun & Erp, Magister aulicus Hereditarius in Archiepiscopatu Colonienſi*, prodiit in lucem an. 1630. d. 16. Aug. & primis nuptiis an. 1651.

d. 7.

d. 7. Sept. duxit *Erneſtinam. Erneſti C. in Sain & Witgenſtein* filiam, cujus nomine partem è Sainenſi Comitatu, *Hachenburgenſem* ſcilicet Dynaſtiam ſibi vindicavit; ex ea verò quater parens factus eſt

I. *Annæ Ludovicæ*, n. 1. Apr. 1654. ea nunc vidua eſt *Mauritii Heinrici Pr. Naſſovii in Hadamar*, cui an. 1675. in manum convenerat.

II. *Maximiliani Ioſephi Ferdinandi*, n. an. 1655. d. 30. Apr. is an. 1675. Romæ, ubi gymnaſmatis vacabat, præmatura morte abreptus fuit.

III. *Franciſcæ Eleonoræ Claræ*, nat. 4. Febr. 1657. nuptæ *Antonio Leopoldo C. à Pötting*, Epiſcopi Paſſavienſis è fratre nepoti.

IV. *Magdalenæ Chriſtinæ*, n. a. 1658. elocatæ *Georgio Ludovico Burggravio de Kirchberg.*

V. *Salome Sophiæ Vrſulæ*, n. an. 1659. ea *Ludovico Friderico C. de Wied in Dürdorf* an. 1675. nupſit, jamque vivere deſiit.

14. Poſt *Erneſtinæ Sainenſis* è vita diſceſſum ad ſecunda vota *Salentinus Erneſtus* tranſiit, penatibusque ſuis induxit *Chriſtinam Eliſabetham*, *Georgii Alberti C. Erpacenſis* ex *Eliſabetha Dorothea Hohenloica* gnatam, è qua utriusque ſexus liberos procreaſſe dicitur.

15. *Scutum*, quo ille utitur, aliter ac

Geroldsteinense dispositum, & *quadripartitum* est: laterculus 1. *Manderscheidicam* tesseram, 2. *Blanckenheimicam* repræsentat, 3. *Junckerrothense* δάγμα exhibet, & *cæruleus*, *aureisque liliis* sparsus est, impresso *leone argenteo*, *cujus pectori fasciola quadrifida coccinea* incumbit; 4. *Daunium* symbolum refert. *Cassides* eædem imponuntur, quæ Geroldsteinicum clypeum premunt.

16. Reliqua est *Kaylensis* linea, cujus autor *Wilhelmus*, Cunonis & Johannis frater natu minimus extitit; is in divisione ditionum Dynastias, *Daun*, *Kayl* & *Wartenstein* accepit, atque ex uxore *Adelhaidi C. de Sarvverden*, præter *Wilhelmum*, Abbatem *Stabulensem* & *Prumiensem*, aliosque, *Jacobum* præcipuè genuit; qui secundo conjugio (primum cum *Maria Marcana* sterile fuit) *Annam C. ab Haraucourt*, hæredem in *Pittingen* & *Dollendorf*, sibi junxit, atque ex ea filiorum quatuor parens factus est, inter quos eminuere *Theodoricus* & *Christophorus*: hic enim patruo *Wilhelmo* in utraque Ecclesiastica dignitate successit, *ille* autem stirpem propagavit per filium cognominem, cui cum uxore *Anna Æmilia* agnata sua portio ex hæreditate lineæ *Manderscheidico-Sleidensis* obvenit; illa verò nova ex eadem hæreditate accessione, castro nempe *Manderscheidico* ejusque pertinentiis, aucta fuit ejus filio

Phi-

Philippo Theodorico per matrimonium, quod is cum *Elisabetha Amalia*, *Stenonis Leuenhaubtii C. de Rasburg*, è *Magdalena Manderscheidia*, gnata contraxit; quo ipso jus etiam in *Falckenstеinicam* & *Reipolzkirchiam* successionem ipsi natum est: eratsenim uxori ejus avia paterna *Sidonia C. Falckenstеinensis*, *Axelii Leuenhaubtii* conjux. Multa de cœtero & pulchra soboles ex hoc conjugio prodiit, quæ, si non omnis, pleraque certè superstes est.

17. Intermares, qui tres fuere, potiores ordine naturæ partes, regimenque nunc tenet

HERMANNUS FRANCISCUS, *Comes in Manderscheid, Blanckenheim & Falckenstein*, *Dn. in Kayl*, *Daun*, *Bettingen*, *Reipolzkirchen*, *Neuerburg & Dollendorf*. Is connubio coivit cum *Maria Agatha*, *Georgii Friderici Wild- & Rheingravii in Kirburg* ex *Anna Elisabetha Stolbergica* filia. Postquam Regi Galliæ Trans-Rhenani tractus imperium sibi arroganti an. 1681. homagium præstitisset, non solùm partem ex hæreditate soceri sui, *Kirburgensi* scilicet dominio, depulso *Johanne Rhingravio Merchingensi*, obtinuit, sed & in possessionem Comitatus *Falckenstеinici* unà cum Comite Leuenhauptio immissus est, subditique in eorum verba

Winnvilera d. 19. Nov. adacti fuerunt. E liberis illius non nisi filiorum duorum nomina edere possum, nimirum

Ernesti Dominici

& *Maximiliani Philippi*, qui ambo *Canonicis Colonienſibus* aſcripti ſunt.

18. OTTO LUDOVICUS, *C. in Manderſcheid, Blanckenheim & Falckenſtein* &c, *Philippi Theodarici* filius ſecundogenitus, Eccleſiaſticum vitæ genus amplexus, & in numerum *Canonicorum* Eccleſiæ Metropolitanæ *Colonienſis* cooptatus eſt; meruitque, ut anno ſuperiore 1682. *Præpoſitura* Capituli, quæ à multis annis vacabat, unà cum *Cuſtodiæ* munere ipſi deferretur.

19. *Heinricum Adolphum*, ejus fratrem natu minimum, in Libitinæ rationes veniſſe ſuſpicor, eò quod in Catalogo Canonicorum Colonienſium, inter quos locum ipſum habuiſſe accepi, nulla ejus ampliùs mentio occurrit.

20. Sororum Comitis Manderſcheidio-Kaylenſis, quæ octavum implent numerum, nomina hæc ſunt:

I. *Maria Eliſabetha*, nupta *Axelio Leuenhaubt. C. de Rasburg & Falckenſtein.*

II. *Eugenia Maria Franciſca*, uxor ſecunda *Johannis Ludovici C. à Sulz.*

III. *Anna Catharina*, Canoniſſa ad *S. Urſul.* Coloniæ.

IV.

IV. *Clara Magdalena*, elocata *Ernesto Salentino C. de Salm & Reifferscheid in Dyck.*

V. *Iuliana Margarita.*

VI. *Maria Vrsula.*

VII. *Agatha Barbara*, Canon *Essendiensis.*

VIII. *Anna Sidonia.*

21. *Scutum* hujus lineæ *quadripartitum* est, incumbente in loco medio parmula *Blanckenheimensi*; areola verò 1. fasciam tortuosam *Manderscheidicam*; 2. clathros *Daunios* refert; 3. cœrulea rotam argenteam *Falckensteinicam* exhibet; 4. *viridi aureis plinthidibus sparsa anchoram argenteam*, denotando dominio *Reipolzkirchen*, repræsentat. *Galeæ* imponuntur *duæ*: prior Manderscheidica, *caudam pavoninam cum scutulo* Blanckenheimensi sustinet; altera Daunia, *exsurgentem cygnum candidum alis nigris expansis* exhibet. *Lacinia* hinc *aureæ & rubeæ*, isthinc *nigræ & argenteæ* dependent.

CAP. V.

DE FAMILIA COMITUM A MARCK.

INcluta *Marcana* familia, potens quondam & splendida, nunc autem ad tenuiorem conditionem redacta, ab *Altenanis* originem trahit; quos ad Romanos colonos, & *Vbio-*

Cap. 3. §. 1. & *Ubiò-Romanam* nobilitatem revocandos esse *Gelenius* censuit, ceu *suprà* memoratum est. In eg am g ntis Genealogiam *Ægidius Andreas dela Roque Gallo-Britannus* in vasto *de Harcurtia familia* o ere recensuit, & ab altiore itipi e quàm *Rittershusius*, deduxit, primum nominando *Adolphum*, qui Dominus illorum locorum, quæ postea *Altena* & *Mons* dicta sun , fuerit, filiosque habuerit *Adolphum* II. *Eberhardum* & *Ottonem*. Ab his in co inis Westphaliæ & Saxoniæ Orientalis castra duo c nditа esse perhibent, quorum alterum *Altena*, alterum *Altemberg* appellatum, vicinæ egioni nomina imperciverint.

Tom. II. p. 1172. & seqq.

2. *Adolpho* II. *Altenæ & Montium Comiti* an. 1127. creato, uxor tribuitur *Adella*, *Arnoldi II. C. Clivia* filia, cum qua, præter *Brunonem*, qui an. 1132. in *Archi-Episcopum Colonensem* inauguratus fuit, *Adolphum* III. suscepit, an. 1170. mortuum, & filiorum trium ex *Helena Lucemburgia* parentem, nimirum: *Eberhardi*, qui secundùm dispositionem paternam *Comes Altena* fuit, *Engelberti Comitis Montium* (qui è *Margarita Geldria Adolphum* suscepit, patrem è *Cunigunda Juliacensi* filiæ unicæ *Cunigundæ*, quæ Comitatum *Montensem* Heinrico V. Limburgi Duci marito suo attulit) & *Arnoldi* Archiepiscopi *Colonienſis*.

3. *Eberhardus, Altenæ Comes*, filios sex procrea-

creavit: *Fridericum* scilicet, *Brunonem*, *Adolphum*, *Eberhardum*, *Theodorum* & *Engelbertum*; ex his quatuor *Colonienſi* Archidiœceſi ſucceſſivè præfuiſſe memorantur, *Bruno* nempe, *Adolphus*, *Theodorus* & *Engelbertus*. Hic demum an. 1225. à fratris ſui *Eberhardi*, qui jure uxorio axioma *Comitis ab Iſſemburg* obtinuit, filio *Friderico* trucidatus, atque in *Martyrum Sanctorumq;* cœtum locatus fuit.

4. *Fridericus*, *Altenæ Comes*, *Adolphum* IV. & *Fridericum* genuit, quorum prior *Marcanam* Dynaſtiam à *Rabadone Marcano* pretio ſibi acquiſivit, & *Marcæ Comitis* titulum in familiam intulit; ab eo *tabulæ Rittershuſianæ* exordiuntur. *Engelbertus* Adolphi IV. filius avitum nomen omninò abdicavit, & *Marcæ Comitis* axioma ſolummodò ſumſit; ejus nepos *cognominis* ducta in matrimonium *Mechtildi*, *Johannis Arembergæ Domini* gnata, *Dynaſtiæ* hujus acceſſione ditiones auxit, & divitione inter filios duos, quos habuit, facta, *Adolpho* natu majori *Marcam*, *Eberhardo* autem *Arembergam* aſſignavit. Hinc *lineæ duæ* ortæ ſunt, quarum utraque novis auctibus creſcens ad altius faſtigium emerſit.

5. Equidem *Adolphi* poſterorum fortuna auguſtior fuit, ſplendidiorque conditio, utpote è quibus *Duces Cliviæ*, *Juliaci & Montium*, *Comites Ravenſpergæ*, *Dynaſtæ Ravenſteinii*, præterea *Duces Niverni* in Gallia pro-

prodiere; quorum stirps omnis, nec tamen memoria egregiis virtutibus parta, quam ipsa æternitas semper intuebitur, extincta est. *Nivernenses* quidem citius ac *Clivenses* defecere: illos *Engelbertus* profevit, *Adolphi* modò dicti abnepos, *Johannis I. Ducis Cliviæ*, cui cum uxore *Elisabetha Burgundica Nivernum*, ad *Niveris* & *Ligeris* confluentes situm, (quod *Noviodunum Æduorum* oppidum à *Cæsare Lib. VII. de bello Gallico* celebratum *Hadr. Valesio* est) obvenit, filius. *Franciscus*, ejus nepos, *Dux Niverni* & *Par Franciæ* an. 1538. creatus fuit, duasque (ceu communiter perhibetur) uxores habuit: primam quidem *Margaritam Burboniam*, *Caroli D. Vindocini* filiam, an. 1638. ductam: postea verò *Mariam Burboniam*, *Francisci C. S. Pauli* gnatam, *Joh. Burbonii C. Anghiani* viduam, quam an. 1657. sibi copulavit; ceu præter *Ægidium de la Roque*, *San Marthanus* etiam non una vice in præclaro *de familia Regia Gallica* opere Genealogico refert; licet eodem loco tradat, *Margaritam*, priorem *Francisci Niverni* conjugem anno demum 1589. atq; adeò XXVIII. annos post mariti obitum, qui in an. 1561. incidit, decessisse. Id magis ad liquidum perductum est, *Francisco* è *Margarita* saltem liberos fuisse natos, & præter alios sequioris sexus, filios præcipuè duos: *Franciscum* & *Jacobum*. Ille *Anna-*

Not. Gal. p. 283.

L. 25. C. 8. & 9. p. 105.

nam

nam, *Ludovici Borbonii D. Monpenserii* filiam, an. 1561. connubio sibi junxit; sed anno sequenti m. Dec. ante pugnam *Drocensem* à domestico quodam Ducis Guisii improviso sclopeti ictu in femore vulneratus, septimum & decimum post diem, qui 10. Jan. 1563. fuit, improlis expiravit: succedente ei fratre *Jacobo*. Hic è *Diana Marcana* uxore sua itidem nullos suscepit liberos, sed an. 1564. d. 8. Sept. moriens tamum terminavit, hæreditate *Nivernensi* ad sororem ejus natu maximam *Heinricam* (tertii enim fratris *Heinrici* nullam apud Scriptores Gallicos mentionem reperio) delabente; quæ tam marito suo *Ludovico Gonzagæ* attulit. Ab hujus posteris Nivernum *Julius Mazarini Cardinalis* an. 1659. emit, & in nepotem è sorore *Philippum Mancinium*, qui jam *Dux Niverni* audit, transtulit.

Memoir. du Duc de Nevers Tom. 2. p. 178.

6. *Clivensis* progenies ad hoc usque seculum duravit: ea hoc nomine appellari cœpit, postquam *Adolphus*, Adolphi C. Marcæ & totius lineæ autoris filius secundus, antehac *Archiep. Coloniensis*, avunculo suo *Johanni C. Clivia* successisset: Hic pater filii *cognominis*, quem Sigismundus Imp. an. 1417. *Ducem Clivia* creavit, avus autem *Johannis* I. supra memorati extitit, cujus filius secundogenitus *Engelbertus Nivernensis* rami fator fuit; major autem natu *Johannes* II. *Clivensem*

sem propagavit, mox per conjugium filii ejus *Johannis* III. cum *Maria*, *Wilhelmi D. Juliacensis & Bergensis* filia unica, successione hac auctum; ut ita *Wilhelmus* ex hoc matrimonio natus Ducatus tres, *Juliacensem*, *Clivensem* & *Bergensem*, complecteretur, Cæsareaque affinitate dignus haberetur: duxit enim *Mariam*, *Ferdinandi I. Imp.* filiam, septies ex ea parens factus; gnati duo fuere: *Carolus Fridericus*, in peregrinatione, quam *Stephanus Pighius* Latinis literis illustravit, *Romæ* an. 1571. fato raptus, & *Joh. Wilhelmus*. Hic patri in ditionibus successit, prolem verò, licet bis maritus, non genuit: itaq; cum vita lineam etiam an. 1609. d. 25. Mart. finivit. De successione acris inter ejus sororios controversia, in cujus partem Saxones etiam venere, exarsit; de qua superiùs actum fuit, neque hic ea repetere necesse est.

7. Altera *Marcana* familiæ linea capitalis *Arembergica* dicta fuit; eam ob nonnulla quæ deductioni *Rittershusianæ* addi possunt, singillatim enumerare operæ erit pretium. *Eberhardus*: *Arembergæ* secundùm dispositionem paternam *Dominus*, lineæque autor, ab uxore *Maria*, *Ludovici C. de Los*, *Dynastæ de Neufchastel* in Ardenna filia, Dominio *Lumain* locupletatus est, atque an. 1387. mortuus præcipuè *Eberhardum* II. post se reliquit, *Dominum Arembergæ*, *& Lumani Baronem*,

ronem, bis maritum: primò *Mariæ*, filiæ *Wilhelmi Domini de Brasquemont & Sedan*, quæ dominia per cessionem affinis sui *Ludovici Brasquemontii* obtinuit; deinde *Agnetis*, *Johannis D. de Rochefort* in Ardenna gnatæ & hæredis. Hac natus est *Ludovicus Marcanus B. de Rochefort*, pater è *Maria Asremontia Ludovici* & *Ludovicæ*, quæ, hæres vel fratris prole destituti, vel secundùm alios nepotum è fratre, *Rupifortium Philippo C. de Königstein* thori socio attulit.

8 E priore *Eberhardi* II. thalamo provenit *Johannes*, *Arembergæ*, *Lumaini & Sedani Dominus*; Is ex *Agnete C. Virnenburgi* filios tres, *Eberhardum* III. *Robertum* & *Wilhelmum* genuit, totidem ramorum, *Arembergici* scilicet, *Sedanensis* & *Lumainensis* satores. Primum *Eberhardus* III. propagavit, qui è priore conjuge *Margarita de Bouschaut*, præter alios, *Eberhardum* IV. & *Wilhelmum* suscepit. Hic *Dominus ab Aigremont* dictus, *Renatam du Fou Domicellam de Montbazon* uxorem habuit; sed non nisi mollioris sexus sobolem genuisse legitur, *Annam* videlicet & *Renatam*; illa *Johanni Dn. de Rambures*, hæc *Anneo Sarbruccensi C. de Braine* nupsit. *Eberhardo* cum *Margarita Hornana* sterile fuit conjugium; *Robertum* verò *Mechtildis*, *Johannis Vicecomitis de Montfort* filia, parentem fecit gnati *cognominis*, in cujus thalamum

Walburgis Egmondana, *Florentii Dynastæ in Büren* filia, (quam *Rittershusius* perperam ejus parenti tribuit) intravit. His natus est *Robertus* III. *Aremberga Comes*, qui nulla ex *Anna Bergensi* conjuge sua prole suscepta lineam terminavit, hæredemque habuit sororem suam *Margaritam*, nuptam *Johanni de Ligne Barbarsonii Domino*; in cujus familiam *Arembergicus Comitatus* hoc modo transiit, atque in eâ hodienum, ceu *superiùs* dictum fuit, hæret.

Lib 5. Cap. 1.

9. *Sedanensem* ramum *Robertus*, Johannis filius secundogenitus, profevit: Is cum uxore *Johanna*, *Nicolai de Marley*, dicti *de Sancy*, *Supremi Domini de Fleuranges* filia ac hærede, dominia *Jametz* & *Fleuranges* nactus est, Ducatum *Bullionensem* etiam, sed alio titulo sibi vindicavit, de quo postea ipsi ejusque hæredibus crebræ cum *Leodiensibus Episcopis* contentiones natæ sunt; ita ut *Bullionium* modò in *Marcanorum*, modò in *Leodiensis* Ecclesiæ potestate esset; donec tandem *illi* in ejus possessione permanserunt, eamque cum omni Sedanensis lineæ hæreditate ad *Turrios*, ceu postea dicetur, transmiserunt. Unde nuper adhuc *in pacificatione Neomagensi* aliquot *libelli memoriales*, nomine *Leodiensis Ecclesiæ*, exhibiti fuere, quibus ea jus Turriorum in Bullionium destruere, titulumque possessionis illo-

illorum enodare atque enervare laboravit; narrando, Marcanos Bullionium jure proprietatis nunquam tenuisse, sed initio *Guilielmum Marcanum* circa annum 1484. ei à Capitulo Leodiensi vicaria tantùm potestate, impositum fuisse; deinde cùm in bello Leodiensi ipse, ejusque frater *Robertus*, magnos sumptus privato ære sustinuissent, illis à modò dicto Capitulo XXX. millia librarum assignata, & usque dum argentum hoc exsolveretur, *Bullionium* in *pignus* & *antichresin* concessum esse; id autem an. 1506. *Roberti* filium *cognominem* Ecclesiæ, postquàm ejus frater *Eberhardus* in Episcopum electus fuit, reddidisse, aliquot tamen post annos ope Gallorum denuo occupasse, à Carolo V. mox recuperatum & Leodiensibus restitutum. Inde licet anno 1552. perfidia Præfecti, qui spurius è familia *de Horion* erat, iterum in Marcanorum potestatem illud devenerit; per *pacem* tamen *Cameracensem*, rursumque per *Vervinemsem* cautum inter alia etiam fuisse, ut Bullionium Leodiensi Ecclesiæ restitueretur, reservato quidem Marcanis, horumque hæredibus Turriis jure suo, quod cùm in sola illa *detentione hypothecaria* versaretur, id etiam abolitum & sublatum jam esse, postquàm an. 1641. inter *Leodiensem* Ecclesiam, & *Fridericum Mauritium Turrium* trans-

actum, omnisque ejus prætensio CL. millè florenis redempta fuerit. Fusiùs ea, ceu dixi, narrantur & probantur in *libellis*, quos inter *acta Neomagensis pacificationis* typis exscripta reperire licet. *Tom. III. p. 308. & 542.*

10. Nunc, ut ex hoc diverticulo, quo aliorum Scriptorum de hac controversia silentium me abduxit, in viam revertar, *Roberto* filii duo nati sunt, *Robertus* II. & *Eberhardus*; nec non sexus infirmioris *Bona*, nupta *Petro Baudoche, Dn. de Molin.* E filiis *Eberhardus* Ecclesiasticum vitæ genus amplexus, & *Episcopus Leodiensis*, postea *Carnutensis* etiam in Gallia (quem tamen, cùm Cæsareis partibus se applicuisset, an. 1624. abdicavit) tandemque an. 1521. S.R. Ecclesiæ *Cardinalis* creatus est, & vitam an. 1538. d. 16. Febr. Leodii finivit; ab *Erasmo Roterodamo*, eruditorum recentioris ævi Phœnice, qui ei *Paraphrasin in Epistolas Paulinas ad Corinthios* nuncupavit, ob propensionem erga pietatem ac bonas literas summopere laudatus. *Robertus* II. *Dux Bullionii, D. Sedani, Jametii & Florangii* Ludovico XII. Galliæ Regi strenuam in expeditione Mediolanensi navavit operam, atque in prælio ad *Novaram* anno 1513. commisso, quo cladem passi sunt Galli, fortitudinis & paterni affectus egregium edidit documentum: etenim audito filios ejus duos majores natu, *Florangium* & *Jametium*

tium, plagis obrutos jacere in fossa, inter hostium agmina, ipse cum equestri turma in victores Helvetios impressione facta ad fossam penetravit, raptosque gnatos vix spiritum trahentes, per eosdem cuneos salvus incolumisque reportavit, magno victorum stupore, quemadmodum *Gnicciardinus* retulit; illi autē refecti è vulneribus diù adhuc inter mortales fuere. *Hist. Ital. Lib. II.* Nomina eorum in procliví sunt: *Robertus* nempe & *Wilhelmus*, quos cum aliis tribus *Johanne*, *Antonio* & *Philippo*, pater *Robertus* II. è *Catharina Crojensi* conjuge sua suscepit; ætatem verò ille ad annum 1535. usque produxisse fertur, *Wilhelmus* quidem secundogenitus ex ejus filiis, *Jametii Dominus*, fata patris antevertit, atque an. 1529, nullis è *Magdalena d' Azay*, quam viduam *Johannis Tremollii Dn. de Jonvelle* an. 1527. duxerat, liberis relictis, decessit. *Johannes Jametium*, post obirum fratris, ex contractu inter ipsos inito, nactus est, & ex *Helena de Vissipart* filiam unicam *Philippinam* genuit, *Ludovico de Dammartin Dn. de Fontenay* nuptam; cujus cum gnata *Diana* ad *Marchionem Havræi* è Crojensi gente *Jametium* transiit. *Antonius* & *Johannes* Ecclesiastica munia gessere, ille enim *Abbas de Beaulieu*, hic *Archidiaconus Leodiensis* fuit.

11. *Robertus* III. sub *Florangii* nomine, quod, quoad pater ejus superstes erat, gessit,

primò in *Novarensi* pugna, ceu dictum est, inclaruit; posteà an. 1525. *Marescallus Galliæ* creatus in prælio ad *Ticinum*, quo idem cum Rege fatum subiit; denique an. 1536. servata Gallis *Perona* magnam fortitudinis & prudentiæ militaris laudem sibi peperit, sequenti autem anno 1537. vita concessit, filium unicum, è *Wilhelmina Sarbruccensi Roberti C. de Braine* gnata genitum, post se relinquens. Is *Robertus* IV. dictus *Dux Bullionii*, *Dn. Sedani*, paternarum virtutũ ac dignitatum hæres extitit; namque a. 1547. scipione *Marescalli Galliæ* decoratus fuit, *Normanniæque* præfecturam gessit; sed an. 1553. ab Hispanis, cum *Hedinum* occupassent, captus, iterumque libertati redditus, mox ubi domum rediit, decessit; non sine veneni in carcere accepti suspicione, ceu quidem *Thuanus* memorat. *Hist. lib. 13.* A. 1549. dominium *Raucourt* à Carolo Lucemburgico, Vice comite de Martigues emerat. Matrimonium ejus tenuit *Francisca de Brezè*, *Ludovici C. de Maulevrier* & *Dianæ Pictavienſis*, *Ducissa de Valentinois*, famosissimæ ob Regis Heinrici II. amores fœminæ, filia, è qua liberos septem genuit; filios scilicet duos: *Heinricum Robertum* & *Carolum Robertum*; gnatas verò quinque: nimirum *Antoniam*, *Heinrici D. Montmorantii* conjugem; *Dianam*, nupram primò *Jacobo Clivensi D. Nivernio*, posteà

postea *Heinrico Clermontano Vicecomiti de Tallard*, denique *Johanni Babou C. de Sagonne*, in prælio *Arcuensi* an. 1589. occiso; *Guilielmam*, uxorem primò *Johannis Lucemburgici C. de Brienne*, tum *Georgii de Beaufremont*, *C. de Croisilles*; *Catharinam Domicellam de Breval*, *Jacobo Harlæo Dn. de Chanvalon* elocatam; & tandem *Franciscam*, Abbatissam *d' Avenay*.

12. *Heinricus Robertus*, *Dux Bullionii*, *Princeps Supremus Sedanensis*, *Dn. in Jamets & Raucourt* Eques Ordinis Regii in Gallia, & Gubernator Normandiæ, *Roberti* IV. filius major natu, penatibus suis induxit *Franciscam Burboniam*, *Ludovici D. Monpenserii* filiam, quater ex ea pater factus; filii tres fuere: *Wilhelmus Robertus*, *Johannes Robertus*, & *Heinricus Robertus*, quos omnes florente ætate mors intercepit: *Et postremus* quidem admodum juvenis, *medius* an. 1587. d. 6. Oct. ætatis tertio & vicesimo decessit; *primus* verò *Genevæ* anno 1588. d. 11. Januar. contracto vel ex mœrore, ob rem in militia sub Heinrici Navarræ postea Galliæ etiam Regis auspiciis infeliciter gestam, vel ex belli incommodis morbo decessit, anno ætatis XXVI. eodem quo natus erat die: cùm biduo antè testamentum condidisset, quo hæredem instituit in omnibus bonis ac ditionibus *Carolam* sororem; eique, si sine

liberis decederet, *Franciscum Monpenserium*, avunculum, & *Heinricum* ejus filium substituit, quemadmodum *Thuanus* refert. Illa post fratris fata *Heinrico Turrio*, *Turenæ Vicecomiti*, nupsit, moriensque, licet sterilis fuisset, omnem hæreditatem à fratre acceptam per tabulas supremas in maritum suum transtulit, Monpenserio de jure suo in gratiam nuptiarum secundarum Turrii cum filia Principis Arausionensis decedente.

Hist. lib. 90. p. 209.

13. *Carolus Robertus Marcanus*, *C. de Maulevrier & de Braine*, *Dynasta de Mosny*, *Vicec. d'Huissay*, *Baro de Pontarcy*, *Dn. de Rignac. Colonges*, *Breville & Villomer*, Roberti IV. D. Bullionii filius natu minor, Eques Ord. Reg. in Gallia an. 1579. creatus, & Centuriæ Helveticæ prætorianorum Capitaneus fuit. Post *Carolæ Turriæ* neptis suæ è fratre obitum, titulum *Ducis Bullionii* sibi sumsit, ipsumque Ducatum incassum tamen appetiit. Nuptias ter celebravit: primas cum *Jacobina d'Averton*, *Pagani Dn. de Belin* filia; (è qua *Franciscam* & *Catharinam* genuit, illa *Claudio Pinard Vicec. de Combliſy*, hæc *Johanni Fleard Dn. de Pressin* nupsit) secundas cum *Antonia Turria*, vidua *Johannis ab Avaugour C. de Chasteauvillain*; tertias denique cum *Isabella de Pluviers*, quæ sterilis fuit. Ipse an. 1622. d. 30. Nov. finem vivendi fecit, filiis quinque, è secundo conjugio

jugio natis, post se relictis, videlicet: *Heinrico Roberto*, *Alexandro*, Abbate de *Braine*, *Carolo* C. *de Braine ἀγάμῳ*, *Ludovico M. de Mosny* Equite Ord. Reg. marito *Carolæ Ursinæ*, sed liberis legitimis destituto, & denique *Anneo* C. *de Braine*, qui *Mariam Hennequin*, *Olivierii Fabri Dn. d' Eaubonne* viduam, in matrimonio, prolem verò non habuit.

14. Maximus natu ex illis *Heinricus Robertus* an. 1652. obiit, postquàm æquè ac ejus parens ter conjugium repetiisset: prima enim ipsi uxor fuit *Margarita d' Autun. Dn. de Riumal*; posteà *Antonia d' Albert*, Ducis Luynæi Comestabilis Galliæ soror; denique *Francisca Harcurtia*, *Francisci M. de Marzeliere* vidua, an. 1645. ducta. Soboles è primo tantùm thoro provenit, filius nimirum unicus, *Robertus*, in primæ ætate extinctus; & gnatæ tres, quarum natu maxima *Maria Carola Renato Hospitalio M. de Choisy* in manum convenit; secunda *Heinrica* monasticam in cœnobio *Chelles* professa est; tertia *Ludovica Maximiliano Eschallard M. de la Boullaye* an. 1633. nupsit, & an. 1668. d. 17. Maji decessit. Hujus filium primogenitum *Heinricum Robertum* avus maternus testamento in nomen familiæ suæ adscivit, hæredemque nuncupavit; unde is mox paterno nomine abstinuit, *Mancaq; Comes* appellari consuevit. Estque ille ipse, quem an. 1675. d. 11. Aug.

in pugna *Conserbruckensi*, qua terga Galli Germanis verterunt, cecidisse *Novella* retulerunt. Reliquit autem post se gnatas duas, quarum major, quæ *Virgo Marcana* audit, superstes est, minor autem, *Domicella de Braine* dicta, sub finem an. 1680. ætatis vicesimo decessit. In Marcana verò hæreditate fratrem, *Equitem Marcanum (le Chevalier de Marck)* nominatum, successorem habuit; cui soror etiam est, quæ an. 1680. m. Jun. *Marchioni de Launion*, Locumtenenti Magistri Equitum cataphractorum Reginæ, nupsit, quemadmodum è *Mercurio Gallico*, quem *politum* vocant, edocti fuimus.

15. Reliquum est, ut *Lumainensem* ramum, qui nunc solus è *Marcana* stirpe in Germania viget, locumque huic mentioni familiæ dedit, perlustremus. Ejus fator *Wilhelmus Dn. Lumaini*, *Johannis Aremberga Dynastæ* filius tertiogenitus fuit, cui morum acerbitas, immanitasque naturæ, Apri Ardennensis (*le Sanglier d' Ardennes*) cognomentum peperit, quod etiam truculenta cæde Episcopi Leodiensis *Ludovici Burbonii* implevit; hunc enim tumultu in urbe an. 1482. excitato, cui quidam Canonicorum & magna pars civium facem subjecerant, manibus suis interemisse, & de ponte in profluentem *Mosam* præcipitem dedisse memoratur. Non verò ipsum pede pœna claudo

St. Marthe Hist. Geneal. de Fr. L. 23. §. 18.

do deseruit, sed cùm posteà Maximiliani Austriaci rebus in Belgio incommodare moliretur, jussu ejus comprehensus, & *Ultrajecti* an. 1485. capite plexus est. Matrimonium ejus tenuit *Johanna B. de Schonhoven*, è qua genuit, præter alios in tabula notatos, *Johannem*, maritum *Margaritæ*, *Theodorici Dn. de Runckel* & *Anastasiæ Wiedanæ* gnatæ, & patrem filii *cognominis*; quo & *Margarita B. de Wassenaer* nati sunt gnati tres: *Wilhelmus*, *Philippus* & *Georgius*; & sequioris sexus duæ: *Josina* scilicet & *Margarita*, illa *Joh. Theodorico C. de Lövvenstein*, hæc *Carolo de Gavre C. de Beaurien* in manum convenit. E maribus soli *Philippo* uxor ducta fuit, nempe *Catharina*, *Theodorici Medii C. Manderscheidij* filia. Hujus fratres *Theodoricus* & *Joachimus* Comites Manderscheidii cùm sine masculà prole è vita discessissent, *Marcanus* ex eorum hæreditate, uxorio nomine, *Sleiden* & *Kerpen* armata manu sibi vindicavit; & licet à cohæredibus ea propter in jus vocatus fuerit, *Sleidam* tamen retinuit; *Kerpenum* autem per sententiam an. 1657. in Camera latam *Elisabethæ Culenburgicæ*, quæ *Elisabetha Manderscheidia*, *Catharinæ* patrueli, nata erat, liberis è triplici conjugio genitis, addictum est; cumque deinceps *Georgius Fridericus Waldeccius*, prædictæ Culenburgiæ ex Anna Badensi filia nepos, portionem suam Marcano ven-

vendidisset, interceſſit *Maria Cleophe Hohen-Zollerana*, Arſcotani Ducis vidua, *Annæ* ſoror uterina, atque an. 1661. *Mandatum* vel *Citationem ad videndum uti jure retractus* obtinuit.

16. *Philippus Marcanus* è *Catharina Manderſcheidia* patet factus eſt *Catharinæ*, (quæ *Petro Erneſto de Gavre C. de Freſin*, amitæ ſuæ nepoti nupſit) & *Erneſti*. Hic *Comes Marcæ & Sleidæ ac Dn. Lumaini* audiit, atque an. 1653. fatis conceſſit. Uxores duas habuiſſe perhibetur: prima *Sibylla Hohen-Zollerana* fuit, è qua filium ſuſcepit vitæ ſuæ ſuperſtitem, cui nomen *Johanni Friderico* fuiſſe ſuſpicor: hoc enim legi in *libello memoriali*, quem Legatus Burgundicus nomine Regiminis Lucemburgici adversùs ejus Curatores, Electorem nempe Colonienſem & Pr. Palatinum Neoburgicum, in comitiis *Ratisbonæ* an. 1670 exhibuit, verùm is haud dubiè cœlebs deceſſit. Secundam *Erneſti* conjugem *imparis conditionis* fuiſſe accepi, natumque ex ea filium *Franciſcum Antonium*, quem tamen matris ignobilitas à ſucceſſione fraterna non removerit. In matrimoniū data ipſi eſt *Catharina Carola*, *Joh. Erneſti Comitis de Wallenrod*, apud Ducem Saxo-Lauenburgicum Aulæ Mareſcalli, è *Catharina C. de Monsheim* gnata, quæ vita adhuc fruitur; ipſe verò an. 1680. d. 21. Jun. *Saffenburgi* vivis exceſſit, relictis filiis tribus.

17. *Pri-*

17. *Primogenitus* ex illis, ad quem ex pacto familiæ ditionum regimen, (cujus tamen curam, donec justam ætatem implevérit, mater gerit) omnisque hæreditas avita delapsa est, ea lege, ut fratribus alimenta condigna præberet, hoc nomine gaudet: JOHANNES BERTHOLDUS FRANCISCUS, *Comes Marcæ & Sleidæ, Baro Lumaini, Dn. Seraini, Kerpeni & Saffenburgi*; prodiit in lucem anno circiter 1672.

18. Fratrum ejus nomina itidem inproclivi sunt, nempe
Ludovicus Petrus, n. circa an. 1674.
& *Iulius Augustus*, n. an. 1680.

19. *Scutum* Marcæ ac Sleidæ Comitis, oculis nunquam usurpavi; olim quidem *Marcanos* clypeo simplici *aureo*, cui impressa *fascia triplici ductu è cocco & argento tessellata*, usos fuisse constat; num verò iste nunc *Sleidano*, & forte etiam *Kerpensi* symbolo (illud *leopardum argenteum in campo cæruleo*, hoc *fasciam tortuosam rubeam in solo argenteo* ostentat) auctior sit, exploratum non habemus.

CAP. VI.

DE COMITIBUS A METTERNICH.

ILlustris *Metternichia* stirps in *Rhenana* Equestri nobilitate à multis seculis clarissima

ma latè se diffudit, & in ramos complures abiit; quorum quinque hac ætate supereſſe Op. Her. l. 3. c. 40. §. 1. Viro omni nostro præconio major Cl. *Spenerus* refert: nimirum duos in Juliaco, *Metternichios de Mullenarck* & *de Nideerberg* dictos, unum in Lotharingia *Metternichios de Rodendorf*, alium in Lucemburgensi Ducatu, *Metternichios de Burscheid*, & denique *Metternichios de Winneberg* & *Beilstein*.

2. De *postremis* hic loci sermo est, quos quidem cum *Burscheidiis* ab uno eodemque stipite deducere quimus, reliquos non item. *Communis* autem illorum parens *Carolus de Metternich* nominatur, filius *Johannis*, à quo tabula Genealogica *Spicilegii Rittershusiani* orditur; Ea *Johanni* uxorem è *Binsfeldica* familia tribuit, quæ verò in schemate à prælaudato *Dn. Spenero*, postquam jamdum lucem publicam opus illud subiisset, mecum communicato, ejus mater audit, conjux *Johannis*, quo alter ille modò dictus genitus fuerit. Huic autem uxores duæ dantur prior è gente *Runschitteliorum de Frinzdorf*, altera *Blittersdorfia*.

3. *Carolus* è *Sibylla de Gymnich*, præter filios *duos* in tabula nostra notatos, sequioris etiam sexus prolem suscepisse *Spenero* fertur, nempe *Sibyllam*, *Hermanno de Wildburg* nuptam. Filiorum alter *Edmundus Metternichios*, qui postea *de Winneberg & Beilstein* cognomi-

cognominati sunt, profevit; ab altero autem *Carolo*, qui aliis *Theodoricus* vocatur, *Metternichii in Burscheid* orti sunt. Hi in filiis *Caroli* sive *Theodorici*, *Stephano* & *Gothardo*, in ramorum divergia abiere. Posterior *Dominus in Zivel* dictus, præter gnatum *cognominem*, filiam etiam genuisse perhibetur *Annam*, *Wilhelmo ab Effern* elocatam; hujus autem fratri, *Annæ de Pallant* marito, non gnata tantùm unica, sed filii insuper sex tribuuntur, nempe: *Joachimus*, *Gotthardus*, *Theodoricus*, *Carolus* Eques Teutonicus, *Hermannus Hartardus*, & *Gerhardus*. Ex his solus *Hermannus Hartardus* stirpem propagavit, *Canonicus* quidem initio *Wormatiensis*, posteà verò abdicata illa dignitate Vir factus, ducta in matrimonium *Maria ab Orsbeck*, è qua sobolem suscepit.

4. *Stephanus Metternichios in Burscheid* continuavit, pater non solùm *Dietheri*, sed & *Mariæ*, *Caroli*, *Annæ*, *Heinrici* & *Johannæ*. *Dietherus* solus propagationi familiæ operam dedit, è *Catharina Wachtendonckia* genitor *Damiani Heinrici*, Decani Trevirensis, *Joh. Gerhardi* & *Johannis Dietheri*. *Medius* ex his, ducta *Maria à Layen*, suscepit *Lotharicum Fridericum* (quem ætas nostra triplici infula, *Moguntinâ*, *Wormatiensi* & *Spirensi*, decoratum vidit ac suspexit) & *Wolfgangum Heinricum*, *L. B. de Metternich in Burscheid*

ſcheid & Eſch, Aulæ Trevirenſis Mareſcallum; qui *Annam Margaritam Schönborniam* in conjugio habet, atque ex ea pulchræ ſobolis, in *tabula* enumeratæ, pater factus eſt.

5. *Edmundo*, ad quem ex hoc diverticulo nunc revertor, in *Schemate MS. Speneriano* XXIV liberi tribuuntur, ſed non niſi ſex recenſentur, videlicet: *Heinricus* Eques Teutonicus, *Dietericus Dn. in Sonnenburg*, (maritus primò N. *de Droſtorp*, poſteà *Evæ Beiſſelia de Gimnich*, & pater è priore conjuge *Margaritæ*, quæ *Wilhelmo à Gerzen*, dicto *de Sinzig*, nupſit; è poſteriore *Ludovici*, *Edmundi* & *Mariæ*) *Wilhelmus*, cui uxor *Anna de Naſſau* fuit, *Fridericus*, *Johannes*, & *Maria*, *Wilhelmi ab Orsbeck* conſors.

6. *Johannes*, *Dn. de Vettelhofen* cognominatus, uxores tres ſucceſſivè habuit: primam gentis *Schmellenbergicæ*, deinde *Catharinam a Deinzberg*, denique *Catharinam à Leyen*. *Prima* ſterilis fuit, *ſecunda* mater duplicis diverſi ſexus prolis, nimirum *Amaliæ*, *Antonio Dn. in Elz* nuptæ, & *Bernhardi Dn. in Vettelhofen*; qui ex *Eva Hürtin de Schandeck* *Edmundum Dn. in Vettelhofen*, & *Eliſabetham*, *Dieterici Landſchadii de Steinach* uxorem, genuit. E *tertio* Johannis conjugio filii *tres*, & ſequioris ſexus *Anna*, *Joh. Ludovico Husmanno de Andernach* elocata, nec non *Catharina* prodiere. E filiis natu minimus *Georgius*

Ordini

Ordini *Teutonico* Equestri nomen dedit, medius *Lotharius* Ecclesiasticum vitæ genus amplexus est, & anno superioris seculi extremo ad *Electorale & Archiepiscopale* in *Ecclesia Trevirensi* fastigium evehi meruit; *Johañes Dietericus* verò ætate maximus conjugem duxit; *Annam* nempe *B. à Dhern*, & numerosæ ac pulchræ sobolis pater ex ea factus est, quemadmodum in tabula videre licet; cui tamen addi debent, è schemate Speneriano, *Damianus Adolphus Heinricus* & *Maria Elibetha*.

7. Inclaruere verò inter mares præcipuè *Wilhelmus*, *Emericus*, & *Lotharius*, quorum *medius* magnam in re militari famam sibi peperit, legiones tres sub auspiciis Cæsaris ducendo; tandem verò *Præpositus Capituli Trevirensis* creatus fuit. Reliqui, *Wilhelmus* scilicet & *Lotharius*, ramos duos, *Winnebergensem* & *Beilsteinensem* proseverunt, sic dictos à Dynastiis ejusdem nominis, quæ in Diœcesi Trevirensi sitæ *liberis & immediatis* in Imperio dominiis, *Circuloque Westphalico* annumerantur, & peculiari antehac familiæ paruerunt, quæ hoc demum seculo defecit; legióque ultimos è masculis fuisse *Philippum* & *Wilhelmum L. B. de Winneberg & Beilstein*, quorum ille *Elisabethæ Pappenheimæ* maritus, & filiarum duarum *Elisabethæ* & *Ludovicæ* pater extiterit, hæ verò ambæ uno eodemque ao.

1636. innuptæ mortem *Crucenaci* obierint. Extincta autem familia Dynastiæ ad Trevirensem Ecclesiam ex lege feudali delapsæ, posteaque ab ejus Archipræsule *Metternichiis* fiduciario titulo collatæ sunt.

8. *Wilhelmus*, *Winnebergici* rami satus, *Burggravius Egræ*, *Colonellus Regis Hispaniarum* & *Consilii Aulici Imperialis bellici assessor* fuit, & duplex matrimonium contraxit: prius cum *Anna Ursula ab Hattstein*, qua *Joh. Ludovicus* in flore ætatis fato abreptus, & *Lotharius* Canon. Moguntinus (in tabula omissus) an. 1627. mortuus, nati sunt; alterum cum *Leonora Brömserin de Rudisheim*. Ex hoc conjugio plures ac è priore liberi provenere, inter quos duo inprimis mentionem requirunt, quorum alter vivere desiit, alter superstes est. Ille *Caroli Heinrici* nomen habuit, & Ecclesiasticam vitam coluit; cumque *Moguntini* & *Trevirensis* templi Cathedralis Canonicis ascriptus fuisset, virtute ac prudentia sua promeruit, ut in utroque Capitulo *Custodis* munus ipsi demandaretur, *Moguntia* autem *Choriepiscopus* quoque & *Vicarius* (Stadthalter) audiit; donec tandem *Damiano Hartardo Archiepiscopo & Electore Moguntinensi* è vivis sublato, ei in excelsa hac dignitate suffragiis Symmystarum an. 1679. d. 9. Jan. surrogatus, posteaque à *Wormatiensis* etiam Ecclesiæ sacris

cris sodalibus in Antistitem postulatus fuit: sed perbrevem ei horum honorum usuram fata permisere, eodem enim adhuc anno d. 26. Sept. seculo valedicere jussus est.

9. Frater ejus, quem superstitem dixi, *Comitis* axiomate Leopoldi Augusti gratia auctus, hoc nomine ac titulo cluit:

PHILIPPUS EMERICUS, *Comes de Metternich L. B. de VVinneburg & Beilstein, Dn. in Berburg & Königsvvart, S. Cæs. M. Cubicularius, Generalis Vigiliarum Præfectus & Burggravius Egrensis*, pronuperque *Præfectura Glogoviensi* in Silesia auctus. Induxit in penatibus suis *Mariam Elisabetham Waldpodiam, Damiani L. B. de Bassenheim, & Elisabethæ Hundin de Saulheim* filiam, è qua suscepit

I. *Franciscum Ferdinandum*, n. a. 1653. Canonicum Capitularem *Moguntinum* & *Trevirensem.*

II. *Philippum Carolum,*

III. *Mariam Eleonoram,*

IV. *Maximilianum Casimirum*, in infantia extinctum,

V. *Leopoldum*, *Turini* an. 1680. immatura morte oppressum,

& VI. *Theresiam.*

10. *Beilsteinensem* ramum *Lotharius* condidit, is *Consilii Imperialis Aulici Consi-*

liarius, Cæsareus Camerarius & Colonellus, Trevirensis Consiliarius intimus, Provincialis Curiæ Magister, & Satrapa Confluentinus fuit, atque an. 1663. satis concessit. Uxores duas habuit: *Ursulam Cordulam ab Heiden, & Mariam Elisabetham Hundin à Saulheim;* liberos septem in tabula enumeratos. Inter masculos solus superest

THEODORUS ADOLPHUS, *L. B. de Metternich, Winneburg & Beilstein, Dn. in Zopfer & Königsperg,* maritus *Luciæ,* è familia *Wolfiorum Metternich zur Gracht* prognatæ, sed prole destitutus.

Spen. l. cit. §. 1.

11. *Scutum,* quo *Metternichii in Winneburg & Beilstein* uti solent, *quadripartitum* est, incumbente medio loco *parmula gentilitia,* quæ *argento tincta conchas marinas nigras tres* exhibet; area verò 1. & 4 *rubea baltheum cochleatum cæruleum* continet, comitibus utrinque *ternis cruciculis aureis;* 2. & 3. iterum *coccinea cornua venatoria argentea tria* defert: utraque hæc insignia è priscorum *Baronum de Winneberg & Beilstein* clypeo desumpta sunt. *Galeæ* imponuntur *duæ:* è priore *Metternichia* coronata prominet *caput cum collo cygni candidi, rostro nigricante;* ex altera *Winnebergica* exsurgit *caput capricorni cum collo ex nigro & argento bipertitum. Lacinia* utrinque *nigra* & *argentea* dependent.

CAP.

CAP. VII.

DE COMITIBUS A RANZOW.

GEneroſiſſimam *Ranzoviorum* familiam Holſatica innatam eſſe regione, atque ex ea multis retrò ſeculis in *Luſatiam* transmigraſſe, hujus nec non *Miſniæ* Marchionatum fide ſua erga Imperatores promeruiſſe, poſteà verò *Comitum Groicii*, *Burggraviorum Leiſnicii*, *Dominorum Budiſſina*, *Niſſina*, & *Morungæ* titulis eminuiſſe, inde denique iterum in *Holſatiam* rediiſſe conſtans Scriptorum eſt opinio.

2. Enim verò *Otto*, *Heinrici II. Burggravii Leisnicenſis* filius minor natu, relicto natali ſolo, trans *Albim* ad incunabula gentis ſuæ poſtliminiò pedem reflexit, & condito in *Wagria*, ſub finem ſeculi duodecimi, caſtro *Ranzovv* ſedem ibi fixit. Ejus poſteri, ſobole & facultatibus aucti, in complures ſeſe ramos diffuderunt, quos omnes inde à communi ſtipite ad hoc usque ſeculum *Bucelinus* deduxit atque enumeravit. *Germ. T. III. p. 148.*

3. Prima linearum divergia in *Ottonis* II. qui *Primi* pronepos fuit, filiis *Ottone III.* & *Cajo* contigerunt: ille *Ottonem* IV. genuit, *Dominum in Salzau*, *Ranzovv*, *Pancker*, aliorumque in Oldenburgenſi provincia prædio-

diorum, patrem verò *Breidonis* & *Schackonis*. Illo nati sunt *Heinricus* & *Schacko*, quorum prior Dynastas in *Neverstorf*, alter Dominos in *Hohenfeld*, *Salzau*, *Nor*, & *Grunevvald* profevit. *Schacko*, Breidonis frater, meritis ergà Adolphum Slesvvici Ducem inclutus, & dominiorum *Salsou*, *Cammerhagen*, *Pancker*, *Pütlosen*, *Helmstorp*, *Lörstorp*, *Rastorp*, *Siggen*, *Brodau*, *Quarnebeck* possessor fuisse prædicatur. Filios quinque genuit, quorum quatuor, *Nicolaus* nempe, *Cajus*, *Heinricus* & *Hartvvicus* posteritatem habuere. A *Nicolao* Domini in *Quarenbeck* & *Tuntem*, à *Cajo* Dynastæ in *Pancker*, *Kletkamp*, *Helmstorf*, *Putloß*, *Lærsdorf*, & *Prodau* orti sunt; Ex *Heinrici* filiis, *Johanne* & *Ottone*, duplex propullulavit propago: & *posterior* quidem Dominorum in *Bulcke*, *Krope*, *Seekamp*, *Burckhorst*, *Schinckel* & *Tuschou* fator fuit. *Johanni* filii septem nati sunt, inter quos tertius *Balthasar* Lubecensi Diœcesi præfuit; à reliquis Dynastæ in *Nienhus*, *Schmolde*, *Satvvisch*, *Eschelsmarck*, *Ranzovv* & *Schonevveide* prodierunt. Ad horum progeniem refertur *Christophorus Comes Ranzovius*, Romanæ religioni addictus, qui *Dorotheam Hedvvigen*, *Friderici D. Holsatiæ in Norburg* filiam, pridem *Abbatissam Gandersheimensem*, in matrimonio habet. Ab *Hartvvico* denique, postremo è Schackonis filiis, Domini in *Witten-*

tenberg, *Raſtorf*, *Sachsdorf* & *Haſſelburg* provenere.

4. *Cajus*, Ottonis III frater, alterius lineæ capitalis autor, & pater filiorum duorum fuit, *Gottſchalcki* ſcilicet & *Caji* II. Ab *illo* Dynaſtæ in *Neuenhof*, *Wammendorf* (quod poſteà *Petrus*, Gottſchalcki abnepos, cum *Troyeburgo* Regio Caſtro commutavit) *Wilſtorf*, *Arnsburg*, & *Emkendorf* ſanguinem ducunt. *Cajus* II. Dn. in *Krummendick Breidonem* genuit, patrem *Heinrici*, quo nati *Cajus* & *Johannes*. Ille lineam Dominorum in *Honrau* & *Klettkamp* condidit, quæ extincta eſt, poſtquam dominium *Hanrau* Regi Daniæ CXI. mille thaleris divenditum fuiſſet.

5. *Johannes* Dynaſta in *Breidenburg*, *Bothkamp Stürenhagen* ac *Melbeck* audiit, & longinquis peregrinationibus, ac continuis, ſub tribus Daniæ Regibus, pro rep. bello & pace exantlatis laboribus, denique bello Dietmarſico, inclinata jam ætate, feliciter confecto, egregiam immortalemque famam ſibi peperit. Mortuus an. 1565. cùm annos LXXIII. exegiſſet, *Heinricum* & *Paulum* filios gloriæ ac virtutis ſuæ hæredes poſt ſe reliquit. *Paulus* Dominos in *Botkamp*, quod aſtrum *Johannes* ſplendidiſſimè inſtauravet, profevit, & avus *Joſiæ Ranzovii* fuit; qui Martis verè pullus fortem Gallis operam præſtando *Mareſcalli* ſcipionem promeruit,

atque an. 1650. d. 4. Sept. naturæ debitum improlis persolvit.

6. *Heinricus*, Dynasta in *Breidenburg*, *Drackenburg*, *Ranzousholm* & *Ranzovv*, trium Daniæ Regum in Ducatibus Sleswici, Holsatiæ & Dietmarsiæ Vicarius fuit, neque Mecœnas tantùm literatorum, sed & omni doctrinarum genere perpolitus, & aliquot scriptorum lucubratione clarus extitit. *Ranzovium* castrum gentilitium, à *Johanne* agnato suo in *Neuenhaus* ingenti pecunia emtum, magnificentissiè inde à fundamentis exstruxit, & demum an. 1595, septuagesimo ætatis anno absolvit; quamobrem elegans hoc epigramma saxo inscribi illic curavit:

Hæc domus est domuum forsan postrema mearum;
Instat enim vitæ jam propè meta meæ.
Hoc opus est operum postremum fortè meorum;
Sentio enim gelidam non procul esse necem.
Quare trado manum; mortalia cuncta valete!
Mi domus in celso est ædificanda polo.

7. Emigravit autem *Heinricus* è vitæ hujus tabernaculo, cælestemque illam domum, non manibus hominum constructam, nec temporum injuriis obnoxiam, petiit, anno superioris seculi extremo, ipsis Calendis Januarii, egregia sobole post se relicta: è conjuge enim *Christina*, *Francisci ab Holle* Dynastæ

in

in *Rinteln & Drackenburg* gnata *duodecies* pater factus fuit, infirmioris sexus quinq; fuere, è quibus quatuor in familiam *Ahlefeldiorum*, quintum autem *Cajo* agnato suo nuptum collocavit: inter filios quatuor fato præmaturo abrepti fuere, videlicet *Fridericus*, Archidiaconus *Slesvvicensis*, in Gallia, quo militatum iverat, per sicarios an. 1587. interemptus, *Dietericus* undecimo ætatis anno mortuus, *Cajus* Præpositus *Hamburgensis*, an. 1591. defunctus, & *Johannes* Heidelbergæ peste an. 1582. extinctus. Cæteri tres patri superfuere, nimirum *Franciscus*, *Breido* & *Gerhardus*. *Primus* Dynasta in *Ranzovv*, nec non in *Brobin*, *Donnet & Semb* in Norwegia, *secundus* Dominus in *Ranzowholm & Hassegaed* fuit, ambo autem è *Rosencranziorum* stirpe conjuges sibi delegere, uno eodemque patre *Erico*, Vicario Regio in Norwegia, natas; prolemque genuere, *Breidonis* tamen progenies defeciisse videtur.

8. *Gerhardus*, Dynasta in *Breidenburg*, *Lindevvitt*, *& Ranzovv*, tres orbis terrarum partes, Europam, Asiam, & Africam, obeundo perlustravit, & postea præclaris in aula Danica muniis tàm togatis quàm sagàtis præclarissimè functus an. 1627. mortalitatem exuit, liberis sex, quos è *Dorothea Brocktorfia* suscepit, post se relictis: filiæ quinque erant, quarum quatuor *gentilibus* nu-

pfere, quinta verò *Detlevo Brocktorfio* elocata fuit. Gnatus unicus *Christiani* nomen gessit, & Senatui Regio sanctioris consilii interfuit; Consilio verò Status præfuit, Vicarius etiam Regis in Ducatibus extitit. A Friderico D. Holsato-Gottorpiensi partem Comitatus *Pinnenbergici*, quæ illi post Ottonis postremi Comitis Holsato-Schaumburgici fata obvenerat, & præfecturam *Barmstede* complectebatur, sibi an. 1649. comparavit, titulo permutationis; qua vicissim Duci prædium gentilitium *Ranzovv* in Wagria, curtem *Kücksbüll* in præfectura Tonderensi, aliquamque pecuniæ summam tradidit; pactusque est ut ille sibi *vectigal Schaumburgicum* in civitate *Hamburgensi*, nec non jura in cœnobium *Uterseu* expressis verbis reservaret. Postmodum à Cæsare *Christianus* impetravit, ut in ordinem *Comitum immediatorum S. R. Imperii* an. 1650. eveheretur, & castrum ac præfectura *Barmstede* in *Comitatum Imperialem Ranzovv* erigeretur, quo etiam nomine in scamno *Comitum Westphalicorum* locum nunc obtinet. Persolvit naturæ debitum an. 1663. postquàm è *Dorothea* agnata, *Detlevi* Dynastæ in *Pancker* filia, præter sequioris sexus *Margaritam Dorotheam*, *Friderico C. Ahlefeldio* an. 1642. nuptam, atque an. 1665. d. 16. Aug. mortuam, filios duos *Detlevum* & *Christianum* suscepit, quorum *posterior*

præ-

præmaturè vita caruit, *prior* superstes est, & hoc titulo eminet:

9. DETLEVUS, *Comes in Ranzovv & Leuenholm, Dn. in Bredenburg, Ser. Regis Daniæ Consiliarius Sanctioris consilii, in Ducatibus Slesvvici & Holsatiæ Vicarius & Præfectus Rendsburgensis*; Comitatu *Leuenholm* in Jutlandia sito ab hodierno Rege auctus est. Conjugem verò duxit *Catharinam Hedvvigen Brocktorfiam* amitinam suam, *Detlevi Brocktorfii, Dn. in Rixdorp & Depenau* ex *Oligardi* Catharina *Ranzovia* gnatam; è qua genuit

I. *Fridericum*, n. an. 1668. Is hoc ipso an. 1683. mense Julio *Augustæ Taurinorum*, ubi in Academia (ceu appellant) degebat, & gymnasmatis disciplinisque libero homine dignis operam navabat, *Padi*, quem animi gratia intraverat, gurgitibus haustus & submersus est.

II. *Christianum Detlevum*, huic Regis Daniæ filia naturalis *Sophia Christiana*, è *Sophia Amalia Mothia*, (quæ Medici Regii gnata, nunc *Comitissa* axiomate decorata est) secundogenita, desponsata est.

III. *Christianum*.

IV. *Carolam*.

V. *Catharinam Hedvvigen*, an. 1683. in lucem editam.

10. *Sen-*

10. *Scutum* Comitis Ranzovii *quadripartitum* est: area 1. & 2. ex *argento & minio perpendiculariter secta*, gentilitium δεῖγμα *refert*; 3. & 4. *aurea baltheum sinistrum nigrum, quem utrinque sex rhombuli atri stipant, continet, & unà cum parmula medio scuti loco impositâ, quæ cœrulea leonem aureum coronatum duplici cum cauda repræsentat*, vetera Leisnicensium symbola *designat Galeæ tres* sunt *coronatæ*: prima *jugum alarum complicatarum nigrarum* sustinet; media *cornua duo, argenteum & rubeum, corona aurea coëxa* exhibet; tertia *sceptrum ostentat aureum, quod sustinet orbem pavoninum XII. pennarum speculis superbientem, in medio orbe baltheo & rhombis scutariis repetitis. Lacinia argento, auro, cyano & minio* tinguntur.

CAP. VIII.

DE COMITIBUS A RECKHEIM.

ILlustres *Reckheimii* Comites ab *Asperimontanis*, Lotharingica gente, sanguinem ducunt, quos porrò Celeb. *Spenerus*, Joh. *Holtackerum* secutus, ab *Ateſtinis* & antiqua *Æstiorum* stirpe derivavit. Nimirum vixisse memorat seculo septimo *Gundelardum Ateſtinum*, Aldoardi *Principis Ateſtini* fra-

Op. Her. l. 3. c. 2.

trem

trem & Dagoberti Regis Franciæ Aulæ Magistrum, qui filium & nepotem habuit, utrumque *Aleonardum* nominatum; posteriore genitus est *Sigfridus*, qui an. 681. vixit, & gratia patrui sui *Ramfridi*, nec non propriis de Carolo Martello meritis Comitatum *Asperimontanum* in Lotharingiæ confiniis obtinuit, atque ex uxore *Bertholda Metensi Theobaldum* I. *Comitem & Dominum Asperimontii & Dunii* suscepit. Decimo ab hoc gradu *Albertus* II. enumeratur, pater filiorum quinque, quos cum *Margarita Theodorici C. Theodonis Villæ* gnata genuit; inter quos, reliquis sine prole extinctis, *Gobertus* & *Arnoldus* ramos duos *Asperimontanum* & *Lyndensem* proseverunt.

2. In linea *Asperimontana* *Gobertus* V. *Primi* abnepos, Ludovico Sancto in expeditione Orientali præstò fuit, strenuamq; operam navavit, unde redux *Principali* dignitate auctus est. Filius ejus *Godofredus* III. cum uxore *Isabella* dominium *Kievrain* in Hannonia & *Ambliſiam* accepit. Hujus nepoti *Godofredo* IV. *Principi & Comiti Asperimontii*, *Ambliſiæ*, *Dunii*, Carolus IV. an. 1354. concessisse legitur, ut dominium *Asperimontanum* masculæ stirpis natu majoribus semper affixum esset; præterea à potestatem nobiles creandi, monetam cudendi, & privilegia *Palatinatus* impertiisse.

3. Ge-

3. *Gobertus* VII. Godofredi IV. filius, *Dun*, pro *Buzanzy* an. 1377. cum Roberto D. Barcensi commutavit, & filio *Godofredo* V. dominium *Asperimontanum*, cum is *Johannam de Saux* an. 1380. connubio sibi sociaret, dono dedit. Hic verò cùm filium haberet *Gobertum*, eo præterito in gnatam *Johannam* Asperimontium transtulit, à qua posteà via conjugii in *Antelensem* primò, dein *Leiningensem* familiam transiit. *Gobertus* VIII. *Ambliſiæ Principis* axiomate usus est, & ex filio *Eduardo Goberti* IX. nec non *Godofredi*, (à quo linea *Dominorum de Sorcy & Vandy* prodiit) avus extitit. *Goberti* IX. *Ambliſiæ Principis* stirps mascula in ipsius nepote *Johanne* II. qui à Carolo V. an. 1525. diploma obtinuit, ut de antiquo familiæ patrimonio, *Comitatu* nempe *Asperimontano*, investiretur, exaruit; unde *Ambliſia* ad *Angluriam* gentem devenit, postquam *Antonia Asperimontana*, Johannis II. soror ac hæres, *Renato Anglurio Burlemontii Domino* nupsisset; jus autem in Asperimontanum Comitatum *Johannes Dn. de Sorcy*, jam caput familiæ factus, in se derivavit.

4. Erat is *Godofredi*, hujus lineæ autoris, nepos, filius autem *Johannis* I. cujus frater natu minor *Wilhelmus* Dynastas posteà Marchiones *de Vandy*, adhuc superstites, prosevit *Johanni* II. absque liberis defuncto, succeſſit

Caro-

Carolus, ejus frater, huic gnatus *Absalon*, qui *Carolum* post se reliquit, patrem filiæ unicæ *Mariæ Ludovicæ*; quæ primis nuptiis *Carolo D. Lotharingiæ*, secundis *Francisco Henrico C. Mansfeldiæ* in manum convenit. Jus verò in *Asperimontium* delapsum est ad *Heinricum Dn. de Coulomne*, qui à *Samuele Asperimontano* Absalonis fratre descendit; is, consentientibus agnatis propinquioribus, illud an. 1676. *Rockheimensi Comiti* remotiori agnato tradidit.

5. Hic ad *Arnoldum* II *Gosberti* I. fratrem, suprà memoratum, genus refert, qui cum uxore *Helena Culenburgia* Comitatum *Lynden* an. 1120. accepit, ramumque inde cognominatum profevit; ex eo autem aliquot palmites propullularunt. Namque *Florentius* II. qui *Arnoldi* II. abnepos fuit, filios duos *Theodoricum* & *Stephanum* habuit; quorum *posterior* lineam *Dominorum in Vernuysen* condidit, sed in ejus nepote *Theodorico Friderico*, cùm is beneficio Ludovici Imp. Comitatu *Altsburg* auctus esset, iterum extinctam. *Theodorici*, qui *Lyndensem* ramum propagavit, pronepos *Stephanus* III. per matrimonium *Isabellæ C. Tornacensis* liberam Imperii Dynastiam *Hemmen* obtinuit, & ad posteros transmisit; inter quos *Theodoricus*, ejus pronepos, qui Friderico Augusto à consiliis fuit, titulo Dynastæ *Hemmensis* usus

usus esse memoratur. Hujus frater *Stephanus* IV. *Walpurgis Bronchorstia* maritus, per filios *Theodoricum* & *Johannem* linearum duarum autor extitit; sed quæ à *Johanne Domino in Mussenberg* orta est, ea sub finem seculi superioris iterum defecit.

6. *Theodoricus* Lyndensem ramum continuavit, pater è *Maria Baronissa & hærede ab Eltern* filiorum quatuor, quorum primogenitus *Georgius* Burggravios à *Dormal*, secundus *Robertus*, Comites *de Lynden*, & Barones *de Froidcourt* prosevit; tertius *Theodoricus* Ecclesiasticum vitæ genus amplexus, *Leodiensis* Capituli *Decanus* fuit; à quarto denique *Hermanno* Comites *Reckheimenses* orti sunt: hunc enim Comitatum, Imperio immediatè subjectum, & *Circulo Westphalico* adscriptũ, ille pretio sibi acquisivit. Uxorem autem duxit *Mariam de Landrys Halmalen*, qua genuit *Ernestum*, cui *Antonia Guffieria de Bonnivet Ferdinandum* peperit, patrem ex *Elisabetha C. de Furstenberg*, Episcopi Argentinensis sorore, filiorum quatuor, qui nunc in vivis supersunt.

7. Primas inter eos nascendi sorte tenet FRANCISCUS GOBERTUS, *Comes in Aspermont & Reckheim, Baro in Porsheim, Dn. in Thienes, Steinbeck, Blaringheim, Houtheim & Ontæ*, Ecclesiarum metropolita-

liranarum *Colonienſis*, *Salisburgenſis & Leodienſis* Canonicus.

8. Hunc excipit FERDINANDUS GOBERTUS, *C. in Aſpermont & Reckheim, Dn. in Cantersdorf, Neudorf, & Priebom, Camerarius & Colonellus Cæſareus.* Huic agnati an. 1676. jus in Comitatum *Aſpermontanum* ceſſere. Nuptiis ſibi ineunte anno 1680. in Sileſia adjunxit *Carolam, Georgii Ludovici Pr. Naſſovio-Dillenburgici* filiam, *Auguſti Comitis de Ligniz* viduam; prolemque maſculam ex ea ſuſcepit.

9. *Carolus Gobertus, C. in Aſpermont & Reckheim*, &c. in numerum Canonicorum *Colonienſium & Leodienſium* receptus eſt.

10. *Fridericus Gobertus, C. in Aſpermont & Reckheim*, extremum inter fratres locum occupat.

11. E ſororibus, quas illi habent, una *Ludovici Radevvigi C. de Souches*, militiæ Cæſareæ Præfecti, conjux ſecunda fuit; altera *Anna Maria Wenceslao Michaeli C. ab Althann* Imperatoris Cubiculario, Capitaneo Comitatus Glacenſis in Bohemia, nuncque legationem in Suecia obeunti, nupſit.

12. *Scutum* Comitum à Reckheim *quadripartitum* eſt: 1. & 4. area *rubea crucem auream*, teſſeram *Aſpermontanam* continet; 2. & 3. *aurea leonem rubeum*, ſymbolum *Reck-* *Spen. Op. Her. l. 3. c. 1.*

heimense, refert; quæ *medio loco* imposita est parmula *cærulea cum aquila argentea Atestinorum* ad gentis originem collimat. *Galeæ tres* incumbunt, primæ insistunt *canis venaticus niger cum millo aureo*, *Lyndensem* Comitatum denotans; è media *aquila argentea Atestina* exsurgit, è tertia denique *leo Reckheimensis* prorupit. *Phaleræ* galeam primam & extremam *auream* ac *rubeam*, mediam *argenteam* & *cærulea* circumvolitant.

CAP. IX.

DE COMITIBUS A RIETBERG.

COmitatus *Rietbergicus* in Westphalia, jam pridem amissis naturalibus ac genuinis Dominis suis, in extrancarum familiarum ditionem concessit. Primus è propriis Rietbergæ Comitibus *Fridericus* memoratur, quem *ludis Magdeburgicis* an. 935. interfuisse perhibent; hujus posteros *Heuningius* continua serie per undecim generationes deduxit, usque ad *Conradum*, qui seculo decimo quarto fatis functus est; & non nisi gnatam unicam *Beatrice Bronchorstia* natam, cui nomen *Adelhaidis* fuit, post se reliquit; Ea *Ottoni Hojæ Comiti* nupta, Comitatum avitum marito attulit, & ad progeniem

Tom. IV. Geneal. p. 406.

ex

ex se ortam transmisit; in qua quidem ad quintam usque generationem ille hæsit.

2. Enim verò *Otto*, Ottonis illius abnepos, cùm è duplici conjugio filios duos genuisset, *Ottonem* & *Johannem*: hic, nec priorem nec parem in regimine ferre potis, fratrem natura potiorem Comitatu avito exclusit, & sedibus incertis vagare coëgit; ita ut tandem in castris Caroli V. *Metam* oppugnantis mortem an. 1551. oppeteret. Hujus verò improbitatis pœnam Divinæ Nemesi mox *Johannes* dedit: cum enim Bernhardum Comitem Lippiensem lacessivisset, hic illum bello, tracto in societatem Præsule Paderbornensi, aggressus *Rietbergam* obsedit; intercedente posteà ex mandato Imperatoris Circulo Westphalico, Lippiensis quidem discedere jussus, *Rietberga* verò occupata, & *Johannes* ob fractam pacem publicam ad perpetuos carceres damnatus fuit; unde *Tuitium* ductus, aliquot ibi libros è vernacula in Latinam linguam convertendo tempus fefellit, donec ex tædio & ægritudine in amentiam incidens, ideoque *Coloniam*, ut à Medicis curaretur transportatus, illic a. 1575. diem supremum obiit. Matrimonium ejus tenuit *Agnes C. Bentheimensis*, è qua masculam prolem nullam, fœmellas verò duas procreavit: quarum natu major *Armgardis Erico C. Hoja* agnato suo, posteaque *Simoni C. Lippia* nu-

pta, sterilis decessit: hinc ad alteram *Walpurgin*, quæ *Ennoni Comiti Frisiæ Orientalis* in manum convenit; hæreditas omnis delapsa est, quæ non tantùm Comitatum *Ritbergicum*, sed & dominia *Esens*, *Stedesdorf* & *Witmund*, ab avia paterna profecta, complectebatur.

3. *Enno C. Frisiæ Orientalis* illis, quas dixi, ditionibus locupletatus, cùm uxore sua *Walpurgi*, quæ tam opulentam dotem ei attulerat, filioloque ex ea nato *Johanne Edzardo*, veneno, incertum cujus scelere, è medio sublatis, filias tantùm duas ex hoc conjugio superstites haberet, pactum cum eis sancivit, quod *Berumanum* vocatur; quo illæ juribus suis in dynastias *Esens*, *Stedesdorf* & *Witmund* renuntiarunt, easque parenti concesserunt: id verò irritum postea reddidit *Gundackerus Pr. Liechtensteinensis*, qui ducta in matrimonium *Agnete*, filia *Ennonis* natu minore, in prædictas dynastias jus sibi arrogavit, litem affinibus impegit, tandemq; grandem pecuniæ summam, ope Consilii Aulico-Imperialis, expressit; quemadmodum *alibi* dictum fuit. *Lib. 5. c. 8. & 12.*

4. At filiam *Ennonis*, è *Wolpurgi Rietbergensi* natu majorem, *Sabinam Catharinam Johannes C. Frisiæ Orientalis*, ipsius patruus, in thorum adscivit, Comitatumque *Rietbergensem* cum illa obtinuit, & ad filios transmisit,

misit, quos quatuor ex ea suscepit. Primomogenitus *Ernesti Christophori* nomen habuit, & *Lucemburgensi* Ducatui præfuit; sed ex uxore *Albertina Maria de la Baume, Philiberti M. de Saint Martin* filia, prolem non genuit; *Ferdinandus Franciscus* & *Enno Philippus* Ecclesiasticum vitæ genus coluere, inter *Canonicos Colonienses* cooptati; *Johannes* autem, natu minimus, stirpem propagavit, cùm conjugio sibi copulasset *Annam Catharinam, Ernesti Friderici C. Salmæ & Reifferscheidii* filiam, liberorum quinque parens ex ea factus. Filiæ duæ adhuc superstites esse feruntur; nomina earum hæc sunt: *Maria Leopoldina Catharina*, & *Bernhardina Sophia*.

5. Inter mares natu maximus *Fridericus Wilhelmus* Cæsarea castra secutus, in conflictu quodam adversus Gallos in Alsatia an. 1677. occubuit; reliqui duo superant, videlicet

FRANCISCUS ADOLPHUS WILHELMUS, *Comes & Dominus Frisiæ Orientalis & Rietbergæ, Dn. in Esens, Stedesdorf & Witmund*, Scholasticus Capituli *Colonienſis*, Canonicus *Argentinensis*, *Paderbornensis* atque *Osnabruggensis*; &

FERDINANDUS MAXIMILIANUS, *Comes & Dn. Frisiæ Orient. & Rietber-*

pſere, quinta verò *Detlevo Brocktorfio* elocata fuit. Gnatus unicus *Chriſtiani* nomen geſſit, & Senatui Regio ſanctioris conſilii interfuit; Conſilio verò Status præfuit, Vicarius etiam Regis in Ducatibus extitit. A Friderico D. Holſato-Gottorpienſi partem Comitatus *Pinnenbergici*, quæ illi poſt Ottonis poſtremi Comitis Holſato-Schaumburgici fata obvenerat, & præfecturam *Barmſtede* complectebatur, ſibi an. 1649. comparavit, titulo permutationis; qua viciſſim Duci prædium gentilitium *Ranzovv* in Wagria, curtem *Kücksbüll* in præfectura Tonderenſi, aliquamque pecuniæ ſummam tradidit; paſſuſque eſt ut ille ſibi *vectigal Schaumburgicum* in civitate *Hamburgenſi*, nec non jura in cœnobium *Uterſen* expreſſis verbis reſervaret. Poſtmodum à Cæſare *Chriſtianus* impetravit, ut in ordinem *Comitum immediatorum S. R. Imperii* an. 1650. eveheretur, & caſtrum ac præfectura *Barmſtede* in *Comitatum Imperialem Ranzovv* erigeretur, quo etiam nomine in ſeamno *Comitum Weſtphalicorum* locum nunc obtinet. Perſolvit naturæ debitum an. 1663. poſtquàm è *Dorothea* agnata, *Detlevi* Dynaſtæ in *Pancker* filia, præter ſequioris ſexus *Margaritam Dorotheam*, *Friderico C. Ahlefeldio* an. 1642. nuptam, atque an. 1665. d. 16. Aug. mortuam, filios duos *Detlevum* & *Chriſtianum* ſuſcepit, quorum *poſterior*

præ-

præmaturè vita caruit, *prior* superstes est, & hoc titulo eminet:

9. DETLEVUS, *Comes in Ranzovv & Leuenholm, Dn. in Bredenburg*, *Ser. Regis Daniæ Consiliarius Sanctioris consilii, in Ducatibus Slesvvici & Holsatiæ Vicarius & Præfectus Rendsburgensis*; Comitatu *Leuenholm* in Jutlandia sito ab hodierno Rege auctus est. Conjugem verò duxit *Catharinam Hedvvigen Brocktorfiam* amitinam suam, *Detlevi Brockstorfii, Dn. in Rixdorp & Depenau* ex *Oligardi* Catharina *Ranzovia* gnatam; è qua genuit

I. *Fridericum*, n. an. 1668. Is hoc ipso an. 1683. mense Julio *Augustæ Taurinorum*, ubi in Academia (ceu appellant) degebat, & gymnasmatis disciplinisque libero homine dignis operam navabat, *Padi*, quem animi gratia intraverat, gurgitibus haustus & submersus est.

II. *Christianum Detlevum*, huic Regis Daniæ filia naturalis *Sophia Christiana*, è *Sophia Amalia Mothia*, (quæ Medici Regii gnata, nunc *Comitissa* axiomate decorata est) secundogenita, desponsata est.

III. *Christianum*.

IV. *Carolam*.

V. *Catharinam Hedvvigen*, an. 1683. in lucem editam.

10. *Son-*

10. *Scutum* Comitis Ranzovii *quadripartitum* est: area 1. & 2. ex *argento & minio perpendiculariter secta*, gentilitium *δεῖγμα refert*; 3. & 4. *aurea baltheum sinistrum nigrum, quem utrinque sex rhombuli atri stipant, continet, & unà cum parmula medio scuti loco imposita, quæ cœrulea leonem aureum coronatum duplici cum cauda repræsentat*, vetera Leisnicensium symbola *designat Galea tres* sunt *coronatæ*: prima *jugum alarum complicitarum nigrarum* sustinet; media *cornua duo, argenteum & rubeum, corona aurea conexa* exhibet; tertia *sceptrum ostentat aureum, quod sustinet orbem pavoninum XII. pennarum speculis superbientem, in medio orbe baltheo & rhombis scutariis repetitis. Laciniæ argento, auro, cyano & minio* tinguntur.

CAP. VIII.

DE COMITIBUS A RECKHEIM.

ILlustres *Reckheimii* Comites ab *Asperimontanis*, Lotharingica gente, sanguinem ducunt, quos porrò Celeb. *Spenerus*, Joh. *Holtackerum* secutus, ab *Ateſtinis* & antiqua *Æstiorum* stirpe derivavit. Nimirùm vixisse memorat seculo septimo *Gundelardum Ateſtinum*, Aldoardi *Principis Ateſtini* fratrem

Op. Her. l. 3. c. 2.

trem & Dagoberti Regis Franciæ Aulæ Magistrum, qui filium & nepotem habuit, utrumque *Aleonardum* nominatum; posteriore genitus est *Sigfridus*, qui an. 681. vixit, & gratia patrui sui *Ramfridi*, nec non propriis de Carolo Martello meritis Comitatum *Asperimontanum* in Lotharingiæ confiniis obtinuit, atque ex uxore *Bertholda Metensi Theobaldum* I. *Comitem & Dominum Asperimontii & Dunii* suscepit. Decimo ab hoc gradu *Albertus* II. enumeratur, pater filiorum quinque, quos cum *Margarita Theodorici C. Theodonis Villæ* gnata genuit; inter quos, reliquis sine prole extinctis, *Gobertus* & *Arnoldus* ramos duos *Asperimontanum* & *Lyndensem* proseverunt.

2. In linea *Asperimontana* *Gobertus* V. *Primi* abnepos, Ludovico Sancto in expeditione Orientali præstò fuit, strenuamq; operam navavit, unde redux *Principali* dignitate auctus est. Filius ejus *Godofredus* III. cum uxore *Isabella* dominium *Kienvrain* in Hannonia & *Ambliſiam* accepit. Hujus nepoti *Godofredo* IV. *Principi & Comiti Asperimontii*, *Ambliſiæ*, *Dunii*, Carolus IV. an. 1354. concessisse legitur, ut dominium *Asperimontanum* masculæ stirpis natu majoribus semper affixum esset; præterea potestatem nobiles creandi, monetam cudendi, & privilegia *Palatinatus* impertiisse.

3. Ge-

3. *Gobertus* VII. Godofredi IV. filius, *Dun*, pro *Buzanzy* an. 1377. cum Roberto D. Barcensi commutavit, & filio *Godofredo* V. dominium *Asperimontanum*, cum is *Johannam de Saux* an. 1380. connubio sibi sociaret, dono dedit. Hic verò cùm filium haberet *Gobertum*, eo præterito in gnatam *Johannam* Asperimontium transtulit, à qua posteà via conjugii in *Antelensem* primò, dein *Leiningensem* familiam transiit. *Gobertus* VIII. *Amblisiæ Principis* axiomate usus est, & ex filio *Eduardo Goberti* IX. nec non *Godofredi*, (à quo linea *Dominorum de Sorcy & Vandy* prodiit) avus extitit. *Goberti* IX. *Amblisiæ Principis* stirps mascula in ipsius nepote *Johanne* II. qui à Carolo V. an. 1525. diploma obtinuit, ut de antiquo familiæ patrimonio, *Comitatu* nempe *Asperimontano*, investiretur, exaruit; unde *Amblisia* ad *Angluriam* gentem devenit, postquam *Antonia Asperimontana*, Johannis II. soror ac hæres, *Renato Anglurio Burlemontii Domino* nupsisset; jus autem in Asperimontanum Comitatum *Johannes Dn. de Sorcy*, jam caput familiæ factus, in se derivavit.

4. Erat is *Godofredi*, hujus lineæ autoris, nepos, filius autem *Johannis* I. cujus frater natu minor *Wilhelmus* Dynastas posteà Marchiones *de Vandy*, adhuc superstites, profevit. *Johanni* II. absque liberis defuncto, successit

Caro-

Carolus, ejus frater, huic gnatus *Absalon*, qui *Carolum* post se reliquit, patrem filiæ unicæ *Mariæ Ludovicæ*; quæ primis nuptiis *Carolo D. Lotharingiæ*, secundis *Francisco Heinrico C. Mansfeldiæ* in manum convenit. Jus verò in *Asperimontium* delapsum est ad *Heinricum Dn. de Coulomne*, qui à *Samuele Asperimontano* Absalonis fratre descendit; is, consentientibus agnatis propinquioribus, illud an. 1676. *Rockheimensi Comiti* remotiori agnato tradidit.

5. Hic ad *Arnoldum* II *Gosberti* I. fratrem, suprà memoratum, genus refert, qui cum uxore *Helena Culenburgia* Comitatum *Lynden* an. 1120. accepit, ramumque inde cognominatum profevit; ex eo autem aliquot palmites propullularunt. Namque *Florentius* II. qui *Arnoldi* II. abnepos fuit, filios duos *Theodoricum* & *Stephanum* habuit; quorum *posterior* lineam *Dominorum in Vernuysen* condidit, sed in ejus nepote *Theodorico Friderico*, cùm is beneficio Ludovici Imp. Comitatu *Altsburg* auctus esset, iterum extinctam. *Theodorici*, qui *Lyndensem* ramum propagavit, pronepos *Stephanus* III. per matrimonium *Isabellæ C. Tornacensis* liberam Imperii Dynastiam *Hemmen* obtinuit, & ad posteros transmisit; inter quos *Theodoricus*, ejus pronepos, qui Friderico Augusto à consiliis fuit, titulo Dynastæ *Hemmensis* usus

usus esse memoratur. Hujus frater *Stephanus* IV. *Walpurgis Bronchorstia* maritus, per filios *Theodoricum* & *Johannem* linearum duarum autor extitit; sed quæ à *Johanne Domino in Mussenberg* orta est, ea sub finem seculi superioris iterum defecit.

6. *Theodoricus* Lyndensem ramum continuavit, pater è *Maria Baronissa & hærede ab Eltern* filiorum quatuor, quorum primogenitus *Georgius* Burggravios à *Dormal*, secundus *Robertus*, Comites *de Lynden*, & Barones *de Froidcourt* profevit; tertius *Theodoricus* Ecclesiasticum vitæ genus amplexus, *Leodiensis* Capituli *Decanus* fuit; à quarto denique *Hermanno* Comites *Reckheimenses* orti sunt: hunc enim Comitatum, Imperio immediatè subjectum, & *Circulo Westphalico* adscriptũ, ille pretio sibi acquisivit. Uxorem autem duxit *Mariam de Landrys Halmalen*, qua genuit *Ernestum*, cui *Antonia Guffieria de Bonnivet Ferdinandum* peperit, patrem ex *Elisabetha C. de Furstenberg*, Episcopi Argentinensis sorore, filiorum quatuor, qui nunc in vivis supersunt.

7. Primas inter eos nascendi sorte tenet FRANCISCUS GOBERTUS, *Comes in Aspermont & Reckheim, Baro in Porsheim, Dn. in Thienes, Steinbeck, Blaringheim, Houtheim & Ontæ*, Ecclesiarum metropolita-

licanarum *Colonienſis*, *Salisburgenſis & Leodienſis* Canonicus.

8. Huncexcipit FERDINANDUS GOBERTUS, *C. in Aspermont & Reckheim*, *Dn. in Cantersdorf*, *Neudorf*, *& Priebom*, *Camerarius & Colonellus Cæsareus*. Huic agnati an. 1676. jus in Comitatum *Aſpermontanum* ceſſere. Nuptiis ſibi ineunte anno 1680. in Sileſia adjunxit *Carolam*, *Georgii Ludovici Pr. Naſſovio-Dillenburgici* filiam, *Auguſti Comitis de Ligniz* viduam; prolemque maſculam ex ea ſuſcepit.

9. *Carolus Gobertus*, *C. in Aſpermont & Reckheim*, &c. in numerum Canonicorum *Colonienſium & Leodienſium* receptus eſt.

10. *Fridericus Gobertus*, *C. in Aſpermont & Reckheim*, extremum inter fratres locum occupat.

11. E ſororibus, quas illi habent, una *Ludovici Radevvici C. de Souches*, militiæ Cæſareæ Præfecti, conjux ſecunda fuit; altera *Anna Maria Wenceslao Michaeli C. ab Althann* Imperatoris Cubiculario, Capitaneo Comitatus Glacenſis in Bohemia, nuncque legationem in Suecia obeunti, nupſit.

12. *Scutum* Comitum à Reckheim *quadripartitum* eſt: 1. & 4. area *rubea crucem auream*, teſſeram *Aſperimontanam* continet; 2. & 3. *aurea leonem rubeum*, ſymbolum *Reck-* *Spen. Op. Her. l. 3. c. 1.*

heimense, refert; quæ *medio loco* imposita est parmula *cærulea cum aquila argentea Atestinorum* ad gentis originem collimat. *Galeæ tres* incumbunt, primæ insistunt *canis venaticus niger cum millo aureo*, *Lyndensem* Comitatum denotans; è media *aquila argentea Atestina* exsurgit, è tertia denique *leo Reckheimensis* prorupit. *Phaleræ* galeam primam & extremam *aureæ* ac *rubeæ*, mediam *argentea* & *cærulea* circumvolitant.

CAP. IX.

DE COMITIBUS A RIETBERG.

COmitatus *Rietbergicus* in Westphalia, jam pridem amissis naturalibus ac genuinis Dominis suis, in extraneārum familiārum ditionem concessit. Primus è propriis Rietbergæ Comitibus *Fridericus* memoratur, quem *ludii Magdeburgicis* an. 935. interfuisse perhibent; hujus posteros *Heuningius* continua serie per undecim generationes deduxit, usque ad *Conradum*, qui seculo decimo quarto fatis functus est; & non nisi gnatam unicam *Beatrice Bronchorstia* natam, cui nomen *Adelhaidis* fuit, post se reliquit; Ea *Ottoni Hojæ Comiti* nupta, Comitatum avitum marito attulit, & ad progeniem

Tom. IV. Genesl. p. 408.

ex

ex se ortam transmisit; in qua quidem ad quintam usque generationem ille hæsit.

2. Enim verò *Otto*, Ottonis illius abnepos, cùm è duplici conjugio filios duos genuisset, *Ottonem* & *Johannem*: hic, nec priorem nec parem in regimine ferre potis, fratrem natura potiorem Comitatu avito exclusit, & sedibus incertis vagare coëgit; ita ut tandem in castris Caroli V. *Metam* oppugnantis mortem an. 1551. oppeteret. Hujus verò improbitatis pœnam Divinæ Nemesi mox *Johannes* dedit: cum enim Bernhardum Comitem Lippiensem lacessivisset, hic illum bello, tracto in societatem Præsule Paderbornensi, aggressus *Rietbergam* obsedit; intercedente posteà ex mandato Imperatoris Circulo Westphalico, Lippiensis quidem discedere jussus, *Rietberga* verò occupata, & *Johannes* ob fractam pacem publicam ad perpetuos carceres damnatus fuit; unde *Tuitium* ductus, aliquot ibi libros è vernacula in Latinam linguam convertendo tempus fefellit, donec ex tædio & ægritudine in amentiam incidens, ideoque *Coloniam*, ut à Medicis curaretur transportatus, illic a. 1575. diem supremum obiit. Matrimonium ejus tenuit *Agnes C. Bentheimensis*, è qua masculam prolem nullam, fœmellas verò duas procreavit: quarum natu major *Armgardis Erico C. Hoja* agnato suo, posteaque *Simoni C. Lippiæ* nu-

pta, sterilis decessit: hinc ad alteram *Walpurgin*, quæ *Ennoni Comiti Frisiæ Orientalis* in manum convenit; hæreditas omnis delapsa est, quæ non tantùm Comitatum *Ritbergicum*, sed & dominia *Esens*, *Stedesdorf* & *Witmund*, ab avia paterna profecta, complectebatur.

3. *Enno C. Frisiæ Orientalis* illis, quas dixi, ditionibus locupletatus, cùm uxore sua *Walpurgi*, quæ tam opulentam dotem ei attulerat, filioloque ex ea nato *Johanne Edzardo*, veneno, incertum cujus scelere, è medio sublatis, filias tantùm duas ex hoc conjugio superstites haberet, pactum cum eis sancivit, quod *Berumanum* vocatur; quo illæ juribus suis in dynastias *Esens*, *Stedesdorf* & *Witmund* renuntiarunt, easque parenti concesserunt: id verò irritum postea reddidit *Gundackerus Pr. Liechtensteinensis*, qui ducta in matrimonium *Agnete*, filia *Ennonis* natu minore, in prædictas dynastias jus sibi arrogavit, litem affinibus impegit, tandemq; grandem pecuniæ summam, ope Consilii Aulico-Imperialis, expressit; quemadmodum *alibi* dictum fuit. *Lib. 8. c. 8. & 13.*

4. At filiam *Ennonis*, è *Walpurgi Rietbergensi* natu majorem, *Sabinam Catharinam Johannes C. Frisiæ Orientalis*, ipsius patruus, in thorum adscivit, Comitatumque *Rietbergensem* cum illa obtinuit, & ad filios transmisit,

misit, quos quatuor ex ea suscepit. Primomogenitus *Ernesti Christophori* nomen habuit, & *Lucemburgensi* Ducatui præfuit; sed ex uxore *Albertina Maria de la Baume, Philiberti M. de Saint Martin* filia, prolem non genuit; *Ferdinandus Franciscus* & *Enno Philippus* Ecclesiasticum vitæ genus coluere, inter *Canonicos Colonienses* cooptati; *Johannes* autem, natu minimus, stirpem propagavit, cùm conjugio sibi copulasset *Annam Catharinam, Ernesti Friderici C. Salmæ & Reifferscheidii* filiam, liberorum quinque parens ex ea factus. Filiæ duæ adhuc superstites esse feruntur; nomina earum hæc sunt: *Maria Leopoldina Catharina*, & *Bernhardina Sophia*.

5. Inter mares natu maximus *Fridericus Wilhelmus* Cæsareæ castra secutus, in conflictu quodam adversus Gallos in Alsatia an. 1677. occubuit; reliqui duo superant, videlicet

FRANCISCUS ADOLPHUS WILHELMUS, *Comes & Dominus Frisiæ Orientalis & Rietbergæ, Dn. in Esens, Stedesdorf & Wittmund*, Scholasticus Capituli *Colonienſis*, Canonicus *Argentinensis*, *Paderbornensis* atque *Osnabruggensis*; &

FERDINANDUS MAXIMILIANUS, *Comes & Dn. Frisiæ Orient. & Rietber-*

ga &c. Cononicus *Colonienſis*, *Argentinenſis* & *Monaſterienſis*.

6. *Scutum* eorum è ſummo *tripartitum* eſt: pars prima *aquilam Rietbergicam*, ſecunda *harpyam Friſiacam*, tertia ſymbola dominiorum *Eſens*, *Stedesdorff* & *Witmund*, ſuperiùs delineata, exhibet: *Caſſides tres* incumbunt, eædem ſcilicet, quæ clypeum *Principis Friſiæ Orient.* premunt.

CAP. X.

DE COMITIBUS A SALM ET REIFFERSCHEID.

Salmenſium Comitum primæ origines adeò tenebris circumfuſæ, & fabulis mixtæ atque adulteratæ ſunt, ut ſatius eſſe exiſtimem, ſicco eas pede præterire, quàm incertis neque ſatis exploratis immorari; præſertim cùm Celeb. *Spenerus* in illis recenſendis operam jamdum ſumſerit, & ſententias quoque diverſas *Brouveri*, Annalium Trevirenſium Scriptoris, ac *Gelenii* ſæpe nobis citati de *Symmetrio*, à *S. Materno* è mortuis reſuſcitato, poſteà martyrio affecto, quem familiaris traditio è *Salmenſium* ſtirpe prognatum perhibet, retulerit.

2. *Blondellus* ex *Ardennatibus* Salmenſes derivat, eosque nomen ſortitos eſſe ait à caſtro

stro *Salmensi*, in *Ardvenna* rupis tractu non procul à fano *S. Viti* sito, originem verò eorum ad *Hermannum Lucemburgicum*, anno 1081. in *Regem Romanorum* adversus Heinricum IV. post Rudolphi Suevi fata, electum, & an. 1088. mortuum, refert: huic enim pater datur *Gislebertus Salmensis*, *Friderici C. Lucemburgici* filius, quo, præter *Hermannum*, *Conradus* etiam *C. Lucemburgi* & *Heinricus Dux Limburgi* nati fuerint; *Hermannus* verò genuisse fertur *Ottonem C. Palatinum de Rineeken*, (qui uxorio jure *Tubantiæ* sive *Bentheimii Comes* factus est) & *Hermannum Salmæ Comitem*.

3. Dabimus verò proximè luci publicæ Genealogiam familiæ, è MS. Salmensibus concinnatam, quam à supràlaudato Humanissimo *Dn. Spenero*, post editas jam *Spicilegii Rittershus.* priores Decades, accepimus. Ea initium à *Friderico Mosellanæ Principe* ducit, cui uxor tribuitur *Felicitas*, *Heinrici II. C. Salmæ Ardennatensis*, & *novæ Salmæ* in *Lotharingia* conditoris, filia, & gnatus unicus *Sadgerus*, *Princeps Mosellanæ & Comes Salmæ in Ardenna*, pater *Ragineri Ducis Lotharingiæ* & *Heinrici C. Salmæ Ardenn.* Hic ducta in matrimonium *Hedvvige*, *Heinrici III. C. Salmensis* avunculi sui magni filia, utramque *Salmam Ardennatensem* & *Lotharingicam* iterum conjunxit. Hæ verò processu temporum

denuò disjunctæ sunt, abiitque gens Salmensis in *Heinrici* illius atnepotibus *Heinrico* VI. & *Carolo* in lineas duas, quibus à multis jamdum seculis distingui consuevit. *Heinrica* in ditionum avitarum partitione *Salma Vogasi Lotharingica*, *Carolo* autem *Ardennatensis* obtigit.

4. *Heinrici* posteritatem ex longo intervallo *Rittershusius* in opere suo enumeravit, à *Johanne* III. demum orditus, qui undecimo ab illo gradu distat. *Johannes* V. *Tertii* nepos, è duplici conjugio filios duos *Johannem* VI. & *Simonem* genuit; quorum *posterior* filiam, quam habuit unicam, *Johannettam*, *Johanni V. Sylvarum & Rheni Comiti* elocavit, & cum ea *dimidiam Comitatus Salmensis in Vogaso partem* ad gentem illam transmisit. *Johannes* VI. autem *Johannem* VII. genuit, patrem *Johannis* VIII. & *Nicolai*, à quibus *rami duo* prodierunt. Ille avitam in *Lotharingia* ditionem tenuit, quam, mascula ejus progenie, in filiis *Johanne* IX. *Paulo* & *Claudio* extincta, *Christina*, Pauli gnata & hæres unica, marito suo *Francisco Lotharingo Valdemontano* dotis loco attulit.

5. *Nicolaus* fortunarum incrementa in *Austria* quæsivit ac reperit, sedemque ibi, acquisito Comitatu *Neoburgensi ad Oenum*, fixit; demum plurimis erga domum Austriacam meritis inclutus an. 1529. mortem oppe-

oppetiit è vulnere quod *Viennæ*, cum ea à Solymanno Turcarum Imperatore obsideretur, acceperat. Ejus filius *cognominis* omnibus Ferdinandi I. Regnis & ditionibus cum summo imperio præfici, & *torque A. V.* ornari meruit, paceque Regno Ungariæ parta, paternam gloriam jam assecutus decessit *Agriæ* an. 1550. trigamgnatorum clarissimorum post se relinquens, nempe *Eginonem*, *Julium* & *Nicolaum*. *Primus* virtute bellica armatus, & Turcarum terrorres in Ungaria clade Zigethana collapsas fortiter restituit, atque an. 1574. *Javarini* in complexu militum, quibus oppido charus erat, animam efflavit. *Nicolaus*, eruditione singulari & multarum linguarum cognitione imbutus, Imperatorum trium Consiliarius Bellicus, & castri *Canisiani* Præfectus fuit, atq; an. 1580. supremum diem obiit, aliquot liberorum pater; quos in *tab. Rittershus.* notatos typotheta per παρόραμα perperam ad Christinam retulit.

6. *Julius* Maximiliano & Rudolpho II. à Consiliis Aulæ Imperialis fuit, & Martem cum Musis feliciter conjunxit, atque anno 1595. vivere desiit, pater, præter alios in tabula enumeratos, *Suicardi*, quo & *Sidonia à Minckovviz* nati sunt *Carolus*, *Anna Maria*, *Heinrico C. Schlickio* nupta, *Maximiliana*, quæ primò *Maximiliano C. Waldsteinio*, dein *Chri-*

ſtiano Wilhelmo M. Brandenburgico in manum convenit, & fortè alii. *Carolus Eliſabetham Bernhardinam, Conradi Wilhelmi* ultimi è familia *Comitum Tubingenſium* filiam nuptiis ſibi adjunxit, & cum ea jus in ejus hæreditatem accepit, quemadmodum *ſupra* dictum fuit. Prolem ex ea numeroſam ſuſcepiſſe fertur, è qua non niſi ſequentium nomina comperta habemus.

Introd. ad Lib. VII.

7. FRANCISCUS LEOPOLDUS, *Comes in Salm & Neuburg ad Oenum*, (quod quidem in aliam nunc tranſiit familiam, ceu alibi dictum eſt) *S. Cæs. M. Camerarius*; habet is in conjugio *Herzenlaut, Rudolphi L. B. Schiferi de Freyling*, & *Sabinæ Blarerin de Wartenſee* filiam:

L. VII. c. 13. §. 6.

Meinhardus Ignatius Guilielmus, *Com. in Salm* &c. Canonicus *Ratisbonenſis* & *Paſſavienſis*.

Paris Iulius, *C. in Salm* &c. Canonicus Olumucenſis.

Anna Eliſabetha, vidua *Johannis Ferdinandi Erneſti C. de Wartenberg*.

Franciſca Barbara, nupta *Remedio Conſtantino C. de Thun*, Guidobaldi Cardinalis fratri conſanguineo.

Iſabella Æmilia, uxor *Jaroslai Ssvvihovsky, Dn. in Nalzovv*.

8. Tranſeundum nunc ad lineam *Comitum Salmæ in Ardenna*, à *Carolo*, ceu dixi, ortam.

ortam. Hunc ab Imp. Heinrico II. postquàm Otto, ultimus ex Carolinis Dux Lotharingiæ, rebus humanis exemptus esset, *Lotharingiam Inferiorem* obtinuisse, sed à *Gozelone* dejectum, Limburgicam tantùm ditionem conservasse, domestica traditio fert. *Walramus*, ejus filius, *Comitis*, nepos autem *Heinrici Ducis Limburgici* axiomate usus esse, hujusque nepotes *Heinricus* & *Fridericus* ita patrimonium interse divisisse perhibentur, ut prior *Ducatum Limburgicum*, posterior *Salmensem Comitatum* sortiretur. *Friderici* posteritas septimam generationem non superavit, sed in *Heinrico* ejus trinepote quoad mares defecit. Is amisso in bello Leodiensi an. 1408. filio *cognomine*, gnata etiam unica *Maria*, quam *Ottoni Raugravio* elocaverat, sine sobole defuncta, testamentum militare condidit, quo *Johannem Dynastam à Reifferscheid*, agnatum suum & unà cum ipso Episcopi partes tuentem, hæredem nuncupavit, atque an. 1412. vel 1413. è vivis excessit.

9. *Johannes Reifferscheidius* ab *Heinrico Limburgici* rami satore derivari solet; huic enim filii tres, *Heinricus*, *Gerlacus* & *Philippus*, tribuuntur; primus *Limburgi Duces* propagasse fertur, postremo *Domini de Wildenburg* axioma datur, medius autem *Reifferscheidii* (quod in *Eyffelia* situm est) *Dynasta* audit,

audit, & *Johannis* modò memorati, quem *Quartum* hujus nominis vocant, tritavus fuit, ceu è schemate, in *Spicilegio Rittershusiano* exhibito, videre licet. Parentem autem *Johannes* IV. habuit *Heinricum* II. cui ab uxore *Richarda*, filia ac hærede *Conradi Dn. à Dyck*, dominium hoc obvenit. Par felicitas etiam *Johanni* V. *Quarti* filio, obtigit; quippe qui, ducta *Irmgardi à Wevelinghofen*, dynastia *Alfter*, nec non officio *Marescalli Hæreditarii in Diœcesi Colonienſi* auctus fuit.

10. Qui hodiè ex hac stirpe superant, *Ernestum Fridericum*, an. 1639. mortuum, & *Johannis* V. atnepotem, *communem patrem* agnoscunt: is enim è *Maria Ursula Leiningensi*, præter sequioris sexus prolem in *tabula* notatam, filios tres suscepit, quorum natu minimus *Ferdinandus Albertus* Ecclesiasticam vitam coluit, reliqui duo verò genus propagarunt; ex his prior nascendi sorte *Ericus Adolphus* è viventium numero sublatus est, haud improlis, prout mox dicetur; alter autem, vulgò *Comes in Dyck*, à loco quem incolit, appellatus, superat.

11. Is nomen hoc gerit:

ERNESTUS SALENTINUS, *Comes in Salm & Reifferscheid, Dynastia in Bedbur, Dyck, Alfter & Hackenbroich, Marescallus Hereditarius Colonienſis Archidiœceſeos, S. Cæſ. M. Camerarius & Colonellus.* Uxor ei ducta

ducta est *Clara Magdalena*, *Philippi Theodorici C. in Manderscheid & Kail* ex *Elisabetha Amalia Leuenhauptia* gnata, cum qua multam prolem, mares octo, fœmellas sex genuit. Inter illos non nisi trium nomina edere possum, videlicet:

Francisci Ernesti,
Caroli Caspari,
& *Alexandri*.

12. *Filiarum* natu maxima *Maria Ernestina* est, *Maximiliani Francisci Truchsessii*, *C. de Wolfegg* vidua; quod quidem notandum, errorque, in quem in *tabula* typis excusa impegi, postmodum certiora edoctus demum, corrigendus. Reliquarum *Ernesti Salentini* filiarum nomina incomperta habeo.

13. *Ericus Adolphus*, *C. in Reifferscheid* bis nuptias celebravit: primò cum *Magdalena*, *Mauritii Landgravii Hasso-Cassellensis* filia, deinde cum *Ernestina Barbara Dorothea*, *Ferdinandi Caroli C. in Lovvenstein & Wertheim* filia; è *priore* conjugio filius unicus *Wilhelmus Heinricus* ævi brevis, gnatæ autem tres prodierunt; è *posteriore* autem filius unicus superstes, nempe

FRANCISCUS, *C. in Salm & Reifferscheid*, *Dn. in Bedbur* &c. Is, postquam mater ipsius ad secunda cum *Comite de Sereni* vota transiit,

transiit, sub patrui tutela nunc adolescit.

14. *Sororum* ejus, sed *consanguinearum*, nomina hæc sunt:

I. *Catharina Maria*, nupta *Sebastiano Winnibaldo Truchsessio C. Zeilensi in Wurzach.*

II. *Sophia Magdalena*, *Carolo Landgravio Hassiæ* an. 1669. nupta, sed *Venetiis* an. 1675. morte oppressa.

III. *Anna Ernestina.*

15. *Scutum*, quo *Comites in Salm & Reifferscheid* utuntur, *quadripartitum* est: area prima iterum in *partes duas* dividitur, quarum prior *argentea salmones duos aversos rubeos*, tesseram *gentilitiam*, altera *ejusdem metalli scutulum rubeum imminente desuper fascia cærulea quinque segmentorum*, *Reifferscheidense* δῆγμα exhibet; area secunda *rubea plinthidibus argenteis spargitur & Bedburg* denotat; tertia *aurea leonem argenteum*, symbolum *Hackenbroichense* refert; quarta denique aurea *fasciis quatuor rubeis exarata*, *impositoleone argenteo sanguineam linguam protendente*, dominium *Alfter* designat. Toti incumbit *parmula argentea rhombos tres coccineos* continens, & dynastiam *Dyck* indicans. *Galeis* hoc scutum *tribus* regitur: 1. Salmensis *salmones scutarios capitibus deorsum versis & cuspidem mordentibus*, exhibet; 2. Reifferscheidensis *aures duas asininas*, *cocco* alteram, alte-

alteram *argento tinctam* refert; 3. coronata *crus capreoli nativi coloris* ostentat. *Lacinia* omnes *argento* & *minio* tinguntur.

CAP. XI.

DE COMITIBUS A VELEN.

ILlustris apud *Westphalos* familia *Velensis* derivari amat à quodam *Duce Velnio*, *Equite Romano*, ex urbe Lucaniæ *Velia* oriundo, qui cum Carolo M. Imp. in Westphaliam profectus sit, atque in prælio prope vicum Bocholt *Adelhaidin*, puellam ex *Harminiorum* Ducum familia prognatam, ceperit, eamque ad fidem Christianam conversam in matrimonium duxerit; unde natus *Hermannus*, qui *Nobilis Dominus in Velen* appellatur, & à quo familia ad nostram usque ætatem serie continua deduci solet; quemadmodum è tabula Genealogica, in *Spicilegio Rittershusiano* exhibita, videre est; eam verò pro perfecta & omnibus numeris absoluta venditare haud ausim, cum tot seculorum, septem scilicet & quod excurrit, intervallo, quantum inter Caroli Magni & nostrum ævum intercedit, generationes quindecim (tot enim in schemate illo enumerantur) vix sufficere mihi videantur. Qualemcunque tamen illam inveni, talem lectori curioso communican-

nicandam duxi; vel hunc in finem, ut peritiores ad impertienda meliora excitarem provocaremque.

2. Patrum memoria ad altiorem dignitatis gradum emersit familia, virtute ac meritis *Alexandri* II. is enim fidelem ac fortem Imperatori Ferdinando III. operam navando, non tantum præclaris muniis ab ipso admotus, sed etiam *Comitis S. R. Imp.* axiomate ornatus, & *Westphalici Circuli* (in quo pleraque possessionum ejus pars, *Rasfeldia* præcipuè, quam incolit, sita est) Ordinibus adscriptus fuit. *Brezenheimense* dominium, uno tantùm lapide à Crucenaco distans, pretio à Comite Falckensteinio *Wilhelmo Wyrichio* sibi comparavit. Conjugium bis inivit: primò cum *Maria Alexandrina Comitissa Huynii & Gelena*, dein cum *Anna Magdalena Bentheimensi*, atque an. 1675. d. 10. Oct. fatis concessit. Liberos quatuor genuisse fertur, filios duos, totidemque sequioris sexus: harum altera *Alexandrina Maria* primò *Emiconi C. Falckensteinio*, posteà *Johanni C. Waldeccensi* nupsit, atque anno 1658. decessit; altera *Isabella*, *Adolpho C. de Styrum* in manum convenit.

3. Filiorum minor natu *Paulus Ernestus* parentis fata antevertit, & quinto ac vicesimo ætatis anno, prope *Remos* strenuè pro domo Austriaca adversus Gallos pugnando, occu-

occubuit; alter autem patri successit, videlicet

FERDINANDUS GODOFREDUS, S.R.I. *Comes de Velen, B. in Rasfeld & Brezenheim, Dynasta in Schermbeck, Engelrad, Hagenbeck & Crudenburg.*

4. Induxit is penatibus suis *Annam Sophiam*, *Hermanni Ottonis Limburgii C. de Styrum* filiam; è qua suscepit

Alexandrum Ottonem,

Annam Ernestinam, quam *Hermanno Ottoni C. de Styrum Cubiculario & Colonello Caesareo* matrueli & amitino suo nupsisse accepi; & fortè plures.

5. *Scutum* Comitis Velensis nunquam vidi. *familiaria* autem insignia *tres aviculas rubeas, se invicem recta linea sequentes*, in campo *aureo, galeam* autem *jugo alarum coccinearum*, interposito *scutulo cum aviculis*, ornatam continent.

CAP. XII.

DE COMITIBUS A WIED.

QUæ plerarumque Illustrium familiarum fata fuere, ut vel monumenta vetustiora temporum hominumque injuriis interierint, vel prisci de progenie sua notanda, &

posteris commendanda parùm solliciti fuerint, eadem *Wiedanæ* etiam familiæ fors extitit; unde justam ejus & continuam seriem vix ultra tertium quartúmve seculum extendere licet. In chartis ab Illustrissimo Comite *Friderico* mihi suppeditatis, citantur aliquot tabulæ veteres fundatoriæ, in quibus Wiedanorum Comitum mentio occurrat; nempe *Instrumentum fundationis Lacensis monasterij* sub an. 1093. in quo legitur *Mesfridus Comes de Weda*, & frater ejus *Riedvvinus de Kempenich*; porrò *tabula fundationis* cœnobii in *Schvvarzen Rheindorf*, in qua aliquot hujus gentis enumerantur; in primis *Arnoldus* II. *C. Wedanus*, *Archiepiscopus Colonienſis* (quem alii ex *Altenanis* ortum putant) an. 1156. mortuus. Hunc ipsum ejusdemque de Colonienſi Diœcesi merita *Geleniu*s etiam commemorat, cujus verba recensere juvabit: *Arnoldus II. Comes Wedanus*, *Archiepiscopus Colonienſis*, *qui ob bonorum Ecclesiæ per Fridericum I. Archiepiscopum factas alienationes invitus cathedram conscenderat*, *data pecunia plurima Ecclesiæ conquisivit & requisivit*, *nempe urbis Colonienſis telonium*, *Castellum Odenkirchen &c. ex adverso Bonnenſis oppidi celeberrimum collegium Rindorpienſe Trans-Rhenanum in hæreditario suo fundo construxit de consensu* Burchardi C. Wedani *fratris sui ab obitu* Ludovici *etiam fratris sui Advocatiam*

De magnit. Colon. p. 95.

tiam Erpellensem beneficiario jure possidentis; ad eandem fundationem faciendam consenserant Arnoldi Archiepiscopi nepotes ex fratre, Lambertus de Weda, *& ex sorore Lambertus de Nuerburch*: Hadewigis *autem, Arnoldi soror*, Abbatissa Asnidiensis, *ratas hujusmodi donationes habuit, & defuncto Archiepiscopo fratre cœptam institutionem Rheni pagensem absolvit.*

2. Ab illorum, quos enumeravi, aliquo descendisse, vero haud est absimile, *Lotharium Wedæ Comitem*, qui seculo decimo tertio vixit, sororemque habuit *Nobili Domino ab Isenburg* nuptam; cui ea *Comitatum Wedanum* attulit, unde *Brunonem & Theodoricum Isenburgios*, ejus filios an. 1237. ab Ottone C. Palatino Rheni & Bavariæ Duce de Comitatu *Wied*, Lothario defuncto, investitos fuisse legitur. Ex his autem *Theodoricum Isenburgios* Dominos ac Comites in Rhenano tractu processisse, à *Brunone* verò Comites *Wiedanos* propagatos esse domestica traditio perhibet; *Brunonis* nepos *Wilhelmus*, ducta circa an. 1370 *Lysa* agnata sua, *Gerlaci Isenburgici* filia, *dimidiam partem Dominij Isenburgici inferioris* (cum alteram medietatem *Adelhaidis*, Lysæ soror, *Salentino Isenburgico* patrueli ac marito suo attulisset) obtinuit, & *Isenburgicam* tesseram cum *Wiedana* conjunxit. *Wilhelmo & Lysa* nati sunt, præter filias, *Lysam Gerhardo Dynastæ de Blan-*

ckenheim, & *Hedvvigen Gerlaco Mareſcallo ab Hedesdorf*, nuptas, *Wilhelmus* & *Gerlacus*. Ille cœlibem vitam peregit, & *Præpoſitus Aquenſis* fuit; *Gerlaco* autem uxor tribuitur *Agnes* ex *Iſenburgicis in Budingen*, cum qua genuerit *Wilhelmum* & *Johannem*. Ille in partitione patrimonii Comitatum *Wiedanum* ſortitus eſt, verum ſobole caruit, licet in conjugio *Philippinæ*, filiæ *Comitis Loſſenſis & Dn. Heinſpergenſis*, vixerit. *Johannes*, cui *Iſenburgica* ditio obtigit, è *Cunigunda de Weſterburg* non niſi fœmellas ſuſcepit, inter quas natu major *Anaſtaſia Theodoricò Dn. de Runckel* nupſit, eique avitam hæreditatem attulit.

Lib. VI. c. 9. §. 1.

3. *Runckelanos* cum *Weſterburgicis* ejusdem eſſe proſapiæ *ſuprà* dictum fuit: namque *Sigfrido Domino de Runckel*, qui ſeculo XIII. vixit, filii præcipuè duo *Heinricus* & *Sigfridus* tribuuntur; qui hæreditatem avitam ita inter ſe diviſere, ut ille dominium *Weſterburgicum*, hic *Runckelanum* obtinuerit. De *Heinrici* poſteris loco modò allegato actum jam eſt; *Sigfridus* Runckelanos propagavit per gnatum *Rupertum*, quo natus fuit *Theodoricus*, maritus *Juthæ C. Sainenſis*, & pater *Theodorici*, cui *Anaſtaſiam Wiedanam Iſenburgi Dominam* in matrimonio ductam eſſe dixi.

4. Ab hoc tabula Genealogica *Comitum*

in

in Wied & Runckel, quæ in *Auctario Operis Rittershusiani* exstat, initium capit: namque *Theodoricus* ex *Anastasia* filios quatuor suscepit, *Fridericum*, *Theodoricum*, *Wilhelmum & Johannem*. Primum ex his *Wilhelmus C. Wiedanus*, avunculus ejus magnus, adoptavit, & in possessionem ditionis suæ, assentientibus Dominis feudi, immisit; *Theodoricus & Johannes ἀγαμοι* vixere, *Wilhelmo* Isenburgica ditio obtigit, & ex uxore *Irmgardi*, quæ *Jobi B. à Rolingen & Margaritæ à Syrck* filia erat, duplex sed infirmioris sexus proles nata est, videlicet *Margarita Johanni Marcano* elocata, & *Anastasia*, quæ *Philippo* (aliis *Heinrico*) *C. Waldeccensi* nupsit, eidemque *Isenburgicam* ditionem in dotem attulit, quam mox ejus patrueles Comites *Wiedani* à Waldeccis redemerunt.

5. *Fridericus* ex adoptione avunculi sui magni *Comes Wiedæ* cum *Agnete Virnenburgica* uxore sua egregiam sobolem genuit, filios præcipuè quinque, nempe: *Wilhelmum*, *Johannem*, *Theodoricum*, *Fridericum*, & *Hermannum*. Ex his posteriores tres sacris dignitatibus eminuere, & *Hermannus* quidem in *Archiepiscopum Colonienſem* eligi meruit; eum autem malos, qui in Ecclesiam irrepserant, mores tollere, eamque ad genuinam sinceritatem reducere studeret, Pontificis Romani odium incurrit, & pro-

scriptionis nota affectus est; sicuti verò non miti minus quàm pio ingenio præditus erat, *suorum periculo potius* (ut Illustris *Thuani* verbis utar) *quàm rei familiaris ac dignitatis dispendio territus*, ultrò Archiepiscopatu, quem XXXII. annos rexerat, cessit, demumque senio gravis *Bivirini*, suæ ditionis oppido, an. 1552. obiit. *Fridericus, Monasterienſium Antiſtes & Bonnenſis Præpoſitus*, eadem cum fratre Hermanno calamitate involutus fuit, dignitatemque eadem tempestate amisit, vitam verò an. 1551. finivit. *Theodoricus Decanus ad S. Gereonem* Coloniæ fuit.

Hist. Lib. XI.

6. *VVilhelmus*, natu maximus è *Friderici* filiis, Comitatu *Mærſenſi* uxorio jure locupletatus est; sed cùm unicam tantùm haberet filiam *Annam*, quæ *VVilhelmo C. Nuenario* in manum convenit, Comitatus ille è Wiedana familia mox iterum excessit. *Johannes, C. à Wied, Dn. in Runckel & Iſenburg*, stirpem propagavit: inter ejus filios *Fridericus* dignitatem, à patruo derelictam, recuperavit; anno enim 1562. ad *Archiepiſcopatum Colonienſem* evectus fuit, sed post quinquennium sponte eo se abdicavit. *Johannes* ejus frater filios habuit *Hermannum* & *Wilhelmum*: hic marem unicum tantùm *Philippum Wolfgangum* ἄγαμον, fœminas autem sex sustulit, videlicet *Philippinam Catharinam, Æmiliam*, & *Johannettam* innuptas, *Walpurgin*

purgin Christophoro C. in Leiningen & VVesterburg (non autem *Ludovico Stolbergico*, ceu tabula perhibet) elocatam, *Julianam*, quam *Comiti Lövvensteinio* in manum conveniſſe ferunt, & *Mariam Magdalenam Baroni à VVylich* nuptam.

7. *Hermanno*, præter alios improles, *Hermannus II.* natus eſt, *Eliſabethæ Julianæ C. Solmenſis* maritus, & liberorum novem parens; ſexus ſequioris quinque fuere, nimirũ; *VValburgis Magdalena*, quæ innupta obiit, *Sibylla Chriſtina*, *Joh. Ludovico C. de Leiningen VVesterburg*, *Anna Sophia*, *Guſtavo C. de VVaſenburg*, Guſtavi Adolphi Sueciæ Regis filio naturali, *Johanna Maria*, *Chriſtiano C. de Sain & Witgenſtein*, & *Anna Amalia*, *Ludovico Chriſtophoro C. Solmenſi in Lich* nuptæ, nunc omnes viduæ. E filiis natu maximus *Fridericus*, ſuperſtes eſt, unà cum *VVilhelmo Ludovico* natu minimo, mentis ſuæ non omninò compote. Reliqui duo *Mauritius Chriſtianus* & *Joh. Erneſtus* vivere deſierunt; ille è *Catharina Juliana Hanovica* aliquot liberorum quidem, ſed βραχυβίων parens extitit; alter *Dirdorfenſem* ramum condidit, filio unico, cum an. 1664. mortem obiiſſet, poſt ſe relicto; quem ex *Hedvvige Eleonora*, *Ludovici Chriſtiani C. Eberſteinii in Neugarten* & *Magdalenæ de Fahrensbach* filia, ſuſceperat.

8. Caput familiæ nunc eſt

ſtiano Wilhelmo M. Brandenburgico in manum convenit, & fortè alii. *Carolus Eliſabetham Bernhardinam, Conradi Wilhelmi* ultimi è familia *Comitum Tubingenſium* filiam nuptiis ſibi adjunxit, & cum ea jus in ejus hæreditatem accepit, quemadmodum *ſupra* dictum fuit. Prolem ex ea numeroſam ſuſcepiſſe fertur, è qua non niſi ſequentium nomina comperta habemus.

Introd. ad Lib. VII.

7. FRANCISCUS LEOPOLDUS, *Comes in Salm & Neuburg ad Oenum*, (quod quidem in aliam nunc tranſiit familiam, ceu alibi dictum eſt) *S. Cæs. M. Camerarius*; habet is in conjugio *Herzenlaut, Rudolphi L. B. Schiferi de Freyling*, & *Sabinæ Blarerin de Wartenſee* filiam:

L. VII. c. 13. §. 6.

Meinhardus Ignatius Guilielmus, *Com. in Salm* &c. Canonicus *Ratisbonenſis* & *Paſſavienſis*.

Paris Iulius, *C. in Salm* &c. Canonicus Olumucenſis.

Anna Eliſabetha, vidua *Johannis Ferdinandi Erneſti C. de Wartenberg*.

Franciſca Barbara, nupta *Remedio Conſtantino C. de Thun*, Guidobaldi Cardinalis fratri conſanguineo.

Iſabella Æmilia, uxor *Jaroslai Ssvvihovsky, Dn. in Nalzovv*.

8. Tranſeundum nunc ad lineam *Comitum Salmæ in Ardenna*, à *Carolo*, ceu dixi, ortam.

ortam. Hunc ab Imp. Heinrico II. postquàm Otto, ultimus ex Carolinis Dux Lotharingiæ, rebus humanis exemptus esset, *Lotharingiam Inferiorem* obtinuisse, sed à *Gozelone* dejectum, Limburgicam tantùm ditionem conservasse, domestica traditio fert. *Walramus*, ejus filius, *Comitis*, nepos autem *Heinricus Ducis Limburgici* axiomate usus esse, hujusque nepotes *Heinricus* & *Fridericus* ita patrimonium interse divisisse perhibentur, ut prior *Ducatum Limburgicum*, posterior *Salmensem Comitatum* sortiretur. *Friderici* posteritas septimam generationem non superavit, sed in *Heinrico* ejus trinepote quoad mares defecit. Is amisso in bello Leodiensi an. 1408. filio *cognomine*, gnata etiam unica *Maria*, quam *Ottoni Raugravio* elocaverat, sine sobole defuncta, testamentum militare condidit, quo *Johannem Dynastam à Reifferscheid*, agnatum suum & unà cum ipso Episcopi partes tuentem, hæredem nuncupavit, atque an. 1412. vel 1413. è vivis excessit.

9. *Johannes Reifferscheidius* ab *Heinrico Limburgici* rami satore derivari solet; huic enim filii tres, *Heinricus*, *Gerlacus* & *Philippus*, tribuuntur; primus *Limburgi Duces* propagasse fertur, postremo *Domini de Wildenburg* axioma datur, medius autem *Reifferscheidii* (quod in *Eyffelia* situm est) *Dynasta* audit,

audit, & *Johannis* modò memorati, quem *Quartum* hujus nominis vocant, tritavus fuit, ceu è schemate, in *Spicilegio Rittershusiano* exhibito, videre licet. Parentem autem *Johannes* IV. habuit *Heinricum* II. cui ab uxore *Richarda*, filia ac hærede *Conradi Dn. à Dyck*, dominium hoc obvenit. Par felicitas etiam *Johanni* V. *Quarti* filio, obtigit; quippe qui, ducta *Irmgardi à Wevelinghofen*, dynastia *Alfter*, nec non officio *Marescalli Hæreditarii in Diœcesi Colonienſi* auctus fuit.

10. Qui hodiè ex hac stirpe superant, *Ernestum Fridericum*, an. 1639. mortuum, & *Johannis* V. atnepotem, *communem patrem* agnoscunt: is enim è *Maria Ursula Leiningensi*, præter sequioris sexus prolem in *tabula* notatam, filios tres suscepit, quorum natu minimus *Ferdinandus Albertus* Ecclesiasticam vitam coluit, reliqui duo verò genus propagarunt; ex his prior nascendi sorte *Ericus Adolphus* è viventium numero sublatus est, haud improlis, prout mox dicetur; alter autem, vulgò *Comes in Dyck*, à loco quem incolit, appellatus, superat.

11. Is nomen hoc gerit:

ERNESTUS SALENTINUS, *Comes in Salm & Reifferscheid, Dynasta in Bedbur, Dyck, Alfter & Hackenbroich, Marescallus Hæreditarius Colonienſis Archidiœceſeos, S. Cæſ. M. Camerarius & Colonellus.* Uxor ei

ducta

ducta est *Clara Magdalena*, *Philippi Theodorici C. in Manderscheid & Kail* ex *Elisabetha Amalia Leuenhauptia* gnata, cum qua multam prolem, mares octo, fœmellas sex genuit. Inter illos non nisi trium nomina edere possum, videlicet:

Francisci Ernesti,
Caroli Caspari,
& *Alexandri*.

12. *Filiarum* natu maxima *Maria Ernestina* est, *Maximiliani Francisci Truchsessii*, *C. de Wolfegg* vidua; quod quidem notandum, errorque, in quem in *tabula* typis excusa impegi, postmodum certiora edoctus demum, corrigendus. Reliquarum *Ernesti Salentini* filiarum nomina incomperta habeo.

13. *Ericus Adolphus*, *C. in Reifferscheid* bis nuptias celebravit: primò cum *Magdalena*, *Mauritii Landgravii Hasso-Cassellensis* filia, deinc ũ *Ernestina Barbara Dorothea*, *Ferdinandi Caroli C. in Lovvenstein & Wertheim* filia; è *priore* conjugio filius unicus *Wilhelmus Heinricus* ævi brevis, gnatæ autem tres prodierunt; è *posteriore* autem filius unicus superstes, nempe

FRANCISCUS, *C. in Salm & Reifferscheid*, *Dn. in Bedbur* &c. Is, postquam mater ipsius ad secunda cum *Comite de Sereni* vota transiit,

transiit, sub patrui tutela nunc adolescit.

14. *Sororum* ejus, sed *consanguinearum*, nomina hæc sunt:

I. *Catharina Maria*, nupta *Sebastiano Winnibaldo Truchsessio C. Zeilensi in Wurzach.*

II. *Sophia Magdalena*, *Carolo Landgravio Hassiæ* an. 1669. nupta, sed *Venetiis* an. 1675. morte oppressa.

III. *Anna Ernestina.*

15. *Scutum*, quo *Comites in Salm & Reifferscheid* utuntur, *quadripartitum* est: area prima iterum in *partes duas* dividitur, quarum prior *argentea salmones duos aversos rubeos*, tesseram *gentilitiam*, altera *ejusdem metalli scutulum rubeum imminente desuper fascia cœrulea quinque segmentorum*, *Reifferscheidense* δεῖγμα exhibet; area secunda *rubea plinthidibus argenteis spargitur & Bedburi* denotat; tertia *aurea leonem argenteum*, symbolum *Hackenbroichense* refert; quarta denique aurea *fasciis quatuor rubeis exarata*, *imposito leone argenteo sanguineam linguam protendente*, dominium *Alfter* designat. Toti incumbit *parmula argentea rhombos tres coccineos* continens, & dynastiam *Dyck* indicans. *Galeis* hoc scutum *tribus* regitur: 1. Salmensis *salmones scutarios capitibus deorsum versis & eosdem mordentibus*, exhibet; 2. Reifferscheidensis *aures duas asininas*, *corneo* alteram, alte-

alteram *argento tinctam* refert; 3. coronata *crus capreoli nativi coloris* ostentat. *Lacinia* omnes *argento* & *minio* tinguntur.

CAP. XI.

DE COMITIBUS A VELEN.

ILlustris apud *Westphalos* familia *Velensis* derivari amat à quodam *Duce Velnio*, *Equite Romano*, ex urbe Lucaniæ *Velia* oriundo, qui cum Carolo M. Imp. in Westphaliam profectus sit, atque in prælio prope vicum Bocholt *Adelhaidin*, puellam ex *Harminiorum* Ducum familia prognatam, ceperit, eamque ad fidem Christianam conversam in matrimonium duxerit; unde natus *Hermannus*, qui *Nobilis Dominus in Velen* appellatur, & à quo familia ad nostram usque ætatem serie continua deduci solet; quemadmodum è tabula Genealogica, in *Spicilegio Rittershusiano* exhibita, videre est; eam verò pro perfecta & omnibus numeris absoluta venditare haud ausim, cum tot seculorum, septem scilicet & quod excurrit, intervallo, quantum inter Caroli Magni & nostrum ævum intercedit, generationes quindecim (tot enim in schemate illo enumerantur) vix sufficere mihi videantur. Qualemcunque tamen illam inveni, talem lectori curioso communican-

nicandam duxi; vel hunc in finem, ut peritiores ad impertienda meliora excitarem provocaremque.

2. Patrum memoria ad altiorem dignitatis gradum emersit familia, virtute ac meritis *Alexandri* II, is enim fidelem ac fortem Imperatori Ferdinando III. operam navando, non tantum præclaris muniis ab ipso admotus, sed etiam *Comitis S. R. Imp.* axiomate ornatus, & *Westphalici Circuli* (in quo pleraque possessionum ejus pars, *Rasfeldia* præcipuè, quam incolit, sita est) Ordinibus adscriptus fuit. *Brezenheimense* dominium, uno tantùm lapide à Crucenaco distans, pretio à Comite Falckensteinio *Wilhelmo Wyrichio* sibi comparavit. Conjugium bis inivit: primò cum *Maria Alexandrina Comitissa Huynii & Gelenæ*, dein cum *Anna Magdalena Bentheimensi*, atque an. 1675. d. 10. Oct. fatis concessit. Liberos quatuor genuisse fertur, filios duos, totidemque sequioris sexus: harum altera *Alexandrina Maria* primò *Emiconi C. Falckensteinio*, posteà *Johanni C. Waldeccensi* nupsit, atque anno 1658. decessit; altera *Isabella*, *Adolpho C. de Styrum* in manum convenit.

3. Filiorum minor natu *Paulus Ernestus* parentis fata antevertit, & quinto ac vicesimo ætatis anno, prope *Remos* strenuè pro domo Austriaca adversus Gallos pugnando, occu-

occubuit; alter autem patri succeſſit, videlicet

FERDINANDUS GODOFREDUS, S.R.I. *Comes de Velen, B. in Rasfeld & Brezenheim, Dynaſta in Schermbeck, Engelrad, Hagenbeck & Crudenburg.*

4. Induxit is penatibus ſuis *Annam Sophiam, Hermanni Ottonis Limburgii C. de Styrum* filiam; è qua ſuſcepit

Alexandrum Ottonem,

Annam Erneſtinam, quam *Hermanno Ottoni C. de Styrum Cubiculario & Colonello Cæſareo* matrueli & amitino ſuo nupſiſſe accepi; & fortè plures.

5. *Scutum* Comitis Velenſis nunquam vidi. *familiaria* autem inſignia *tres aviculas rubeas, ſe invicem recta linea ſequentes*, in campo *aureo, galeam* autem *jugo alarum coccinearum*, interpoſito *ſcutulo cum aviculis*, ornatam continent.

CAP. XII.

DE COMITIBUS A WIED.

QUæ plerarumque Illuſtrium familiarum fata fuere, ut vel monumenta vetuſtiora temporum hominumque injuriis interierint, vel priſci de progenie ſua notanda, &

posteris commendanda parùm solliciti fuerint, eadem *Wiedanæ* etiam familiæ sors extitit; unde justam ejus & continuam seriem vix ultra tertium quartúmve seculum extendere licet. In chartis ab Illustrissimo Comite *Friderico* mihi suppeditatis, citantur aliquot tabulæ veteres fundatoriæ, in quibus Wiedanorum Comitum mentio occurrat; nempe *Instrumentum fundationis Lacensis monasterij* sub an. 1093. in quo legitur *Mefridus Comes de Weda*, & frater ejus *Riedvvinus de Kempenich*; porrò *tabula fundationis* cœnobii in *Schvvarzen Rheindorf*, in qua aliquot hujus gentis enumerantur; in primis *Arnoldus* II. *C. Wedanus, Archiepiscopus Colonienſis* (quem alii ex *Altenanis* ortum putant) an. 1156. mortuus. Hunc ipsum ejusdemque de Colonienſi Diœcesi merita *Geleniu* etiam commemorat, cujus verba recensere juvabit: *Arnoldus II. Comes Wedanus, Archiepiscopus Colonienſis, qui ob bonorum Ecclesiæ per Fridericum I. Archiepiscopum factas alienationes invitus cathedram conscenderat, data pecunia plurima Ecclesiæ conquisivit & requisivit, nempe urbis Colonienſis telonium, Castellum Odenkirchen &c. ex adverso Bonnenſis oppidi celeberrimum collegium Rindorpienſe Trans-Rhenanum in hæreditario suo fundo construxit, de consensu* Burchardi C. Wedani *fratris sui, ab obitu* Ludovici *etiam fratris sui Advoca-*

De magnit. Colon. p. 95.

tiam

tiam Erpellensem beneficiario jure possidentis; ad eandem fundationem faciendam consenserunt Arnoldi Archiepiscopi nepotes ex fratre, Lambertus de Weda, & ex sorore Lambertus de Nuerburch: Hadewigis autem, Arnoldi soror, Abbatissa Asnidiensis, ratas hujusmodi donationes habuit, & defuncto Archiepiscopo fratre cœptam institutionem Rheni pagensem absolvit.

2. Ab illorum, quos enumeravi, aliquo descendisse, vero haud est absimile, Lotharium Wedæ Comitem, qui seculo decimo tertio vixit, sororemque habuit Nobili Domino ab Isenburg nuptam; cui ea Comitatum Wedanum attulit, unde Brunonem & Theodoricum Isenburgios, ejus filios an. 1237. ab Ottone C. Palatino Rheni & Bavariæ Duce de Comitatu Wied, Lothario defuncto, investitos fuisse legitur. Ex his autem Theodoricum Isenburgios Dominos ac Comites in Rhenano tractu prosevisse, à Brunone verò Comites Wiedanos propagatos esse domestica traditio perhibet; Brunonis nepos Wilhelmus, ducta circa an. 1370 Lysa agnata sua, Gerlaci Isenburgici filia, dimidiam partem Domini Isenburgici inferioris (cum alteram medietatem Adelhaidis, Lysæ soror, Salentino Isenburgico patrueli ac marito suo attulisset) obtinuit, & Isenburgicam tesseram cum Wiedana conjunxit. Wilhelmo & Lysa nati sunt, præter filias, Lysam Gerhardo Dynastæ de Blan-

ckenheim, & *Hedvvigen Gerlaco Mareſcallo ab Hedesdorf*, nuptas, *Wilhelmus* & *Gerlacus*. Ille cœlibem vitam peregit, & *Præpoſitus Aquenſis* fuit; *Gerlaco* autem uxor tribuitur *Agnes* ex *Iſenburgicis in Budingen*, cum qua genuerit *Wilhelmum* & *Johannem*. Ille in partitione patrimonii Comitatum *Wiedanum* ſortitus eſt, verum ſobole caruit, licet in conjugio *Philippinæ*, filiæ *Comitis Loſſenſis & Dn. Heinſpergenſis*, vixerit. *Johannes*, cui *Iſenburgica* ditio obtigit, è *Cunigunda de Weſterburg* non niſi fœmellas ſuſcepit, inter quas natu major *Anaſtaſia Theodorico Dn. de Runckel* nupſit, eique avitam hæreditatem attulit.

Lib. VI. c. 9. §. 1.

3. *Runckelanos* cum *Weſterburgicis* ejusdem eſſe proſapiæ *ſuprà* dictum fuit: namque *Sigfrido Domino de Runckel*, qui ſeculo XIII. vixit, filii præcipuè duo *Heinricus* & *Sigfridus* tribuuntur; qui hæreditatem avitam ita inter ſe diviſere, ut ille dominium *Weſterburgicum*, hic *Runckelanum* obtinuerit. De *Heinrici* poſteris loco modò allegato actum jam eſt; *Sigfridus* Runckelanos propagavit per gnatum *Rupertum*, quo natus fuit *Theodoricus*, maritus *Juthæ C. Sainenſis*, & pater *Theodorici*, cui *Anaſtaſiam Wiedanam Iſenburgi Dominam* in matrimonio ductam eſſe dixi.

4. Ab hoc tabula Genealogica *Comitum*

in

in Wied & Runckel, quæ in *Auctario Operis Rittershusiani* exstat, initium capit: namque *Theodoricus* ex *Anastasia* filios quatuor suscepit, *Fridericum*, *Theodoricum*, *Wilhelmum* & *Johannem*. Primum ex his *Wilhelmus C. Wiedanus*, avunculus ejus magnus, adoptavit, & in possessionem ditionis suæ, assentientibus Dominis feudi, immisit; *Theodoricus* & *Johannes ἄγαμοι* vixere, *Wilhelmo* Isenburgica ditio obtigit, & ex uxore *Irmgardi*, quæ *Jobi B. à Rolingen* & *Margaritæ à Syrck* filia erat, duplex sed infirmioris sexus proles nata est, videlicet *Margarita Johanni Marcano* elocata, & *Anastasia*, quæ *Philippo* (aliis *Heinrico*) *C. Waldeccensi* nupsit, eidemque *Isenburgicam* ditionem in dotem attulit, quam mox ejus patrueles Comites *Wiedani* à Waldeccis redemerunt.

5. *Fridericus* ex adoptione avunculi sui magni *Comes Wiedæ* cum *Agnete Virnenburgica* uxore sua egregiam sobolem genuit, filios præcipuè quinque, nempe: *Wilhelmum*, *Johannem*, *Theodoricum*, *Fridericum*, & *Hermannum*. Ex his posteriores tres sacris dignitatibus eminuere, & *Hermannus* quidem in *Archiepiscopum Colonienſem* eligi meruit; cum autem malos, qui in Ecclesiam irrepserant, mores tollere, eamque ad genuinam sinceritatem reducere studeret, Pontificis Romani odium incurrit, & pro-

scriptionis nota affectus est; sicuti verò non miti minus quàm pio ingenio præditus erat, *suorum periculo potius* (ut Illustris *Thuani* verbis utar) *quàm rei familiaris ac dignitatis dispendio territus*, ultrò Archiepiscopatu, quem XXXII. annos rexerat, cessit, demumque senio gravis *Bivirini*, suæditionis oppido, an. 1552. obiit. *Fridericus, Monasterienſium Antistes & Bonnenſis Præpositus*, eadem cum fratre Hermanno calamitate involutus fuit, dignitatemque eadem tempestate amisit, vitam verò an. 1551. finivit. *Theodoricus Decanus ad S. Gereonem* Coloniæ fuit.

Hist. Lib. XI.

6. *VVilhelmus*, natu maximus è *Friderici* filiis, Comitatu *Mærſenſi* uxorio jure locupletatus est; sed cùm unicam tantùm haberet filiam *Annam*, quæ *VVilhelmo C. Nuenario* in manum convenit, Comitatus ille è Wiedana familia mox iterum excessit. *Johannes, C. à Wied, Dn. in Runckel & Isenburg*, stirpem propagavit: inter ejus filios *Fridericus* dignitatem, à patruo derelictam, recuperavit; anno enim 1562. ad *Archiepiscopatum Colonienſem* evectus fuit, sed post quinquennium sponte eo se abdicavit. *Johannes* ejus frater filios habuit *Hermannum* & *Wilhelmum*: hic maremunicum tantùm *Philippum Wolfgangum* ἄγαμον, fœminas autem sex sustulit, videlicet *Philippinam Catharinam*, *Æmiliam*, & *Johannettam* innuptas, *Walpurgin*

purgin Christophoro C. in Leiningen & VVesterburg (non autem *Ludovico Stolbergico*, ceu tabula perhibet) elocatam, *Julianam*, quam *Comiti Lövvensteinio* in manum conveniſſe ferunt, & *Mariam Magdalenam Baroni à VVylich* nuptam.

7. *Hermanno*, præter alios improles, *Hermannus II.* natus eſt, *Eliſabethæ Julianæ C. Solmenſis* maritus, & liberorum novem parens; ſexus ſequioris quinque fuere, nimirũ: *VValburgis Magdalena*, quæ innupta obiit, *Sibylla Chriſtina*, *Joh. Ludovico C. de Leiningen VVeſterburg*, *Anna Sophia*, *Guſtavo C. de VVaſenburg*, Guſtavi Adolphi Sueciæ Regis filio naturali, *Johanna Maria*, *Chriſtiano C. de Sain & Witgenſtein*, & *Anna Amalia*, *Ludovico Chriſtophoro C. Solmenſi in Lich* nuptæ, nunc omnes viduæ. E filiis natu maximus *Fridericus*, ſuperſtes eſt, unà cum *VVilhelmo Ludovico* natu minimo, mentis ſuæ non omninò compote. Reliqui duo *Mauritius Chriſtianus* & *Joh. Erneſtus* vivere deſierunt; ille è *Catharina Juliana Hanovica* aliquot liberorum quidem, ſed βραχυβίων parens extitit; alter *Dirdorfenſem* ramum condidit, filio unico, cum an. 1664. mortem obiiſſet, poſt ſe relicto; quem ex *Hedvvige Eleonora*, *Ludovici Chriſtiani C. Eberſteinii in Neugarten* & *Magdalenæ de Fahrensbach* filia, ſuſceperat.

8. Caput familiæ nunc eſt

audit, & *Johannis* modò memorati, quem *Quartum* hujus nominis vocant, tritavus fuit, ceu è schemate, in *Spicilegio Rittershusiano* exhibito, videre licet. Parentem autem *Johannes* IV. habuit *Heinricum* II. cui ab uxore *Richarda*, filia ac hærede *Conradi Dn. à Dyck*, dominium hoc obvenit. Par felicitas etiam *Johanni* V. *Quarti* filio, obtigit; quippe qui, ducta *Irmgardi à Wevelinghofen*, dynastia *Alfter*, nec non officio *Marescalli Hæreditarii in Diœcesi Colonienſi* auctus fuit.

10. Qui hodiè ex hac stirpe superant, *Ernestum Fridericum*, an. 1639. mortuum, & *Johannis* V. atnepotem, *communem satarem* agnoscunt: is enim è *Maria Ursula Leiningensi*, præter sequioris sexus prolem in *tabula* notatam, filios tres suscepit, quorum natu minimus *Ferdinandus Albertus* Ecclesiasticam vitam coluit, reliqui duo verò genus propagarunt; ex his prior nascendi sorte *Ericus Adolphus* è viventium numero sublatus est, haud improlis, prout mox dicetur; alter autem, vulgò *Comes in Dyck*, à loco quem incolit, appellatus, superat.

11. Is nomen hoc gerit:

ERNESTUS SALENTINUS, *Comes in Salm & Reifferscheid, Dynasta in Bedbur, Dyck, Alfter & Hackenbroich, Marescallus Hæreditarius Colonienſis Archidiœceseos, S. Cæs. M. Camerarius & Colonellus.* Uxor ei ducta

ducta est *Clara Magdalena*, *Philippi Theodorici C. in Manderscheid & Kail* ex *Elisabetha Amalia Leuenhauptia* gnata, cum qua multam prolem, mares octo, fœmellas sex genuit. Inter illos non nisi trium nomina edere possum, videlicet:

Francisci Ernesti,
Caroli Caspari,
& *Alexandri*.

12. *Filiarum* natu maxima *Maria Ernestina* est, *Maximiliani Francisci Truchsessii*, *C. de Wolfegg* vidua; quod quidem notandum, errorque, in quem in *tabula* typis excusa impegi, postmodum certiora edoctus demum, corrigendus. Reliquarum *Ernesti Salentini* filiarum nomina incomperta habeo.

13. *Ericus Adolphus*, *C. in Reifferscheid* bis nuptias celebravit: primò cum *Magdalena*, *Mauritii Landgravii Hasso-Cassellensis* filia, deinc ũ *Ernestina Barbara Dorothea*, *Ferdinandi Caroli C. in Lovvenstein & Wertheim* filia; è *priore* conjugio filius unicus *Wilhelmus Heinricus* ævi brevis, gnatæ autem tres prodierunt; è *posteriore* autem filius unicus superstes, nempe

FRANCISCUS, *C. in Salm & Reifferscheid*, *Dn. in Bedtbur* &c. Is, postquam mater ipsius ad secunda cum *Comite de Sereni* vota transiit,

transiit, sub patrui tutela nunc adolescit.

14. *Sororum* ejus, sed *consanguinearum*, nomina hæc sunt:

I. *Catharina Maria*, nupta *Sebastiano Winnibaldo Truchsessio C. Zeilensi in Wurzach.*

II. *Sophia Magdalena*, *Carolo Landgravio Hassiæ* an. 1669. nupta, sed *Venetiis* an. 1675. morte oppressa.

III. *Anna Ernestina.*

15. *Scutum*, quo *Comites in Salm & Reifferscheid* utuntur, *quadripartitum* est: area prima iterum in *partes duas* dividitur, quarum prior *argentea salmones duos aversos rubeos*, tesseram *gentilitiam*, altera *ejusdem metalli scutulum rubeum imminente desuper fascia cærulea quinque segmentorum*, *Reifferscheidense* δεῖγμα exhibet; area secunda *rubea plinthidibus argenteis spargitur* & *Bedburi* denotat; tertia *aurea leonem argenteum*, symbolum *Hackenbroichense* refert; quarta denique aurea *fasciis quatuor rubeis exarata*, *imposito leone argenteo sanguineam linguam protendente*, dominium *Alfter* designat. Toti incumbit *parmula argentea rhombos tres coccineos* continens, & dynastiam *Dyck* indicans. *Galeis* hoc scutum *tribus* tegitur: 1. Salmensis *salmones scutarios capitibus deorsum versis & eosdem mordentibus*, exhibet; 2. Reifferscheidensis *aures duas asininas*, *coteo* alteram, alte-

alteram *argento tinctam* refert; 3. coronata *crus capreoli nativi coloris* ostentat. *Lacinia* omnes *argento* & *minio* tinguntur.

CAP. XI.

DE COMITIBUS A VELEN.

ILlustris apud *Westphalos* familia *Velensis* derivari amat à quodam *Duce Velnio*, *Equite Romano*, ex urbe Lucaniæ *Velia* oriundo, qui cum Carolo M. Imp. in Westphaliam profectus sit, atque in prælio prope vicum Bocholt *Adelhaidin*, puellam ex *Harminiorum* Ducum familia prognatam, ceperit, eamque ad fidem Christianam conversam in matrimonium duxerit; unde natus *Hermannus*, qui *Nobilis Dominus in Velen* appellatur, & à quo familia ad nostram usque ætatem serie continua deduci solet; quemadmodum è tabula Genealogica, in *Spicilegio Rittershusiano* exhibita, videre est; eam verò pro perfecta & omnibus numeris absoluta venditare haud ausim, cum tot seculorum, septem scilicet & quod excurrit, intervallo, quantum inter Caroli Magni & nostrum ævum intercedit, generationes quindecim (tot enim in schemate illo enumerantur) vix sufficere mihi videantur. Qualemcunque tamen illam inveni, talem lectori curioso communican-

nicandam duxi; vel hunc in finem, ut peritiores ad impertienda meliora excitarem provocaremque.

2. Patrum memoria ad altiorem dignitatis gradum emersit familia, virtute ac meritis *Alexandri* II. is enim fidelem ac fortem Imperatori Ferdinando III. operam navando, non tantum præclaris muniis ab ipso admotus, sed etiam *Comitis S. R. Imp.* axiomate ornatus, & *Westphalici Circuli* (in quo pleraque possessionum ejus pars, *Rasfeldia* præcipuè, quam incolit, sita est) Ordinibus adscriptus fuit. *Brezenheimense* dominium, uno tantùm lapide à Crucenaco distans, pretio à Comite Falckensteinio *Wilhelmo Wyrichio* sibi comparavit. Conjugium bis inivit: primò cum *Maria Alexandrina Comitissa Huynii & Gelena*, dein cum *Anna Magdalena Bentheimensi*, atque an. 1675. d. 10. Oct. fatis concessit. Liberos quatuor genuisse fertur, filios duos, totidemque sequioris sexus: harum altera *Alexandrina Maria* primò *Emiconi C. Falckensteinio*, posteà *Johanni C. Waldeccensi* nupsit, atque anno 1658. decessit; altera *Isabella*, *Adolpho C. de Styrum* in manum convenit.

3. Filiorum minor natu *Paulus Ernestus* parentis fata antevertit, & quinto ac vicesimo ætatis anno, prope *Remos* strenuè pro domo Austriaca adversus Gallos pugnando, occu-

occubuit; alter autem patri successit, videlicet

FERDINANDUS GODOFREDUS, S.R.I. *Comes de Velen, B. in Rasfeld & Brezenheim, Dynasta in Schermbeck, Engelrad, Hagenbeck & Crudenburg.*

4. Induxit is penatibus suis *Annam Sophiam, Hermanni Ottonis Limburgii C. de Styrum* filiam; è qua suscepit

Alexandrum Ottonem,

Annam Ernestinam, quam *Hermanno Ottoni C. de Styrum Cubiculario & Colonello Cæsareo* matrueli & amitino suo nupsisse accepi; & fortè plures.

5. *Scutum* Comitis Velensis nunquam vidi. *familiaria* autem insignia *tres aviculas rubeas, se invicem recta linea sequentes*, in campo *aureo, galeam* autem *jugo alarum coccinearum*, interposito *scutulo cum aviculis*, ornatam continent.

CAP. XII.

DE COMITIBUS A WIED.

QUæ plerarumque Illustrium familiarum fata fuere, ut vel monumenta vetustiora temporum hominumque injuriis interierint, vel prisci de progenie sua notanda, &

posteris commendanda parùm soliciti fuerint, eadem *Wiedana* etiam familiæ sors extitit; unde justam ejus & continuam seriem vix ultra tertium quartúmve seculum extendere licet. In chartis ab Illustrissimo Comite *Friderico* mihi suppeditatis, citantur aliquot tabulæ veteres fundatoriæ, in quibus Wiedanorum Comitum mentio occurrat; nempe *Instrumentum fundationis Lacensis monasterij* sub an. 1093. in quo legitur *Mefridus Comes de Weda*, & frater ejus *Riedvvinus de Kempenich*; porrò *tabula fundationis* cœnobii in *Schvvarzen Rheindorf*, in qua aliquot hujus gentis enumerantur; inprimis *Arnoldus* II. *C. Wedanus, Archiepiscopus Colonienſis* (quem alii ex *Altenanis* ortum putant) an. 1156. mortuus. Hunc ipsum ejusdemque de Colonienſi Diœcesi merita *Gelenius* etiam commemorat, cujus verba recensere juvabit: *Arnoldus II. Comes Wedanus, Archiepiscopus Colonienſis, qui ob bonorum Ecclesiæ per Fridericum I. Archiepiscopum factas alienationes invitus cathedram conscenderat, data pecunia plurima Ecclesiæ conquisivit & requisivit, nempe urbis Colonienſis telonium, Castellum Odenkirchen &c. ex adverso Bonnenſis oppidi celeberrimum collegium Rindorpienſe Trans-Rhenanum in hæreditario suo fundo construxit, de consensu* Burchardi C. Wedani *fratris sui, ab obitu* Ludovici *etiam fratris sui Advocatiam*

De magnit. Colon. p. 95.

tiam Erpellensem beneficiario jure possidentis; ad eandem fundationem faciendam consenserunt Arnoldi Archiepiscopi nepotes ex fratre, Lambertus de Weda, & ex sorore Lambertus de Nuerburch: Hadewigis autem, Arnoldi soror, Abbatissa Asnidiensis, ratas hujusmodi donationes habuit, & defuncto Archiepiscopo fratre cœptam institutionem Rheni pagensem absolvit.

2. Ab illorum, quos enumeravi, aliquo descendisse, vero haud est absimile, Lotharium Wedæ Comitem, qui seculo decimo tertio vixit, sororemque habuit Nobili Domino ab Isenburg nuptam; cui ea Comitatum Wedanum attulit, unde Brunonem & Theodoricum Isenburgios, ejus filios an. 1237. ab Ottone C. Palatino Rheni & Bavariæ Duce de Comitatu Wied, Lothario defuncto, investitos fuisse legitur. Ex his autem Theodoricum Isenburgios Dominos ac Comites in Rhenano tractu processisse, à Brunone verò Comites Wiedanos propagatos esse domestica traditio perhibet; Brunonis nepos Wilhelmus, ducta circa an. 1370 Lysa agnata sua, Gerlaci Isenburgici filia, dimidiam partem Dominij Isenburgici inferioris (cum alteram medietatem Adelhaidis, Lysæ soror, Salentino Isenburgico patrueli ac marito suo attulisset) obtinuit, & Isenburgicam tesseram cum Wiedana conjunxit. Wilhelmo & Lysa nati sunt, præter filias, Lysam Gerhardo Dynasta de Blan-

ckenheim, & *Hedvvigen Gerlaco Mareſcallo ab Hedesdorf*, nuptas, *Wilhelmus* & *Gerlacus*. Ille cœlibem vitam peregit, & *Præpoſitus Aquenſis* fuit; *Gerlaco* autem uxor tribuitur *Agnes* ex *Iſenburgicis in Budingen*, cum qua genuerit *Wilhelmum* & *Johannem*. Ille in partitione patrimonii Comitatum *Wiedanum* ſortitus eſt, verum ſobole caruit, licet in conjugio *Philippinæ*, filiæ *Comitis Loſſenſis & Dn. Heinſpergenſis*, vixerit. *Johannes*, cui *Iſenburgica* ditio obtigit, è *Cunigunda de Weſterburg* non niſi fœmellas ſuſcepit, inter quas natu major *Anaſtaſia Theodorico Dn. de Runckel* nupſit, eique avitam hæreditatem attulit.

Lib. VI. c. 9. §. 1.

3. *Runckelanos* cum *Weſterburgicis* ejusdem eſſe proſapiæ *ſuprà* dictum fuit: namque *Sigfrido Domino de Runckel*, qui ſeculo XIII. vixit, filii præcipuè duo *Heinricus* & *Sigfridus* tribuuntur; qui hæreditatem avitam ita inter ſe diviſere, ut ille dominium *Weſterburgicum*, hic *Runckelanum* obtinuerit. De *Heinrici* poſteris loco modò allegato actum jam eſt; *Sigfridus* Runckelanos propagavit per gnatum *Rupertum*, quo natus fuit *Theodoricus*, maritus *Juthæ C. Sæinenſis*, & pater *Theodorici*, cui *Anaſtaſiam Wiedanam Iſenburgi Dominam* in matrimonio ductam eſſe dixi.

4. Ab hoc tabula Genealogica *Comitum*

in

in Wied & Runckel, quæ in *Auctario Operis Rittershusiani* exstat, initium capit: namque *Theodoricus* ex *Anastasia* filios quatuor suscepit, *Fridericum*, *Theodoricum*, *Wilhelmum & Johannem.* Primum ex his *Wilhelmus C. Wiedanus*, avunculus ejus magnus, adoptavit, & in possessionem ditionis suæ, assentientibus Dominis feudi, immisit; *Theodoricus* & *Johannes ἄγαμοι* vixere, *Wilhelmo* Isenburgica ditio obtigit, & ex uxore *Irmgardi*, quæ *Jobi B. à Rolingen* & *Margaritæ à Syrck* filia erat, duplex sed infirmioris sexus proles nata est, videlicet *Margarita Johanni Marcano* elocata, & *Anastasia*, quæ *Philippo* (aliis *Heinrico*) *C. Waldeccensi* nupsit, eidemque *Isenburgicam* ditionem in dotem attulit, quam mox ejus patrueles Comites *Wiedani* à Waldecciis redemerunt.

5. *Fridericus* ex adoptione avunculi sui magni *Comes Wiedæ* cum *Agnete Virnenburgica* uxore sua egregiam sobolem genuit, filios præcipuè quinque, nempe: *Wilhelmum*, *Johannem*, *Theodoricum*, *Fridericum*, & *Hermannum.* Ex his posteriores tres sacris dignitatibus eminuere, & *Hermannus* quidem in *Archiepiscopum Colonienſem* eligi meruit; cum autem malos, qui in Ecclesiam irrepserant, mores tollere, eamque ad genuinam sinceritatem reducere studeret, Pontificis Romani odium incurrit, & pro-

scriptionis nota affectus est; sicuti verò non miti minus quàm pio ingenio præditus erat, *suorum periculo potius* (ut Illustris *Thuani* verbis utar) *quàm rei familiaris ac dignitatis dispendio territus*, ultrò Archiepiscopatu, quem XXXII. annos rexerat, cessit, demumque senio gravis *Bivirini*, suæditionis oppido, an. 1552. obiit. *Fridericus, Monasterienſium Antistes & Bonnenſis Præpositus*, eadem cum fratre Hermanno calamitate involutus fuit, dignitatemque eadem tempestate amisit, vitam verò an. 1551. finivit. *Theodoricus Decanus ad S. Gereonem* Coloniæ fuit.

Hist. Lib. XI.

6. *Wilhelmus*, natu maximus è *Friderici* filiis, Comitatu *Mœrsensi* uxorio jure locupletatus est; sed cùm unicam tantùm haberet filiam *Annam*, quæ *Wilhelmo C. Nuenario* in manum convenit, Comitatus ille è Wiedana familia mox iterum excessit. *Johannes, C. à Wied, Dn. in Runckel & Isenburg*, stirpem propagavit: inter ejus filios *Fridericus* dignitatem, à patruo derelictam, recuperavit; anno enim 1562. ad *Archiepiscopatum Coloniensem* evectus fuit, sed post quinquennium sponte se abdicavit. *Johannes* ejus frater filios habuit *Hermannum & Wilhelmum*: hic marem unicum tantùm *Philippum Wolfgangum* ἄγαμον, fœminas autem sex sustulit, videlicet *Philippinam Catharinam*, *Æmiliam*, & *Johannettam* innuptas, *Walpurgin*

purgin Christophoro C. in Leiningen & VVesterburg (non autem *Ludovico Stolbergico*, ceu tabula perhibet) elocatam, *Julianam*, quam *Comiti Lövvensteinio* in manum convenisse ferunt, & *Mariam Magdalenam Baroni à VVylich* nuptam.

7. *Hermanno*, præter alios improles, *Hermannus II.* natus est, *Elisabethæ Julianæ C. Solmensis* maritus, & liberorum novem parens; sexus sequioris quinque fuere, nimirū: *VValburgis Magdalena*, quæ innupta obiit, *Sibylla Christina*, *Joh. Ludovico C. de Leiningen VVesterburg*, *Annæ Sophiæ*, *Gustavo C. de VVasenburg*, Gustavi Adolphi Sueciæ Regis filio naturali, *Johanna Maria*, *Christiano C. de Sain & Witgenstein*, & *Annæ Amaliæ*, *Ludovico Christophoro C. Solmensi in Lich* nuptæ, nunc omnes viduæ. E filiis natu maximus *Fridericus*, superstes est, unà cum *VVilhelmo Ludovico* natu minimo, mentis suæ non omninò compote. Reliqui duo *Mauritius Christianus* & *Joh. Ernestus* vivere desierunt; ille è *Catharina Juliana Hanovica* aliquot liberorum quidem, sed βραχυβίων parens extitit; alter *Dirdorfensem* ramum condidit, filio unico, cum an. 1664. mortem obiisset, post se relicto; quem ex *Hedvvige Eleonora*, *Ludovici Christiani C. Eberstenii in Neugarten* & *Magdalenæ de Fahrensbach* filia, susceperat.

8. Caput familiæ nunc est

FRIDERICUS, *Comes in Wied & Runckel, Dn. in Iſenburg*, filius, ceu dixi, *Hermanni* & *Eliſabethæ Julianæ Solmenſis*, editus in lucem anno circiter 1618. Is mortuo an. 1664. *Erneſto C. ab Iſenburg & Grenſau*, poſtremo ſuæ ſtirpis, ſucceſſionem in ejus feuda, quorum inveſtitura ſimultanea majores ejus gaviſi erant, adire contendit; ſed ab Electore Trevirenſi, qui ea, ceu caduca, Eccleſiæ vindicabat, impeditus fuit; unde lis exorta, cui componendæ tandem à Cæſare Commiſſarii denominati ſunt, videlicet Electores Colonienſis & Brandenburgicus. Degere ſolebat in arce *Neuenvvied*, ad Rheni ripam, Andernacum inter & Coloniam ſita; quam ipſemet magnis ſumptibus exſtruxit. Uxorem tertiam nunc habet: prima *Maria Juliana* fuit, *Ludovici Emiconis C. Leiningenſis in Weſterburg* filia, *Philippi* agnati ſui vidua, è qua numeroſæ ſobolis parens factus eſt; ſecunda *Philippina Sophia*, *Georgii Friderici C. ab Hohenloe in Schillingsfürſt* filia, an. 1663. d. 21. Jun. ducta, & an. 1682. d. 24. Nov. ſterilis mortua; tertia, quam hoc demum anno 1683. ſibi adjunxit, eſt *Maria Sabina*, *Philippi Reinhardi C. Solmenſis in Hohenſolms* & *Catharinæ B. à Tſchernembel* gnata.

9. Liberorum è *primo conjugio* natorum ſylloge hæc eſt:

I. *Geor-*

I. *Georgius Hermannus Reinhardus*, nat. an. 1640. Habitat is in castro *Altenvvied*, thorique sociam habet *Johannam Elisabetham*, *Georgij Wilhelmi C. Leiningensis in Westerburg* filiam, an. 1676. ductam, cum qua hactenus genuit

1. *Sophiam Sabinam*, n. an. 1677.
2. *Fridericum Wilhelmum*, n. an. 1679. iterumque extinctum.
3. *Johannem Fridericum Wilhelmum*, n. 28. Mart. 1680.
4. *Maximilianum Heinricum*, n. 1. Maji 1681.

II. *Ferdinandus Franciscus*, n. an. 1641. Is ad *Romana* sacra transgressus inter *Canonicos Colonienses*, *Argentoratenses & Leodienses* cooptatus fuit; verum an. 1667. dum cum amicis venatione se oblectat, sicarii incerti manu duplici globulo cervicem trajectus, periit.

III. *Fridericus Melchior*, n. an. 1642. Is militiæ operam dedit, ejusque tyrocinium unà cum binis, qui sequuntur, fratribus superiore bello Turcico in Ungaria fecit; è quo solus redux, *Andernacensi* præsidio ab Electore Trevirensi præfectus fuit: verùm paulò antè, quàm Gallicum bellum in Rheni inferioris tractu exardesceret, cùm *Comitem* quendam *ab Effern*, ob levem offensam, ad duellum provocas-

set, in congressu glande in inguine vulneratus, die tertio expiravit.

IV. *Ioh. Ernestus*, n. an. 1643. Is cum biga fratrum militatum in Ungariam abiit, atque in prælio ad *S. Gotthardum*, post egregia fortitudinis documenta edita, acinaci Turcico succubuit.

V. *Franciscus Wilhelmus*, n. an. 1644. Is dum laude & gloria militari in Ungaria parta mactus, pace facta, reditum ad penates pararet, *Viennæ* morbo oppressus vitam amisit an. 1664.

VI. *Carolus Christophorus*, n an. 1646. & in infantia extinctus.

VII. *Iuliana Ernestina Iohanna*, n. an. 1647. ea, postquam ad *Romanam* religionem transivit, *Canonissis Thorensibus* adscripta fuit.

VIII. *Maria Eleonora*, n. an. 1649. iterumque vivis exempta.

IX. *Sibylla Christina*, n. an. 1650. hæc itidem avita sacra deseruit, nuncque in gynecæo Augustæ degit.

X. *Sophia Elisabetha*, n. 8. Nov. 1651. nupta *Georgio Wilhelmo C. de Sain & Witgenstein in Berleburg*, sed an. 1673. d. 1. Mart. defuncta.

XI. *Carola*, n. an. 1653. iterumque denata.

XII.

XII. *Carolus Ludovicus*, n. an. 1654. †. an. 1670.

XIII. *Franciſca Erdmanna*, n. an. 1656. †.

10. *Durdorfenſem* ramum unicus, ceu è ſuperioribus patet, nunc ſuſtinet palmes, nempe

LUDOVICUS FRIDERICUS, *C. in Wied & Runckel, Dn. in Iſenburg, Johannis Erneſti & Hedvvigis Eleonoræ Eberſteiniæ* filius. Hic priore matrimonio ſibi junxit *Salomen Sophiam Urſulam, Salentini Erneſti C. Manderſcheidii in Blanckenheim*, & *Erneſtinæ Sainenſis* filiam; poſteriore verò *Dorotheam Amaliam, Johannis C. Naſſovii in Idſtein* ex *Anna Leiningenſi* gnatam, è neutra autem prolem genuit.

11. *Scutum* Comitum de Wied, *quadripartitum* eſt: area 1. & 4. *aurea quatuor baltheis rubeis dextris* exaratur, & *pavonem* ſed *cauda complicata* exhibet, denotando *Comitatui Wiedano*; 2. *argentea palis duobus rubeis* diſtinguitur, cum *quadrante in angulo dextro ſuperiore cæruleo*, deſignatque dominium *Runckelanum*; 3 *argentea faſcias duas coccineas Iſenburgicas* refert. *Galeæ duæ* imponuntur: *prior* Wiedana *pavonem ſuſtinet cum cauda expanſa, ante jugum alarum taniis rubeis & argenteis exaratarum*; *poſterior* Runckelana *turri premitur argentea. Laciniæ* hinc *aurea*

Span. Op. Her. l. 1. c. 99.

aureæ & rubeæ, isthinc *argenteæ & coccineæ* dependent.

Sed nos immensum spatiis confecimus æquor;
Et jam tempus, equûm fumantia solvere colla.

Voto finiendum volumen sit: DEUS une, vere, optime, maxime, auctor ac stator Principatuum Regnorumque omnium, qui hanc Germanici Imperii molem in amplissimum terrarum orbis fastigium extulisti, Te publica voce obtestor atque precor, custodi, serva, protege hunc Statum, hunc Imperatorem, hos Principes, eisque functis longissima statione mortali, destina successores quàm serissimos; sedeos, quorum cervices tam fortiter sustinendo Germaniæ Imperio sufficiant, quam horum sufficere sentimus; animosque omnium civium firma atque indissolubili concordia inter se conglutina, & eorum consilia aut pia aut salutaria in felicem exitum provehe; denique pacem stabilem, securam, in qua nihil sit insidiarum, toti Christiano orbi largire!

SUP-

SUPPLENDA ET EMENDANDA.

Lib. I. Cap. 2. §. 4. *Principis Iuventutis* nominibus post Johannem interserendus est *Antonius*. Sub ejusdem paragraphi finem addenda filiola Cæsaris novissime d. 7. Sept. an. 1683. nata, & *Maria Anna Iosepha Antonia Regina* dicta.

L. 1. c. 3. § 4. Omissus est incuria typothetæ dies nuptialis *Eleonoræ Mariæ Austriacæ* & *Michaëlis Regis Poloniæ*, qui fuit 17. Febr.

L. 1. c. 4. §. 3. notanda mors *Mariæ Theresiæ Austriacæ Galliæ Reginæ*, quæ in d. 30. Jul. an. 1683. incidit.

L. II. c. 6 §. 2. addendus annus emortualis *Ferdinandi Mariæ Electoris Bavariæ*, qui fuit 1679.

L. 2. c 7. §. 4. iterum παρόραμα passus est typotheta in voce *Septembris*, qui mensis fuit nuptialis *Joh. Georgii III. Electoris Saxoniæ*.

Cap. eod. §. 8. soboli *Joh. Adolphi D. Saxo-Weissenfelsensis* addi debent: VIII. *Christianus*, n. 23. Febr. 1682. & IX. *Anna Maria*, n. 17. Jun. 1683. *Friderici Wilhelmi* autem septimæ prolis mors, quæ in annum modò dictum incidit, notanda.

Cap. eod. §. 12. post verba, *Mauritii* patrui sui filiam, ita supple: & ex ea hactenus genuit: I. *Christianum*

stianum, n. 7. Nov. 1680. II. *Mauritium Wilhelmum*, n. 11. Oct. 1681.

Cap. eod. §. 10. sub finem adde: *Dorothea*, n. 17. Dec. 1662. †. 12. Maji 1663.

L. 2. c. 8. §. 3. notandum: *Friderici Principis Electoralis Brandenburgici* uxorem *Elisabetham Heinricam Hassiacam*, an. 1683. d. 27. Jun. vita concessisse, cum pridie hujus diei ipsius quoque mater *Hedvvigis Sophia, Wilhelmi VI. Landr. Hassiæ vidua*, *Electoris Brandenburgici soror*, naturæ debitum persolvisset.

L. III. c. 4. §. 1. *Franciscus Emericus Caspar*, *Episcopus Wormatiensis*, explevit mortalitatem d. 9. Jul. an. 1683. suffectusque est in eius locum d. 17. August. *Iohannes Carolus L. B. ab & in Franckenstein.*

L. 3. c. 11. §. 1. *Ferdinandus Episcopus Paderbornæ & Monasterii* an. 1683. d. 26. Jun. seculo valedixit, & successores nactus est in posteriore Episcopatu *Maximilianum Heinricum*, *Electorem & Archiepiscopum Colonienſem*, postulatum Calendis Septembris; in priore autem *Hermannum VVernerum* L. B. *VVolf Metternich in Gracht*, electum d. 15. Sept. & Decani munere antea functum.

Cap. eod. §. 7. Comunicare lubet cum amico Lectore, quæ de *Officialibus Hæreditariis Episcopatus Paderbornensis* Humanissimus Thulemarius nuper admodum ad me perscripsit, è literis Illustris illius loci Viri ad se datis excerpta: *Officia Hæreditaria Episcopatus Paderbornensis quantum attinet*, est *utique munus* Mareschalli *præcipuum*, *tenetque id* Dominus à Spiegel *jure perpetuo*, *partes verò suas post* sol-

sollemnem novi Principis introitum in cœnaculo, scipionem manu gestans explet, & præmii loco equum cum phaleris, quo vectus fuit Princeps, accipit. Pincernatus *itidem penes* Spiegelios *est, quorum uni incumbit in festivitate illa potum Episcopo ministrare & prægustare, cujus operæ mercedem, dolia omnia vel exhausta vel relita, capit.* Magistri aulici *officium* Nobiles ab Haxthausen *obtinent, & cœnaculum ac quidvis huc pertinent instruendi provinciam habent.* Camerarii *sive* Janitoris *munia* Nobiles à Schiller *ad conclave Principis stantes, & ipsius mandata capessentes, obeunt; præterea in curia feudali præsident, & à singulis vasallis nonnihil auri argentique in privatos usus percipiunt.* Archimagiri *officium in familia* Equitum à Westphalen *hæret, quorum aliquis in sollemni illo atque initiali epulo promus condus est, procurator peni, operaq; pretium reliquias ciborum & coria mactata pecudis habet.*

L. 3. c. 19. §. 5. Nomen titulusque hodierni *Prioris Ordinis Johannitici in Germania* sic se habet:

HERMANNUS *laudatissimi Equestris Ordinis S. Iohannis Supremus Magister in Germanicis provinciis, S. R. Imperii Princeps.*

L. IV. c. 1. §. 9. *Ducissa Juliacensis* d. 27. Jan. anno 1683. fœtum quidem edidisse accepimus eundemque masculum, sed exanimum.

L. 4. c. 2. §. 24. *Johannes Ernestus Dux Saxo-Vinariensis* vita d. 25. Maji an. 1683. defunctus est; ejus filio natu majori *Wilhelmo Ernesto* patruelis sua *Carola Maria, Bernardi D. Saxo-Jenensis filia* desponsata est.

Cap. eod. §. 21. Liberis *Bernardi D. Saxo-Mainungensis*

genſis è priore thalamo ſuſceptis addi debet *Georgius Erneſtus*, n. 26. Mart. 1680. Filiæ autem è poſteriore conjugio natæ alia addenda, quæ an. 1683. d. 2. Mart. lucem vidit, cujusque nomen incompertum adhuc habeo.

L. 4. c. 4. §. 29. *Georgio Ludovico Principi Hanoverano* è *Sophia Dorothea* patrueli & conjuge ſua filius natus eſt d. 30. Oct. an. 1638. *Georgius Auguſtus* nominatus.

L. 4. c. 7. §. 14. Sobolis *Philippi Landgravii Haſſiæ* ex *Amalia Catharina C. Solmenſi*, cum qua an. 1680. circa feſtum Paſchatis nuptias celebravit, ſuſceptæ, ejusdemq; ſuperſtitis, nomina hæc accepimus: I. *Wilhelmina Hedvvigis*, n. 9. Oct. 1681. II. *Carolus*, n. 23. Sept. 1682.

Cap. eod. §. 28. *Anna Sophia Haſſiæ Landgravia*, & *Coadjutrix Quedlinburgenſis* d. 13. Dec. an. 1683. vitam cum morte commutavit.

L. 4. c. 11. §. 11. Notandum *Heinricam Amaliam*, ſecundogenitam è filiabus *Johannis Georgii Principis Anhaltini in Deſſau*, vivis exemptam eſſe; *Amaliam* autem quartam ordine nativitatis *Heinrico Caſimiro Pr. Naſſovico*, *Gubernatori Weſtfriſiæ*, deſponſatam eſſe.

L. V. c. 4. §. 9. Liberis *Principis Lobkovvizii* addenda filia d. 20. Oct. 1683. nata, *Ludovica Franciſca Anna*.

L. 5. c. 11. §. 9. Notandum: filiolo poſthumo *Alberti Erneſti Pr. Oetingenſis* perbrevem vitæ uſuram contigiſſe.

L. VI.

L. VI. c. 6. §. 7. *Heinricus Comes Hazfeldia* fatis conceſſit *Racozi* in Polonia m. Aug. 1683.

L. 6. c. 17. §. 5. *Heinricus Trajectanus C. Solmenſis in Braunfels* audit *Colonellus legionis pedeſtris prætoriæ Pr. Arauſionenſis, Generalis Locumtenens exercitus Ordinum fœderati Belgii, Gubernator civitatis Neomagenſis & locorum eò pertinentium, nec non Commendator Balliviæ Ultrajectanæ ad Ordinem Equeſtrem Teutonicum pertinentis.* Ad conjugium animum tandem appulit, duxitque d. 25. Sept. an. 1683. *Carolam Heinricam* agnatam ſuam, *Caroli Ottonis C. Solmenſis in Laubach* filiam natu minimam.

Cap. eod. §. 6. *Amaliæ*, quæ ſoror *Heinrici Trajectani* modò dictiſt, maritus, cui invitis propinquis nupſit, è familia Clivenſi *Baronum de Lottum* prognatus fuit, & Batavis ſtipendia fecit; illa *Antverpiæ* agere perhibetur, filio etiam unico, quem ſuſtulit, enixo. Mater ejus *Anna Eliſabetha Falckenſteinia* in vivis *Ultrajecti* ſupereſt.

Cap. eod. §. 8. poſt verba, *Eleonora* agnata filiam, *ita lege:* quam prolem duplicem eandemque maſculam hactenus peperiſſe, & priorem quidem mox vita iterum caruiſſe, alteram, cui nomen *Wilhelmi Heinrici*, jam primum ætatis annum ſuperaſſe accepimus.

Cap. eod. §. 13. De *Philippi Reinhardi Junioris, Comitis in Hohenſolms* liberis meliora edoctus, meliora dabo: Nimirum accepi è priore ejus conjugio filios prodiiſſe duos *Heinricum Wilhelmum* & *Georgium Ludovicum;* hunc quidem haud longi ævi fuiſſe, illum verò poſt adverſitatem, in quam infeſtus caſus ipſum

induxerat, (quippe in venatione *Wilhelmum* VI. *Landgravium Hassiæ* ictu sclopeti in collo vulneravit) in Hispaniam militatum abiisse, & circa annum 1665. in conflictu quodam adversus Lusitanos occubuisse; unde patre ipsius eodem anno rebus humanis exempto ad fratrem ejus consanguineum, è *Catharina Eleonora B. de Tschernembl* an. 1644. d. 20 Jul natum. *Johannem Heinricum Christianum*, in aula Cæsarea tum agentem, regimen devenit; is cum mutata, ceu in textu memoratum est, religione, subditorum etiam conscientiis gravis esse occiperat, eaque occasione cum agnato *Greiffensteinensi Wilhelmo* rixam cieret, ab hoc globo trajectus, d. 7 Nov. an. 1668 vitam amisit; succedente ipsi in regimine fratre Germano *Ludovico*, qui ex uxore sua *Ludovica C. de Dohna* decies & ter pater jam factus est, liberosque octo superstites habet.

Cap. eod. §. 14. *Carolus Otto C. Solmensis in Laubach* vitam ingressus est an. 1633. d. 22. Aug. egressus autem an. 1676. d. 6. Aug. matrimonium cum *Amœna Elisabetha C. Bentheimensi* an. 1654. m. Febr. celebravit; liberos ex ea septem sequioris tantum sexus suscepit: primogenita *Catharina Amalia* nomen habet, nataque est an. 1654. d. 26. Sept. & an. 1680. *Philippo Landgr. Hassiæ* nupsit; hanc an. 1655. excepere *gemellæ*, quas in ipso limine vita destituit; secuta est *Elisabetha Wilhelmina*, n. d. 12. Febr. 1657. quæ innupta superat; post istam nata, lucem nunquam vidit, sed in utero extincta fuit: reliquæ duæ vitali aura fruuntur, nempè *Anna Belgica Florentina*, n. an. 1663. d. 9. Sept. cœlebs adhuc; (rumor enim qui de ejus sponsalitiis

cum

eum *Comite Steinfurtensi* sparsus fuit per eburneam portam, *qua falsa ad cœlum mittunt insomnia manes*, erupisse creditur) & *Carola Heinrica* n. 4. Jan. 1667. quæ, ceu paulò antè dictum est, agnato *Braunfelsensi Heinrico Trajectano* haud ita pridem in manum convenit.

Lib. 6. Cap. 18. § 8. *Heinricus Christianus*, unica patris *Ernesti C. Stolbergici in Ilsenburg* spes, occidit d. 14. Mart. an. 1683.

Lib. VIII. Cap. 3. §. 9. Liberis *Georgij Alberti C. Erpacensis* addenda filia novissimè d. 21. Sept. 1683. nata *Friderica Albertina*.

Dum ad metam perveni, rumor advolavit nuntians Serenissimum Ducatus Wirtembergici Administratorem Fridericum Carolum sobole masculâ d. 24. Jan. anno, quem pronuper ingressi sumus, 1684. auctum esse, cui *Caroli Alexandri* nomen inditum fuerit; quæ Celsissimæ domus gaudia meritò gaudemus, & Loco Corollarii commemoramus.

INDEX PERSONARUM.

Numerus primus isque Romanus *Librum*, secundus *Caput*, tertius, & si qui sequuntur, *Paragraphos* designant.

A.

ADelmann ab Adelmansfelden Eq. III. 20. 9.
Ahamb Bar. III. 13. 5.
Ahlefeld Com. VI. 8. 8. & 11. 6.
Aichstett. Ep. III. 5. 1.
Aldenburg C. IV. 9. 9.
Altemps D. VII. 6. 2.
Altenburg D. Sax. IV. 2. 10. 11.
Althann C. IX. 8. 11.
Ambliſiæ Pr. IX. 8. 3.
Ampringen Eq. III. 18. 2. 3.
Anhalt. Pr. IV. 11.
Anholt Com. IX. 2. 5.
Arauſion. Pr. V. 6. 9-16.
Aremberg. Pr. V. 1.
Argentorat. Ep. III. 7. 5.
Arnſtad C. Schwarzb. VI. 16. 4.
Arſchot. D. V. 1. 10-15. & 16. 4-6.
Auerſperg Pr. V. 7.
Auguſt. Ep. III. 9. 1.
Aulendorf C. Königs. VII. 7 6-8.
Auſtriæ Archid. I. 2. 4. & cap. 3. & 4.

B.

Babenhauſen C. Fugg. VII. 3. 19.
Baden. M. IV. 8.
Baldern C. Oeting. VII. 10. 11-13.
Bamberg. Ep. III. 2. 3.
Barbanſon Pr. V. 1. 21.
Bareit M. Brandenb. IV. 3. 9, 10.
Barrut C. Solm. VI. 17. 21.
Baſil. Ep. III. 16. 1.
Bavar. El. II. 6. 1, 2.
Bavar. D. II 4. 2, 3. & 6. 3-6. III. 12. 1.
Beaumont C. V. 1. 18.
Bentheim C. IX. 1. 16-18.
Bercka C. VII. 4. 2.

Berchtolsgaden Præp. III. 20. 16.
Berg C. VI. 1.
Beringhen C. IV. 11. 10.
Berleburg C. Sain VI. 20. 7-14.
Bernburg Pr. Anhalt. IV. 11. 12-14.
Beverwerd Dn. V. 6. 11.
Bipont. C. Pal IV. 1. 15-17.
Birckenfeld C. Pal. IV. 1. 24, 25.
Bisterfeld C. Lipp. IX. 3. 12.
Blanckenheim C. IX. 4. 12-14.
Bodmann Eq. III. 20. 5.
Boos C. Fugg. VII. 3. 20.
Borromeo C. V. 1. 5.
Boyneburg Eq. II. 2. 10. VIII. 8. 6.
Brackel C. Lipp. IX. 3. 14.
Brandenburg. El. II. 8. 1.
Brandenburg. M. IV. 3.
Braunfels C. Solm. VI. 17. 5.
Brixin. Ep. III. 15. 1.
Brunsuic. D. IV. 4.
Brymsin ab Herblingē Eq. III. 22. 10.
Buchov. Abb. III. 22. 3.
Buckenburg C. Lipp. IX. 3. 19.
Budingen C. VI. 7. 9, 10.
Burck C. Ruth. VI. 14. 9-12.
Busweiler C. Han. VI. 5. 7, 8.

C.

Campidun. Ab. III. 20. 5.
Cassel Landgr. IV. 7. 12-16.
Castel C. VIII. 1.
Castelbarco C. III. 1. 13.
Chimay Pr. V. 1. 17-19.
Chönigl. C. VII. 7. 3.
Clettenberg C. Witgenst. VI. 20. 22.
Coburg. D. Sax. IV. 2. 19.
Colalto C. VII. 13. 4.
Colonienſ. Archiep. II. 4. 2.
Constantienſ. Ep. III. 8. 1.
Corbeienſ. Abb. III. 20. 22.
Criechingen C. VI. 2.
Cronberg C. VII. 1.
Croy-Mullendonck Pr. V. 16. 12-14.
Culmbach M. Brandenb. IV. 3. 11, 12.

Cunzelsau C. Hohenl. VIII. 4. 12.
Curiens. Ep. III. 16. 6.
D.
Dagsburg C. Lein. VI. 8.
Daniæ Rex IV. 9. 24.
Darmstad. Landgr. IV. 7. 22-29.
Daun Rheingr. VI. 13. 11-13.
Dernbach C. VIII. 2.
Dessau Pr. Anhalt. IV. 11. 10.
Detmold C. Lipp. IX. 3. 10.
Dietrichstein Pr. & Com. V. 14.
Diez Pr. Nass. V. 6. 31-33.
Dillenburg Pr. Nass. V. 6. 21-29.
Dirdorf C. Wied. IX. 12. 10.
Durlach M. Bad. IV. 8. 34-38.
Dyck C. Salm. IX. 10. 11.
E.
Eggenberg Pr. V. 3.
Eisenach D. Sax. IV. 2. 13-15.
Eisenberg D. Sax. IV. 2. 22.
Eisfeld D. Sax. IV. 2. 23.
Eisleben C. Mansf. VI. 10. 16-17.
Elvvangen Præp. III. 20. 9.
Erpach C. VIII. 3.
Essens. Abb. III. 22. 1.
Eutin D. Holst. IV. 9. 56.
F.
Falckenstein C. VI. 3.
Fleckenstein B. VI. 4.
Freyberg B. VII. 2.
Fridburg C. VII. 18. 18.
Fris. Orient. Pr. V. 9.
Frisingens. Ep. III. 12. 1.
Fugger C. VII. 3.
Fuldens. Abb. III. 20. 2.
Fürstenau C. Erp. VIII. 3. 9.
Fürstenberg Pr. V. 9.
Fürstenberg Com. VII. 4.
Fürstenberg Bar. III. 11. 1.
G.
Gailndorf Pinc. Limp. VIII. 5. 4-6.
Gandersheim Abb. III. 22. 19.
Gera C. Ruth. VI. 14. 17 22.
Geroldstein C. IX. 4. 9, 10.
Geudern C. Stolberg VI. 18. 9.
Glöth C. Fugg. VII. 3. 11, 12.

Glücksburg. DHolſ. IV. 9 43,44.
Gotha D. Sax. IV. 2. 18, 19.
Gottorp D. Holſ. IV. 9. 50-55.
Grana M. V. 1. 12, 14.
Gravenegg C. VII. 5.
Greiffenſtein C. Solm VI. 17. 8.
Graiz C. Ruth. VI. 14. 7, 8.
Gronsfeld C. IX. 2. 6, 8.
Grumbach Rheingr. VI. 13 7-10.
Guevara M. V. 1. 5.
Guldenleu C. IV. 9. 23.
Guſtrau D. Meckl. IV. 5. 20, 21.

H.

Hadamar Pr. Naſs. V. 6. 34-38.
Hanau C. VI 5.
Hanover D. Lunæb. IV. 4. 28-30.
Hartenburg C. Lein VI. 8 4-8.
Haſſiæ Landgr. IV. 7.
Havré D. V. 16. 21, 22.
Hazfeld C. VI. 6.
Hazgerode Pr. Anhalt IV, 11. 15.
Hechingen Pr. Hohen-Z. V. 2. 7, 8.
Heldburg D. Sax. IV. 2. 23.
Herbipolit. Ep. III. 3. 1.
Herforden Abb. III. 22. 12.
Hildesheim Ep. III. 10. 1.
Hiſpaniæ Rex I. 4. 3.
Hohenembs C. VII. 6.
Hohenloe C. VIII. 4.
Hohenſolms C. VI. 17. 3.
Hohen-Zollern Pr. V. 2.
Holſatiæ D. IV. 9. 12. & ſeqq.
Holzapfel C. V. 6. 30.
Homburg Landgr. IV. 7. 30-33.
Homburg C. Sain VI. 20. 10-13.
Hungen C. Solm VI. 17. 3.

I.

Idſtein C. Naſs. VI. 11. 10, 11.
Jena Dux Sax. IV. 2. 16.
IMPERATOR I. 2.
Ingelheim Eq. II. 2. 3.
Johannitici Ord. Mag. III. 19. 5.
Iſenburg C. VI. 7.
Iſenburg C. Stolberg. VI. 18. 8.

K.
Kail C. Manderſch. IX. 4. 16-20.
Kazenſtein C. Oet. VII. 10. 14, 15.
Khuen de Liechtenberg C. III. 13. 5.
Khuenburg C. III. 1. 8.
Kirburg Rheingr VI. 13. 2.
Kirchberg C. Fugg. VII. 3. 6.
Kirchheim C. Fugg. VII. 3. 10, 13, 15.
Kolovvrath C. II. 5. 3. III. 19. 1. VII. 15. 4.
Königseck C. VII. 7.
Kuffſtein C. III. 13. 5. IX. 3. 20.
L.
Lamberg C. III. 1. 13.
Langenburg C. Hohenl. VIII. 4. 13.
Laubach C. Solm. VI. 17. 14, 18.
Leck Dn. V. 6. 11.
Leiningen C. VI. 8. & 9.
Leodienſ. Ep. III. 20. 1.
Lich C. Solm VI. 17. 11.
Liechtenſtein Pr. V. 13.
Liechtenſtein de Caſtelkorn C. III. 1. 13.
Ligne Pr. V. 1. 4-6.
Limpurg Pinc. VIII. 5.
Lindau Abb. III. 22. 10.
Lippe C. IX. 3.
Lobenſtein C. Ruth. VI. 14. 16, 18, 22.
Lobkovvitz Pr. V. 4.
Lobkovvïz C. V. 14. 8. VII. 15. 4.
Loſenſtein C. III. 13. 5.
Lövvenhaubt C. IX. 4. 20.
Lövvenſtein C. VIII. 6.
Lubec. Ep. III. 17. 7.
Ludern. Ab. III. 20. 13.
M.
Machslrain C. VII. 8.
Manderſcheid C. IX. 4.
Mansfeld C. VI. 10.
Marck C. IX. 5.
Martiniz C. III. 1. 13.
Mecklenburg D. IV. 5.
Meghen C. V. 16. 8.
Meinungen D. Sax. IV. 2. 20.
Merchingen Rheingr. VI. 13. 3, 4.
Merſeburg D. Sax. II. 7. 12.
Metternich C. & B. IX. 6.
Mogunt. El. II. 2. 2.
Mompelgard D. IV. 6. 23.
Mona-

Monaster. Ep. III. 11. 1.
Monster. Infer. & Super. Ratisb. Abb. III. 22. 16.
Monte Eq. III. 16. 6.
Montfort C. VII. 9.
Mörkirch C. Fürstenb. VII. 4. 4-8.
Mouy M. V. 1. 6.
Muggenthal C. III. 1. 13.
Murbach Abb. III. 20. 13.

N.

Nassau Pr. V. 6.
Nassau C. VI. 11.
Naumburg D. Sax. II. 7. 13-16.
Neuburg C. Pal. IV. 1. 7-9.
Neuenstein C. Hohenl. VIII. 4. 11.
Neufville Rheingr. VI. 13. 5, 6.
Neustad D. Wirtenb. IV. 6. 20, 21.
Norburg D. Holst. IV. 9. 41, 42.
Nordendorf C. Fugg. VII. 3. 14.
Nostiz C. VIII. 7.
Notthaft C. VII. 17. 4. Introd. ad L. VIII. §. 1.

O.

Obizzi C. VII. 13. 4.
Odyck Dn. V. 6. 11.
Oels D. IV. 6. 27, 28.
Oeringen C. Hohenl. VIII. 4. 9.
Oetingen Pr. V. 11. Com. VII. 10.
Offenbach C. Isenb. VI. 7. 8.
Oldenburg C. IV. 9. 1-10.
Onolsbach M. Brandenb. IV. 3. 14.
Orsbeck Eq. II. 3. 2, 3.
Ortenberg C. Stolb. VI. 8. 10.
Ortenburg C. VI. 12.
Osnabrugg. Ep. III. 17. 2.
Ottyveiler C. Nass. VI. 11. 6.
Ovverkerck Dn. V. 6. 11.

P.

Paderborn Ep. III. 11. 1.
Palat. El. II. 9. Com. IV. 1.
Pappenheim C. VII. 11. 13-19.
Passau Ep. III. 13. 1.
Paumgarten B. VII. 2. 7.
Pfædelbach C. Hohenl. VIII. 4. 18.
Piccolomini Pr. V. 15.

Plœn D. Holſ. IV. 9. 45.
Plözkau Pr. Anhalt IV. 11. 16.
Pœtting C. III. 13. 1, 5. IX. 4. 13.
Porcien Pr. V. 16. 5.
Portia Pr. V. 17.
Pragenſ. Archiep. VIII. 20. 10.
Prasberg Eq. III. 8. 1.
Preyſing C. III. 1. 13.

Q.

Quedlinburg. Abb. III. 22. 5.
Querfurt D. Sax. II. 7. 7-11.

R.

Ranzow C. VII. 11. 5-8.
Ratisbon. Ep. III. 12. 1.
Raugrav. II. 9. 34.
Rechberg C. VII. 11. 5-8.
Reckheim. IX. 8. 7.
Reifferſcheid IX. 10. 13.
Reinfels Landgr. IV. 7. 19-21.
Reingrav. VI. 13.
Remlingen C. Caſt. VIII. 1. 6.
Ritberg C. V. 8. 15. IX. 9. 5.
Rœdelheim C. Solm. VI. 17. 17, 21.
Rœux C. V. 16. 9, 10.
Rœmhild D. Sax. IV. 2. 21.
Roggenbach Eq. III. 16. 1 & 18. 13.
Ronov. C. VI. 9. 4.
Rotenfels C. Königs. VII. 7. 4, 5.
Rudelſtad C. Schwarzb. VI. 16. 11-13.
Rüdenhauſen C. Caſt. VIII. 1. 9.
Rutheni de Plawen VI. 14.

S.

Salburg. C. III. 13. 5.
Salfeld D. Sax. IV. 2. 24.
Sain C. VI. 20.
Salisburg. Archiep. III. 1. 7.
Salm. Pr. V. 5. 5-9.
Salm. C. IX. 7.
Sarbrück C. Naſs. VI. 11. 7, 8.
Saxon. El. II. 7. 2-4.
Saxon. D. II. 7. 7-16. IV. 2.
Saxo-Lauenburg. D. IV. 10. 10-15.
Schaumberg Pr. Naſs. V. 6. 30.

Scheer C. VII. 18. 17.
Schenck de Castel B. III. 5. 1, 8, 9.
Schenck de Stauffenberg Eq. III. 2. 3.
Schillingsfürst C. Hohenl. VIII. 4. 20.
Schlaiz C. Ruth. VI. 14. 14, 15.
Schlick C. VII. 12.
Schœnberg C. II. 9. 34. VII. 1. 6.
Schœnborn B. VIII 8.
Schœnburg Dn. VI. 15.
Schwarzburg C. VI. 16.
Schwarzenberg Pr. V. 10.
Siegen Pr. Nass. V. 6. 18-26.
Sigmaringen Pr. Hohen-Zoll. V. 2 9-11.
Sinzendorf C. VII. 13.
Slawata C. II. 5. 3. III. 13. 5.
Sleiden C. IX. 5. 16-18.
Solms C. VI. 17.
Solre C. V. 16. 18, 19.
Sondershausen Comes Schwarzb. VI. 16 5-10.
Sonnenwald C. Solm. VI. 17. 16.
Speckfeld Pinc. Limpurg. VIII. 5. 7.
Spielberg C. Oet. VII. 10. 4.
Spirens. Ep. III. 6. 1.
Stablo Ab. III. 20. 20.
Steinfurt C. IX. 1. 19.
Stolberg C. VI. 18.
Stülingen C. Furstenb. VII. 4. 10. 11.
Stutgard D. Wirtenb. IV. 6. 12-22.
Styrum C. V. 6. 25 IX. 11. 2.
Suerin D. Meckl. IV. 5. 9-19.
Sulz C. VII 14. (12.
Sulzbach C. P. IV. 10. 10.
Sunderburg D. Holst. IV. 9. 31-40.

T.

Taff C. VII. 12. 9.
Taffis Pr. V. 9. 10.
Tecklenburg C. IX. 1. 12-15.
Teutonici Ord Mag. III. 18. 1.
Thun C. III. 1. 13. & 18. 15. V. 13. 11. VII. 7. 8. IX. 10. 7.

Tilly

Tilly C. VII. 15.
Trapp. C. in Matsch III. 15. 6.
Trauchburg C. VII. 18. 18..
Traun C. VII. 16.
Trautmansdorf C. VII. 17.
Trautson C. III. 1. 13. VII. 7. 6.
Trevirens. El. II. 3. 2.
Tridentin. Ep. III. 14. 1.
Truchsess de Waldpurg. VII. 18.

V.

Vaduz C. Hohenembs VII. 6. 6-8.
Vallendar C. Wigenst. VI. 20. 23.
Veten C. IX. 11.
Vesunt. Archiep. III. 1. 6.
Vintler de Platsch. B. III. 15. 6.
Ungnad C. VII. 19.
Usingen C. Nass. VI. 11. 9.

W.

Waldeck Pr. V. 12. Com. VI. 19.
Waldenburg C. Hohenl. VIII. 4. 15.
Waldstein C. VII. 20.
Waldsee C. Truchs. VII. 18. 16.
Wallerstein C. Oet. VII. 10. 5-10.
Waltpod de Bassenheim B. III. 4. 1-3.
Wasserburg C. Fugg. VII. 3. 23.
Wartenberg. C. II. 6. 16, 17.
Weickersheim C. Hohenl. VIII. 4. 10.
Weilburg C. Nass. VI. 11. 12.
Weildunger D. Wirtenb. IV. 6. 29, 30.
Weisenfels D. Sax. II. 7. 8.
Weissenhorn Com. Fugg. VII. 3. 7.
Weissenvvolff C. VII. 19.
Welsperg B. III. 15. 6.
Werdnau Eq. III. 3. 1.
Wertheim C. VIII. 6.
Westerburg C. VI. 9.
Weymar D. Sax. IV. 2. 14.
Wied C. IX. 12.
Wildenfels C. Solm. VI. 17. 20.
Wirtenberg D. IV. 6.
Witgenstein C. VI. 20.

Wol-

Wolckenstein C. VII. 21.
Wolfegg C. VII. 18. 15.
Wolfenbüttel D. Brunſ. IV. 4. 19-23.
Wolfstein C. VII. 22.
Wöllenburg C. Fugg. VII. 3. 24.
Wormat. Ep. III. 4. 1.
Wurzach C. Truchs VII. 18. 13. Z.
Zeil C. VII. 18. 10-4.
Zell D. Lunæb. IV. 4. 25-27.
Zerbſt Pr. Anhalt IV. 11. 19-21.
Zerotin Dn. V. 4. 3.
Zuileſtein Dn. V. 6. 13.

INDEX INSIGNIUM.

A.

Adelmann ab Adelmansfelden Eq. III. 20. 10.
Aichſtett Ep. III. 5. 3.
Aigmund dom. VI. 18. 13.
ab Albertis Eq. III. 14. 2.
Aldenburg Burggr II. 7. 17.
Alſter dom. IX. 10. 15.
Alpen dom. IX. 1. 20.
Alſatia Landgr. III. 7. 2.
Ampringen Eq. III. 18. 4.
Angaria D. II. 4. 4.
Anhalt Pr. IV. 11. 17, 18, 22.
Arauſion. Pr. V. 6. 40.
Aremberg Pr. V. 1. 16.
Argentorat. Ep. III. 7. 2.
Arnſperg C. II. 4. 4.
Arnſtad C. VI. 16. 14.
Arnſtein C. VI. 10. 18.
Aſcania C. IV. 11. 17.
Aſpermont C. VI. 8. 15. IX. 8. 12.
Auerſperg Pr. V. 7. 8.
Auguſt. Ep. III. 9. 2.
Auſtria Archid. I. 2. 5.

B.

Baden M. IV. 8. 25, 26, 39.
Badenvveiler dom. IV. 8. 25, 26.
Ballerſtad C. IV. 11. 17.
Bamberg Ep. III. 2. 4.
Barbanſon Pr. VI. 1. 22.
Baſil Ep. III. 16. 2.
Barby C. II. 7. 19.
Bavaria D. II. 6. 7.
Bedtbur dom. IX. 10. 15.
Beilſtein dom. IX. 6. 11.

Bellinckhauſen Eq. III. 20. 23.
Bentheim C. IX. 1. 20.
Berchtolsgaden Prap. III. 20. 17.
Bergen D. II. 7. 17, 18.
Berg C. VI. 1. 12.
Bernburg C. IV. 11. 17.
Bettingen dom. IX. 4. 11.
Bipontum C. VI. 5. 10.
Bitſch C. VI. 5. 10.
Blanckenberg C. IV. 4. 31, 32.
Blanckenheim C. IX. 4. 11.
Bodmann Eq. III. 20. 6.
Bohemia R. I. 2. 5.
Borcolo dom. III. 11. 3.
Brandenburg. El. II. 8. 6, 7.
Brandenb. M. IV. 3. 17, 18.
Brandis dom. VII. 14. 6.
Brenn C. II. 7. 17.
Breuberg dom. VIII. 3. 10.
Brisgau Landgr. IV. 8. 25, 26.
Brixen Ep. III. 15. 2.
Bronchorſt C. V. 6. 41.
Bruchhauſen C. IV. 4. 31, 32.
Brunſuic. D. IV. 4. 31, 32.
Bullion D. III. 10. 3.
Burgundia D. I. 2. 5.

C.

Caſarenm ſcutum. I. 2. 5.
Camin Pr. II. 8. 6.
Campidun Abb. III. 20. 6.
Carniola D. I. 2. 5.
Caſſubia D. II. 8. 6.
Caſtel C. VIII. 1. 13.
Caſtilia R. I. 2. 5.
Cazenelnbogen C. IV. 7. 34.
Chimay Pr. V. 1. 20.
Clettenberg dom. IV. 4. 31.
Clivia D. II. 7. 17, 18.
Colon. Archiep. II. 4. 4.
Conſtantienſ. Ep. III. 8. 2.
Corbeia Abb. III. 20. 23.
Cranichfeld dom. VI. 14. 23.
Craon. V. 16. 20.
Criechingen C. VI. 2. 11.
Croatia R. I. 2. 5.
Cronberg C. VII. 1. 7.
Cronenburg dom. IX. 4. 11.
Croſſen D. II. 8. 6.
Croy Pr. V. 16. 11. 15.
Culenburg C. V. 12. 7, 8.
Curienſ. Ep. III. 16. 7.
Czernahor Dn. V. 13. 12.

D.

Dagsburg C. VI. 8. 15.
Dalmatia R. I. 2. 5.
Dania R. IV. 9. 30.

Daun dom. VI. 3. 6.
Degenfeld B. II. 9. 35.
Delmenhorst C. VI. 9. 30.
Dernbach C. VIII. 2. 8.
Diepholt C. IV. 4. 31.
Dietmarsia D. IV. 9. 30.
Dietrichstein Pr. V. 14. 10.
Diez C. IV. 7. 34.
Droste Eq. III. 20. 3.
Dyck dom. IX. 10. 15.

E.

Eberstein C. IV. 4. 31. & 8. 25, 26.
Echter de Mespelbrunn VIII. 2. 8.
Eggenberg Pr. V. 3. 7.
Eisenberg C. II. 7. 17.
Elvvangen Præp. III. 20. 10.
Eppstein C. VI. 18. 13.
Erpach C. VIII 3. 10.
Esen dom. V. 8. 15.

F.

Falckenstein C. VI. 3. 6.
Fleckenstein B. VI. 4. 6.
Franchimont M. III. 10. 3.
Frantonia D. III. 3. 2.
Frayshurg dom. VI. 20. 25.
Freyberg B. III. 9. 2. VII. 2. 8.
Fris. Orient. Pr. & C. V. 8. 15.
Frisingen Ep. III. 12. 2.
Fugger C. VII. 3. 25.
Fulda Abb. III. 20. 3.
Fürstenberg Pr. & C. V. 8. 14.
Fürstenberg B. III. 11. 3.

G.

Genevens. C. V. 6. 40.
Geroldseck dom. VII. 1. 7.
Gleichen C. V. 12. 7, 8.
Gothia R. IV. 9. 30.
Gravenegg C. VII. 5. 6.
Gronsfeld C. IX. 2. 9.
Guzkau C. II. 8. 6.

H.

Hackenbroich dom. IX. 10. 15.
Halberstad Pr. II. 8. 6.
Hanau C. VI. 5. 10.
Hassia Landgr. IV. 7. 34.
Havre D. V. 16. 23.
Hazfeld C. VI. 6. 10.
Heldrungen dom. VI. 10. 18.
Heiligenberg C. V. 9. 14.
Helfenstein dom. IX. 1. 20.
Henneberg C. II. 7. 17.
Herbipolit. Ep. III. 3. 2.
Hildesheim Ep. III. 10. 2.
Hirschfeld Pr. IV. 7. 34.
Hohenack dom. IV. 1. 26.
Hohenembs C. VII. 6. 10.

Hohenloe C. VIII. 4. 23.
Hohen-Zollern Pr. V. 2. 12.
Hoja C. IV. 4. 31, 32.
Holsatia D. IV. 9. 30, 57.
Homburg C. IV. 4. 31.
Homburg dom. VI. 20. 25.
Honstein C. IV. 4. 31, 32.
Hungaria R. I. 2. 5.

I.

Jegerndorf D. II. 8. 6. V. 13. 12.
Jhevern dom. IV. 11. 22.
Ingelheim Eq. II. 2. 5.
Johannit. Ord. Mag. III. 19. 6. V. 12. 7.
Isenburg C. IV. 7. 34. VI. 7. 11.
Islandia IV. 9. 30.
Juliacens. D. II. 7. 17. 18.
Junckerroth dom. IX. 4. 15.
Justingen B. VII. 2. 8.

K.

Kerpen dom. IX. 5. 19.
Khuenburg C. III. 1. 9.
Kirburg C. V. 5. 10, 11.
Kirchberg C. VII. 3. 25.
Kniphausen dom. IV. 11. 22.
Königseck C. VII. 7. 9.
Königstein C. VI. 18. 13.

L.

Landsberg M. II. 7. 17, 18.
Langenburg dom. VIII. 4. 23.
Lahr dom. IV. 8. 25, 26. VI. 11. 13.
Leiningen Dagsburg C. VI. 8. 15.
Leiningen Westerburg C. VI. 9. 9.
Leodiens. Ep. III. 10. 3.
Liechtenberg C. VI. 5. 10.
Liechtenstein Pr. V. 13. 12.
Ligne Pr. V. 1. 7.
Limpurg Pinc. VIII. 5. 11.
Limpurg ad Laynam C. IX. 1. 20.
Limpurg-Styrum C. V. 6. 41.
Linden C. IX. 8. 12.
Lippe C. IX. 3. 22.
Lobkovviz Pr. V. 4. 11.
Loß C. III. 10. 3.
Lövvenstein C. VIII. 6. 16.
Lubec. Ep. III. 17. 8.
Ludern Abb. III. 20. 14.
Lusatia M. II. 7. 17.

M.

Machslvain C. VII. 8. 10.
Magdeburg Burggr. II. 7. 17. *Duc.* II. 8. 6, 7.
Mahlberg dom. IV. 8. 25, 26. VI. 11. 13.

Mal-

Malmundur Ab. III. 7. 2.
Manderſcheid Blanckenheim. IX. 4. 15. *Geroldſtein.* IX. 4. 11. *Kail.* IX. 4. 21.
Mansfeld C. VI. 20 18.
Marck C. II. 7. 17, 18. IX. 5. 19.
Mecklenburg D. IV. 5. 22.
Mehrenberg dom. VI. 11. 13.
Merſeburg Ep. II. 7. 20.
Metternich C. IX. 6. 11.
Minden Pr. II. 8. 6.
Misnia M. II. 7. 17, 18.
Mœrs C. IV. 1. 13.
Moguntin. Archiep. II. 2. 5.
Mompelgard Pr. IV. 6. 31.
Monaſter Ep. III. 11. 3.
Montacut C. VIII. 6. 16.
Monte Eq. III. 26. 7.
Montfort C. VII. 9. 8.
Münſterberg D. V. 7. 8.
Münzenberg C. VI. 5. 10.
Murbach Ab. III. 20. 14.
Mylingen C. IV. 11. 17.

N.

Naſſau Pr. V. 6. 39. *Com.* VI. 11. 13, 14.
Naumburg Ep. II. 7. 20.
Nidda C. IV. 7. 34.
Noriberg. Burggr. II 8. 6, 7.
Norvvegia R. IV. 9. 30.
Noſtiz C. VIII. 7. 6.

O.

Ochſenſtein C. VI. 5. 10.
Oels D. IV. 6. 31.
Oepfingen dom. VII. 2. 8.
Oetingen Pr. & C. V. 11. 15.
Oldenburg C. IV. 9. 30.
Orlamund C. II. 7. 17.
Orsbeck Eq. II. 3. 4.
Ortenburg C. VI. 12. 10.
Osnabrugg Ep. III. 17. 3.

P.

Paderborn Ep. III. 11. 3.
Palatinatus ad Rhenum II. 6 7.
Palatin. El. II. 9. 12.
Palatin. Neoburg. IV. 1. 13. *Bipont.* IV. 1. 23. *Birckenfeld.* IV. 1. 26. *Veldenz.* IV. 1. 29.
Paſſant dom. V. 12. 7, 8.
Pappenheim C. VII. 11. 20.
Paſſano C. VII. 12. 12.
Paſſau Ep. III. 13. 2.
Pernſtein C. V. 4. 11.
Piccolomini Pr. V. 15. 9.

Pleissen dom. II. 7. 17.
Pœtting C. III. 13. 2.
Pomerania D. II. 8. 6, 7.
Poppel de Lobkovviz C. V. 4. 11.
Portia Pr. V. 17. 9.
Prasberg Eq III. 8. 2.
Prumienſ. Ab. II. 3. 4.
Pruſſia D. II. 8. 6, 7.
Pyrmont C. III. 11. 3. VI. 19. 9.

Q.

Querfurt C. VI. 10. 18.

R.

Raceburg Ep. IV. 5. 22.
Ranzovv C. IX. 7. 10.
Rappoltſtein C. IV. 1. 26. VI. 19. 9.
Ratisbon. Ep. III. 12. 2.
Ravensberg C. II. 7. 17.
Raugrav. II. 9. 35.
Rechberg C. VII. 11. 9.
Reckheim C. IX. 8. 12.
Reifferſcheid C. IX. 10. 15.
Reinſtein C. IV. 4. 31, 32.
Reipolzkirchen dom. IX. 4. 21.
Renty dom. V. 16. 11.
Rheden dom. IX. 1. 20.
Rheingrav. V. 5. 10, 11.
Rineck C. VI. 5. 10.
Rochefort C. VI. 18. 13. VIII. 6. 16.
Röteln dom. IV. 8. 25.
Rœux C. V. 16. 11.
Roggenbach Eq. III. 16. 2.
Roſenberg Eq. VI. 6. 10.
Roſtock D. IV. 8. 25.
Rouſſy C. IX. 4. 11.
Runckel dom. IX. 12. 11.
Rupin C. II. 8. 6.
Ruthen. de Plauen C. VI. 14. 23.

S.

Sagan D. V. 4. 11.
Sain C. VI. 20. 25.
Salisburg. Archiep. III. 1. 9.
Salm Pr. V. 4 11. *Com.* IX. 10. 15.
Sarbrück C. VI. 11. 13, 14.
Sarvverden C. VI. 11. 13, 14.
Saxoniæ Palatinatus. II. 7. 17.
Saxon. El. II. 7. 17.
Saxon. D. IV. 2. 17, 26.
Saxo-Lauenburg D. IV. 10. 16.
Scharffenegg dom. VIII. 6. 16.
Schaumburg C. IV. 7. 34.

Schenck de Castel B. III. 5. 3.
Schenck de Landeck Dn. III. 5. 3.
Schenck de Stauffenberg Dn. III. 2. 4.
Schlick C. VII. 12. 12.
Schönborn B. VIII. 8. 10.
Schönburg Dn. VI. 15. 13.
Schvvalenberg C. IX 3. 22.
Schvvarzburg C. VI. 16. 14.
Schvvarzenberg Pr. V. 10. 13.
Sclavonia R. I. 2. 5.
Seinsheim Dn. V. 10. 13.
Sinzendorf C. VII. 13. 18.
Slavia R. IV. 9. 30.
Sleiden C. IX. 5. 19.
Slesvvick D. IV. 9. 30.
Solms C. VI. 17. 22.
Solre C. V. 16. 20.
Sondershausen dom. VI. 16. 14.
Sonnenvvald dom. VI. 17. 22.
Spanheim C. IV. 1. 26. & 8. 25, 26.
Spirens. Episc. II. 3. 4.
Stablo Abb. III. 7. 2.
Stargard D. II. 8. 6. IV. 5. 22.
Steinfurt C. IX. 1. 20.
Sternberg C. IX. 3. 22.
Sternstein Pr. V. 4. 11.
Steyersberg dom. III. 1. 9.
Stettin D. II. 8. 6, 7.
Stolberg C. VI. 18. 13.
Stormaria D. IV. 9. 30.
Stromberg Burggr. III. 11. 3.
Styria D. I. 2. 5.
Styrum C. V. 6. 41.
Suecia R. IV. 9. 30.
Suerin Ep. IV. 5. 22.
Suerin C. IV. 5. 22.
Sulz C. VII. 14. 6.
Sulzburg B. VII. 22. 6.

T.

Teck D. IV. 6. 31.
Tecklenburg C. IX. 1. 20.
Teuton. Ord. Eq. III. 18. 4.
Thonna dom. IV. 2. 26.
Thuringia Landgr. II. 7. 17, 18. (17.
Thuringiæ Palatinatus. II. 7.
Tilly C. VII. 15. 9.
Traun C. VII. 16. 9.
Trautmansdorf. VII. 17. 10.
Trevir. Archiep. II. 3. 4.
Trident. Ep. III. 14. 2.

Troppau D. V. 13. 12.
Truchsess. de Waldpurg. VII. 18. 19.
Tyrol C. I. 2. 5.

V.

Vandalia D. II. 8. 6.
Veldenz C. IV. 1. 13.
Velen C. IX. 11. 5.
Vianden C. V. 6. 39.
Villanders dom. VII 21. 6.
Vinstingen dom. V. 5. 10, 11.
Virnenburg C. VIII. 6. 16.
Ungnad C. VII. 19. 9.
Usedom C. II. 8. 6.
Usenberg dom. IV. 8. 25, 26.

W.

Wachtendonck Eq. III. 19. 7.
Wahlen Eq. VIII. 2. 8.
Waldeck Pr. V. 12. 7, 8. *Com.* VI. 19. 9. *dom.* VII. 8. 10.
Waldensee dom. IV. 11. 17.
Waldstein C. VII. 20. 11.
Walter Nienburg dom. IV. 11. 22.
Waltpod de Bassenheim B. III. 4. 4.
Wannsdorf C. IV. 11. 17.
Wartenberg C. II. 6. 18.
Weilnau C. VI. 11. 13, 14.
Weinsperg dom. VIII. 8. 10.
Weisenburg Præpos. II. 3. 4.
Weissenhorn C. VII. 3. 25.
Weissenkirchen C. VII. 12. 12.
Weissenwolf VII. 19. 9.
Wendia Pr. IV. 5. 22.
Werdenberg C. V. 9. 14.
Werdnau Eq. III. 3. 2.
Wernigerode C. VI. 18. 13.
Werth dom. V. 12. 7.
Wertheim C. VIII. 6. 16.
Westerburg C. VI. 9. 9.
Westphalia C. II. 4. 4. (20.
Wevelinghoven dom. IX. 1.
Wied C. IX. 12. 11.
Wildenfels. VI. 17. 22.
Wildorav. V. 5. 10, 11.
Windeck Dn. VI. 4. 6.
Winneberg C. IX. 6. 11.
Wirtenberg D. IV. 6. 31.
Wisch dom. V. 6. 41.
Witgenstein C. VI. 20. 25.
Witmund. dom. V. 8. 15.
Wittem dom. V. 12. 7.
Wolckenstein C. VII. 21. 6.
Wolfstein C. VII. 22. 6.
Wolgast C. II. 8. 6.
Wormat. Ep. III. 4. 4.

Z.

Ziegenhain C. IV. 7. 34.
Zollern Pr. II. 8. 6.

INDEX

INDEX RERUM.

A.

Abbates Principes in Imperio *quot* sint. III. 20. 1.

Abbatissarum in Imperio *jus & numerus.* III. 22. 1.

Abenspergiæ stirpis *fator* quis fuerit. VII. 16. 1. quot ex illa *rami* prodierint, VII. 16. 2.

Abenspergia Dynastia ad *Duces Bavariæ* delapsa. VII. 16. 2.

Achalm Comitatus quomodo ad *Wirtenbergensem* familiam devenerit. IV. 6. 4.

Aichheim ad *Illeram* transit à Rechbergiis ad *Styrumium* C. VII. 11. 5.

Aichstettensis Episcopatus olim *Aureatensis* dictus, quando & à quo *fundatus* sit. III. 5. 4. à quibus *locupletatus.* Ibid. pollet copia *Vasallorum* Illustrium III. 5. 6. ejus *Ministri Hæreditarii* qui III. 5. 7.

Aichstettenses Episcopi à *studio pacis* laudati III. 5. 5.

Aichstettensium Canonicorum catalogus. III. 5. 8, 9.

Alceia peculiaris olim Comitatus ad *Elect. Palatinum* delapsus. II. 9. 20. regitur nunc à *Burggravio.* Ibid.

Alceiæ Comites *Dapiferi Hæreditarii Palatinatus* audiebant. II. 9. 20.

Alster dominium à Wevelinghofiis transit ad *Salmo-Reifferscheidios.* IX. 10. 9.

Alpen dominium quomodo ad *Tecklenburgicos* pervenerit. IX. 1. 11.

Alſatiæ Landgraviatus Gallis ceditur I. 5. 6. an is in *Epiſcopi Argentinenſis* ditione aliquando fuerit. III. 7. 3 an & quamdiu penes *Oetingenſes* Comites fuerit. V. 11. 2.

Altenburgicus Comitatus in Oſterlandia quando & qua via ad *Miſnenſem* familiam tranſierit. IV. 2. 3.

Altenburgici Comitis *Antonii* natales, poſſeſſiones, dignatio, conjugia, ſoboles, obitus. IV. 9. 9.

Altenkirchen Dynaſtiam quo titulo D. *Saxo-Iſenacenſis* ſibi vindicaverit. IV. 2. 15. VII. 20. 16.

Amalphitanus Ducatus in Regno Neapolitano V. 15. 3, 7.

Ambliſia ad *Aſperimontanos* delapſa, IX. 8. 2. evehitur in *Principatum*, IX. 8. 3. tranſit ad *Anglurios*. Ibid.

Antlavienſis Abbatia quando *fundata* ſit. III. 22. 9. eſt *immunis* ab oneribus Imperii. Ibid.

Angariæ Ducatus quomodo ad *Eccleſiam Colonienſem* pervenerit. II. 4. 6.

Anhaltina familia ſtirpis *Aſcaniæ* propago. IV. 11. 1. quis *primus* ex ea *Princeps*. Ib. quid pro Comitatu Aſcanienſi *ſatisfactionis* loco in præſentibus comitiis obtinuerit. IV. 11. 6. *Fervor religionis* aliquot ex illa Principum, præcipuè *Georgii*. IV. 11. 7, 8. Linearum & ditionum hodierna *diviſio*. IV. 11. 9-21. ſub quo *Circulo* familia comprehendatur. IV. 11. 23. *Primogenituræ* in Bernburgica & Serveſtana linea introductio. Ib.

Anhole

Anholt dominium familiæ *Bronchorſtiæ.* IX. 2. 5. tranſit ad *Pr. Salmenſem* V. 5. 7.

Antibellatoris inter *Rhenum & Viſurgin* officium quale fuerit. II. 4. 6.

Arauſionis Principatus quo pacto ad *Naſſovios* pervenerit. V. 6. 5. ejus conditio priſtina & hodierna V. 6. 6. *Longavillei* Ducum in illum *prætenſio.* V. 6. 7 *Wilhelmus* Princeps cum Juda Machabeo comparatus. V. 6. 8. ejusdem fatum, conjugia & proles V. 6. 9, 10. *Mauritius* Poliorcetes. V. 6. 11. hujus liberi *naturales.* Ib. *Princeps hodiernus* in dignitates avitas *reſtitutus.* V. 6. 14.

Ab *Arberg* Dominorum *origo.* VII. 13. 1.

Ab *Arch* Comitum *origo ab Abenſpergiis.* VII. 16. 2.

Archicancellariatus per Galliam & Regnum Arelatenſe, nec non *per Italiam* quousque ſe extenderit. II. 3. 1. & 4. 1.

Archicancellarii per Germaniam jura eximia & munia quæ ſint II. 2. 1.

Archipincernæ Imperii *munia* quæ ſint. II. 5. 1. quæ *Archidapiferi.* II. 6. 1. quæ *Archimareſcalli* II. 7. 1. quæ *Archicamerarii.* II. 8. 1. quæ *Architheſaurarii.* II. 9. 1.

Aremberga qua via pervenerit *ad Marcanos.* V. 1. 1. IX. 5. 4. quomodo *ad Ligniacenſes*, V. 1. 1. quando *in clientelam Imperii* ſuſcepta fuerit? V. 1. 8. à Gallis ſubjugatur. V. 1. 12.

Arembergæ Comites è Marcanis. IX. 5. 7. & ſeqq. *Johannis* primi Comitis Arembergæ è Ligniacis *mors*

bellica egregia. V. 1. 8. *Dignitas Ducalis* familiæ collata. *V.* 1. 17. *Princeps Arembergicus à Turcis* novissimè *trucidatus* quis fuerit. *V.* 1. 13.

Argentinenſis Epiſcopatus fundatio Dagoberto Galliæ Regi *perperam tribuitur* III. 7. 3.

Argentinenſis Civitas an Epiſcopo ſubjecta aliquando fuerit. III. 7. 3. ejus *metamorphoſis.* III. 7. 4.

Argentinenſium Canonicorum nobilitas. III. 7. 6.

Arnſperg Comitatus quomodo *ad Colonienſem Eccleſiam* pervenerit. II. 4. 6.

Arnſtein Comitatus qua via *ad Mansfeldios* pervenerit. VI. 10. 3.

Arſcoti translatio *ad Croviacos. V.* 16. 4. quis *primus* ex iſtis *Arſcoti Dux. V.* 16. 6. *Philippi* Ducis *generoſitas.* Ib. *Arſcotum* tranſit *ad Arembergicos. V.* 1. 9.

Aſcaniæ familiæ origo *ab Aſcenazo derivata* carpitur. IV. 10. 1. quis ejus auctor indubius. IV. 10. 2. affinitas cum *Billingiis.* Ib. *incrementa* per acceſſiones Electoratuum Brandenburgici ac Saxonici. IV. 10. 3, 4. *decrementa* ex utriusque jactura. IV. 10. 3, 5, Quis primus *ſertum rutaceum* inſignibus intulerit. IV. 10. 4.

Aſperimontanæ familiæ *origo* & diviſio prima. IX. 8. 1. *dignitas principalis* lineæ potiori collata. IX. 8. 2. hujus interitus. IX. 8. 3. lineæ ſuperſtites. IX. 8. 4, 5, 6.

Aſperimontani Comitatus translatio *ad Leiningenſes.* IX. 8. 3. VI. 8. 3.

Aſſenburgii à Ducibus Brunſuicenſib. *domiti.* IV. 4. 5.

Auerſperg olim *Aurupenum* dictum. *V.* 7. 1.

Auerſpergica familiæ ſedes originaria. *V.* 7. 1. lineæ

neæ diversæ. IV. 7. 2. *Joh. Wicardus Principali dignitate* auctus. IV. 7. 3. ejus *receptio inter Ordines Imperii.* Ib. incrementa alia IV. 7. 4. *fata adversa.* IV. 7. 5.

Augustanæ Ecclesiæ Episcopus primus an fuerit *Dionisius.* III. 9. 3. Diœceseos incrementa. III. 9. 4. *Officiales hæreditarii* III. 9. 6. *Coadjutor.* III. 9. 7. *Canonicorum* sylloge. III. 9. 8, 9.

Austriacæ familiæ *origo veritati proxima* quæ. I. 5. 1. *incrementorum auctor* quis? I. 5. 2. *felicitas in connubiis.* I. 5. 3, 4. vicissitudines. I. 5. 6. Regnorum, provinciarumque, quibus illa hodiè imperat, catalogus. I. 5. 7.

Austriæ Ducatus investitura *Alberto* à Rudolpho Augusto patre suo collata. I. 5. 2.

B.

Babenhausen. VII. 3. 2, 19. VII. 11. 3.

Baccharacum oppidum *Electoris Palatini.* II. 9. 24.

Badensis familiæ *ortus* à Ducibus Zæringiæ. IV. 8. 1. commentum *de origine Veronensi* unde ortum sit? Ib. *Hochbergica* linea variis ditionibus aucta. IV. 8. 2, 3. extinctæ quis successerit. IV. 8. 4. *Friderici Badensis D. Austriæ* triste fatum. IV. 8. 5. *Badensis* lineæ acquisitiones. IV. 8. 5, 6, 8. *Carolus* Marchio à Palatino *multatus* IV. 8. 7. *Johannis* Badensis *Archiepiscopi Trevirensis* mors scæva. IV. 8. 9. Familiæ & ditionum hodierna divisio. IV. 8. 10. Religionis in linea Badensi mutationes. IV. 8. 11. 12. *Eduardus* cur ab agnato *ditionibus exutus* fuerit: IV. 8. 12, 28. Filiorum illius *restitutio* & transactio cum agnatis IV. 8. 13, 15. *Evangelicæ religionis* in linea Durlacensi *introductio.* IV. 8. 27. *Ernesti Friderici* acta. IV. 8. 28. *Georgii Friderici*

rici ejus filii restitutio. Ibid. Gustavus Adolphus *Cardinalis.* IV. 8. 33. Locus & jura familiæ in Imperio. IV. 8. 40. *Proëdriæ* inter utramque lineam *alternatio.* Ibid.

Badenſis Marchionatus quando & à quo institutus ſit. IV. 8. 1.

Baindtenſis monaſterii *fundator* quis. III. 22. 24.

Bambergenſis Epiſcopatus fundatio, dotatio & prærogativa. III. 2. 5. controverſia cum Auſtriacis circa *immedietatem ditionum Carinthicarum.* III. 2. 5. *Officiales Hæreditarii.* III. 2. 6. *Canonici.* III. 2. 8, 9.

Barbanſonium qua via ad *Ligniacenſem* familiam devenerit. V. 1. 3.

Barby Comitatus quò poſt extinctam familiam tranſierit. Introd. ad L. IX. §. 1.

Barmſted erigitur in Comitatum Imperialem *Ranzovv.* IX. 7. 8.

Baſilea quando Epiſcopatus *Rauracenſis* ſedes facta ſit. III. 16. 3. Eccleſiæ dotatores qui. III. 16. 4. Epiſcopi jura priſtina in civitate. III. 16. 5.

Batenberga à quo condita ſit. IX. 2. 2.

Bavarico-Palatinæ familiæ origo. IV. 1. 1.

Bavariæ Ducatus quando *Ottoni Wittelſpachio* collatus fuerit: II. 6. 8. IV. 1. 2. dividitur in regimina quatuor, quæ à Vicedominis adminiſtrantur. II. 6. 9.

Bavariæ Duces quando & quo pacto *Electoratum cum Archidapiferatu* nacti ſint. II. 6. 1.

Bavariæ Palatinatus fuit aliquando penes C. *Ortenburgicos.* VI. 12. 4.

Beau-

Beaucourt castrum *Crichingense*. VI. 2. 2.

Bedtburn dominium transit à Limburgiis ad *Tecklenburgicos*. IX. 1. 11.

Beilstein qua via ad *Metternichios* devenerit. IX. 6. 7.

Bellomontium (*Beaumont*) transit ad *Crojenses*. V. 16. 4. inde ad *Arembergicos*. V. 1. 9.

Bentheimensem Comitatum olim *Tubantes* incoluere. IX. 1. 2-4. ejus prisci Comites qui fuerint. IX. 1. 3-6.

Bentheimensis familiæ hodiernæ conditor quis. IX. 1. 7, 8. ejus incrementa per accessiones Comitatuum Steinfurtensis, IX. 1. 8. Tecklenburgici, IX. 1. 9. Limburgici. IX. 1. 11. *Ernesti Wilhelmi* Comitis *conjugium impar*, & turbæ exinde ortæ. IX. 1. 17, 18.

Berckæ Comites Regni Bohemiæ *Marescalli Hereditarii*. II. 5. 5.

Berckheimium à *Christiano C. Palatino* emptum. IV. 1. 25.

Berchtolsgadense monasterium quando & à quo fundatum sit. III. 20. 18. ejus Præpositus tenetur præstare fidelitatem Archiep. Salisburgensi, nec non Ducibus Austriæ ac Bavariæ. Ibid.

Bergarum s. *Montium* Comitatus postea *Ducatus*, transit à Marcanis ad *Duces Limburgi*. IX. 4. 2. redit ad *Marcano-Clivenses*. IX. 4. 6. est hodiè in ditione *C. Palatini Neoburgici*. IV. 1. 8.

Bergæ sive *Scheerenbergæ* Comitatus quando erectus fuerit. VI. 1. 2. transit ad *Leccanos*. Ib. Horum origo à *Wasse-*

Waſſenariis. VI. 1. 1. *Wilhelmi* Comitis *levitas.* VI. 1. 3. Ejus filii *Osvvaldi* mors egregia VI. 1. 4. *Heinricus* cur ab Hiſpanorum partibus diſceſſerit. VI. 1. 7. Affinitates Comitum Bergæ cum *Witthemiis* M. *Bergopzomii.* VI. 1. 5. Quis è familia *primus* inter *Comites Imperii* cooptatus ſit. VI. 1. 8.

Bergopzomium quando in *Marchionatum* ſit evectum. VI. 1. 6. ejus variæ translationes. Ib. eſt hodiè penes *Turrios Arverniæ C.* V. 2. 8.

Bickenbach Erpachiis ab *Haſſis* eripitur. VIII. 3. 4.

Bipontini Comitatus pars tranſit ad *Hanovios.* VI. 5. 4. maxima ad *Palatinos.* IV. 1. 5. opprimitur à *Gallis* IV. 1. 16.

Bitſch dominium *Hanovicis* à D. *Lotharingiæ* ſub ſpecie *feloniæ* adimitur. VI. 5. 4.

Blanckenburg Comitatus ad *Brunſuicenſes* delapſus. IV. 4. 14.

Blanckenheim quomodo ad *Manderſcheidios* pervenerit. IX. 4. 3. quando *in clientelam D. Juliacenſis* conceſſerit. Ibid.

Blumeneck tranſit ad *Sulzios*, VII. 14. 2. indead cœnobium *Weingartenſe.* Ib. & III. 21. 6.

Bochsberg præfectura *Electoralis Palatina.* II. 9. 17.

Bœckelheim quomodo ad *El. Palatinum* devenerit. II. 9. 27.

Bohemiæ Rex eſt *Status Imperii in gratioſis* non onerosis II. 5. 1.

Bohemiæ Regnum qua via *ad Auſtriacos* devenerit. I. 5. 3. quomodo *Imperio* adjuncta fuerit. II. 5. 2.

Locum-

Locumtenentes Regii qui nunc sint. II. 5. 3, 4. *Officiales Hæreditarii.* II. 5. 5.

Borcolo dominium quondam Bronchorstiorum nunc *Limburgiorum de Styrum.* III. 11. 11. IX. 2. 3.

Bornsted castrum *Mansfeldiorum.* VI. 10. 3.

Brandenburgicæ familiæ *origo.* IV. 3. 1. quis ex ea *primus Burggravius Noribergensis.* VI. 3. 2. quando *Marchiam cum Electoratu* obtinuerit. II. 8. 1. IV. 3. 3. quid *Burggraviatum Norib.* civitati *vendens* sibi reservaverit. IV. 3. 3. Alberti Achillis *pacta cum Ducibus Pomeraniæ de successione.* IV. 3. 4. Idem autor *confraternitatis cum Saxonibus & Hassis.* Ibid. *Alberti Alcibiadis* mens & fortuna varia. IV. 3. 6. Albertus *Cardinalis.* IV. 3. 7. Familia quot nunc constet lineis. Ib. Lineæ Electoralis *potentia.* II. 8. 8. & seqq. Franconicæ ditiones quomodo distinguantur. IV. 3. 8, 13. Familiæ locus & jura in Imperio. IV. 3. 19.

Breda Baronatus qua via *ad Nassovios* pervenerit V. 6. 5.

Breiteneck dominium *in Comitatum* evectum *pro Comite Tillio.* VII. 15. 10.

Bremensis Archiepiscopatus *metamorphosis.* III. 1. 4.

Bretta Philippi Melanchtonis patria olim Comitatus nunc *Præfectura Elect. Palatina.* II. 9. 16.

Breuberg dominium *Erpachiorum* partim. VIII. 33. partim *Lovvensteiniorum.* VIII. 6. 4.

Brezenheim dynastia C. *Velensis.* IX. 11. 2.

Brigantia quomodo pervenerit *ad Montfortios.* VII. 9. 1. & ab istis *ad Austriacos.* VII. 9. 3, 4.

Brisacum quos olim dominos habuerit, quemque nunc agnoscat, III. 16 4.

Brixinensis Episcopatus olim *Sabionæ* fuit. III. 15. 3. ejus jura in Imperio ab Austriacis infracta. III. 15. 4. *Officiales Hæreditarii.* III. 15. 5. *Canonicorum* Brixinensium catalogus. III. 15. 6.

Bronchorstiana familia unde sit orta. IX. 2. 1. ejus lineæ diversæ. IX. 2. 2, 3. primogenitæ lineæ extinctæ hæreditas quò delapsa sit. IX. 2. 2.

Brunsuicensis familiæ *origo à Guelphis* IV. 4. 1. *Heinricorum Superbi & Leonis* vicissitudines. Ib. *Conradus* Guelphus *Palatinatu ad Rhenum* auctus IV. 4. 2. Otto *Imperator.* Ib. *Otto Puer* avitarum ditionum *recuperator.* IV. 4. 2, 3. *Erectio Ducatus Brunsuicensis & Lunæburgensis.* IV. 4. 3. *Alberti Magni* res gestæ & acquisitæ. IV. 4. 6. *Divisionis* Ducatus *in tres Principatus* quod sit *fundamentum.* IV. 4. 5. *Magni Torquati* Ducis acta. IV. 4. 8 Fridericus *Imperator.* IV. 4. 9. Dissidia domestica. IV. 4. 10, 11 *Julii* Ducis acta singularia. IV. 4. 12. *Ottonis* Harburgici *conjugium inæquale.* IV. 4. 16. Quot *lineis* familia nunc distinguatur. IV. 4. 17. *Augusti* Ducis *elogium.* IV. 4. 18. Rudolphi Augusti *transactio* cum agnatis *post subjugatam Brunsuigam.* IV. 4. 19. *Lunæburgica linea* hæreditate Grubenhagensi, Calenbergica & Harburgica aucta. IV. 4. 24. *Conventio inter filios septem* Wilhelmi Ducis *de uno* ex illis *maritando.* Ib. Pactum *de modo succedendi.* IV. 4. 25. Contentio & transactio circa successionem *Christiani Ludovici* enata. IV. 4. 26. Locus & jura familiæ in Imperio. IV. 4. 33.

Brunſuicenſis civitatis contentiones cum Ducibus. IV. 4. 13, 15. *ſubjugatio.* 19.

Bruntrutum ſedes Epiſcopi *Baſileenſis.* III. 16. 5, 6.

Buchavienſis Abbatiæ *fundatio.* III. 22. 4.

Buckenburg quomodo *ad C. Lippiæ* pervenerit. IX. 5. 19. (7. 4.

Büdingen quomodo *ad Iſenburgios* devenerit. VI.

Bullionenſis Ducatus qua via *ad Leodienſem Eccleſiam* delatus ſit. III. 10, 9. quomodo *Marcani Principes Sedanenſes* eum ſint adepti. IX. 5. 9. quo titulo ab his *ad Turennæ Vicecomitem* devenerit. IX. 5. 12.

Bullionii Ducum è Marcanis *acta* quædam *ſingularia.* IX. 5. 10, 11, 12.

Burgberg dominium *Gravenecciorum.* VII. 5. 4.

Burggravius Noribergenſis è Zolleranis quis *primus* fuerit. IV. 3. 2. an qua talis *Regalia* habuerit. IV. 3. 3. *Burggraviatus* cum omnibus juribus civitati *venditus.* Ibid.

Burggraviatus Ratisbonenſis. VII. 16. 2.

Burgundiæ Comitatus *Gallorum* poteſtati permiſſus. I. 5. 6.

Burſcheidenſis Abbatiæ *fundatio.* III. 22. 18.

Butoviam quomodo *Elector Brandenburgicus* nactus ſit, II. 8. 9.

C.

Calatinum caſtrum ad Danubium nunc *Kayſersperg* dictum. VII. 11. 1.

Calenbergicus Principatus qua occaſione natus ſit, IV. 4. 11. *Cal-*

Calvenſis Comitatus quomodo *ad Wirtenbergenſes* pervenerit. IV. 6. 3.

Cameracenſis Dux & S. R. Imp. Princeps primus quis fuerit. V. 16. 16.

Campidunenſem Abbatiam *quis fundaverit.* III. 20. 7. appellatur *ſecunda* vel *altera Roma.* Ibid. quomodo jurisdictionem in civitatem amiſerit. Ibid. *Officiales* illius *Hæreditarii.* Ibid. *Cœnobitarum* ſylloge. III. 20 8.

Carinthiæ Ducatus *ad Domum Auſtriacam* delatus. I. 5. 3. fuit aliquando penes *C. Ortenburgicos.* VI. 12. 3.

Caſtellani Comitum origo unde ſit. VIII. 1. 1. quando *Pincernatum Hæreditarium Epiſcopatus Herbipolitani* nacti ſint. VIII. 1. 3. Comitatus quot præfecturas complectatur. VIII. 1. 2.

Catimelibocenſem Comitatum quo jure *Landgravii Haſſiæ* ſibi vindicaverint. IV. 7. 3.

Chamenſis Comitatus in cujus ditione ſit. II. 6. 11.

Cileienſis Comitatus *ad Auſtriacos* delapſus. I. 5. 5.

Cimaci (Chimay) Comes primus quis fuerit. V. 16. 16. quis *primus Princeps* V. 16. 17. quis *hodiernus.* V. 1. 19.

Clettenbergam quomodo C. *Witgenſteinius* adeptus ſit. VI. 20. 21.

Clivia qua via devenerit *ad Marcanos.* IX. 5. 6. qua *ad Electorem Brandenburgicum.* II. 8. 18.

Coburgicus Principatus quando *ad Saxonicam* familiam delatus ſit. IV. 2. 3.

Colonienſis Electoris jus coronandi Regem Romanorum quomodo ſe habeat. II. 4. 1. Colo-

Colonienſis Eccleſia quando & à quo *inſtituta* fuerit. ll. 4. 5. à quibus *dotata*. ll. 4. 6. quos habeat *Miniſtros Hæreditarios*. ll. 4. 8. *Canonicorum* ſplendor & catalogus. ll. 4. 10, 11.

Colonienſi Archiepiſcopo axioma *perpetui S. R. E Cardinalis* à Leone IX. tributum. ll. 4. 9.

Colonienſis civitatis contentiones adverſus Præſules pro aſſerenda libertate ſua. ll. 4. 7. *Conſulis Colonienſis leoni objecti traditio* refellitur & *illuſtratur*. Ibid.

Colonienſis Diœceſeos Advocatiam hæreditariam quis teneat, & quod ejus ſit jus. lX 1. 11.

Comites in Germania quis inſtituerit. l. 1. 1. qua occaſione incrementa ceperint. l. 1. 2.

Comites in Imperio *diverſorum* ſunt graduum. Introd. ad L. VI. §. 1. in *quot ſcamna* nunc dividantur. Ib. §. 2. Sub ſcamno *Wetteravico* qui comprehendantur. Ib. §. 3. qui ſub *Suevico*. Introd. ad L. VII. qui ſub *Francorico*. Introd. ad L. VIII. qui ſub *VVeſtphalico* Intr. ad L. IX.

Comites convocantes Circuli Suevici qui hodiè ſint. VII. 14. 4. & 18. 18.

Condatum quomodo *ad Oetingenſes*, & ab his *ad Boggendorfios* devenerit. V. 11. 5.

Confraternitas Vid. *Hæreditarium fœdus*.

Conſtantienſis Epiſcopatus initio *Vindoniſſa* fuit ll. 8. 3. Diœceſeos amplitudo. Ibid. Ejus *Dapifer Hæreditarius* quis. lll. 8. 5. quæ *Canonicorum* præſentium nomenclatio. lll. 8. 6.

Constantia quo pacto *in Austriacorum potestatem* delapsa sit. III. 8. 3.

CONTROVERSIÆ ILLUSTRES.

Ducum Saxoniæ cum *Electore* de jure *superioritatis* II. 7. 24.

De *successione Juliacensi* inter *Palatinos*, *Saxones* & *Brandenburgicos*. II. 8. 18. IV 1. 7, 8. IV. 2. 6.

Bœckelheimensis inter *Electores Moguntinum* & *Palatinum* II 9. 27.

De *Condirectorio Circuli Rhenani superioris* inter *Episcopum Wormatiensem* & *Palatinum Simmerensem*. II. 9. 32.

De *Wildfangiatu Palatino*. II. 9. 29, 30, 31.

Ladenburgensis inter *Elect. Palatinum* & *Ep. Wormatiensem*. III. 4. 5.

Pyrmontana inter *Episc. Paderbornensem* & *Comites Waldeccios*. III. 11. 5. VI 19. 3.

Borcoloensis inter *Episc. Monasteriensem* & *Comites Limburgi in Styrum*. III. 11. 11.

De *Metropolitanatu* inter *Archiep. Salisburgensem* & *Episc. Passaviensem*. III. 13. 3.

De oppido *Höxter* inter *Abbatem Corbeiensem* & *Duces Brunsuicenses*. III. 20. 24.

De *mero Imperio* inter *Marchiones Brandenburgicos* & *civitatem Noribergensem* IV. 3. 5.

De Comitatu *Reinsteinensi* inter *Pr. Halberstadienses* & *D. Brunsuicenses*. IV. 4. 14.

De *vectigali Warnemundano* inter *Suecos* & *D. Mecklenburgicos*. IV. 5. 8.

Catimelibocensis inter *Hassos* & *Nassovios*. IV. 7. 5, 6

Mar

Marpurgenſis inter domum *Haſſo-Caſſellenſem* & *Darmſtadienſem.* IV. 7. 20.

De *ſucceſſione Bingenheimenſi.* IV. 7. 32.

De dynaſtia *Lahrana* inter *M. Badenſes* & *C. Naſſovio-Saræpontanos.* IV. 8. 31.

De Comitatu Delmenhorſt *inter Epiſc. Monaſterienſem* & familiam *Oldenburgicam.* IV. 9. 5.

De dominio *Kniphauſen* inter *Comites Oldenburgicos* & *Barones à Kniphauſen.* IV. 9. 8.

De *ſucceſſione Oldenburgica.* IV. 9. 10.

De *Schlesvvicenſi Epiſcopatu* inter R. *Daniæ* & *D. Holſato-Gottorpienſem.* IV. 9. 50.

De parte *hæreditatis Iſenburgico-Grenſavicæ* inter *Elect. Colonienſem* & *Com. de Beaumont.* V. 1. 18. inter *Archiepiſcopum Trevirenſem* & *Com. Wiedanum.* IX. 12. 8.

De Comitatu *Aſcanienſi* inter *Halberſtadienſes* & *Anhaltinos.* IV. 11. 3-6.

Naſſovio-Siegenſis circa *teſtamentum Johannis Medii.* V. 6. 18, 19, 25.

De dynaſtiis *Eſens*, *Stedesdorf* & *VVitmund* inter *Pr. Friſiæ Orient.* & *Pr. Liechtenſteinium* V. 8. 10.

De *Culenburgica hæreditate.* V. 12. 2.

De *ſuperioritate Culenburgi*, *VVittemii* & *VVerthæ* V. 12. 9.

De Comitatu *Iſenburgico* inter *Comites* hujus nominis & *Landgr. Haſſo-Darmſtadienſes.* VI. 7. 5.

De Comitatu *Sarvverdano* & caſtro *Homburg* inter *D. Lotharingiæ* & C. *Naſſovios* VI. 11. 3.

De *immedietate Comitum Ortenburgicorum* cum *D. Bavariæ.* VI. 12. 11.

De *immedietate Comitatus VValdeccii* contra *Landgravios Hassiæ*. VI. 19. 10.

De *successione Sainensi*. VI. 20. 4, 5, 16.

De *successione* Comitum *Tubingensium* Introd. ad L. VII. §. 1.

De *hæreditate Stulingensi* inter *Pappenheimios* & *Fürstenbergicos*. VII. 11. 11.

De *successione Eberstеinica* VII. 21. 3, 4.

De dynastia *Lingen* inter *Pr. Arausionenses* & *C. Tecklenburgicos*. IX. 1. 10.

De *hæreditate Simonis Philippi C. Lippiensis* inter *istius agnatos* & C. *Sinzendorfium*, IX. 3. 7.

De *Ducatu Bullionensi* inter *Marcanos*, *Turriosq.* & *Episc. Leodiensem*. IX. 5. 9.

Corbeiensis Abbatia quando & à quo *fundata* Fuerit. III. 20. 24. Dicta est *Corbeia Nova* ad distinctionem Gallicæ. Ibid. Corbeienses monachi olim *præsagia mortis* habebant. Ibid.

Corbiniani fundatoris Ecclesiæ Frisingensis historia. III. 12. 3.

S. Cornelii ad Indam monasterium quando conditum fuerit. III. 21. 23.

Crailsheim qua via ab Hohenloicis ad *M. Brandeburgicos* devenerit. VIII. 4. 2.

Crecquium quomodo *Crojenses* nacti sint. V. 16. 8.

Criechingenses Comites sunt *membra Imperii*. VI. 2. 1. quæ ex hæreditate *Rollingensi* perceperint. VI. 2. 3. *Fratricidium* Criechingense. VI. 2. 4.

Crojen-

Crojenſis ſtirpis deductio *ab Adamo*. V. 16. 1. ejusdem *origo certior* unde ſit. V. 16. 2. Ditionibus quomodo fuerit aucta. V. 16. 3, 4, 8. Philippus Dn. Cerviæ *Caroli V. Ephorus*. V. 16. 5. *Antonii Pr. Porceani* ingenium & fatum. Ibid. Philippi D. Arſcotani *generoſitas*. V. 16. 6. *Dux Croiæ in Pruſſia* agens qui ſit. V. 16. 7. *Principis de Croy-Müllendonck* contentio *pro loco inter Proceres Imperii* obtinendo. V. 16. 12. *Dux Croiæ Cæſari militans* qui ſit. V. 16. 13. Quis ille *à Turcis* noviſſimè *cæſus*. V. 16. 14.

Cronbergicæ familiæ vetuſtus ſplendor. VII. 1. 1, 2, 3. qui novæ in Imperio dignitatis autores fuerint. VII. 1. 4.

Cronenburg dynaſtia *C. Manderſcheidii in Geroldſtein*. IX. 4. 8.

Croſnenſis Ducatus quomodo *ad familiam Brandenburgicam* pervenerit. II. 8. 16.

Crumloviæ Ducatum quomodo *Eggenbergici* nacti ſint. V. 3. 2.

Culenburgicus Comitatus quo pacto *ad Waldeccios* tranſierit. V. 12. 2.

S. Cunegundis ſilum ſericatum quid ſit. III. 2. 5.

Curienſis Eccleſiæ *fundatores* qui fuerint. III. 16. 8. qui dotatores. III. 16. 9. *Jura* ejus *in Imperio*. III. 16. 10.

D.

Dachſtul dominium in cujus ditione nunc ſit. VI. 4. 2.

Dagobertus Rex Fr. an fundator fuerit Epiſcopatus Argentinenſis. III. 7. 3.

Daniæ Regnum quo pacto *ad Oldenburgicam* familiam pervenerit. IV. 9. 11. quis *Evangelicam religionem* in id introduxerit. IV. 9. 12. qua occasione *ex electivo in hæreditarium mutatum* illud fuerit. IV. 9. 22. Johannis Regis *iniquitas erga fratrem.* IV. 9. 12. Friderici II. *bellum cum Suecis ob insignia trium coronarum.* IV. 9. 17. *Christiani IV. Regis* acta belli & pacis. IV. 9. 18. Ejusdem *liberi naturales.* IV. 9. 19. Friderici III. *bellum infaustum cum Suecis.* IV. 9. 21.

Dannenberg Comitatus quomodo *ad Brunsuicenses* pervenerit. IV. 4. 4.

Dapiferatus Imperii quo pacto post Seldeneccios *Waldpurgiis* obtigerit. VII. 18. 9.

Delmenhorstanum Comitatum quo titulo *Bremenses* quondam apperierint. IV. 9. 3. quo *Monasterienses.* IV. 9. 5.

Dernbachia familia unde oriunda sit. VIII. 2. 1. quis ejus novi splendoris autor. VIII. 2. 4. quando *inter Comites Imperij* sit recepta. VIII. 2. 5.

Diepholt Comitatus quo pacto *ad D. Brunsuicenses* devenerit. IV. 4. 16, 24.

Dietmarsia quando à R. Daniæ & D. Holsatiæ *subacta* fuerit. IV. 9. 14.

Dietrichsteinia familiæ *origo* unde sit. v. 14 1. quæ linearum in ea divergia v. 14. 2. *Sigismundi* & *Adami* virtutes ac dignitates. v. 14 3, 5. Franciscus *Cardinalis* & *primus* in familia S. R. I. *Princeps.* v. 14. 6. Quem in seculari dignitate hæredem instituerit. v. 14. 7. Quando & qua lege iste *ad sessionem votumque inter Ordines Imperij admissus* fuerit. Ibid

Diez Comitatus quomodo *ad Naſſovios* pervenerit. V. 6. 4, 5.

Donavverda qua occaſione *à D. Bavariæ ſubacta* ſit. II. 6. 14. Ejus *Vogtheia Imperialis* quomodo *ad Fuggeros* venerit. VII 3. 2.

Ducale axioma à Carolo M. in Germania *obliteratum* qua occaſione *renatum* ſit. I. 1. 4.

Duderſtad Moguntinæ diœceſis oppidum. II. 2. 5.

Durlacum quomodo *Badenſes* nacti ſint. IV. 8. 5.

Dyck qua via *ad Salmo-Reifferſcheidios* tranſierit. IX. 10. 9

E.

Eberſteiny Comitatus pars quo titulo M. *Badenſibus* obtigerit. IV. 8. 6. qui reliquam extincta familia creverint. Introd. ad L. VII. §. 2. VII. 21. 4. *Genealogiæ Eberſteiniæ* fragmentum. Introd. ad. L. VII. §. 2.

Eggenbergica ſtirps unde oriunda. V. 3. 1. quando *Baronis axiomate* ſit *aucta*. Ib. quando *dignitate Principali*. V. 3. 2. quando & quo pacto *inter Imperij Ordines* fuerit *recepta*. V 3. 3.

Eginhardus Caroli M. Secretarius ac gener *ſator Comitum Erpachiorum*. VIII. 3. 1.

Eglingen quomodo *ad Graveneccios* venerit. VII. 5. 2.

Eglof Comitatus Imperialis quando *à C. Traunio acquiſitus* ſit. VII. 16 6.

Ehrenbreitſtein caſtrum ad Confluentes quis exſtruxerit. II. 3. 6.

Eichsfeld quomodo *ad Eccleſiam Moguntinam* pervenerit. II. 2. 5.

rici ejus filii restitutio. Ibid. Gustavus Adolphus *Cardinalis.* IV. 8. 33. Locus & jura familiæ in Imperio. IV. 8. 40. *Proëdriæ* inter utramque lineam *alternatio.* Ibid.

Badenſis Marchionatus quando & à quo inſtitutus ſit. IV. 8. 1.

Baindtenſis monaſterii *fundator* quis. III. 22. 24.

Bambergenſis Epiſcopatus fundatio, dotatio & prærogativa. III. 2. 5. controverſia cum Auſtriacis circa *immedietatem ditionum Carinthicarum.* III. 2. 5. *Officiales Hæreditarii.* III. 2. 6. *Canonici.* III. 2. 8, 9.

Barbanſonium qua via ad *Ligniacenſem* familiam devenerit. V. 1. 3.

Barby Comitatus quò poſt extinctam familiam tranſierit. Introd. ad L. IX. §. 1.

Barmſted erigitur in Comitatum Imperialem *Ranzovv.* IX. 7. 8.

Baſilea quando Epiſcopatus *Rauracenſis* ſedes facta ſit. III. 16. 3. Eccleſiæ dotatores qui. III. 16. 4. Epiſcopi jura priſtina in civitate. III. 16. 5.

Batenberga à quo condita ſit. IX. 2. 2.

Bavarico-Palatina familiæ origo. IV. 1. 1.

Bavaria Ducatus quando *Ottoni Wittelſpachio* collatus fuerit: II. 6. 8. IV. 1. 2. dividitur in regimina quatuor, quæ à Vicedominis adminiſtrantur. II. 6. 9.

Bavaria Duces quando & quo pacto *Electoratum cum Archidapiferatu* nacti ſint. II. 6. 1.

Bavaria Palatinatus fuit aliquando penes C. *Ortenburgicos.* VI. 12. 4.

Beau-

Beaucourt castrum *Crichingense*. VI. 2. 2.

Bedtburn dominium transit à Limburgiis ad *Tecklenburgicos*. IX. 1. 11.

Beilstein qua via ad *Metternichios* devenerit. IX. 6. 7.

Bellomontium (*Beaumont*) transit ad *Crojenses*. V. 16. 4. inde ad *Arembergicos*. V. 1. 9.

Bentheimensem Comitatum olim *Tubantes* incoluere. IX. 1. 2-4. ejus prisci Comites qui fuerint. IX. 1. 3-6.

Bentheimensis familiæ hodiernæ conditor quis. IX. 1. 7, 8. ejus incrementa per accessiones Comitatuum Steinfurtensis, IX. 1. 8. Tecklenburgici, IX. 1. 9. Limburgici. IX. 1. 11. *Ernesti Wilhelmi* Comitis *conjugium impar*, & turbæ exinde ortæ. IX. 1. 17, 18.

Berckæ Comites Regni Bohemiæ *Marescalli Hereditarii*. II. 5. 5.

Berckheimium à *Christiano C. Palatino* emptum. IV. 1. 25.

Berchtolsgadense monasterium quando & à quo fundatum sit. III. 20. 18. ejus Præpositus tenetur præstare fidelitatem Archiep. Salisburgensi, nec non Ducibus Austriæ ac Bavariæ. Ibid.

Bergarum s. *Montium* Comitatus posteà *Ducatus*, transit à Marcanis ad *Duces Limburgi*. IX. 4. 2. redit ad *Marcano-Clivenses*. IX. 4. 6. est hodiè in ditione *C. Palatini Neoburgici*. IV. 1. 8.

Bergæ sive *Scheerenbergæ* Comitatus quando erectus fuerit. VI. 1. 2. transit ad *Leccanos*. Ib. Horum origo à *Wasse-*

Waſſenariis. VI. 1. 1. *Wilhelmi* Comitis *levitas.* VI. 1. 3. Ejus filii *Osvvaldi* mors egregia VI. 1. 4. *Heinricus* cur ab Hiſpanorum partibus diſceſſerit. VI. 1. 7. Affinitates Comitum Bergæ cum *Witthemiis* M. *Bergopzomii.* VI. 1. 5. Quis è familia *primus* inter *Comites Imperii* cooptatus ſit. VI. 1. 8.

Bergopzomium quando in *Marchionatum* ſit evectum. VI. 1. 6. ejus variæ translationes. Ib. eſt hodiè penes *Turrios Arverniæ C.* V. 2. 8.

Bickenbach Erpachiis ab *Haſſis* eripitur. VIII. 3. 4.

Bipontini Comitatus pars tranſit ad *Hanovios.* VI. 5. 4. maxima ad *Palatinos.* IV. 1. 5. opprimitur à *Gallis* IV. 1. 16.

Bitſch dominium *Hanovicis* à D. *Lotharingiæ* ſub ſpecie *feloniæ* adimitur. VI. 5. 4.

Blanckenburg Comitatus ad *Brunſuicenſes* delapſus. IV. 4. 14.

Blanckenheim quomodo ad *Manderſcheidios* pervenerit. IX. 4. 3. quando *in clientelam D. Juliacenſis* conceſſerit. Ibid.

Blumeneck tranſit ad *Sulzios*, VII. 14. 2. indead cœnobium *Weingartenſe.* Ib. & III. 21. 6.

Bochsberg præfectura *Electoralis Palatina.* II. 9. 17.

Bœckelheim quomodo ad *El. Palatinum* devenerit. II. 9. 27.

Bohemiæ Rex eſt *Status Imperii in gratioſis* non onerosis II. 5. 1.

Bohemiæ Regnum qua via *ad Auſtriacos* devenerit. I. 5. 3. quomodo *Imperio* adjuncta fuerit. II. 5. 2.

Loann-

Locumtenentes Regii qui nunc sint. II. 5. 3, 4. *Officiales Hæreditarii.* II. 5. 5.

Borcolo dominium quondam Bronchorstiorum nunc *Limburgiorum de Styrum.* III. 11. 11. IX. 2. 3.

Bornsted castrum *Mansfeldiorum.* VI. 10. 3.

Brandenburgica familiæ *origo.* IV. 3. 1. quis ex ea *primus Burggravius Noribergensis.* VI. 3. 2. quando *Marchiam cum Electoratu* obtinuerit. II. 8. 1. IV. 3. 3. quid *Burggraviatum Norib.* civitati *vendens* sibi reservaverit. IV. 3. 3. Alberti Achillis *pacta cum Ducibus Pomeraniæ de successione.* IV. 3. 4. Idem autor *confraternitatis cum Saxonibus & Hassis.* Ibid. *Alberti Alcibiadis* mens & fortuna varia. IV. 3. 6. Albertus *Cardinalis.* IV. 3. 7. Familia quot nunc constet lineis. Ib. Lineæ Electoralis *potentia.* II. 8. 8. & seqq. Franconicæ ditiones quomodo distinguantur. IV. 3. 8, 13. Familiæ locus & jura in Imperio. IV. 3. 19.

Breda Baronatus qua via *ad Nassovios* pervenerit V. 6. 5.

Breiteneck dominium *in Comitatum* evectum *pro Comite Tillio.* VII. 15. 10.

Bremensis Archiepiscopatus *metamorphosis.* III. 1. 4.

Bretta Philippi Melanchtonis patria olim Comitatus nunc *Præfectura Elect. Palatina.* II. 9. 16.

Breuberg dominium *Erpachiorum* partim. VIII. 33. partim *Lövvensteiniorum.* VIII. 6. 4.

Brezenheim dynastia C. *Velensis.* IX. 11. 2.

Brigantia quomodo pervenerit *ad Montfortios.* VII. 9. 1. & ab istis *ad Austriacos.* VII. 9. 3, 4.

Brisacum quos olim dominos habuerit, quemque nunc agnoscat, III. 16 4.

Brixinensis Episcopatus olim *Sabionæ* fuit. III. 15. 3. ejus jura in Imperio ab Austriacis infracta. III. 15. 4. *Officiales Hæreditarii.* III. 15. 5. *Canonicorum* Brixinensium catalogus. III. 15. 6.

Bronchorstiana familia unde sit orta. IX. 2. 1. ejus lineæ diversæ. IX. 2. 2, 3. primogenitæ lineæ extinctæ hæreditas quò delapsa sit. IX. 2. 2.

Brunsuicensis familiæ *origo à Guelphis* IV. 4. 1. *Heinricorum Superbi & Leonis* vicissitudines. Ib. *Conradus* Guelphus *Palatinatu ad Rhenum* auctus IV. 4. 2. Otto *Imperator.* Ib. *Otto Puer* avitarum ditionum *recuperator.* IV. 4. 2, 3. *Erectio Ducatus Brunsuicensis & Lunæburgensis.* IV. 4. 3. *Alberti Magni* res gestæ & acquisitæ. IV. 4. 6. *Divisionis* Ducatus *in tres Principatus* quod sit *fundamentum.* IV. 4. 5. *Magni Torquati* Ducis acta. IV. 4. 8 Fridericus *Imperator.* IV. 4. 9. Dissidia domestica. IV. 4. 10, 11 *Julii* Ducis acta singularia. IV. 4. 12. *Ottonis* Harburgici *conjugium inæquale.* IV. 4. 16. Quot *lineis* familia nunc distinguatur. IV. 4. 17. *Augusti* Ducis *elogium.* IV. 4. 18. Rudolphi Augusti *transactio* cum agnatis *post subjugatam Brunsuigam.* IV. 4. 19. *Lunæburgica linea* hæreditate Grubenhagensi, Calenbergica & Harburgica aucta. IV. 4. 24. *Conventio inter filios septem* Wilhelmi Ducis *de uno* ex illis *maritando.* Ib. Pactum *de modo succedendi.* IV. 4. 25. Contentio & transactio circa successionem *Christiani Ludovici* enata. IV. 4. 26. Locus & jura familiæ in Imperio. IV. 4. 33.

Brunſuicenſis civitatis contentiones cum Ducibus. IV. 4. 13, 15. *ſubjugatio.* 19.

Bruntrutum ſedes Epiſcopi *Baſileenſis.* III. 16. 5, 6.

Buchavienſis Abbatiæ *fundatio.* III. 22. 4.

Buckenburg quomodo *ad C. Lippiæ* pervenerit. IX. 5. 19.

Büdingen quomodo *ad Iſenburgios* devenerit. VI. 7. 4.

Bullionenſis Ducatus qua via *ad Leodienſem Eccleſiam* delatus ſit. III. 10, 9. quomodo *Marcani Principes Sedanenſes* eum ſint adepti. IX. 5. 9. quo titulo ab his *ad Turennæ Vicecomitem* devenerit. IX. 5. 12.

Bullionii Ducum è Marcanis *acta* quædam *ſingularia.* IX. 5. 10, 11, 12.

Burgberg dominium *Gravenecciorum.* VII. 5. 4.

Burggravius Noribergenſis è Zolleranis quis *primus* fuerit. IV. 3. 2. an qua talis *Regalia* habuerit. IV. 3. 3. *Burggraviatus* cum omnibus juribus civitati *venditus.* Ibid.

Burggraviatus Ratisbonenſis. VII. 16. 2.

Burgundiæ Comitatus *Gallorum* poteſtati permiſſus. I. 5. 6.

Burſcheidenſis Abbatiæ *fundatio.* III. 22. 18.

Butoviam quomodo *Elector Brandenburgicus* nactus ſit, II. 8. 9.

C.

Calatinum caſtrum ad Danubium nunc *Kayſersperg* dictum. VII. 11. 1.

Calenbergicus Principatus qua occaſione natus ſit, IV. 4. 11.

Calvenſis Comitatus quomodo *ad Wirtenbergenſes* pervenerit. IV. 6. 3.

Cameracenſis Dux & S. R. Imp. Princeps primus quis fuerit. V. 16. 16.

Campidunenſem Abbatiam *quis fundaverit.* III. 20. 7. appellatur *ſecunda* vel *altera Roma.* Ibid. quomodo jurisdictionem in civitatem amiſerit. Ibid. *Officiales* illius *Hæreditarii.* Ibid. *Cœnobitarum* ſylloge. III. 20 8.

Carinthiæ Ducatus *ad Domum Auſtriacam* delatus. I. 5. 3. fuit aliquando penes *C. Ortenburgicos.* VI. 12. 3.

Caſtellani Comitum origo unde ſit. VIII. 1. 1. quando *Pincernatum Hæreditarium Epiſcopatus Herbipolitani* nacti ſint. VIII. 1. 3. Comitatus quot præfecturas complectatur. VIII. 1. 2.

Catimelibocenſem Comitatum quo jure *Landgravii Haſſiæ* ſibi vindicaverint. IV. 7. 3.

Chamenſis Comitatus in cujus ditione ſit. II. 6. 11.

Cileienſis Comitatus *ad Auſtriacos* delapſus. I. 5. 5.

Cimaci (Chimay) Comes primus quis fuerit. V. 16. 16. quis *primus Princeps* V. 16. 17. quis *hodiernus.* V. 1. 19.

Clettenbergam quomodo C. *Witgenſteinius* adeptus ſit. VI. 20. 21.

Clivia qua via devenerit *ad Marcanos.* IX. 5. 6. qua *ad Electorem Brandenburgicum.* II. 8. 18.

Coburgicus Principatus quando *ad Saxonicam* familiam delatus ſit. IV. 2. 3.

Colonienſis Electoris jus coronandi Regem Romanorum quomodo ſe habeat. II. 4. 1. Colo-

Colonienſis Eccleſia quando & à quo *inſtituta* fuerit. II. 4. 5. à quibus *dotata*. II. 4. 6. quos habeat *Miniſtros Hæreditarios*. II. 4. 8. *Canonicorum* ſplendor & catalogus. II. 4. 10, 11.

Colonienſi Archiepiſcopo axioma *perpetui S. R. E Cardinalis* à Leone IX. tributum. II. 4. 9.

Colonienſis civitatis contentiones adverſus Præſules pro aſſerenda libertate ſua. II. 4. 7. *Conſulis Colonienſis leoni objecti traditio* refellitur & *illuſtratur*. Ibid.

Colonienſis Diœceſeos Advocatiam hæreditariam quis teneat, & quod ejus ſit jus. IX 1. 11.

Comites in Germania quis inſtituerit. I. 1. 1. qua occaſione incrementa ceperint. I. 1. 2.

Comites in Imperio *diverſorum* ſunt graduum. Introd. ad L. VI. §. 1. in *quot ſcamna* nunc dividantur. Ib. §. 2. Sub ſcamno *Wetteravico* qui comprehendantur. Ib. §. 3. qui ſub *Suevico*. Introd. ad L. VII. qui ſub *Franconico*. Introd. ad L. VIII. qui ſub *VVeſtphalico* Intr. ad L. IX.

Comites convocantes Circuli Suevici qui hodiè ſint. VII. 14. 4. & 18. 18.

Condatum quomodo *ad Oetingenſes*, & ab his *ad Toggendorfios* devenerit. V. 11. 5.

Confraternitas Vid. *Hæreditarium fœdus*.

Conſtantienſis Epiſcopatus initio *Vindoniſſæ* fuit II. 8. 3. Diœceſeos amplitudo. Ibid. Ejus *Dapifer Hæreditarius* quis. III. 8. 5. quæ *Canonicorum* præſentium nomenclatio. III. 8. 6.

Constantia quo pacto *in Austriacorum potestatem* delapsa sit. III. 8. 3.

CONTROVERSIÆ ILLUSTRES.

Ducum Saxoniæ cum *Electore* de jure *superioritatis* II. 7. 24.

De *successione Juliacensi* inter *Palatinos, Saxones & Brandenburgicos.* II. 8. 18. IV 1. 7, 8. IV. 2. 6.

Bœckelheimensis inter *Electores Moguntinum & Palatinum* II 9. 27.

De *Condirectorio Circuli Rhenani superioris* inter *Episcopum Wormatiensem & Palatinum Simmerensem.* II. 9. 32.

De *Wildfangiatu Palatino.* II. 9. 29, 30, 31.

Ladenburgensis inter *Elect. Palatinum & Ep. Wormatiensem.* III. 4. 5.

Pyrmontana inter *Episc. Paderbornensem & Comites Waldeccios.* III. 11. 5. VI 19. 3.

Borcoloensis inter *Episc. Monasterienſem & Comites Limburgi in Styrum.* III. 11. 11.

De *Metropolitanatu* inter *Archiep. Salisburgensem & Episc. Passaviensem.* III. 13. 3.

De oppido *Hoxter* inter *Abbatem Corbeiensem & Duces Brunsuicenses.* III. 20. 24.

De *mero Imperio* inter *Marchiones Brandenburgicos & civitatem Noribergensem* IV. 3. 5.

De Comitatu *Reinsteinensi* inter *Pr. Halberstadiense & D. Brunsuicenses.* IV. 4. 14.

De *vectigali Warnemundano* inter *Suecos & D. Mecklenburgicos.* IV. 5. 8.

Catimelibocensis inter *Hassos & Nassovios.* IV. 7. 5, 6

Mar

Marpurgensis inter domum *Hasso-Cassellensem* & *Darmstadiensem*. IV. 7. 20.

De *successione Bingenheimensi*. IV. 7. 32.

De dynastia *Lahrana* inter *M. Badenses* & *C. Nassovio-Saræpontanos*. IV. 8. 31.

De Comitatu Delmenhorst *inter Episc. Monasteriensem* & familiam *Oldenburgicam*. IV. 9. 5.

De dominio *Kniphausen* inter *Comites Oldenburgicos* & *Barones à Kniphausen*. IV. 9. 8.

De *successione Oldenburgica*. IV. 9. 10.

De *Schlesvvicensi Episcopatu* inter R. *Daniæ* & *D. Holsato-Gottorpiensem*. IV 9. 50.

De parte *hæreditatis Isenburgico-Grensavicæ* inter *Elect. Colonien sem* & *Com. de Beaumont*. V. 1. 18. inter *Archiepiscopum Trevirensem* & *Com. Wiedanum*. IX. 12. 8.

De Comitatu *Ascanien si* inter *Halberstadienses* & *Anhaltinos*. IV. 11. 3-6.

Nassovio-Siegensis circa *testamentum Johannis Medii*. V. 6. 18, 19, 25.

De dynastiis *Esens*, *Stedesdorf* & *VVitmund* inter *Pr. Frisiæ Orient.* & *Pr. Liechtensteinium* V. 8. 10.

De *Culenburgica hæreditate*. V. 12. 2.

De *superioritate Culenburgi*, *VVittemii* & *VVerthæ* V. 12. 9.

De Comitatu *Isenburgico* inter *Comites* hujus nominis & *Landgr. Hasso-Darmstadienses*. VI. 7. 5.

De Comitatu *Sarvverdano* & castro *Homburg* inter *D. Lotharingiæ* & C. *Nassovios* VI. 11. 3.

De *immedietate Comitum Ortenburgicorum* cum D. *Bavariæ*. VI. 12. 11.

De *immedietate Comitatus VValdeccii* contra *Landgravios Hassiæ*. VI. 19. 10.

De *successione Sainensi*. VI. 20. 4, 5, 16.

De *successione* Comitum *Tubingensium* Introd. ad L. VII. §. 1.

De *hæreditate Stulingensi* inter *Pappenheimios* & *Fürstenbergicos*. VII. 11. 11.

De *successione Eberstеinica* VII. 21. 3, 4.

De dynastia *Lingen* inter *Pr. Arausionenses* & *C. Tecklenburgicos*. IX. 1. 10.

De *hæreditate Simonis Philippi C. Lippiensis* inter *istius agnatos* & C. *Sinzendorfium*, IX. 3. 7.

De *Ducatu Bullionensi* inter *Marcanos*, *Turriosq.* & *Episc. Leodiensem*. IX. 5. 9.

Corbeiensis Abbatia quando & à quo *fundata* fuerit. III. 20. 24. Dicta est *Corbeia Nova* ad distinctionem Gallicæ. Ibid. Corbeienses monachi olim *præsagia mortis* habebant. Ibid.

Corbiniani fundatoris Ecclesiæ Frisingensis historia. III. 12. 3.

S. Cornelii ad Indam monasterium quando conditum fuerit. III. 21. 23.

Crailsheim qua via ab Hohenloicis ad *M. Brandenburgicos* devenerit. VIII. 4. 2.

Crecquium quomodo *Crojenses* nacti sint. V. 16. 8.

Criechingenses Comites sunt *membra Imperii*. VI. 2. 1. quæ ex hæreditate *Rollingensi* perceperint. VI. 2. 3.

Fratricidium Criechingense. VI. 2. 4.

Crojenſis ſtirpis deductio *ab Adamo.* V. 16. 1. ejusdem *origo certior* unde ſit. V. 16. 2. Ditionibus quomodo fuerit aucta. V. 16. 3, 4, 8. Philippus Dn. Cerviæ *Caroli V. Ephorus.* V. 16. 5. *Antonii Pr. Porceani* ingenium & fatum. Ibid. Philippi D. Arſcotani *generoſitas.* V. 16. 6. *Dux Croiæ in Pruſſia* agens qui ſit. V. 16. 7. *Principis de Croy-Müllendonck* contentio *pro loco inter Proceres Imperii* obtinendo. V. 16. 12. *Dux Croiæ Cæſari militans* qui ſit. V. 16. 13. Quis ille *à Turcis* noviſſimè *cæſus.* V. 16. 14.

Cronbergicæ familiæ vetuſtus ſplendor. VII. 1. 1, 2, 3. qui novæ in Imperio dignitatis autores fuerint. VII. 1. 4.

Cronenburg dynaſtia *C. Manderſcheidii in Geroldſtein.* IX. 4. 8.

Croſnenſis Ducatus quomodo *ad familiam Brandenburgicam* pervenerit. II. 8. 16.

Crumloviæ Ducatum quomodo *Eggenbergici* nacti ſint. V. 3. 2.

Culenburgicus Comitatus quo pacto *ad Waldeccios* tranſierit. V. 12. 2.

S. Cunegundis filum ſericatum quid ſit. III. 2. 5.

Curienſis Eccleſiæ *fundatores* qui fuerint. III. 16. 8. qui dotatores. III. 16. 9. *Jura* ejus *in Imperio.* III. 16. 10.

D.

Dachſtul dominium in cujus ditione nunc ſit. VI. 4. 2.

Dagobertus Rex Fr. an fundator fuerit Epiſcopatus Argentinenſis. III. 7. 3.

Daniæ Regnum quo pacto *ad Oldenburgicam* familiam pervenerit. IV. 9. 11. quis *Evangelicam religionem* in id introduxerit. IV. 9. 12. qua occasione *ex electivo in hæreditarium mutatum* illud fuerit. IV. 9. 22. Johannis Regis *iniquitas erga fratrem.* IV. 9. 12. Friderici II. *bellum cum Suecis ob insignia trium coronarum.* IV. 9. 17. *Christiani IV. Regis* acta belli & pacis. IV. 9. 18. Ejusdem *liberi naturales.* IV. 9. 19. Friderici III. *bellum infaustum cum Suecis.* IV. 9. 21.

Dannenberg Comitatus quomodo *ad Brunsuicenses* pervenerit. IV. 4. 4.

Dapiferatus Imperii quo pacto post Seldeneccios *Waldpurgiis* obtigerit. VII. 18. 9.

Delmenhorstanum Comitatum quo titulo *Bremenses* quondam appetierint. IV. 9. 3. quo *Monasterienses.* IV. 9. 5.

Dernbachia familia unde oriunda sit. VIII. 2. 1. quis ejus novi splendoris autor. VIII. 2. 4. quando *inter Comites Imperij* sit recepta. VIII. 2. 5.

Diepholt Comitatus quo pacto *ad D. Brunsuicenses* devenerit. IV. 4. 16, 24.

Dietmarsia quando à R. Daniæ & D. Holsatiæ *subacta* fuerit. IV. 9. 14.

Dietrichsteinia familiæ *origo* unde sit. v. 14 1. quæ linearum in ea divergia v. 14. 2. *Sigismundi* & *Adami* virtutes ac dignitates. v. 14. 3, 5. Franciscus *Cardinalis* & *primus* in familia S. R. I. *Princeps.* v. 14. 6. Quem in seculari dignitate hæredem instituerit. v. 14. 7. Quando & qua lege iste *ad sessionem votumque inter Ordines Imperij admissus* fuerit. Ibid

Diez Comitatus quomodo *ad Naſſovios* pervenerit. V. 6. 4, 5.

Donavverda qua occaſione *à D. Bavariæ ſubacta* ſit. II. 6. 14. Ejus *Vogtheia Imperialis* quomodo *ad Fuggeros* venerit. VII 3. 2.

Ducale axioma à Carolo M. in Germania *obliteratum* qua occaſione *renatum* ſit. I. 1. 4.

Duderſtad Moguntinæ diœceſis oppidum. II. 2. 5.

Durlacum quomodo *Badenſes* nacti ſint. IV. 8. 5.

Dyck qua via *ad Salmo-Reifferſcheidios* tranſierit. IX. 10. 9

E.

Eberſteiny Comitatus pars quo titulo M. *Badenſibus* obtigerit. IV. 8. 6. qui reliquam extincta familia crevorint. Introd. ad L. VII. §. 2. VII. 21. 4. *Genealogiæ Eberſteinia* fragmentum. Introd. ad. L. VII. §. 2.

Eggenbergica ſtirps unde oriunda. v. 3. 1. quando *Baronis axiomate* ſit *aucta*. Ib. quando *dignitate Principali*. v. 3. 2. quando & quo pacto *inter Imperij Ordines* fuerit *recepta*. v 3. 3.

Eginhardus Caroli M. Secretarius ac gener *ſator Comitum Erpachiorum*. VIII. 3. 1.

Eglingen quomodo *ad Graveneccios* venerit. VII. 5. 2.

Eglof Comitatus Imperialis quando *à C. Traunio acquiſitus* ſit. VII. 16 6.

Ehrenbreitſtein caſtrum ad Confluentes quis exſtruxerit. II. 3. 6.

Eichsfeld quomodo *ad Eccleſiam Moguntinam* pervenerit. II. 2. 5.

Einbeck oppidum *à D. Brunſuicenſibus in clientelam* ſuſcipitur. IV. 4. 5.

Elchingen cœnobium quis condiderit & reſtauraverit. III. 21. 4.

Electorum prærogativa in Imperio & *jura eximia* quæ ſint. II. 1. 1. quæ *origo*. II. 1. 2. *numerus* eorundem qua occaſione *auctus* ſit. II. 1. 3.

Elenbogen ſ. regio *Cubitenſis*. VII. 12. 2, 3, 5, 7.

Elvvangenſe monaſterium à quo fundatum, & quando *in Præpoſituram converſum* fuerit. III. 20. 11. aſſerit ſibi *jus Principale*. Ibid. Ejusdem *Officiales Hæreditarii* qui ſint. Ibid. qui *Canonici* præſentes. III. 20. 12.

Embdæ pars *ab Ulrico C. Friſiæ Orient.* acquiritur V. 8. 2.

S. Emmerani cœnobium in Ratisbona à quo & quam ob cauſam conditum fuerit. III. 21. 24.

Epiſcopos in Germania plerosque *inſtituit Carolus M.* I. 1. 1. illorum *poteſtas ſecularis* qua occaſione nata ſit I. 1. 8. Epiſcopatuum in Imperio *mutatio* & *diminutio*. III. 2. 1. quem nunc impleant numerum. III. 2. 2.

Epiſcopus maritus. III. 16. 8.

Erfurtenſis civitatis conditio priſtina ac hodierna. II. 2. 5.

Erpacenſis ſtirpis ſator quis fuerit, VIII. 3. 1. eſt penes eam *Pincernatus Hæreditarius Palatinatus ad Rhenum*. VIII. 3. 3. quæ *ditionum decrementa* ſit paſſa. VIII. 3. 4, 5.

Eſen dynaſtia quomodo *ad C. Friſiæ Orient.* pervenerit. V. 8. 2, 8.

Essenſis Abbatia quando *fundata* ſit. III. 22. 2.
Esterhaſiorum Comitum *deductio ab Adamo.* V. 16. 1.

F.

Falckenſteinicæ familiæ *mas ultimus* quis fuerit. VI. 3. 1. *Origo* illius unde. Ibid. in quot lineas diviſa fuerit. VI. 3. 2. quid circa illarum ſucceſſionem mutuam conſtitutum & actum ſit. Ib. & §. 3 ac 4.

Falckenſteinenſis Comitatus quando ex feudo immediato Imperii in *Sub-feudum Lotharingicum* fuerit converſus. VI. 3. 2. *venditur D. Lotharingiæ* & ab hoc *C. Valdemontio confertur.* VI. 3. 4. quos nunc Dominos habeat. Ib. & IX. 4. 17.

Fleckenſteinicæ familiæ *origo & lineæ.* VI. 4. 1. *Dachſtuhlenſis* linea quando defecerit. *VI.* 4. 2. *Litis* in familia *circa pacta gentilitia de filiarum excluſione ab hæreditate marium* ortæ hiſtoria. VI. 4. 3. *Calamitas* à *Gallis* noviſſimè familiæ huic *illata.* VI. 4. 5.

Franconiæ Ducatus quando *Herbipolitanæ Eccleſiæ* collatus fuerit. III. 3. 3.

Franckendal oppidum ac caſtrum Elect. Palatini II. 4. 21.

Freudenſtad in Ducatu Wirtenbergico quando & à quo ſit condita. V. 6. 11.

Freibergicæ familiæ autor quis fuerit. VII. 2. 1. quæ linearum divergia. VII. 2. 2. & ſeqq. quis nunc in ea feudum immediatum Imperii *Juſtingen* teneat VII. 2. 5, 6.

Friburgum Briſgojæ oppidum. I. 5. 5.

Fridberg Comitatus quomodo *ad Dapiferos de Waldpurg* pervenerit. VII. 18. 4.

Frisiæ Occidentalis Gubernatores è Nassoviis v. 6. 17, 31, 32.

Frisia Orientalis Vide *Ostfrisia.*

Frisingensis Episcopatus quando & à quo sit *institutus.* III. 12. 3. à quibus *dotatus.* III. 12 4. quot contineat præfecturas. III. 12. 6. quem quondam habuerit *Advocatum.* III. 12. 7. qui ejus sint *Officiales Hæreditarii.* III. 12. 8. qui *Canonici.* III. 12. 9.

Frugifera societas quo autore sit instituta. *IV.* 11. 9.

Fuggeri quomodo emerserint & incrementa sumserint VII. 3. 1, 2, 4. *Fuggeriani Fideicommissi* autor quis fuerit. VII. 3. 1. In quas lineas familia dividatur VII. 3. 2, 3. *Marci linea* in quo *defecerit* VII. 3. 9. Quem locum in Imperio occupent. VII. 3. 26.

Fuldensis Abbatia quando *fundata* sit. III. 20. 4. quæ ejus sit *excellentia.* Ib. Abbatum *contentiones de proedria.* Ib. Quis *Marescallus Hæreditarius* Abbatiæ sit. Ib.

Fürstenbergica familiæ *in Suevia origo* qualis sit. V. 9. 1. *VVilhelmi* Comitis *captivitas in Gallia.* Ib. *successio Heiligenbergensis & VVerdenbergensis.* V. 9. 2. Linearum divergia quæ sint. Ib. & §. 4. VII. 4. 3. *Dignitas Principalis* quando & cui è familia collata fuerit. V. 9. 7. *Affinitates cum Proceribus Bohemiæ* à quibusdam è familia initæ. V. 9. 6. VII. 4. 1, 2. *Hæreditas Helfenstei-nia* quomodo ei obtigerit. VII. 4. 3. quomodo *Stülingensis.* VII. 4. 9. Quem locum in Imperio illa obtineat. V. 9. 15.

Furſtenbergicæ gentis *in VVeſtphalia origo* unde ſit. III. 11. 1.

G.

Galeratenſem Comitatum quomodo *Hohenembſii* nacti ſint. VII. 6. 3. venditur is ab iſtis *Vicecomitibus Mediolanenſibus* VII. 6. 4.

Gandersheimenſis monaſterii *fundator* quis fuerit III. 22. 19. quæ ejus conditio præſens ſit. Ibid.

Geldria quibus familiis ſucceſſivè paruerit. V. 6. 2.

Gengenbacenſe cœnobium quando *fundatum* fuerit. III. 21. 16.

S. Georgii in Isnia cœnobium quis *condiderit*. III. 21. 22.

Germania ſtatus ſub Carolo M. qualis fuerit. I. 1. 1.

Germanicum regnum qua occaſione ortum ſit. I. 1. 3, 4, 5. quando *cum eo Imperium Romanum* fuerit *conjunctum*. I. 1. 6.

Germersheim dicebatur olim *Vicus Julii*. II. 9. 21. quæ *præſens* ejus ſit *conditio*. Ib.

Geroldſeccenſis familia quando & in quo defecerit. *Introd. ad* L. VII. §. 2. quò ditiones ejus delapſæ ſint. *Ib.* & VII. 1. 4.

Geroldſtein quomodo *ad Manderſcheidios* pervenerit. IX. 4. 3.

Gleichenſes ditiones quò poſt extinctam familiam devolutæ ſint. *Introd. ad* L. VI. §. 3. VI. 6. 3. VIII. 4. 6.

Goritiam quomodo *Auſtriaci* acquiſiverint. I. 5. 5.

Gradiſca qua cauſa *in Comitatum Principalem* erecta fuerit. V. 3. 3.

Græventhal dominium *Pappenheimicum.* VII. 11. 12.

Gravenecciæ familiæ *primores* qui reperiantur. VII. 5. 1. ejus *prisca axiomata* qualia fuerint. Ib. quæ lineæ. VII. 5. 2, 3, 4. quando *locum inter Ordines Imperii* obtinuerit. VII. 5. 7.

Græningensem Comitatum quomodo *Wirtenbergenses* acquisiverint. IV. 6. 3.

Gronsfeld qua via *ad Bronchorstios* pervenerit. IX. 2. 3.

Gundelfingen quomodo *Fürstenbergiis* obvenerit. VII. 4 3.

Gutenzellense monasterium quis *fundaverit.* III. 22. 22. quæ ejus *præsens conditio* sit. Ibid.

H.

Hachenburg quo titulo *C. Blanckenheimensis* sibi vindicaverit. IX. 4. 13.

Ab *Hænckl* Comites quas habeant possessiones v. 13. 5.

Hæreditarium fœdus sive *Confraternitas inter Saxones & Hassos* quando *initium* sumserit. *IV.* 2. 2. *IV.* 7. 3. quando *restauratum* fuerit. *IV.* 2. 5. quando eidem *Brandenburgica* familia accesserit. *IV.* 3. 4. *conditiones hujus fœderis* quales sint. Ibid. Aliud *inter Electorem Saxoniæ & Ducem Saxo-Lauenburgicum. IV.* 10. 12. *inter Comites Honsteinenses, Schvvarzburgicos & Stolbergenses. IV.* 16. 16. & 18. 14.

Hag Comitatus quomodo *ad Duces Bavariæ* pervenerit. II. 6. 13.

Haigerloch quomodo *Hohen-Zollerani* facti sint. v. 9. 2.

Halberſtadienſis Epiſcopatus *forma præſens* qualis ſit. II. 8. 15.

Hamburgenſium transactio *Steinburgica* cum Rege Daniæ. IV. 9. 18.

Hamela quando *in D. Brunſuicenſium clientelam* conceſſerit. IV. 4. 5.

Hanovicæ familiæ *vetuſtas* VI. 5. 1. quantas *per matrimonium* ditiones acquiſiverit. VI. 5. 2, 4. quando linea *Munzenbergica* interierit. VI. 5. 3. quæ turbarum in familia paucis abhinc annis ortarum cauſæ. VI. 5. 5. qui illi *locus in Imperio*, quæ religio. VI. 5. 11.

Hannoniæ Seneſcallus quis ſit? V. 1. 6.

Harlingiæ nomine quæ provincia veniat. V. 8. 8.

Haſſiaca familia unde orta ſit. IV. 7. 1. quomodo Landgraviatum Haſſiæ acquiſiverit. Ib. *Heinricus Infans Haſſiæ*. IV. 7. 2. Controverſia & transactio inter *Wilhelmum Medium & Juniorem*. IV. 7. 4. *Inveſtitura* Comitatuum *Catimeliboci*, *Diezia Ziegenhainii & Niddæ*. Ibid. *Philippi Magnanimi* acta. IV. 7. 6, 7. Ejusdem *bigamia ſimultanea*. IV. 7. 8. *Partitio teſtamentaria ditionum* inter filios ſuos. IV. 7. 9. Litis *de ſucceſſione Marpurgica* hiſtoria & eventus. IV. 7. 10. *Inſtitutio juris primogenituræ* IV. 7. 2, 11, 22. Ottonis Landgr. *triſte fatum*. IV. 7. 11. Quæ *per pacem Weſtphalicam Caſſellenſis linea acquiſiverit*. IV. 7. 12. Unde *Darmſtadienſi jus in Iſenburgicum Com.* natum ſit. IV. 7. 23. Fridericus *Cardinalis* IV. 7. 22. quid *circa ſucceſſionem Bingenheimenſem* noviſſimè litigatum fuerit. IV. 7. 32. Qui locus, quæ jura familiæ ſint in Imperio. IV. 7. 35.

Hax-

Hazfeldica ſtirpis *caſtrum gentilitium* ubi ſitum ſit. VI. 6. 1. quis ejus incrementorum autor VI. 6. 2. quomodò *de Comitatu Gleichenſi inveſtita* fuerit. VI. 6. 3. quas porro poſſeſſiones acquiſiverit. VI. 6. 4. quando *inter Comites Imperii recepta* ſit. VI. 6. 3.

Heggenbacenſis monaſterii *conditores* qui fuerint. III. 22. 23.

Heidelberga quando *ad Palatinos Rheni* pervenerit. II. 9. 14. quis arcem ei adſtruxerit. Ibid.

Heiligenberg Comitatus quomodo *Fürſtenbergicis* obtigerit. V. 9. 2.

Heldrungam quo pacto *Mansfeldii* acquiſiverint. VI. 10. 3.

Helfenſteinicæ ditiones quò familia extincta migraverint. *Introd. ad L. VII.* §. 1.

Helmſtadium quomodo *Duces Brunſuicenſes* obtinuerint. *IV.* 4. 12.

Helvetii quam ob cauſam ab Auſtriacis deſciverint. I. 5. 6.

Hennenbergenſis Principatus quo pacto *ad Saxonicos* delati & *inter eos diſpertitus* fuerit. IV. 2. 9.

Herbipolitanus Epiſcopatus quando & à quo *inſtitutus* fuerit. III. 3. 3. quando *Franconiæ Ducatu auctus & duplici poteſtate* præditus. Ibid. quid detrimenti ex inſtitutione Bambergenſis Epiſc. paſſus ſit. III. 3. 4. qui ejus *Officiales* ſint *Hereditarii*. III. 3. 5. qui *Canonici* præſentes. III. 6. 7.

Herfordenſis Abbatia à quo ſit *fundata*. III. 22. 14. cui religioni adhæreat. Ib.

Hermannus Billingius cujus sortis fuerit. IV. 10. 2.

Hildesheimensis Episcopatus quando & à quo *fundatus* fuerit. III. 10. 4. qua via *amplificatus*. Ib. qua iterum *diminutus*. III. 10. 5. quos habeat *Officiales Hæreditarios*. III. 10. 6. quos nunc *Canonicos*. III. 10 7.

Hilicrodiensis Comitatus quo pacto *ad Ecclesiam Colonienſem* pervenerit. II. 4. 6.

Hirschfeldensis Abbatiæ *conditio præsens* qualis sit. IV. 7. 12.

Hispaniæ Regna qua via *ad Austriacos* devenerint. I. 5. 4.

Hæchst oppidum quomodo *Ecclesiæ Moguntinæ* obtigerit. II 2. 5.

Hæxter causa litis inter D. Brunsuicenses & Abb. Corbeiensem. III. 20. 24.

Hohenembsiæ familiæ origo qualis sit. VII. 6. 1. quomodo inclaruerit & ad altiorem dignitatem pervenerit. Ib. quando *inter Comites Imperii recepta* fuerit. VII. 6. 3. Marcus Sitticus *Cardinalis* & *Altempsii Ducum autor*. VII. 6. 2.

Hohenlandsberg quomodo *ad Sainsheimios* venerit. V. 10. 3.

Hohenloica familia *unde* sit *oriunda*. VIII. 4. 1, 2. in quas dividatur lineas. VIII. 4. 4, 5, 15. *Philippi* Comitis *virtus* Batavis probata. VIII. 4. 5. quo pacto *Gleichensem Comitatum* sibi *linea Neosteinensis* asseruerit. VIII. 4. 6. Ejusdem lineæ novissima *de divisione ditionum transactio* quomodo se habeat. VIII. 4. 8.

Hohen-Zollerana familia unde deduci solear. V. 2. 1.

quis

Hazfeldica ſtirpis *caſtrum gentilitium* ubi ſitum ſit. VI. 6. 1. quis ejus incrementorum autor VI. 6. 2. quomodò *de Comitatu Gleichenſi inveſtita* fuerit. VI. 6. 3. quas porro poſſeſſiones acquiſiverit. VI. 6. 4. quando *inter Comites Imperii recepta* ſit. VI. 6. 3.

Heggenbacenſis monaſterii *conditores* qui fuerint. III. 22. 23.

Heidelberga quando *ad Palatinos Rheni* pervenerit. II. 9. 14. quis arcem ei adſtruxerit. Ibid.

Heiligenberg Comitatus quomodo *Fürſtenbergicis* obtigerit. V. 9. 2.

Heldrungam quo pacto *Mansfeldii* acquiſiverint. VI. 10. 3.

Helfenſteinicæ ditiones quò familia extincta migraverint. *Introd. ad L. VII.* §. 1.

Helmſtadium quomodo *Duces Brunſuicenſes* obtinuerint. *IV.* 4. 12.

Helvetii quam ob cauſam ab Auſtriacis deſciverint. I. 5. 6.

Hennenbergenſis Principatus quo pacto *ad Saxonicos* delati & *inter eos diſpertitus* fuerit. IV. 2. 9.

Herbipolitanus Epiſcopatus quando & à quo *inſtitutus* fuerit. III. 3. 3. quando *Franconiæ Ducatu auctus* & *duplici poteſtate* præditus. Ibid. quid detrimenti ex inſtitutione Bambergenſis Epiſc. paſſus ſit. III. 3. 4. qui ejus *Officiales* ſint *Hereditarii*. III. 3. 5. qui *Canonici* præſentes. III. 6. 7.

Herfordenſis Abbatia à quo ſit *fundata*. III. 22. 14. cui religioni adhæreat. Ib.

Hermannus Billingius cujus sortis fuerit. IV. 10. 2.

Hildesheimenſis Epiſcopatus quando & à quo *fundatus* fuerit. III. 10. 4. qua via *amplificatus*. Ib. qua iterum *diminutus*. III. 10. 5. quos habeat *Officiales Hæreditarios*. III. 10. 6. quos nunc *Canonicos*. III. 10 7.

Hilicrodienſis Comitatus quo pacto *ad Eccleſiam Colonienſem* pervenerit. II. 4. 6.

Hirſchfeldenſis Abbatiæ *conditio præſens* qualis ſit. IV. 7. 12.

Hiſpaniæ Regna qua via *ad Auſtriacos* devenerint. I. 5. 4.

Hæchſt oppidum quomodo *Eccleſiæ Moguntinæ* obtigerit. II 2. 5.

Hæxter cauſa litis inter D. Brunſuicenſes & Abb. Corbeienſem. III. 20. 24.

Hohenembſiæ familiæ origo qualis ſit. VII. 6. 1. quomodo inclaruerit & ad altiorem dignitatem pervenerit. Ib. quando *inter Comites Imperii recepta* fuerit. VII. 6. 3. Marcus Sitticus *Cardinalis* & *Altempſii Ducum autor*. VII. 6. 2.

Hohenlandsberg quomodo *ad Sainsheimios* venerit. V. 10. 3.

Hohenloica familia *unde* ſit *oriunda*. VIII. 4. 1, 2. in quas dividatur lineas. VIII. 4. 4, 5, 15. *Philippi* Comitis *virtus* Batavis probata. VIII. 4. 5. quo pacto *Gleichenſem Comitatum* ſibi *linea Neoſteinenſis* aſſeruerit. VIII. 4. 6. Ejusdem lineæ noviſſima *de diviſione ditionum transactio* quomodo ſe habeat. VIII. 4. 8.

Hohen-Zollerana familia unde deduci ſolea[t]. V. 2. 1.

quis

quis ex ea *primus Camerarius Hæreditarius Imperii* fuerit v. 2. 3. quid circa *exercitium hujus muneris* constitutum sit, v. 2. 4. Linearum divisio quomodo se habeat. v. 2. 5. Quando è familia *Principale axioma* obtinuerit. Ibid. & §. 10. Eitel Fridericus *Cardinalis.* v. 2. 10. Quem locum, quæ jura in Imperio familia teneat. v. 2. 13.

Hojensis Comitatus quomodo *ad Duces Brunsuicenses* delapsus sit. IV. 4. 12, 24.

Holsatica familia originem Oldenburgicæ debet. IV. 9. 1. quomodo *Regna Septentrionalia* nec non *Ducatum Slesvvicensem, Holsatiam & Stormariam* acquisiverit. IV. 9. 11. quo pacto Friderici I. Regis filii ditiones inter se diviserint. IV. 9. 13. Quod sit *fundamentum hodiernæ divisionis in duo suprema regimina. IV.* 9. 15. E linea Regia quot orti sint rami. *IV.* 9. 31, 32. quæ istis ditiones fuerint assignatæ, qualis jurisdictio. Ibid. Quinam ex hac familia *cum Moscovitarum Magno Duce affinitatem* contraxerint. *IV.* 9. 16, 17. Quo pacto Dux Plönensis cum Rege Daniæ de Oldenburgica hæreditate transegerit. *IV* 9. 45. Quid commodi ad Ducem Gottorpiensem è pace Rotschildensi redierit. *IV.* 9. 52. Quis locus, quæ jura familiæ sint in Imperio. *IV.* 9. 58.

Holsatiæ Ducatus quando evectus fuerit. *IV.* 9. 11.

Homburg castrum Comitatus Saræpontani. *VI.* 11. 3.

Honsteinium Comitatum qui nunc teneant. *Introd. ad L. VI.* §. 3. *IV.* 4. 7, 13.

Hudikhin spiritus familiaris Guntheri *Episc. Hildesheimensis.* III. 10. 4.

Hunesruch malè *Hundsruck* vocatur, & quæ *vera* sit *nominis derivatio* II. 9. 25.

Hungariæ Regnum quomodo *ad Austriacos* pervenerit. I. 5. 3.

I.

Iamets dominium quomodo *ad Marcano-Sedanenses* pervenerit. IX. 5. 9. & ab his *ad Crojenses.* IX. 5. 10.

Iegerndorfensem Ducatum quando *Marchiones Brandenburgici* acquisiverint. II. 8. 17. cur *eis ademptus* & *cui traditus* sit. Ibid. v. 13. 5.

Iheverensis Dynastia quando *in Ducatus Brabantiæ clientelam* concesserit. IV. 9. 7. quomodo *ad Comites Oldenburgicos* pervenerit. Ibid. *ad quem nunc pertineat.* IV. 11. 20.

Imperium Romanum qua occasione *cum Regno Germanico conjunctum* fuerit. I. 1 6.

Ioachimicæ Vallis pristini possessores & instauratores qui fuerint. VII. 12 2, 6, 7, 11.

Irsingen cœnobium quos *fundatores* & *dotatores* habuerit. III. 21. 8.

Isenburgicæ familiæ *origo* incomperta v. 7. 1. Autorum discrepantia in deductione *lineæ Grensavienſis* v. 7. 2. Quando & in quo ista defecerit. v. 7. 3. Hæredes ejus qui sint. Ibid. *Budingensis linea* lites cum Landgr. Hasso-Darmstadiensibus unde ortæ v. 7. 5. *Joh. Ottonis* ex impari conjugio nati *contentio pro jure natalium* v. 7. 4. Hodierna familiæ divisio qualis sit. v. 7. 6. *Litis inter fratres Offenbacenses* quæ fuerit causa. v. 7. 7. Quem locum in Imperio familia teneat, & quæ sacra sequatur. v. 7. 12.

Isenburgicarum ditionum pars quomodo *Wiedanis* obtigerit. IX. 12. 2.

Iuliacensis Ducatus quomodo *ad Marcanam* familiam devenerit. IX. 5. 6. quis nunc eum teneat. IV. 1. 8.

Iunckerroth quomodo *Manderscheidiis* obvenerit. IX. 4. 3.

Iustingen feudum Imperii immediatum in cujus ditione nunc sit. *VII.* 2. 5.

K.

Kail castrum Manderscheidiorum. IX. 4. 2, 16.

Kaisersheim cœnobii fundator quis fuerit. III. 21. 17. quem controversia à Palatino Neoburgico de immedietate illi mota eventum habuerit. Ibid.

Kalckstein molitiones in aula Polonica adversus Electorem Brandenburgicum quomodo in caput autoris reciderint. II. 8. 9.

Kerpen qua via ad Manderscheidios venerit. IX. 4. 2, 4.

Kevernburg castrum ubi situm fuerit *VI.* 16 1.

Kirchberg Palatinorum olim Comitatus fuit. II. 9. 25.

Kirchberg Fuggerorum. VII. 3. 1, 2. *Hohenloicorum. VIII.* 4. 13. (3. 2.

Kirchheim quomodo *ad Fuggeros* pervenerit. *VII.*

Kletgoviam quomodo *Sulzii* acquisiverint. *VII.* 14. 1.

Kniphausen quando *Ducatus Brabantiæ feudum* sit factum. *IV.* 9. 8. quomodo *ad C. Oldenburgicos* pervenerit. Ibid. quem post istos extinctos Dominum acceperit. *IV.* 9. 9.

Kœnigseccia familia unde oriunda sit. *VII.* 7. 1. quomodo *in Hispaniam* etiam *ac Prussiam* migraverit. *VII.* 7. 2. in quas lineas dividatur. VII 7. 3. Qui locus, quæ jura ejus sint in Imperio. *VII.* 7. 10.

Kœnigsteinensis Comitatus cui nunc pareat. *Introd. ad L. VI.* §. 3.

Kyburgensis Comitatus quomodo *ad Ecclesiam Augustanam* pervenerit. III. 9. 4.

L.

Langenburgensi tessera quando *Hohenloici* Comites cœperint uti. VIII. 4. 4.

Lautram quomodo *Palatini* acquisiverint. II. 9. 23.

Legatus natus Sedis Apostolicæ quid significet. III. 1. 10.

Leiningica familia *quotuplex*, & *quæ originaria* sit. *VI.* 8. 1. ufa est aliquando *Landgravii* axiomate. *VI.* 8. 2. *Dagsburgica* in quas lineas dividatur. *VI.* 8. 3. in quas *Westerburgica. VI.* 9. 3. Quæ *causa rixæ inter Ludovicum Eberhardum Comitem & Adolphum Johannem Palatinum* fuerit. *VI.* 9. 6, 7. Qui locus familiæ sit in Imperio, & quæ religio. *VI.* 9. 10.

Leiningensium ditionum pars quo pacto *ad Palatinos* pervenerit. *VI.* 9. 2.

Lemgoviam quando *Lippienses* Comites acquisiverint. IX. 3. 2.

Lenep Baronatus quomodo *Bentheimicis* Comitibus obtigerit. IX. 1. 11.

Leodiensis Episcopatus quando & qua occasione in-

stitutus fuerit. III. 10 8. quam latè se extendat. III. 10. 9. *Canonicorum* ejus catalogus. III. 10. 11.

Leodiensis civitas quatenus libertate gaudeat. III. 10. 8.

Leuchtenbergensis Landgr. quando *ad Bavaria Duces* delapsus sit. II. 6 12.

Lichau Comitatum quomodo *D. Brunsuicenses* acquisiverint. IV. 4. 4.

Liechtenberg Comitatus quo pacto *Hanovicis* obvenerit. VI. 5. 4. quid à Gallis nuper passus sit. VI. 5. 5.

Liechtensteinici nominis quot sint illustres familiæ. v. 13. 2.

Liechtensteinii de Nicolspurg unde oriundi sint. V. 13. 3. quo pacto incrementa sumserint & quando *Principale axioma* obtinuerint. v. 13. 4, 5. Non admittuntur ad sessionem inter Ordines Imperii. v. 13. 4.

Ligniacensis familiæ antiquitas ostenditur. v. 1. 2. quæ ejus divisio principalis sit. v. 1. 3. quando *Comitis & Principis dignitate* ornata fuerit. v. 1. 4. Claudii Lamoraldi Principis *merita in Hispanos* prædicantur. v. 1. 5. Linea Barbansonia *successione Arembergica & Arscotana* augetur. v. 1. 8, 9.

Limburgicus Com. *ad Laynam* quomodo *ad Bentheimicam* familiam pervenerit. IX. 1. 11.

Limpurgiorum in Franconia origo unde sit. VIII. 5. 1. *Pincernatum Imperii* quamdiu teneant. VIII. 5. 2. in quot lineas dividantur. VIII. 5. 3.

Lindaviensem Abbatiam quis *fundaverit*. III. 22. 11. num *quid* ei *juris in urbem* competat. Ibid.

Lin-

Lingen dominium quomodo *Tecklenburgici Com.* amiserint. IX. 1. 10.

Lippiæ Comites cujus sint originis. IX. 3. 1. quomodo incrementa sumserint. IX. 3. 2, 4, 5. quis *Evangelicam religionem* in ditiones introduxerit. IX. 3. 5. in quot lineas dividantur. IX. 3. 6. *Simonis Philippi Comitis testamentum* quam litem familiæ conciverit IX. 3 7. quid Philippus Comes è Schaumburgica hæreditate obtinuerit. IX. 3. 19.

Lobkovviziana familia inter vetustissimas Bohemiæ referrur. v. 4. 1. quotuplex olim fuerit. v. 4. 2. *Hassensteinii* quando defecerint. Ib. *Poppeliorum fœcunditas* quanta fuerit. v. 4 4. quis ex his *Principali dignitate* primus auctus fuerit v. 4. 6. quando *inter Imperii Ordines recepti* sint. v. 4. 7.

Lövvensteinenses Comites unde oriundi sint. *VIII.* 6. 1. quomodo ditionibus aucti. *VIII.* 6. 4, 5. in quas lineas dividantur. *VIII.* 6. 4. Ludovici Comitis *mors scæva. VIII.* 6. 2.

Lövvensteinensis Comitatus quo pacto *Ducibus VVirtenbergensibus feudi titulo obnoxius* sit factus. *IV.* 6. 8.

Lohr quomodo ad *VVitgensteinium* Comitem pervenerit. *VI.* 20. 21.

Lotharingiæ Ducatus pertinebat aliquando ad Ecclesiam Colonien sem. II. 4. 6.

Lubeccensis Episcopatus quando institutus fuerit. *III.* 17. 9. quando *Evangelica religio in eo introducta* sit. Ibid. quos *è Ducibus Holsatiæ Antistites* habuerit. *III.* 17. 10.

Luderensem Abbatiam quis fundaverit *III.* 20. 15.

Lumain quomodo *ad Marcanos* pervenerit. *IX.* 5. 7. confertur *Comiti Lövvensteinio VIII.* 6. 13.

Lusatia quomodo post varias migrationes tandem *ad Saxonicam familiam* redierit. *II.* 7. 23.

Lutherus cui negotio immortuus sit. *VI.* 10. 6.

Lutterberg Comitatus, quomodo *ad D. Brunsuicenses* delapsus sit. *IV.* 4. 7.

M.

Machslrainica familiæ prima mentio quo seculo reperiatur. *VII.* 8. 1. quando *jus superioritatis* sit nacta. *VII.* 8. 2. Waldeccensis linea quid ob Evangelicam religionem passa sit, & quando defecerit. *VII.* 8. 4. *quid juris in Imperio* teneat. *VII.* 8. 10.

Magdeburgensis Archiepiscopatus quos è familia Brandenburgica Antistites habuerit. II. 7. 22. quæ *prejudicia ejus sit conditio.* Ibid. & III. 1. 5.

Magdeburgensis Burggraviatus quando institutus fuerit. II. 7. 22.

Magdeburgum quando libertatem amiserit. II. 8. 14.

Magisterium Domini quid sit. III. 19. 2.

Mahlberg quo pacto *ad Badenses* pervenerit. *IV.* 8. 31.

Manderscheidicæ familiæ *origo* unde sit. IX. 4. 1. quas ditiones successive acquisiverit. IX. 4. 2, 3, 4, 5, 6, 17. ex quo capite illi de *immedietate controversia* à Ducibus Juliacensibus mota fuerit. IX. 4. 3. in quot lineas divisa sit. IX. 4. 4. quæ *lis ex institutione Majoratus*

tus in linea primogenita orta sit. IX. 4. 5, 7. quo pacto linea ista extincta ditiones dispertitæ fuerint. IX. 4. 8.

Manheimium quando conditum, & à quo instauratum sit. II. 9. 14.

Mansfeldicæ familiæ origo unde sit. *VI.* 10. 1. in quas lineas divisa illa olim fuerit. *VI.* 10. 2, 6. quibus ditionibus successivè aucta sit. *VI.* 10. 3. quomodo cum Ducibus Saxoniæ ob metalli fodinas transegerit. *VI.* 10. 3. qui primi è familia *religionem Evangelicam* amplexi sint. *VI.* 10. 5. qui in ea *Principali dignitate* eminuerint. *VI.* 10. 7. *Ernesti Mansfeldii nothi fatum* quale fuerit. *VI.* 10. 8. Quantopere dissipatæ sint opes familiæ. *VI.* 10 4.

Mansfeldicus Comitatus quando *in Ecclesiæ Magdeburgensis clientelam* datus sit. *VI.* 10. 4.

Marcanæ familiæ *origo* unde sit. IX. 5. 1. in quas lineas divisa olim fuerit. IX. 5. 4 *Clivensis linea* quanta sumserit incrementa, & quando defecerit. IX. 5. 5, 6. *Arembergica linea* quos ramos produxerit. IX. 5. 8. quas ditiones acquisiverit. IX. 5. 7, 8, 9. *Sedanensis ramus* in quibus defecerit. IX. 5. 12, 14. *Comes Marcanus in pugna Conserbruckensi cæsus* quis fuerit. IX. 5. 14. *Wilhelmi* Marcani mores & *mors tragica*. IX. 5. 15. Linea superstes quo pacto in possessionem *Sleidæ* venerit. Ibid.

Marcanum Comitatum quis nunc teneat. II. 8. 18.

Marchiæ novæ nomine quid veniat, & quomodo ea ad *familiam Brandenburgicam* pervenerit. II. 8. 8.

Marchia vetus etiam *Soltvvedelenſis* vocatur. *IV.* 10. 2.

Marchia Brandenburgica quas familias pervagata ſit. IV. 10. 3.

Marchtal cœnobium quando *conditum* & à quo *inſtauratum* ſit. III. 21. 3.

Maternus viduæ Nainiticæ filius *bis redivivus* primus Epiſcopus Colonienſis fuiſſe fertur. II. 4. 5.

S. Maximini Abbatia à quo *fundata* ſit. I. 3. 8. quando *Archiepiſcopatui Trevirenſi incorporata.* Ibid.

Mecklenburgenſis familiæ *origo* quæ ſit. *IV.* 5. 1. quomodo *ditionibus aucta* illa ſit. *IV.* 5. 2, 3, 4. *Ducalem dignitatem* quando acceperit. *IV.* 5. 3. quis *Evangelicam religionem* in Ducatum introduxerit. *IV.* 5. 4, 5. Ducum *contentiones cum civitate Roſtochienſi*, & quomodo illæ compoſitæ fuerint. *IV.* 5. 6. In quas *lineas* familia nunc dividatur. *IV.* 5. 7. Quæ *per pacem Weſtphalicam* illa *amiſerit*, quæque viciſſim *obtinuerit. IV.* 5. 8. Lis inter *Chriſtianum* & *Fridericum* fratres quomodo transacta ſit. *IV.* 5. 16. Qui locus, quæ jura familiæ in Imperio competant. *IV.* 5. 23.

Mergentheim ſedes *Magiſtri Ordinis Teutonici.* III. 18. 10. quomodo in ditionem Ordinis pervenerit. VIII. 4. 2.

Merſeburgenſem Epiſcopatum quis *fundaverit*, & quæ ejus conditio nunc ſit. II. 7. 25.

Metternichia ſtirps in quos ramos ſe diffuderit. IX. 6. 1. quis ex iſtis dynaſtias *Winneberg* & *Beilſtein* acquiſi-

quisiverit. IX. 6. 7. Carolus Heinricus *Elector Moguntinus.* IX. 6. 8. *Comitis axioma* quis è familia acceperit. IX. 6. 9.

Mindanus Episcopatus quam mutationem sit passus II. 8. 15.

Misnia quomodo ad familiam, cui nunc paret, pervenerit. *IV.* 2. 2.

Mæskirchen quomodo *ad Fürstenbergicos* pervenerit. *VII.* 4. 3.

Moguntinensis Electoris *jus coronandi Regem Romanorum*, & quomodo de eo cum Colonienſi transegerit. II. 2. 21.

Moguntinensis Ecclesia quando *fundata* sit. II. 2. 6. quando *in Archiepiscopatum* evecta fuerit. Ibid. quomodo *Hassiam Thuringiamq;* acceperit & amiserit. Ib. quas de cætero ditiones acquisiverit. Ibid. 2. 7. quas habeat Ecclesias *suffraganeas.* II. 2. 8. quos *Ministros Hæreditarios.* Ib. quot & quos *Canonicos.* II. 2. 9.

Moguntia quando libertate sua exciderit. II. 2. 7.

Monasterienſis Episcopatus initio *Mimingerodensis* dicebatur. III. 11. 9. quando fuerit institutus. Ib. Ejus Diœcesis quo pacto dilatata sit. III. 11. 10. quando *Episcopi à clero legi* cœperint. III. 11. 9. qui *Officiales Hæreditarii* Episcopatus sint. III. 11. 14. qui nunc *Canonici.* III. 11. 15.

Monasterienſis civitas quando ab *Episcopo subjugata* fuerit. III. 11. 12.

Monasterium in valle Gregoriana quando conditum sit. III. 21. 21.

Monasteria Ratisbonensia Inferius & Superius qui fundaverint. III. 22. 17.

Monpelicardensis Comitatus quomodo *ad Wirtenbergicos* pervenerit. IV. 6. 5.

Montfort in *Burgundia* quomodo *ad domum Palatinam* pervenerit. *IV.* 1. 16.

Montfortiorum Comitum *in Suevia* stirps unde derivari soleat. *VII.* 9. 1. quo pacto Comitatum gentilitium aliaque abalienarint. VII. 9. 1, 2. quid illis è veteri patrimonio nunc supersit. VII. 9. 4.

Moviaci (*Mouy*) Marchionatus quomodo *ad familiam Ligniacensem* pervenerit. V. 1. 6.

Mullendonck dominium. IX. 2. 5. v. 16. 12.

Mundelheim quomodo *ad Freundsbergios* devenerit, VII. 11. 3. & ab his *ad Elect. Bavaria.* II. 6. 16.

Munsterberg Dncatus cui nuncpareat. V. 7. 4.

Munzenbergæ pars *ad Hanovios* quomodo delata sit. VI. 5. 2. quomodo *ad Solmenses* VI. 17. 2.

Murau quomodo *Schvvarzenbergicis* obvenerit. V. 10. 4.

Murbacensem Abbatiam quis fundaverit. III. 20. 15.

N.

Nassovia familiæ *origo* unde derivetur. V. 6. 1. ditionibus quomodo pedetentim fuerit aucta. V. 6. 2, 3, 4, 5. VI. 11. 3. *Linea* ejus *capitales* quomodo appellentur. V. 6. 3. *Catimelibocensis linea* quomodo subdividatur. V. 6. 5. *Dillenburgicus ramus* in quos iterum abierit palmites. V. 6. 17. *Principalis dignitas* quando huic ramo

ramo collata fuerit. Ib. *Johannis Medii Siegenſis teſtamentum* & quid litis inde enatum ſit. V. 6. 18, 19, 25. Joh. Mauritius *Americani* cognomen nactus. V. 6. 22. *Linea Sarapontana* ex quo capite *dignitatem Principalem affectet.* VI. 11. 1. quid circa ejus *reſtitutionem in Comitatum Sarvverdanum & caſtrum Homburg* ante aliquot annos actum ſit. VI. 11 3. Quis locus & quæ jura familiæ in Imperio competant. V. 6. 42. VI. 11. 15.

Naumburgenſem Epiſc. quis fundaverit, & quæ ejus conditio præſens ſit. II. 7. 25.

Neuburg ad Danubium quando *ad Palatinos* devenerit. II. 6. 9.

Neuburg ad Oenum Comitatus. VII. 13. 6. IX. 10. 5

Neumagen quomodo *ad VVitgenſteinios* pervenerit. *VI.* 20. 3.

Neuſtad præfectura *Elect. Palat.* II. 9. 22.

Neuſtad ad VValdnabam quomodo *Lobkovviziiac*quiſiverint. V. 4. 5. quo nunc nomine & axiomate gaudeat. V. 4. 7.

Nidda Comitatus quomodo *ad Haſſia Landgr.* pervenerit. *IV.* 7. 3.

Nivernii Comites è Marcanis poſtremi qui fuerint. *IX.* 55. quò poſt iſtos Comitatus ille devenerit, & quis nunc eum teneat. Ibid.

Noſtizia familia *unde* ſit *oriunda. VIII.* 7. 1. in quas dividatur lineas. Ib. *quis* ex ea *inter Comites Imperii cooptatus* fuerit, & quo pacto factum id ſit. *VIII.* 7. 3.

Notthaftius C. cur ultimo Imperii Receſſui ſubſcripſerit. Introd. ad L. *VIII.* §. 1.

Novocastrensia dominia (*Neufchastel.*) *IV.* 7. 3. & 8. 4.

Nuptiarum cum fratris vidua exempla *VII.* 11. 7. VI. 20. 14.

O.

Oberstеinensis dynastiæ conditio præsens qualis sit? *VI.* 3. 5.

Obervvald Lippiensium Comitatus avitus. *IX.* 3. 2.

Ochsenhausen cœnobium quando fundatum & *immunitate donatum* fuerit. *III.* 21. 7.

Ochsenstein quomodo *ad Hanovios* pervenerit. *VI.* 5. 4.

Odenheimensis Præpositura quando *Bruchsellam* fuerit *translata*. *III.* 6. 5.

Oels Ducatus quomodo *ad Wirtenbergicos* devenerit. *IV.* 6. 25.

Oeningen Præpositura, olim Comitatus, cui subsit. *III.* 8. 4.

Oeringen commune *Hohenloicorum Comitum* oppidum. *VIII.* 4. 9.

Oetingensis familia unde deduci soleat. V. 11. 1. An *Landgraviatus Alsatiæ* aliquando penes eam fuerit, & quamdiu. v. 11. 2. an Ludovicus X. Comes *uxorē ex Egisheimensibus* habere potuerit. v. 11. 3. quomodo Comitatus & familia nunc dividantur, & quod hujus *divisionis fundamentum* sit. v. 11. 4. Quid Ludovicus XV. ob *studium Evangelicæ religionis* passus sit. v. 11. 6. quis è familia *Principalem dignitatem* obtinuerit.

tit. V. 11. 9. Quid *controversiæ circa administrationem feudorum & Regalium* in familia ortum sit. VII. 10. 1.

Officiales Hæreditarii Archiepiscopatus *Moguntinensis* qui sint, II. 2. 8. qui *Trevirensis*, II. 3. 10. *Colonienſis*, II. 4. 8. *Salisburgenſis*. III. 1. 12. qui Episcopatus *Bambergenſis*, III. 2. 6. *Herbipolitani*, III. 3. 3, 5. *Aichſtettenſis*, III. 5. 7. *Conſtantienſis*, III. 8. 5. *Auguſtani*, III. 9. 6. *Hildeſienſis*, III. 10. 6. *Paderbornenſis*, III. 11. 7. *Monaſterienſis*, III. 11. 14. *Friſingenſis*, III. 12. 8. *Ratisbonenſis*, III. 12. 11. *Paſſavienſis*, III. 13. 4. *Tridentini*, III. 14. 5. *Brixinenſis*, III. 15. 5. *Curienſis*, III. 16. 11. qui Abbatiæ *Fuldenſis*, III. 20. 4. *Campidunenſis*, III. 20. 7. *Elvacenſis*, III. 26. 11. qui *Imperii*, V. 2. 3. VII. 11. 10, 13. VII. 13. 7. & 18. 9. VIII. 5. 2. Regni *Bohemiæ*, II. 5. 5. *Carniolæ & Vinidorum Marchiæ*, V. 7. 1. *Carinthiæ*, V. 14. 1, 3. *Lucemburgici* Duc. VI. 2. 3. *Palatinatus ad Rhenum*, II. 9. 20. VI. 13. 14. VIII. 3. 3. *Auſtriæ*, VII. 13. 7. *Namurcenſis* Comit. VII. 14. 2.

Oldenburgicorum Comitum *origo* quæ fuerit. IV. 9. 1. Theodorico cur *Fortunati* cognomen tributum sit. IV. 9. 4. Gebhardus cur *Bellicoſus* dictus. IV. 9. 5. Quas ditiones familia hæc acquisiverit. IV. 9. 6, 7, 8, 11. quis *ultimus Comes Oldenburgicus* fuerit, & quid litis circa ejus hæreditatem exarserit. IV. 9. 9 10.

Ordines Equeſtris Teutonici origo quando cœperit, *III.* 18 7. quando *è Palæſtina in Germaniam* transierit, *III.* 18. 8. quanta *incrementa in Pruſſia & Livonia* sumserit, quæque vicissim *decrementa* sit passus *III.* 18. 8. *quot* nunc contineat *Ballivias*. *III.* 18. 11. quos *Commendatorum* sint *genera*. *III.* 18. 12. *Commendatores*

provinciales hodierni qui sint. *III.* 18. 13-22. *Commendatorum Ballivia Franconicæ prærogativa* qualis sit, & *qui nunc Equites sub ea* comprehendantur. *III.* 18. 18. Quæ *Equitum* sint *requisita. III.* 18. 24. quæ *ceremoniæ in creationibus Equitum* adhiberi soleant. *III.* 18. 25.

Ordinis Teutonici Supremus Magister quando *inter Principes Imperii receptus* fuerit, quemque locum inter illos occupet. III. 18. 9. ubi *domicilium* habeat. III. 18. 10. à quibus eligi soleat. III. 18. 23. *Hodierni* quanta sit *dignatio.* III. 18. 3.

Ordo Iohanniticus quomodo dividatur, III. 19. 1. *Prioratum Bohemiæ* quis nunc teneat. Ibid. *Bajulagii Brandenburgici conditio* quæ hodiè sit. III. 19. 2. *Prioratus Germaniæ* quid juris in Imperio habeat. III. 19. 3. quæ *detrimenta* ab aliquo tempore sit passus. III. 19. 4. *Dissidii* ante aliquot lustra circa illum nati quæ fuerit *causa.* III. 19. 5. quinam nostra memoria eum administraverint. Ibid.

Ordo Elephantiacus quando sit institutus. *IV.* 9. 17. quando cum *Danebrogico conjunctus. IV.* 9. 25.

Ordinum Mancipiorum virtutis & Cruciferarum ab Eleonora vidua Cæsarea institutorum quæ sit ratio. I. 3. 5, 6.

Orlamund Com. quomodo *ad Saxonicam domum* pervenerit. IV. 2. 3.

Ortenburgici Comites olim *Artenbergici* dicebantur. VI. 12. 1. unde derivari soleant. VI. 12. 2. qui ex illis *Carinthiæ Ducatum* tenuerint. VI. 12. 3. in quas lineas divisi fuerint. Ib. quis in Bavarica *unionem hereditariam* sanxerit. VI. 12. 5.

Ortenburgicus Comitatus *in Carnis* quas familias pervagatus sit, & in qua nunc hæreat. VI. 12. 3.

Osnabruggensem Episcopatum *quis fundaverit & dotaverit.* III. 17. 4. quid *pace Westphalica* circa eum constitutum fuerit. III. 17. 2, 5, quos nunc alat *Canonicos.* III. 17. 6.

Ostfrisiaca familia *unde orta* sit. V. 8. 1. quis *primus* ex ea *Comitis titulo usus* fuerit. V. 8. 2. *Primogenituram* quis introduxerit. V. 8. 4. *Principalem dignitatem* quis primus ex hac familia acceperit. V. 8. 10. quid *litis cum Embdanis & Pr. Liechtensteinio* illa habuerit. Ib. Quid *juris in Imperio & civitate Embdana* teneat. V. 8. 16.

P.

Paderborna unde nomen traxerit. III. 11. 4.

Paderbornensis Episcopatus quando *institutus* fuerit. III. 11. 4. quomodo *locupletatus.* III. 11. 5. Advocatiam quomodo redemerit. III. 11. 4 quos habeat *Ministros hæreditarios.* III. 11. 7. quos in præsentia *Canonicos.* III. 11. 8.

Palatinatus ad Rhenum quando *cum Ducatu Bavariæ conjunctus* fuerit. II. 6. 8. IV. 1. 3.

Palatinatus superior quando sic dici cœperit. II. 6. 8. quomodo *ad Bavaricam domum* pervenerit. II. 6. 10.

Palatinus Electoratus quam mutationem hoc seculo sit passus. II. 9. 1. in quot præfecturas dividatur. II. 9. 14, 19.

Palatina stirps unde deducatur. IV. 1. 1. quomodo ditionibus aucta fuerit. IV. 1. 3, 4, 5. in quas lineas dividatur. IV. 1. 5, 6, 14. quis *primogenituram & duas*

domos

domos regentes instituerit. IV. 1. 6. quomodo etiam lineæ natu inferiores *jura territorialia* obtinuerint. IV. 1. 11, 24, 27. ad quos circulos familia referatur. IV. 1. 30.

Pallant quomodo *ad Waldeccios* pervenerit. V. 12. 2.

Pappenheimia familia unde descendat. VII. 11. 10. qui ex ea *Landgraviatum Stulingensem* tenuerint. VI. 11. 11. *Maximiliani Landgravii testamentum* quid litis excitaverit. VI. 11. 12. *Seniorat*us in familia hac introducti quæ sit ratio. VI. 11. 13.

Passavienſis Episcopatus qua occasione institutus sit. III. 13. 3. ex quo capite *cum Salisburgensi de Metropolitanatu contenderit.* Ib. quos habeat *Ministros Hæreditarios.* III. 13. 4. quos in præsentia *Canonicos.* III. 13. 5.

Petershausen cœnobium quis fundaverit. III. 21. 9.

Pfyretanum Comitatum quomodo *Ecclesia Basileensis* acquisiverit. III. 16. 4. quando *Austriacis collatus* is fuerit. Ib. & I. 5. 3. quæ ejus *præsens* sit *conditio.* I. 5. 6. III 16. 4.

Piccolominea familiæ *prisca conditio* qualis fuerit. V. 15. 1. qui ejus *splendorem renovaverint.* V. 15. 2, 3. quomodo in Germania inclaruerit, & quis ex ea *Principis Imperii* axioma promeruerit. V. 15, 5, 6.

Pinnenberg Comitatus quomodo *Schauenburgicis* obtigerit IV. 9. 11. quò istis extinctis delapsus sit. IV. 9. 52. IX. 7. 8.

Pisaurorum familia patricia apud Venetos *à Jove* deduci amat. V. 16. 1.

Pius II. & III. *Pontifices* quo genere fuerint prognati. V. 15. 2, 3. qua morte *posterior* perierit. V. 15. 3.

Pleisnenſis terra quomodo *ad Saxones* pervenerit. IV. 2. 3. (IV. 7. 11.

Pleſſen dominium quo pacto *ad Haſſos* tranſierit.

Pomeraniæ Ducatus quò poſt extinctos Duces ſuos migraverit. II. 8. 13.

Portianæ familiæ *origo* unde ſit. V. 17. 1. quæ *priſca* ejus *ſedes* fuerit. V. 17. 2. quæ linearum diviſio. V. 17. 3. cui incrementa ſua debeat. V. 17. 4. quis ex ea *primus Principis Imperii dignitatem conſecutus* ſit. V. 17. 5.

Prælati in Imperio quomodo diſtingui ſoleant. III. 21. 1.

PRÆTENSIONES ILLUSTRES

D. Longovillei in Principatum *Arauſionenſem.* V. 6. 7.

Pr. Naſſovii in Comitatum *Styrum.* V. 6. 25.

C. Leiningenſium in Comitatum *Sarvverden.* VI. 8. 3.

C. Schvvarzburgicorum in dynaſtias *Lohr* & *Clettenberg.* VI. 16. 16.

Saxonicæ familiæ in Ducatum *Juliacenſem.* IV. 2. 6.

C. Stolbergenſium in *Königſteinenſem* Comitatum. IV. 18. 5.

C. Waldeccii in *Rappoltſteinenſem* Comitat. VI. 19. 8.

Badenſium Marchionum in dominium *Geroldseck.* IV. 8. 30.

C. Manderſcheidii & *Levvenhauptii* in Comitatum *Falckenſtein.* VI. 3, 4.

Principes Imperii quotuplicis ſint generis. Introd. *ad* L. IV. & V.

Prumienſis Abbatia quando fundata & *Archiepiſc. Trevirenſi incorporata* fuerit. II. 3. 9.

Prussiæ Ducatus quomodo in ditionem Elector. Brandenburgici concesserit. II. 8. 9. quando *Suprematu donatus* fuerit. Ibid. qui nunc eum administrent. II. 8. 10.

Q.

Pyrmontanus Comitatus per quas familias sit vagatus & cui nunc pareat. VI. 19. 3. IX. 3. 5. Introd. *ad* L. IX. §. 2.

Quedlinburgense monasterium quando fundatum sit. III. 22. 7. quando *Evangelicam religionem* receperit. Ibid.

Quedlinburg olim *civitas Hanseatica* quando libertatem amiserit. III. 22. 7.

Quernfurtensis familia quomodo cum *Mansfeldica* coaluerit. VI. 10. 1.

Quernfurtensis ditio quomodo *ad Archiepiscopatum Magdeburgicum* delapsa sit. VI. 10. 2.

R.

Racenburgensis Episcopatus quando fundatus & *transformatus* fuerit. IV. 5. 8.

De *Raitenau* familia unde derivetur. VII. 13. 1.

Ranzoviæ familiæ *origo* unde sit. IX. 7. 1. quis *castrum Ranzovv* exstruxerit. IX. 7. 2, 6. cur *Duci Holsato-Gottorpiensi traditum* id sit. IX. 7. 8. quanta linearum in hac familia dentur divergia. IX. 7. 3, 4. quis ex illa *Comitis Imperii* axioma conlecutus sit. IX. 7. 8.

Rappoltsteinensem Comitatum quo pacto *Christianus C. Palat.* obtinuerit. IV. 1. 25.

Ratisbonenses Episcopi primi qui fuerint. III. 12. 10. *Sedes Episcopalis* quando in urbem translata sit. Ib. *Officiales Hæreditarii* Ecclesiæ qui sint. III. 12. 11. qui nunc *Canonici*. III. 12. 12.

Raven-

Ravensperg dynastia cui nunc pareat. II. 8. 18.

Raugraviorum derivationem unde petant auctores. II. 9. 33. qua occasione eorum *nomen renovatum* sit. II. 9. 34.

Rechbergiorum stirps unde derivetur. VII. 11. 1, 2. in quos ramos abierit. VII. 11. 2, 3, 4. *Comitis* axiomare quæ linea uti soleat. VII. 11. 5. quam ditionem immediatam ea teneat. Ibid.

Reckheim Comitatum quomodo *Asperimontani* acquisiverint. IX. 8. 6.

Reichenau Abbatia quando fundata & *Constantiensi Episcopatui incorporata* fuerit. III. 21. 2.

Reinsteinensis Comitatus quid litis inter Elect. Brandenburgicum & D. Brunsuicenses excitaverit. IV. 4. 14.

Rheni Comitum (*Rheingraviorum*) origo unde derivetur. V. 5. 1. quomodo cum Wildgraviorum familia sese conjunxerint. V. 5. 2. quæ porrò *incrementa* sumserint. V. 5. 3. in quas lineas dividantur. V. 5. 4. VI. 13. 1. quæ ex istis *Principalem dignitatem* consecuta sit. V. 5. 5, 6. *Kyrnensis linea* quando quoad mares defecerit. VI. 13. 2. quæ *Merchingensis linea* à Gallis passa sit. VI. 13. 4. quem locum in Imperio familia hæc occupet. VI. 13. 14.

Rigensis Archiepiscopatus quando & quomodo *ab Imperio avulsus* fuerit. III. 1. 3.

Rineccensis Comitatus quos nunc Dominos habeat. *Introd. ad* L. VIII. §. 2. II. 2. 6. VIII. 7. 1.

Rineccensis Burggraviatus an idem cum Comitatu sit. VII. 13. 3.

Ritbergicus Comitatus quas familias pervagatus sit,& in qua nunc hæreat. IX. 9. 1, 2, 4. V. 8. 8.

Rixingen Comitatus quomodo *ad Leiningios* pervenerit. VI. 8. 3. *venditur* Adolpho Johanni C. Palatino. VI. 9. 6. quæ *turbæ inde sint* ortæ. VI. 9. 7.

Rædelheim quomodo *ad Solmenses* pervenerit. VI. 17. 9. VII. 1. 2.

Ræteln quomodo *ad Badenses* delatum sit. IV. 8. 4.

Roggenburg cœnobium quando fundatum fuerit. III. 21. 12.

Rosenberg dynastia Franconiæ cui nunc pareat. VI. 6. 4.

Rostochium quis *è Kissini ruinis* instauraverit. IV. 5. 1. ejus *dissidia cum Ducibus Mecklenburgicis* quo pacto composita sint. IV. 5. 6.

Rotenfels quo titulo *Kœnigseccii* acquisiverint. VII. 7. 3. & 9. 2.

Rotenmunster monasterium virginum. III. 22. 21.

Roussy Comitatus ad quem pertineat. IX. 4 6, 8.

Runckelana stirps cujus sit originis. IX. 12. 3.

Rupifortensis Comitatus quas familias pervagatus sit,& in qua nunc hæreat. VI. 18. 3. IX. 5. 7. VIII. 6. 4.

Ruthenorum de Plavven vetustas quanta sit. VI. 14. 1. quando *Advocati* dici cœperint. VI. 14. 2. *Heinrici* prænomen cur asciverint. Ib. *Ruthenum* nomen unde ortum sit. VI. 14. 3. in quas *lineas* divisa sit hæc familia. VI. 14. 4, 5. quæ inter illas *Burggraviatum Misniæ* tenuerit. VI. 14. 4. quæ sint nomina dominiorum, quibus distingui solent. VI. 14. 5.

S. *Sai-*

S.

Sainenſes Comites quò originem ſuam referant. VI. 20. 1.

Sainenſis Comitatus quo pacto *cum Witgenſteinico conjunctus* fuerit. VI. 20. 3, 4. quomodo ab hoc iterum divulſus & quæ lis exinde orta ſit. VI. 20. 16. utrum ille *feudum Palatinum an Trevirenſe* ſit. VI. 20. 5.

Salisburgenſis Eccleſia quando *fundata* ſit. III. 1. 9. quando in *Archiepiſcopatum* evecta, & jure *Legationis perpetuæ* aucta. III. 1. 10. quas habeat Eccleſias *ſuffraganeas* quidque jurisin Imperio III. 1. 11. quos *Officiales Hereditarios.* III. 1. 12. quos nunc *Canonicos.* III. 1. 13.

Salmenſis familia unde derivari ſoleat. IX. 10. 1, 2, 3. quomodo dividi. IX. 10. 3. quæ linea in Auſtria ſedem collocaverit, & qua occaſione id factum ſit. IX. 10. 5, 6, 7. *Ardennatenſis linea* quomodo per *Reifferſcheidios* propagata ſit. IX. 10. 8, 9.

Salmenſis Comitatus *in Vogaſo* quò delapſus ſit. V. 5, 3. IX. 10. 4.

Salmenſis Princeps quando *ad ſeſſionem & votum in comitiis Imperii admiſſus* fuerit. V. 5. 6, 7.

Salmansvveiler cœnobium quando *fundatum* ſit. III. 21. 5. quid ei *controverſiæ* cum Furſtenbergicis *de ſuperioritate* intercedat. Ib.

Sarapontanus & *Sarvverdanus* Comitatus quo pacto *ad Naſſovios* tranſierint. VI. 11. 3.

Sauſenberg Landgraviatus ſub charactere *Comitis* IV. 8. 4.

Saxoniæ Electoratus quomodo *ad Misnensem* familiam pervenerit. II. 7. 2. IV. 2. 3. quando & qua occasione *à linea Ernestina ad Albertinam* translatus sit. II. 7. 2. IV. 2. 4, 5.

Saxonica familia unde deduci soleat. IV. 2. 1. quomodo ditionibus sit aucta. IV. 2. 2, 3, 9. II. 7. 22, 23. quibus lineis primariò distinguatur. IV. 2. 4. quo pacto *ditiones* inter lineas duas capitales *divisæ* fuerint. II. 7. 21. Subdivisio in linea Electorali secundùm *testamentum Joh. Georgij I.* institura, quomodo se habeat. II. 7. 24. Calamitatum *Johannis Friderici I. & II.* quæ fuerint causæ. IV. 2. 4, 8. *Ernestina linea* quos ramos produxerit. IV. 2. 7, 10. *Bernhardus Vinarienses* quos habuerit consiliorum rationes. IV. 2. 12. *Altenburgici rami hæreditas* quò delapsa sit. IV. 2 14, 18. *Transactio* inter fratres Vinarienses *circa ditionum regimen* qualis fuerit. IV. 2. 14. Ernestus Gothanus quod *pietatis præmium* hac in vitâ nactus sit. IV. 2. 18. quæ jura huic familiæ in Imperio competant. IV. 2. 28.

Saxoniæ Palatinatus an *diversus* sit *à Ducatu* IV. 2. 3.

Saxo-Lauenburgensium Ducum autor quis fuerit. IV. 10. 6. quantum operæ pro recuperando Electoratu Saxoniæ luserint. IV. 10. 6, 7. quas teneant ditiones. IV. 10. 17.

Schauenburgensis Comitatus quò familia extincta devenerit. *Introd.* ad L. IX. §. 1.

Schlackenwverd in cujus ditione nunc sit. IV. 10. 12.

Schleswicensis Episcopatus quid controversiæ inter Daniæ Reges & Duces Holsato-Gottorpienses ex-

citaverit. IV. 9. 50. quomodo ea per *pacem Rotschildensem* sopita fuerit. IV. 9. 52.

Schlickia familiæ *origo* unde derivari soleat. VII. 12. 1. *Caspari Schlickii* quanta fuerit *dignatio.* VII. 12. 2. quas ditiones familia hæc acquisiverit, & in quas lineas abierit, VII. 12. 2-9.

Schönbornia stirps unde deducatur. VIII. 8. 1. quis eam præcipuè illustraverit. VIII. 8. 2. quando & quo pacto *jura civium immediatorum* in Imperio obtinuerit. VIII. 8. 3.

Schönburgii Dynastæ unde *originem* trahant. VI. 15. 1. in quas *lineas* dividantur. VI. 15-2, 3.

Schussenried cœnobium quis fundaverit. III. 21. 14.

Schwarzburgicorum Comitum *origo* unde derivari soleat. VI. 16. 1. quæ *argumenta vetusti splendoris* sui habeat. VI. 16. 2. Guntherus *Augustus* num posteros reliquerit. VI. 16. 3. quibus lineis familia distinguatur. Ib. quas ditiones illa teneat. VI. 16. 15. quid loco *satisfactionis pro Lohra & Clettenberga* obtinuerit. VI. 16. 16. quæ *jura eximia* habeat. VI. 16. 17.

Schwarzenbergica stirps unde defluxerit. V. 10. 1, 3. quando *Baronis axiomate aucta* sit. V. 10. 3. quando *Comitis.* V. 10. 4, 7. in quos ramos abierit. V. 10. 4. Linearum *Frisiaca* & *Leodiensis* quæ sit conditio. V. 10. 5, 6. *Adolphi* & *Adami* Comitum quæ fuerit *virtus* & æstimatio. V. 10. 7. *Joh. Adolphi* quanta fuerit *prudentia*, & quando *Principalem dignitatem* sit *adeptus.* V. 10. 8. quas ditiones acquisiverit. V. 10. 9.

Sedanum quomodo *ad Marcanam* familiam pervenerit. IX. 5. 7.

Seinsheimii antiquissimi è Nobilitate Franconica audiunt. V. 10. 1. quas lineas profeverint. V. 10. 2. *Georgij Ludovici testamentum & fideicommissum* quale fuerit. Ib. quæ Seinsheimiorum *præsens* sit *conditio*. Ib.

Selza oppidum Electoris Palatini, olim monasterium. II. 9. 21.

Simern quomodo *ad Palatinos* pervenerit. II. 9. 26. quomodo in clientelam Ecclesiæ Trevirensis. II. 3. 6.

Sinzendorfia familia unde oriunda sit. VII. 13. 1. quomodo *è Rhætia in Austriam* venerit. VII. 13. 2. cur inter *Comites* etiam *Westphalicos* ultimo Imperii Recessui subscripserit. IV. 13. 3. quomodo munus *Thesaurariatus in Imp.* nacta sit. IV. 13. 7.

Slavatæ Comites quando *Pincernatum Hæreditarium Regni Bohemiæ* adepti sint. II. 5. 5.

Sleiden quomodo *ad Manderscheidios* pervenerit. IX. 4. 3. quomodo ab istis *ad Marcanos*. IX. 4. 7. & 5. 15.

Solmensis familia unde deducatur. VI. 17. 1. quæ ejus *lineæ capitales* sint. Ib. qui ex illis *rami* defluxerint. VI. 17. 2, 11, 14. quas ditiones familia hæc acquisiverit. VI. 17. 1, 11, 14. quem locum in Imperio occupet, & quæ sacra sequatur. VI. 17. 23. *Heinricus Wilhelmus* Comes cur *Schwarzenbergici* C. *axiomatensus* sit. VI. 17. 16.

Sonnenbergam quomodo *Truchsessii de Waldpurg* acquisiverint, & iterum amiserint. VII. 18. 4.

Sonnenwald quomodo *ad Solmenses* pervenerit. VII. 17. 11.

Span-

Spanheimenſis Comitatus quos nunc habeat Dominos. II. 9. 25. IV. 1. 4, 5, 24 IV. 8. 6.

Speckfeld quo pacto *ad Limpurgios* pervenerit. VIII. 4. 3. & 5. 3.

Spiegelberg Comitatus quomodo *ad Lippienſes* delatus ſit. IX. 3. 5.

Spirenſis Epiſcopatus quæ ſit *vetuſtas*. III. 6. 2. qui ejus *benefactores* fuerint. III. 6. 3. quid juris Epiſcopo in civitatem competat. III. 6. 4. quos nunc *Canonicos* hæc Eccleſia alat. III. 6. 6.

Stablo cœnobium quando *fundatum* fuerit. III. 20 20.

Stada quo pacto *ad Archiepiſcopatum Bremenſem* pervenerit. IV. 4. 2.

Stargardiam quando *Duces Mecklenburgici* acquiſiverint. IV. 5. 3.

Statlandiam quando *Comites Oldenburgici* occupaverint. IV. 9. 6.

Steinfurtenſis Comitatus qua via *ad Bentheimios* delatus ſit. IX. 1. 8.

Sternbergenſem Comitatum quo pacto *Lippienſes* obtinuerint. IX. 3. 5.

Sternſtein Comitatus Principalis quando erectus ſit. V. 4. 7.

Stolbergicæ familiæ conditor quis fuiſſe tradatur. VI. 18. 1. quod *antiquitatis* ſuæ *argumentum* habeat. VI. 18. 2. quomodo ditionibus aucta ſit. VI. 18. 3, 4. quomodo *Comitatum Kœnigſteinenſem* amiſerit. VI. 18. 5. cui circulo annumeretur. VI. 18. 14.

Stromberg castrum *Elect. Palatini* II. 9. 26.

Stromburg Burggraviatus. III. 11. 10.

Stulingen Landgraviatus quomodo *ad Pappenheimios* pervenerit. VII. 11. 11. quomodo ab istis *ad Furstenbergicos*. Ib. & VII. 4. 9

Suecia Regnum quomodo *ad familiam Palatinam* translatum sit. IV. 1. 18. *Rex hodiernus* quomodo *liberam atque infinitam potestatem consecutus* sit. IV. 1. 20.

Suevia Ducatum quo pacto *Austriaci* acquisiverint. I. 5. 2. ejus *Vogteia Provincialis* quo titulo iisdem obvenerit. I. 5. 5.

Sulzii Comites unde deducantur. VII. 14. 1. quas ditiones acquisiverint. Ib. & §. 2.

Sulzburg quomodo *ad Wolfsteinenses* pervenerit. VII. 21. 2.

Svvalenberg Comitatus quos nunc dominos agnoscat. VI. 19. 4. IX. 3. 4.

Svverinensis Comitatus partem qua via *Duces Brunsuicenses* acquisiverint. IV. 4. 5. reliqua quomodo *Ducibus Mecklenburgicis* obvenerit. IV. 5. 5.

Svverinensis Episcopatus quando institutus, & qua occasione *transformatus* fuerit. IV. 5. 8.

T.

Tauffkirchen quomodo *ad Fuggeros* pervenerit. VII. 3. 4.

Teccensem Ducatum quomodo *Wirtenbergici* acquisiverint. IV. 6. 4.

Tecklenburgicorum Comitum priscorum stirps unde

unde defluxerit IX. 1. 9. quo fato interierit. Ib. qua via Comitatus *ad Bentheimios* delatus sit. IX. 1. 8.

Testamentum Johannis Georgii I. Electoris Saxoniæ, II. 7. 24. Stephani ultimi Comitis Mompelgardensis. IV. 6. 5. Philippi Magnanimi Landgr. Hassiæ. IV. 7 9. Johannis Medii C. Nassovio-Siegensis. V. 6. 18. Maximiliani Pappenheimii Landgravii Stülingensis. VI. 11. 12. Ludovici C. Saino-Witgensteinici. VI. 20. 6.

Thengen Comitatus quo pacto *ad Pr. Auerspergicum* pervenerit. V. 7. 3.

Thonna quomodo *Waldeccius* obtigerit. VI. 19. 7. quis nunc eam teneat. Ib. & IV. 2 19.

Thuringia quomodo sub *Ecclesiæ Moguntinæ* ditionem redacta, & inde avulsa fuerit. II. 2. 6. quo pacto *ad Misniæ Marchiones* pervenerit. IV. 2. 2.

Tillij Comites *cujus* sint *originis*. VII. 15. 1. *qui* ex illis *in Germania inclaruerint*. VII. 15. 2, 3 quas ibi ditiones acquisiverint. VII. 15. 4. cur *Ordinibus Circuli Bavarici* annumerentur. VII. 15. 10.

Trauchburgum quo pacto *Truchsessii de Waldpurg* obtinuerint. VII. 18. 3.

Trauniorum Comitum *origo* unde derivetur. VI. 16. 3. in quas lineas dividantur. VII. 16. 4. quæ illarum *jura Imperii* consecuta sit. VII. 16. 6.

Trautmansdorfia familia unde deducatur. VII. 17. 1. quis ex ea *primus Comes S. R. Imperii* creatus fuerit. VII. 17. 3. quis *Marescallatum Hæreditarium Regni Bohemiæ*. nactus sit. II. 5. 5.

Trevirensis Ecclesiæ *primi Antistites* qui fuerint. II.

3. 5. quam *prærogativam* à Pontifice Romano acceperit. Ibid. qui illam locupletaverint. ll. 3. 6, 7. quos habeat *Officiales Hæreditarios*. ll. 3. 10. quos nunc alat *Canonicos*. lll. 3. 11.

Tridentinus Episcopatus *quando & à quo institutus* fuerit. lll. 14. 3. quibus ditionibus auctus. lll. 14. 4. quæ *cum domo Austriaca pacta* habeat. Ib. quos *Officiales Hæreditarios*. lll. 14 5. quos in præsentia *Canonicos*. lll. 14. 6.

Troppaviensem Ducatum quis nunc teneat. v. 13. 5.

Truchsessiorum de Waldpurg familia unde deducatur. VII. 18. 1. quas ditiones acquisiverit. VII. 18. 3, 4, 5. in quas lineas dividatur. VII. 18. 5. Otto *Cardinalis* VII. 18. 7. Gebhardus *Archiepiscopus Colonienſis*. VII. 18. 8. *Dapiferatum Hæreditarium Imperii* quando hæc familia adepta sit. VII. 18. 9. Lis circa *exercitium hujus muneris* orta quo pacto composita fuerit. Ib. penes quam linea-m *Senioratus* nunc sit. VII. 18. 10.

Truchsessii in Prussia quem stirpis suæ fatorem habuerint. VII. 18. 6.

Tubantes qui populus fuerint. IX. 1. 2. quos post Carolinum ævum Regulos habuerint. IX. 1. 3, 4.

Tubinga quomodo *ad Duces Wirtenbergenses* pervenerit. IV. 6. 3. à quo *Academia* ornata fuerit. IV. 6. 6.

Tubingensium Comitum stirps quando & in quibus defecerit. *Introd. ad Lib.* VII. §. 1.

Tyrolensis Comitatus quo pacto *ad domum Austriacam* delatus sit. I. 5. 3.

V.

Vaduz quomodo *ad Sulzios* & ab his *ad Hohenembsios* pervenerit : VII. 6. 3. & 14. 2.

Vehlenſis familia unde deducatur. IX. 11. 1. quis ejus *incrementorum autor* fuerit. IX. 11. 2.

Veldenz Comitatus quo pacto *Palatinis* obvenerit. IV. 1. 5.

Veldkirchenſes emancipantur à C. Montfortii. VII. 9. 1.

Venedorum Principatum quomodo *Duces Mecklenburgici* acquiſiverint. IV. 5. 2.

Veſontini Archiepiſcopatus *conditio præſens* qualis ſit. III. 1. 6.

Vianda Comitatus quo pacto *ad Naſſovios* pervenerit. V. 6. 4.

Vinſtingen dominium. V. 5. 3.

Virnenburg Comitatus *ad Manderſcheidios*, IX. 4. 4. inde *ad Lövvenſteinios* delapſus. VIII. 6. 5. IX. 4. 8.

Vizthumiorum in Saxonia, quæ ſit origo. II. 2. 5.

Vlefeld Cornificius quam uxorem duxerit, IV. 9. 19. quas turbas dederit. IV. 9. 21.

Vlmenſes erant quondam *ſub ditione Abbatis Divitis Augiæ*. III. 21. 2.

SS. Vlrici & Afræ cœnobium Auguſtæ quis fundaverit. III. 21. 20.

Vmſtad quos habeat Dominos. II. 9. 18.

Vngnad vide *VVeiſſenvvolf*.

Vracenſis Comitatus quomodo *ad Wirtenbergenſes* delatus ſit. IV. 6. 2.

De

De *Vrſinis* duobus fratribus ex Italia pulſis traditionem quomodo interpretur *Gelenius*. IX. 3. 1.

Vrſpergenſe cœnobium quando *fundatum* & *infula ornatum* fuerit. III. 21. 10.

Vſenbergica dynaſtia quo pacto *ad M. Badenſes* pervenerit. IV. 8. 3.

W.

Walckenried cœnobium in cujus ditionem poſt pacem Weſtphalicam conceſſerit. IV. 4. 13. cui nunc pareat. IV. 4. 19, 25.

Waldeccenſis familia unde deducatur. VI. 19. 2. in quas lineas abierit. Ib. & §. 4. quo pacto *jus in Comitatum Pyrmontanum* nacta ſit. VI. 19. 3. quis ex ea *Principalem dignitatem* promeruerit. V. 12. 1. quid jutis hæc familia in Imperio obtineat. V. 12. 9. VI. 19. 10.

Waldſteinorum origo unde derivetur. VII. 20. 1. in quas lineas diviſi ſint. VII. 20. 3. quæ illarum *Albertum Fridlandiæ Ducem* ediderit. VII. 20. 4. *Comitis Imperii dignitatem* quis ex hac familia conſecutus ſit. VII. 20. 6.

Waltpodiorum origo quæ fuiſſe perhibeatur. III. 4. 3.

Weingartenſe cœnobium *quando fundatum* fuerit. III. 21. 6.

Weiſſenauenſe cœnobium quos benefactores habuerit. III. 21. 13.

Weiſſenburgica Præpoſitura quando fundata & *Spirenſi Epiſcopatui incorporata* fuerit. III. 6. 5.

Weiſſenhorn Comitatus quo pacto *ad Fuggeros* venerit. VII. 3. 1, 2.

VVeissenvvolfiorum origo unde derivetur. VII. 19. 1. unde cognomen *Vngnadiorum* acceperint. VII. 19. 2. *Johannis Vngnadii* quanta fuerit *pietas*. VII. 19. 3. quanta *Davidis* existimatio.. VII. 19. 5.

VVerdenſis Abbatia quando fundata fuerit, & quàm *tenuis* ejus *conditio* nunc ſit. III. 21. 19.

VVertheimenſis Comitatus quomodo *ad Stolbergicos* & ab iſtis *ad Lövvenſteinios* pervenerit VI. 18. 4. VIII. 6. 4.

VVeſterburgica familia unde deducatur, & quomodo *cum Leiningica coaluerit*. VI. 9. 1.

VVeſtphaliæ Ducatus quando & qua via *Eccleſiæ Colonienſi ſubjectus* fuerit. II. 4. 6.

VVettenhauſen cœnobium quis fundaverit. III. 21. 15.

VViedæ Comites priſci qui reperiantur. IX. 12. 1, 2. hodierni Comites unde deducantur. IX. 12. 3. Hermannus & Fridericus *Archiepiſcopi Colonienſes* ex hac familia. IX. 12. 5, 6.

VVieſenſteig Comitatus cui nunc pareat. II. 6. 15.

VVildenfels quomodo *ad Solmenſes* pervenerit. VI. 17. 14.

VVildfangiatus jura quæ ſint. II. 9. 29.

VVinneburg Comitatum, quomodo *Metternichii* obtinuerint. IX. 6. 7.

VVirtenbergica familia unde derivari ſoleat. IV. 6. 1. quis *primus* ex ea *Comes* fuerit. Ib. quomodo ditionibus aucta ſit. IV. 6. 2, 3, 4, 5, 6, 8, 11. quando *Ducalem dignitatem conſecuta* ſit IV. 6. 6. quis ex ea *vexillum Impe-*

rii acceperit. IV. 6. 3. qua occasione *Ducatus Austriacorum clientelæ subjectus* fuerit. IV. 6. 9. quando ex ea iterum *exemptus*. IV. 6. 11. quis *Evangelicam religionem* in Ducatu instauraverit. IV. 6. 10. quem locum, quæ jura in Imperio hæc familia obtineat. IV. 6. 32.

VVismariam quomodo *Duces Mecklenburgici* acquisiverint. IV. 5. 3. quo pacto *in Suecorum ditionem* devenerit. IV. 5. 8.

VVietekindo num *Regium nomen* rectè tribuatur. IV. 2. 1.

VVitgensteinica familia quomodo *cum Sainensi conjuncta* fuerit. VI. 20. 3. in quas lineas divisa sit & quæ Ludovici *circa regimina* fuerit *constitutio*. VI. 20. 6.

VVolckensteinici Comites unde deducantur. VII. 21. 1. quibus lineis distingui soleant. Ibid. quid *linea Trostburgensis* è Comitatu Ebersteinico sibi vindicaverit. VII. 2. 3, 4.

VVolfegg quomodo *ad Truchsessios de Waldpurg* pervenerit. VII. 18. 3.

VVolfenbuttelium quando *Duces Brunsuicenses* occupaverint. IV. 4. 5.

Wolffsteinensis familiæ deductio quomodo se habeat. VII. 21. 1, 2, 3. quo nunc axiomate illa gaudeat. VII. 21. 4.

Wormatiensis Ecclesia quo pacto *Archiepiscopalem dignitatem amiserit* III. 4. 4. *quid* Episcopus *juris in civitatem* habeat. III. 4. 5. quos nunc Ecclesia *Canonicos* alat. III. 4. 6.

Wurzach quomodo *ad Truchsessios de VValdpurg* pervenerit. VII. 18. 3.

Z.

Ziegenhain Comitatus quomodo *ad Landgravios Hassiæ* delatus fuerit. IV. 7. 3.

Zollern Vide *Hohen-Zollern*.

FINIS.

ERRATA NONNULLA, IN NOTITIIS PROCERUM S. R. I.

PAgin. 2. lin. 22. *lege* pervenit. *p.3.l.14.* pedetentim. *p.10.l.16.* Pfiretarum. *p 13.l.16.* Chara. *Ib. lin. ult.* Castilienſis. *p.23.l.17.* pater è. *p.25.l.25.* Pordonone. *p.38. l.12.* iſto. *& lin.29.* ſuſpiceret. *p.47.l.28.* ὑπηρχον. *p.54. l. antepen.* 1576. *p.75.l.3.* equo. *p.79.l.9.* Iſaro. *p.90.l. antepen. poſt* ætatis *adde* annum. *p.94.l. penult.* d. 13. Mart. *p. 95. l. 10.* Citicenſis. *p.112. l.15.* d. 27. Nov. *p.115.l. 4.* diſtincto. *p.120.l.5.* Baruthinæ. *p. 125. l.3.* nunquam. *p.128.l.20.* Joachimus II. Elector. *p 133.l.1. tollantur virgulæ, & lin.10. lege* primùm. *p.136.l.10. vox* donatus *à ſequenti* eſt, *commate diſtinguatur, & lin.15. lege* d. 10. Mart. *p.139.l.3.* 1225. *p.143.l.12.* exulceratis. *p.144.l.21.* in quem *p.147.l.17.* illi. *p.157.l.23.* quique. *p.161.l.5.* 27. Jun. *p.166.l.4.* recipiente. *p.169.l. 22. poſt* Friſingenſem *adde* Ratisbonenſem. *p.178.l.11. lege* Solis. *p.193.l.1.* condominium. *p.196 l.7.* Wambolt. *p.209.l.14.* enumeraverit. *p.218.l.9.* Elvacenſi, *& lin. antepen.* duæ. *p.245.l.22.* redemptum. *p.247.l. 21.* 1050. *p.254.l.20.* d. 1. Jun. *& l.23.* 1666. *p.256. l.18.* ædificavit. *p.261.l.5.* ab, *& l.19.* Eberſpeunt, Frondenhauſen. *p.279 l.24.* EPISCOPIS. *p.287.l.3.* an. 940. *p.304.l.2.* ærario. *p.321. l.20.* Statuum. *p.329. l.1. delenda vox* fortaſſis. *p.338.l.20. poſt* ſeculi *adde* decimi. *p.344.l.5. lege* 1126. *p.345.l.6.* anno 1475. *p. 346.l.25.* Odenheimenſi. *p.376.l.13.* † ibid. d.7. Febr. *p.426.l.8.* Solre. *p.429.l.26.* duos, *& lin. ſeq.* tertium, *iterumque lin.29.* duos, *p.451.l.15.* commune. *p.467. l.3.* 1512. *& l.12.* Giſhorneenſem. *p.474.l.12.* Auguſtum. *p.480.l.3.* Olbreuze. *p.505.l.pen.* Id tamen de. *p.516.l.11.* in Kirchheim. *p.541.l.16.* Rheinfelſenſis. *p.*

548.

548. l. 25. Gallico. *p. 553. l. 14.* filiæ Christianæ. *p. 598. l. 8.* 1633. *p. 611. l. ult.* molis. *p. 630. l. 20.* d. 20. Nov. *p. 635. l. 23.* Octogenarius. *p. 650. l. 9.* angustum. *p. 660. l. 11.* dotalitium. *p. 740. l. 17.* an. 1481. *p. 743. l. 7.* Mouy. *p. 744. l. pen.* diducta. *p. 751. l. 8.* ERNESTUS DOMINICUS. *p. 782. l. ult.* Salmensis. *p. 787. l. 20.* Walrami. *p. 789. l. 5.* eadem. *p. 807. l. 19.* liberis. *p. 822. l. 20.* in altiorem. *p. 825. l. 18.* Sirclenii. *p. 828. l. 18.* Uconem. *p. 842. l. 11.* Waldpurg. *p. 850. l. 18.* nobilitato. *p. 856. l. ult.* Arscotana. *p. 892. l. 13. tolle* &. *p. 935. l. penult. lege* paucæ. *p. 948. l. 4.* quem. *p. 961. l. 6.* antiquissimas, & *l. 14.* ei. *p. 981. l. 24.* ἄγαμοι. *p. 994. l. 7. post* argenteis, *adde*, exornatam; media Dagsburgica expandit alas duas nigras, corculis argenteis &c. *p. 1009. l. 1. lege* 1546. *p. 1025. l. 3.* primas. *p. 1100. l. 1.* Ilseburgi. *p. 1161. l. 7.* filias. *p. 1185. l. 22.* initia. *p. 1186. l. 26.* Chunigl. *p. 1196. l. penult.* lineam. *p. 1201. l. 9. dele* Generalis Excubiarum Præfecti, *& scribe* Generalis Locumtenentis Peditum, & rei tormentariæ Præfecti. *p. 1214. l. 26. pro* fuit *lege* est; *& lin. seq. verba* qua dignitate *usque ad* vivit, *dele: duriora enim vero sparserat rumor, neque dignitate sua multatum fuisse Rechbergium, sed illam hodienum tenere, ejusque commodis frui, licet auctoritas ejus nonnihil detrimenti sit passa, neque ille nisi vocatus Consilium secretius nunc frequentet, ab amico fide digno nuntiatum est. p. 1224. l. 5. lege* unúsque *p. 1227. l. 4. pro* qui *lege* cui. *Cætera Benevolus Lector corriget ipse; neque enim librum integrum relegere vacavit.*

FINIS.